This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

WIDENER LIBRARY
HX Q4IQ

3 Vols 7 50 mdr

Li 13.220 (1)

HARVARD COLLEGE LIBRARY

FROM THE LIBRARY

OF

ARTHUR STANLEY PEASE

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.

BARROIS l'aîné, Libr., rue de Seine, n° 10, F^g St.-Germ.

DE BURE frères, Libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.

TREUTTEL et WURTZ, Libraires, rue de Bourbon, n° 17.

A. A. RENOUARD, Libraire, rue de Tournon, n° 6.

BOSSANGE père, Libraire, rue de Richelieu, n° 60.

BRUNOT-LABBE, Libraire, quai des Augustins, n° 33.

MONGIE aîné, Libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.

ARTHUS-BERTRAND, Libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

VERDIÈRE, Libraire, quai des Augustins, n° 25.

N. PICHARD, Libraire, quai Conti, n° 5.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SEXDECIM SATIRÆ

EXCUDEBAT RIGNOUX

TYPOGRAPHUS

A. J. Pearce

D. JUNII JUVENALIS

SEXDECIM SATIRÆ

AD CODICES PARISINOS RECENSITÆ

CUM INTERPRETATIONE LATINA

LECTIONUM VARIETATE NOTIS RUPERTIANIS,

EXCURSIBUS ET INDICE ABSOLUTO

QUIBUS PLURIMA SUBJUNXIT ADDITAMENTA

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN PRIMUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIII

L.C 13.220(1)

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
NOV 6 1964

ERUDITO ET BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

N. E. LEMAIRE.

Quamvis tot et tantis impediar negotiis, ex quo totius fere latinitatis colligendæ, recognoscendæ, denuo publicandæ atlanteum onus in me suscepi, ut sæpe mecum admirer, quo modo centies in hora distentum atque distractum ingenium (credo favente aliquo numine) non fatiscat demum, ac disrumpatur; tamen suffuror operi universo breviusculas quasdam temporis particulas, quas iis potissimum impendam poetis, in quibus semper acquievi, solitus quidem cum cæteris haud injucunde versari scriptoribus, cum his vero etiam familiarior convivere jamdudum, et confabulari.

Æquum est porro, qui me sæpissime delectarunt, eos aliquid a me præ cæteris ferre, et quorum præcipuus amor, eorum quoque singularem esse curam. Itaque Virgilium, quum ex prelis meis exiret, nolui a me discedere, quin abeunti imponerem, tanquam ξένια quædam, et *manuum monumenta mearum*, supplementa illa Heynianæ editionis, longum, sed, audeo dicere, utilissimum opus, assidui per multos annos laboris fructum, nec mihi, nec professoribus doctissimis, nec cæteris lectoribus pœnitendum.

Nunc prodit a me Juvenalis, vehementissimus poeta, dicam, an orator? sed utrumque dicam. Quis enim aut mentes rapido dicendi æstu potentius abripuit, quod summi oratoris est? aut vividis magis coloribus imagines omnium quas attigit rerum expressit, quod est summi poetæ? Omitto vim comicam, qua parte ne Plauto quidem inferior est. Sed hanc multo potiorem sibi laudem vindicat, boni civis et morum vindicis egregii: nam quis in vitia acrius illo invectus est? Malorum pectora curis exesa quis audacius revelavit? Quis prior satiram flagello gladioque armavit, adhuc in Horatio ludibundam, in Juvenale pugnacem et ultricem? Hunc igitur post Virgilium Horatiumque jam a teneris amplexus sum: hunc pæne quotidianum confabulatorem amavi, in deliciis habui, qui me et cum ipso meditantem plurima oblectatione detinebat, et discedentem semper aliquanto meliorem dimittebat.

Hunc sæpe, assidente ornatissima auditorum corona, in publicis Academiæ Parisiensis lectionibus recitavi, meminique non arrectas minus aures stare ad facundos Juvenalis impetus, quam ad canora Virgilii modulamina. Verum quod in Juvenale impenderam studii, ut eum, qualis esset, in illo intelligentium hominum cœtu exhiberem, nolui culpa mea funditus interire, si forte alicujus pretii et utilitatis esset. Itaque ad hujus poetæ editionem non arcessivi alienas manus: ipse adfui; et quanquam viri sæpe alias a me, sed nunquam satis laudati Rupeati commentarios assumpserim, tanquam fundamenta mei laboris firmissimasque substructiones, tamen ædificium ipsum ut esset magna ex parte meum, adjeci, recidi, emendavi multa; volui plenius aliquid et omnibus numeris absolutius in lucem exire, quam quod a doctissimo viro prolatum erat. Sit ille clarus, quoniam prior operi manum admovit. Satis vero mihi sit, post illum delitescenti (quæ unica est editoris gloria) non minimum ad publicos usus contulisse.

Porro hæc sunt quæ pro virili parte contuli: primum omnium ipsis Juvenalis versibus subjeci latinam numeris solutis interpretationem. Quem commentandi modum a celeberrimo viro Montausier, in edendis *ad usum* Delphini latinis auctoribus olim excogitatum, ego in hoc præcipue scriptore tot salebris aspero utilem ac prope necessarium fore existimavi. Ipsa quidem interpretatio Juveneii est, sed aucta, emendata, et pluribus locis ad meum sensum non correcta modo, sed omnino mutata.

Singulis præmisi satiris argumenta, quum inclusa numeris, tum etiam soluto scripta sermone: præterea diligenter accuratas ἀναλύσεις, in quibus carminis dissecti particulas omnes versuum intra quos continentur expressis numeris designavi, et tanquam certis limitibus inclusas, quo facilius agnoscerentur, exhibui.

In fine satiræ cujusque adjeci: 1° varias MSS. lectiones; 2° multas auctorum, sive Græcorum, sive Latinorum, sive etiam Gallicorum (cur enim nostra negligamus?) imitationes; 3° notas quæ sub ipso carminis textu omissæ fuerant, partim ad criticam literariam, partim ad historiam, antiquitatem fabulamve pertinentes, plerasque de veterum moribus atque usibus, quorum ex accurata notione lux plurima Juvenalis operibus affunditur.

Lectionum magnam segetem dederunt optimi regiæ Parisiorum bibliothecæ Codices, collati cum iis quibus antea Rupertus usus erat. Ait vir eruditissimus octoginta se codices, vel manuscriptos, vel typis excusos collegisse, ac fere omnes a principio ad finem comparasse. Cujus in hac re labori si nostrum addideris, habebis

sane ad verum auctoris textum constituendum plus adjumenti, quam quod legitime vel optari possit.

Duo prima editionis nostræ volumina Juvenalis solus illa sua supellectile implebit : tertium Persio reservamus, qui necessario Juvenalem sequitur : ita conjuncti duo vates corpus integrum efficient. Jam unus e doctissimis Academiæ Parisiensis rhetoribus suam in Persio publicando operam mihi diligenter navat, inter amantissimos collegas carus, et nostræ Universitatis futurum decus et præsidium.

Mox, ut spero, ultimum illud volumen in lucem prodibit; cujus in fine reperies, quæ fortasse in duobus primis voluminibus desideraveris; 1° Juvenalis vitam *per annos probabilibus conjecturis digestam*, quales fere Dodwellus edidit Velleianos annales, Ruæus et Heynius Virgilianos, etc.; 2° Satiræ apud Romanos historiam, et de præcipuis satiricis Lucilio, Horatio, Persio, Juvenale, inter se comparatis, item de fructu ex illorum operibus percipiendo dissertationes minime ab instituto nostro alienas; 3° denique manuscriptorum indices; catalogum editionum; testimonia de Juvenale et Persio. Quid plura? sequar in illo quoque volumine, eamdem quam hactenus servavi rationem; nec a proposito fine discedam, ut *nihil boni, quod ex aliis editionibus colligi queat, in mea desideretur.* Quæ si omnium vicem sola supplere potest, probe consuluero lectoribus meis : quantum enim impensæ et laboris ponendum fuisset in tot undique libris coemendis, id totum lucro apponant necesse est, mihique acceptum referant. Ita, quanquam plusculi empta volumina, minori tamen pretio constare non immerito videbuntur.

Est vero quod aliquis austerus lector in editione mea reprehendat, quod crimen mihi cum pluribus editoribus commune, non dissimulo: utinam possim defendere! Integrum edidi auctorem, de quo multa recidere velint, qui pudicas aures habent, et ultra modum delicatas : velint saltem nullum commentarii, aut interpretationis genus iis locis additum, quæ satius sit, ut illi putant, omnino non intelligere. Neque ego inficias iverim, interdum virtutis loco esse habendum, *quædam nescire :* ac si puerorum aut adolescentulorum in gratiam scriberem, imitatus essem Juvencii aliorumque modestiam, quamvis interdum nimia videri possit. Sed alios lectores alia decent. Timidus tamen cautusque, ut in re lubrica, diffidere malui quam errare : adii, consului viros quum doctrinæ copia, tum etiam morum integritate ac pietatis studio commendabiles. Quorum nemo, præter unum fuit, qui non mihi animum labantem firmaret, allato Bolæi nostri versiculo :

«Le latin dans les mots brave l'honnêteté.»

Quod fere Catullus, XVI, 5, sentiebat, sui simul et nostri patronus:

«Nam castum esse decet pium poetam
«Ipsum; versiculos nihil necesse est.»

Non laudamus Catulli, neque Latinorum prope quotquot sunt poetarum, falsa fretam opinione licentiam; credimus tamen perperam munere suo defungi editores, qui latinis auctoribus expurgandis, id est, castrandis, operam tempusque suum consumunt. Hinc sæpe fatiscit et abrumpitur mutilata oratio : ex reliquiis imperfectis absurdus sæpe aut nullus sensus elicitur : succisis velut articulis manca et enervia jacent argumenta; denique cadaver auctoris, non vivum et plenum sanguine corpus exhibetur. Alii ex ipso textu quidquid non placuit eraserunt; nec puduit illos sua verba, suas quandoque sententias infarcire, ad sananda, vel obducenda, quæ fecerant ipsi, vulnera. Alii lasciva quæque, per se plerumque obscurissima, sine commentario reliquerunt; acciditque, ut pudoris specie suam hic ibi velantes ignorantiam, quidquid non intelligunt, pro incesto habeant; quidquid nesciunt, damnent. Absit, ut istorum exemplis regamur! immo vero, quantum in nobis fuit, nihil inexplicatum, nihil certe intentatum omisimus. Nec enim nos incusandi sumus, si tam audax fuit apud veteres morum et sermonum licentia. Ne temere quidem criminandus ipse Juvenalis, qui vitiorum portentosas, sed veras imagines exhibuit, neque ut laudaret, sed ut acerrime insectaretur. Censor ille, nedum adulator, castigat mores, non corrumpit : quemadmodum Spartani dicuntur servorum ebriorum spectaculo finxisse pueros ad sobrietatem. Vis scire qua mente sæculi sui turpitudinem denudet ? Interroga te ipsum. Ridesne ad hoc spectaculum, an abhorres ? Quod si infandæ cupiditatis monstra, deformitate sua non possunt nisi horrorem mentibus injicere; si tale fuit, ut videtur, auctoris nostri consilium; si, quod effectus ipse satis indicat, non ut impuram sollicitet pruriginem, neque ut obscœnis facetiis pravas oblectet mentes, sed ut generosæ indignationis stimulo nos a similibus corruptelis abigat, ultro in his moratur, et frontem sibi perfricat Juvenalis; ignosces nobis, amice lector, qui totum hunc sine veste, qua impediatur, sine velo, quod ipse nolit, spectandum tibi exposuerimus, in illo velut theatro, ubi cum vitiis omnibus digladiatur. Sic nudi pugnabant athletæ : sic nudum Herculem cum Hydra decertantem pictores exhibere solent. Vale.

N. E. L.

DIVISIO ET ARGUMENTA

SEXDECIM SATIRARUM

DECIMI JUNII JUVENALIS.

JUVENALIS Satiræ sexdecim in multis codicibus, tam scriptis quam editis, verb. causs. in 4, 19, 26, 45, 46, 49, 55, 59, 70, 74, 75, distribuuntur in quinque libros, quorum primus quinque priores, secundus sextam, tertius VII, VIII, et IX; quartus X, XI, et XII; quintus tres ultimas complectitur. Hi libri laudantur jam a Prisciano et a vet. Schol. ad Sat. III, 240. Hinc divisionem hanc invitus retinui, etsi parum apta est (nam plerique libri non nisi tres satiras, et secundus adeo unam tantum continet), et magis ad eclogarum longitudinem, quam argumentum accommodata.

De ordine, quo vulgo satiræ Juvenalis collocantur in libris, hæc disputavit Heinrich. in sec. comment. pag. 8: « Juvenalem Satiras, quas legimus, diversis temporibus scripsisse, partem sub Domitiano compositam, alias sub Trajano, quasdam sub Hadriano factas, sed omnes Hadriani ætate recitatas et publicatas, id vero jam pridem demonstravit Salmasius (vide Plin. Exercitatt. pag. 321, C.), in quo quid corrigendum habeat fastidiosior Criticus, Henr. Dodwellus, Annal. Quintil. § 40, ed. Oxon. pag. 162, videre non facile est, quum ipse nihil aliud dicat. Satira secunda quum tota referat tempora, sive, ut novo modo loquimur, genium sæculi Domitiani, tum aut scripta est adhuc imperium tenente Domitiano, et interea scriniis retenta; aut statim post cædem tyranni: ut certum videatur, Satirarum, quas quidem edidit Juvenalis, eam tempore primam omnium esse habendam. Certe etiam quarta post scripta est, quanquam secundo ab illa loco ponenda, si Satirarum tempora numerantur.

Aliud hoc est, quam si vulgarem ordinem velis mutatum. Jam diu vehementer est laboratum, ut thecæ calamariæ, quales essent apud veteres, et librorum ornamenta, cornua, umbilici, reli-

qua id genus, accuratissime cognoscerentur : verumtamen quæ fuerit alia ex parte rei librariæ ratio, velut in libris colligendis et digerendis ; primum atque iterum justæ editioni parandis, inscribendis, et per nomina auctorum ac titulos distinguendis ; deinde in exemplis multiplicandis, per recensiones (quæ latine correctio dicitur) renovandis et retractandis : talia permulta nusquam adhuc vidimus satis quæsita, nedum perfecte exposita, et, quod varias ob caussas valde optamus, plenissime comprehensa. Loci sunt non pauci in arte critica, qui novam inde lucem exspectare possint. Sic in variis scriptis colligendis mira quædam, et, pæne dixerim, generosa cernitur apud veteres negligentia ; neque sic jam industrios videmus auctores, ut ipsi sua Opera omnia consarcinantes facillime populi commodo, aut etiam suo, prospicerent : ita pleraque dissoluta et dissipata, permulta ne ab ipso quidem auctore ad editionem destinata, nonnunquam admodum sero et ab imperitis colligebantur. Quod si ipse scriptor institueret collectionem, faciebant hoc maxime, ut de Epistolis Plinius narrat, I, 1 : « Collegi, non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam), sed ut quæque in manus venerat. » Sic poetæ quoque fecerunt, ut Horatius et Tibullus ; neque aliter Juvenalis ; modo sit ipsius hoc syntagma, quod nunc manibus tenemus. Eum produxisse ad audiendum plura Satirarum volumina, scilicet per diversas vices acroasis, conjectari probabiliter potest, primum ex antiquo more ac modo recitandi, deinde ex illa, quæ vulgo in Codicibus reperitur, quinque librorum distincta notatione, quam haud ita minime spernendam putamus, ut non nisi ultimæ ætatis grammaticorum habenda videatur. Quid ? quod ejusdem rei fere historica significatio latet in Vita, Suetonio tribui solita. »

Satirarum tituli et argumenta, quæ in codicibus, et scriptis, et editis varia ratione, et vel prosa, vel versa oratione expressa leguntur, unius cujusque Satiræ principio præfiximus : ea igitur hic omittemus, duobus tantum exceptis, quæ in unum corpus congregata separari non poterant. Ed.

I.

AB ANTON. MANCELLINO.

Prima docet Satiræ causas formamque libelli.
Qui simulant Curios, Satira patuere secunda.
Ex Urbe Umbritii digressum tertia narrat.
Quarta quidem Crispinum odit, calvumque Neronem.
Ganeo quæ tolerat parasitus, quinta notavit.
Sexta hæc infidas mulieres pandit abunde.
Septima demonstrat Romam nil ferre poetis.
Nobilis octava propria virtute vocatur.
Turpia qui tolerant nona carpuntur avari.
Curæ hominum decima rerumque libido notantur.
Arguit undecima vates convivia lauta.
Bissena arguitur Satira captator avarus.
Tertia post decimam solatur damna dolentes.
In decima quarta dant prava exempla parentes.
Numina diversa Ægypti penultima monstrat.
Ultima militiæ felicis præmia narrat.

II.

SATIRÆ JUVENALIS, MEMORIÆ CAUSA, TRIBUS VERSIBUS CONCLUSÆ

A RUDOLPHO GITTINS.

1, Vates; 2, Hypocrites; 3, Roma urbs; 4, Rhombus; 5, Parasitus;
6, Nupta; 7, Ars sordet; 8, Nobilitas vera; 9, Impia; 10, Vota;
11, Cœna; 12, Redux; 13, Deposta; 14, Parens; 15, Ægyptia; 16, Miles.

INDEX

CODICUM MSS. ET EDITIONUM

QUÆ NUMERIS NOTANTUR

IN VARIIS LECTIONIBUS ET EXCURSIBUS.

Vetus Scholiastes Pith. designatur numero. . . . . 1.
Codex MS. Noviomagensis. . . . . 2.
— Pulmanni. . . . . 3.
— Hadr. Junii. . . . . 4.
— Miggrodii. . . . . 5.
— Susii. . . . . 6.
— Amstelodamensis. . . . . 7.
— Vetustiss. Pithoei, seu Budensis. . . . . 8.
— Latiniac. Pithœi. . . . . 9.
— Schwarzii, seu Altorfinus. . . . . 10.
— Schurzfleischii, seu Vinariensis. . . . . 11.
— Erlangensis. . . . . 12.
— Ulmensis. . . . . 13.
— Norimbergensis I. . . . . 14.
— Norimbergensis II. . . . . 15.
— Norimbergensis III. . . . . 16.
— Guelpherbytanus, seu Gudianus I. . . . . 17.
— Guelpherbytanus, seu Gudianus II. . . . . 18.
— Guelpherbytanus, seu Gudianus III. . . . . 19.
— Guelpherbytanus, seu Gudianus IV. . . . . 20.
— Gaybacensis, seu Schönbornensis I. . . . . 21.
— Gaybacensis, seu Schönbornensis II. . . . . 22.
— Gothanus I. . . . . 23.
— Gothanus II. . . . . 24.
— Lipsiensis. . . . . 25.
— Hamburgensis. . . . . 26.
— Kulenkampianus. . . . . 27.
— Rob. Stephani. . . . . 28.
— Basileensis. . . . . 29.
— Domitii Calderini. . . . . 30.

Codex MS. Vallæ antiquiss. designatur numero. . . . . 31. a.
Codices alii ejusdem. . . . . 31. b.
Codex MS. Mancinelli unus et alter. . . . . 32.
— Vetustiss. Lubini. . . . . 33.
— Alter Lubini. . . . . 34.
— Vetustus Canteri. . . . . 35.
— Alter Canteri. . . . . 36.
— Antiquus Carrionis. . . . . 37.
— Alter et plures Carrionis. . . . . 38.
— Antiquiss. Barthii. . . . . 39.
— Alter Barthii. . . . . 40.
— Antiquiss. Plathneri. . . . . 41.
— Alter Plathneri. . . . . 42.
— Divæi. . . . . 43.
— Vetustus Vossii. . . . . 44. a.
— Alter Vossii. . . . . 44. b.
Editio Romana princeps. . . . . 45.
— Veneta a. 1475 (Calderini). . . . . 46.
— Veneta (Calderini), 1481; utraque 1483, 1485, 1487. . . . 47.
— Vincentina, seu Vicent. 1480. . . . . 48.
— Veneta, 1486 (Vallæ ed.). . . . . 49.
— Veneta, 1512 et 1515. . . . . 50.
— Veneta sine mentione anni. . . . . 51.
— Mediolanensis, 1474. . . . . 52.
— Mediolanensis, 1511. . . . . 53.
— Veneta, 1491. . . . . 54.
— Veneta, 1492, per Locatell. . . . . 55.
— Veneta, 1492 et 1494. . . . . 56.
— Veneta, 1498 et 1501 (Ascensiana cum Comment. Mancinelli, Calderini, Merullæ et Vallæ). . . . . 57.
— Lipsiensis, 1497, 1502, 1504, 1507, ... 58.
— Norimbergensis, 1497. . . . . 59.
— Lugdunensis (Ascensiana), 1498, 1501, 1507, 1511. . . . . 60.
— Aldina, sine anno. . . . . 61.
— Aldina, 1501. . . . . 62.
— Aldina, 1535. . . . . 63.
— Brixiensis, 1501 (Britannici). . . . . 64.
— Parisiensis, 1505, 1512, 1519. . . . . 65.

Editio Argentoratensis, 1518, 1527, designatur numero. . . . . 66.
— Parisiensis, 1528, 1535, 1542. . . . . 67.
— Paris. 1544, seu Stephani I. . . . . 68.
— Paris. 1549, seu Stephani II. . . . . 69.
— Paris. 1613, 1616, seu Rigaltii et Stephani III. . . . . 70.
— Paris. 1545, seu Gryphii. . . . . 71.
— Lugdunensis, 1560. . . . . 72.
— Lugdunensis, 1556, 1562, 1564. . . . . 73.
— Antverp. 1565, seu Pulmanni. . . . . 74.
— Lutet. 1585, seu Pithoei. . . . . 75.
— Heidelberg, 1590, seu Pithoei. . . . . 76.
— Hanoviensis, 1603, seu Lubini. . . . . 77.
— Lugdunensis, 1521, in-8°. . . . . 78.
— Basil. 1531, seu Curionis. . . . . 79.
— Basil. 1551, seu Frobenii. . . . . 80.
— Paris. 1614, seu Grangæi. . . . . 81.
— Ultraject. 1685, seu Henninii. . . . . 82.
Codex MS. Leidensis. . . . . 83.
— Perizonii. . . . . 84.
Fragmentum Erlangense. . . . . 85.

JUVENALIS EDITORES NOVISSIMI SUNT:

Ach. (Achaintre); Parisiis, 1810.
Ruperti, Lipsiæ, 1819.
Valpy, Londini, 1820.
Crammer, Hamburgi, 1823.

AUCTORES ANTIQUIORES RECENTIORESQUE

OBSERVATIONUM COMMENTATIONUMQUE

QUAS SAEPISSIME LAUDAVI, SUNT:

Schurzfl. (Schurzfleischius).
Beck. (Beckius).
Jacobs.
H. et C. Vales. (Hadr. et Car. Valesius).
Hein. (Heinecke).
Heinr. (Heinrich).
Manso.

De his vide Catalogum editionum in fine operis sepositum.

D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SATIRARUM

LIBER PRIMUS.

D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SATIRARUM

LIBER PRIMUS,

CUM INTERPRETATIONE LATINA,

VARIIS LECTIONIBUS,

ET SELECTISSIMIS OMNIUM COMMENTARIIS.

SATIRÆ PRIMÆ

ARGUMENTUM.

Prima docet Satiræ caussam formamque libelli.
Materiam et caussam[1] satirarum hac adspice[2] prima.
Præfatio, cur Satiras scribat.
Cur satiras scribat, qui fere ad mediam ætatem declamavit.

In prima hujus satiræ parte, v. 1—18, lepidas poeta tradit caussas, quibus adductus animum ad carmina scribenda, et post longam demum moram evulganda appulerit : se enim, recitationibus crebris et importunis multorum poetarum, qui ejusdem fere argumenti carmina composuerint, iisdemque adumbraverint coloribus,

1. Alii *caussas.*
2. Alii *inspice.*

tamdiu ac toties et tantopere offensum atque vexatum, sibi temperare non potuisse, quo minus ipse etiam aliquid scriberet recitaretque, quo saltem iis quibus non sine ingenti tædio aures præbuerit, *reponeret*, rependeret, par pari referret, hoc est, idem legendi audiendique fastidium crearet, ne patientiæ suæ hi *impune* insultasse videri possent, v. 1—14; utque aliquam certe scribendi facultatem sibi compararet, scholas dicit grammaticorum rhetorumque a se fuisse frequentatas; nihil autem referre, utrum aliorum versificatorum, quorum tantus sit numerus, ut ubique iis occurrat, an sua manu pereat charta, v. 15—18.

In altera satiræ parte, v. 19—150, rationes affert, quare, capto carminum scribendorum consilio, ad satiras potius quam ad alia poematum genera animum converterit : tot enim et tanta Romæ nunc vigere vitia ac scelera, ut in hoc campo facile suppeditet omnis dicendi apparatus, et *difficile sit*, *satiram non scribere;* utque, *si natura neget, faciat indignatio versum, qualemcumque possit*, v. 30—79; multo quoque magis expedire, hæc hominum vitia notari, quam exponi mythos et argumenta, jam tractata a tot poetis, et omnibus nota, v. 52 seq. Præterea summam proponit omnium, quæ in satiris suis persequi apud animum constituerit, quæque hoc poeseos genus complectatur, v. 81—86.

In fine demum carminis, animo secum reputans ac dolens, priscam loquendi scribendique libertatem poetis præcisam esse, et homines, qui multum auctoritate et imperatorum gratia valeant, nedum ipsos Cæsares, aut Cæsarum ministros, non sine salutis vitæque periculo vivos carpi posse, se in sola mortuorum, utpote qui non amplius mordeant, facta et mores invecturum esse profitetur, v. 150—171.

SATIRÆ PRIMÆ

ANALYSIS.

Satira hæc, præfationis quasi loco cæteris præmissa, salis facetiarumque plena est, et dispositio ejus præclara. Juvenalis nos docet, quare et scribere, et satiras potissimum scribere apud animum

suum statuerit: utriusque autem consilii tam lepidas affert rationes, ut vel Catoni risum movere potuissent. Nihil quoque facetius simul et modestius est judicio illo, quod de facultate sua poetica ipse fert v. 17, 18, 79, 80; nihil aptius venustiusque pictura perditorum seculi sui morum, et conversione ad hoc primarium satiricæ poeseos argumentum, cui proinde diutius immoratur v. 22—146; quibus plurima illorum temporum vitia non sine urbanis salibus recenset: a spadonibus scilicet uxores duci, v. 22; mulieres descendere in arenam, v. 22, 23; a quibusdam libertinorum quemvis patriciorum divitiis ac mollitie superari, v. 24—29; causidicos delationibus opes sibi parare, et luxurie diffluere, v. 32, 33; delatores opibus exuere nobilissimum quemque, et a se invicem timeri, v. 33—36; adulteros fieri hæredes mœcharum, v. 37—44; pupillos fortunis a tutoribus spoliari, v. 45—47; repetundarum reos damnatosque maximam retinere partem pecuniæ, a provincialibus per vim ac fraudem exactæ, et in exsilio lautius, quam antea, genio suo indulgere, v. 47—50; maritos ipsos lenonum partes agere, ut bonorum mœchi hæredes ex asse fiant, v. 55—57; homines infimæ sortis, qui patrimonium equis alendis dilapidaverint, prætorianis cohortibus præfici, v. 58—62; falsos testamentorum signatores hæreditates invadere, et non minus magnificos quam molles esse, v. 63—68; maritos ab uxoribus veneno necari, v. 69—72; sceleratissimos homines dignitate et copiis excellere, v. 73—76; nurus a soceris vitiari, et pueros, vel viris nubere, vel adulterari, v. 77, 78; numquam majorem viguisse avaritiam, nec insaniorem aleæ lusum, v. 87—93; plures uni homini esse villas, et divites privatim saliarem in modum epulari, pauperibus vero clientibus ante fores ædium sportulas apponi, v. 94—99; summos quoque magistratus tam sordidos esse, ut eos non pudeat una cum uxoribus, vel earum nomine sportulas petere, et contemptim ab opulentis tractari, v. 99—131; veteres amicos pauperesque clientes non amplius ad rectam vocari cœnam, sed ditiores solos domi lautissimis epulis abligurire fortunas suas, et nonnumquam cruditate mori, v. 132—146. Huic itaque satiræ si secundam potissimum, tertiam, sextamque adjunxeris, consummatissimam habebis picturam corruptorum illius ævi morum.

Forma orationis sæpe oratoria magis quam poetica videri potest; sed per maximam carminis partem regnat magnum πάθος et generosa indignatio, qua pravos hujus ætatis mores insectatur poeta. Cæterum satiram hanc esse primam omnium, quas Juvenalis, si

non scripserit, certe evulgaverit, cum ex primis, tum ex postremis ejus verbis probabile fit. Perperam tamen ex v. 15 seq. colligi, eam ad illa tempora referendam esse, quibus poeta rhetorum scholas frequentare vix desierit, ex v. 24 seq. intelligitur.

SATIRA PRIMA.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?
Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? impune diem consumserit ingens
Telephus, aut summi plena jam margine libri
Scriptus, et in tergo, necdum finitus, Orestes?
Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis, et Æoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani: quid agant venti, quas torqueat umbras
Æacus, unde alius furtivæ devehat aurum
Pelliculæ, quantas jaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani convulsaque marmora clamant
Semper, et assiduo ruptæ lectore columnæ.
Exspectes eadem a summo minimoque poeta!

SATIRÆ PRIMÆ INTERPRETATIO.

1. Itane semper audiam ineptos vates? Non scribam ipse aliquid vicissim, quod ex me audiant, quum toties meas aures Codrus obtuderit recitanda ad ravim usque sua Theseide? Ergone inultam ferent, quam exhibuere mihi molestiam, dum lectitat mihi alius comœdias Latinas, alius elegias? Non pœnas diei male mihi ereptæ dabit prolixi scriptor Telephi, aut Orestis, qui volumen totum a fronte ac tergo, scriptus etiam in marginibus, necdum absolutus, implet?

7. Nemo suas ædes melius novit, quam ego Martis lucum, et antrum officinamque Vulcani, prope insulas Æolias sitam. Personant Frontonis horti platanis consiti, et columnis marmoreis fultæ porticus pœne disiliunt et convelluntur vocibus poetarum sua carmina assidue legentium, in quibus ventorum vim, et tempestates ab iis excitatas, describunt; pœnas umbris ab Æaco irrogatas; qua ex regione nescio quis asportet in patriam vellus aureum furto sublatum; quam proceras arbores Monychus gigas in adversarios torqueat, instar jaculorum: hæc omnia docti pariter indoctique vates crepant. Atqui

Et nos ergo manum ferulæ subduximus; et nos
Consilium dedimus Sullæ, privatus ut altum
Dormiret. Stulta est clementia, quum tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.
Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus,
Si vacat, et placidi rationem admittitis, edam.
Quum tener uxorem ducat spado; Mævia Tuscum
Figat aprum, et nuda teneat venabula mamma;
Patricios omnes opibus quum provocet unus,
Quo tondente, gravis juveni mihi barba sonabat;
Quum pars Niliacæ plebis, quum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ;
Difficile est satiram non scribere : nam quis iniquæ
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se,

ego etiam scholas magistri flagellum sublime minitantis frequentavi olim; et fictas, exercitationis gratia, causas egi, quum Syllam hortarer, ut, omissis reipublicæ curis, in otio privatus sopori alto indulgeret. Quidni ergo scribam, aut cur stulte clemens parcam papyro, quam tot quotidie vates imperiti, et passim obvii, male consumunt?

9. Quod si quis tamen rogaverit, cur hoc satirico scribendi genere delecter, in quo Lucilius Auruncæ natus, tanquam in patente Circo exspatiatus est; dicam sane, si vobis audire vacat, et si æquis auribus dicentem accipitis.

22. Omnino difficile est a scribenda satira temperare, quum intueor a molli et effeminato eunucho uxorem duci; impudicam mulierem Mæviam figere apros Etruscos, et nuda mamma tenere tela venatoria; quum video hunc tonsorem, qui mihi juveni barbam sonantem radebat, pervenisse ad eas opes, ut cum patricio quolibet contendat: quum Crispinus ex Ægyptiorum mancipiorum fæce emersus, et Canopo urbe elapsus, purpureas lacernas molliter in humerum rejiciat, exsertamque protendens manum, jactet digitos annulis levioribus ex auro, quales æstate gestat, micantes, nec majori et graviori gemmæ ferendæ par sit. Age, quis tam sceleratæ flagitia civitatis

Causidici nova quum veniat lectica Mathonis,
Plena ipso? post hunc magni delator amici,
Et cito rapturus de nobilitate comesa,
Quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat
Carus, et a trepido Thymele submissa Latino?
Quum te submoveant, qui testamenta merentur
Noctibus, in cœlum quos evehit optima summi
Nunc via processus, vetulæ vesica beatæ?
Unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem,
Partes quisque suas, ad mensuram inguinis heres.
Accipiat sane mercedem sanguinis, et sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.
Quid referam, quanta siccum jecur ardeat ira,
Quum populum gregibus comitum premit hic spoliator
Pupilli prostantis? et hic damnatus inani

animo æquo ferat? quis tam omnis sensus expers, ut stylum non expediat, quum Mathonem Causidicum cernit in eleganti et recenti lectica procedere, ita obesum et sagina distentum, ut eam solus impleat? quum paulo post subire videt famosum illum delatorem, qui suo amico, viro clarissimo, exitium est machinatus; quique brevi reliquas nobilium a se spoliatorum exuvias diripiet; quem Bæbius Massa formidat; quem delinire muneribus missis tentat Carus; ad quem placandum Latinus sibi male metuens suam Thymelen clam allegat? quum te justa hereditate depellunt, qui testamenta adipiscuntur nocturni coitus labore; quos ad cœlum evehit illud, quod nunc est optima et brevissima via ad summam fortunam, nempe procax et turpis ardor aniculæ divitis? Stuprator Proculeius habet duodecimam hereditatis partem; sed libidinosior Gillo et nervosior undecim reliquas portiones obtinet; quisque enim venit in partem hæreditatis ad mensuram et vim sui inguinis: accipiat sane pretium sanguinis, quo exhausto fiet pallidus, ut qui calcavit anguem pede nudo, aut ut rhetor dicturus ad aram Lugduni.

45. Quid dicam, quanta æstuem iracundia; quam graviter mihi bilem et stomachum moveat hic tutor, qui pupillum fortunis exuit, eumque venalem in foro prostare coegit, dum ipse magna clientium

Judicio, (quid enim salvis infamia nummis?)
Exsul ab octava Marius bibit, et fruitur Dîs
Iratis : at tu, victrix provincia, ploras!
Hæc ego non credam Venusina digna lucerna?
Hæc ego non agitem? Sed quid magis Heracleas,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi,
Et mare percussum puero, fabrumque volantem?
Quum leno accipiat mœchi bona, si capiendi
Jus nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso;
Quum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit præsepibus, et caret omni
Majorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam; puer Automedon nam lora tenebat,

et famulorum, quibus stipatur, turba, vias urbis impedit? aut iste Marius, qui licet a judicibus ob Africam compilatam fuerit condemnatus, tamen vanam ac inutilem eorum severitatem ridet? Quis enim de ignominia vehementer laborat, modo salva incolumisque pecunia sit? immo etiam irrogatas sibi ab ultoribus Superis pœnas apponit lucro; et ab vespera usque in lucem epulis indulgens, calamitatem suam facile consolatur, te interim lugente, o infelix Africa! et amissas, nec reddendas unquam tibi, licet causam viceris, pecunias deplorante.

51. Hæc ego flagitia non arbitrabor digna, quæ satiricis versibus agitentur, more ac stylo Horatii Venusini, qui, nocturnis studiis invigilans, lucernam suam vitiis admovet, ut ostendat, vel adurat? an satius esse putabo, pervulgatas illas de Hercule, de Diomede, de Minotauro in Labyrinthi latebris mugiente fabulas carmine persequi, aut evolantem Dædalum artificem ingeniosum, Icarumve in mare decidentem denarrare? quum leno accipiat bona mœchi, dum uxori ejus nullum jus relinquitur dona possidendi, leno doctus detorquere oculos a convivis ad spectandum lacunar, et ad pocula ronchos emittere naribus, somnumque simulare, etsi reipsa vigilat: quum interea ille juvenis, qui patrimonium equis alendis ligurivit, nihilque jam ex avitis opibus in censu habet, nihilominus confidat se cohortis præfecturam obtinere posse, eo scilicet nomine, quod imperatoris per viam Flaminiam invecti currum ipse adolescens

Ipse lacernatæ quum se jactaret amicæ.
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio, quum jam sexta cervice feratur,
Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra,
Et multum referens de Mæcenate supino,
Signator falso, qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis et gemma fecerat uda?
Occurrit matrona potens, quæ, molle Calenum
Porrectura, viro miscet sitiente rubetam,
Instituitque rudes melior Locusta propinquas,
Per famam et populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
Si vis esse aliquis : probitas laudatur, et alget.
Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus, et stantem extra pocula caprum.

agitaverit, ut olim Automedon Achilleos equos regebat, dum se imperator ostentaret suo amasio virilem vestem induto, quem vocabat *amicam lacernatam*. Quis non gestiat mediis in compitis exercere calamum, et iis, quæ se offerunt, flagitiis libros ingentes refercire, quum homo turpissimus, et in obsignandis falso testamentis exercitatus, qui subjiciendis in locum verarum et notandis madefacta annuli gemma tabulis adulterinis, lautus ac dives evasit, jam gestetur sublimis in lectica servorum sex humeris imposita, et ab utroque latere aperta, ipse in ea porrectus ac supinus, ad eum fere modum, quo Mæcenas deliciarum arbiter amantior gestari solebat? En occurit nobilis mulier, quæ dum mariti sitim vino Caleno restinguere parat, rubetæ virus poculo, quod illi porrigit, admiscet, cognatasque suas, nondum istius gnaras artis, ipsa longe veteri Locusta peritior, docet quemadmodum suos viros adhuc veneni notis lividos, contemptis populi spectantis et indignantis rumoribus, ad rogum efferri jubeant.

73. Si vis in aliquo esse inter homines pretio ac numero, id consequeris insigni quodam et palmario scelere; aliquid oportet exsilio dignum et carcere moliaris. *Laudantur viri probi, at egent.* Florent improbi, et suis sceleribus acceptas ferunt villas, ædes in urbe magnificas, mensas exquisitas, argentea pocula prisco artificio elaborata,

Quem patitur dormire nurus corruptor avaræ,
Quem sponsæ turpes, et prætextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio versum,
Qualemcumque potest; quales ego, vel Cluvienus.
Ex qua Deucalion, nimbis tollentibus æquor,
Navigio montem ascendit, sortesque poposcit,
Paulatimque anima caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas,
Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Et quando uberior vitiorum copia? quando
Major avaritiæ patuit sinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.
Prælia quanta illic dispensatore videbis
Armigero! simplexne furor, sestertia centum
Perdere, et horrenti tunicam non reddere servo?

et capro, aut aliis signis cælatis aspera. Quem non impellit ad scribendam satiram, excitatque, pater avaram filii uxorem ad scelus pretio pertrahens; sponsæ amoribus turpissimis æstuantes; pueri adulteriis infames? Si quis poeta natus non est, ipsi tamen carmina indignatio suggeret, qualia illa cumque sint, cujusmodi scribuntur a me, vel a Cluvieno.

81. Quidquid moliuntur homines, eorum vota, metus, ira, voluptates, gaudia, concursationes ac negotia, ex quo tempore Deucalion, augescente continuis imbribus mari, supra Parnassum navi est evectus, et Themidis oraculo consulto, lapides ab eo projecti sensim mollescere cœperunt, et Pyrrha ostendit nudis maribus nudas puellas; hæc omnia, inquam, huic libello materiam dabunt, nullo certo distinctam ordine, amplam certe ac uberem: ecquando enim ætas fuit criminum feracior? quando major avaritiæ gurges, quando aleæ insania pertinacior et projectior? Non jam incertis tabulæ aleatoriæ jactibus lusores exponunt crumenas, sed totas in ludum arcas deferunt; quibus illic animis, qua contentione certantes videre est, servo talos et nummos, arma isti ludo idonea, subministrante! Cujus hoc tandem et quam vesani est furoris, centum sestertia ludendo per-

Quis totidem erexit villas? quis fercula septem
Secreto cœnavit avus? nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ.
Ille tamen faciem prius inspicit, et trepidat, ne
Suppositus venias, ac falso nomine poscas.
Agnitus accipies. Jubet a præcone vocari
Ipsos Trojugenas : nam vexant limen et ipsi
Nobiscum. Da Prætori, da deinde Tribuno!
Sed libertinus prior est : prior, inquit, ego adsum.
Cur timeam dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestræ
Arguerint, licet ipse negem? sed quinque tabernæ
Quadringenta parant. Quid confert purpura major
Optandum, si Laurenti custodit in agro

dere, et vestem famulo, quem frigus conficit, debitam denegare? Quis majorum nostrorum tot villas ædificavit, quot passim jam exstruuntur? quis eorum in secretis etiam, ac privatis, ubi gulæ indulgetur multo liberius, cœnis, diversi generis dapes septem mensis apposuit? clientes suos avi nostri eadem secum accipiebant mensa; nunc illis in domus vestibulo parata est exigua sportula, quam miseri post attritam cursitando salutandoque togam, avide raptimque auferant, ac ne quidem sine lite et labore. Est qui tuum os intueatur diligenter, antequam sportulam largiatur, metuens videlicet, ne tu in alterius venias locum, teque clientem esse mentiaris. Ubi compertum fuerit, qui sis, quo jure sportulam petas, tunc ea dabitur. Præclarus ille patronus per præconem arcessit principes civitatis, ab antiquis illis Trojanis ortos; nam ipsi quoque pro foribus in clientium turba conferti et obnixi adstant. « Da sportulam prætori primum; da deinde tribuno », ait patronus: sed cum illis pugnat libertinus; « ante illos, exclamat, huc accessi; da mihi priori: quis mihi sit pudor, aut religio tueri hunc quem occupavi locum, licet oriundus sim ex urbe ad Euphratem sita, meque servum esse, si negare vellem, satis indicaret ac probaret aurium perforata pars ima? verum tabernas quinque habeo in urbe, quarum ex annua pensione conficio sestertia quadringenta. Quid habet ipsa senatoria dignitas, quare tanto expetatur opere, si quidem Corvinus ex amplissimis senatoribus genitus, eo redactus est inopiæ, ut ovium gregem conductum in

Conductas Corvinus oves? Ego possideo plus
Pallante et Licinîs : exspectent ergo tribuni;
Vincant divitiæ : sacro nec cedat honori,
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis;
Quandoquidem inter nos sanctissima Divitiarum
Majestas; etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,
Quæque salutato crepitat Concordia nido.
Sed quum summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat;
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est,
Et panis fumusque domi? densissima centum
Quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
Languida, vel prægnans, et circumducitur uxor.
Hic petit absenti, nota jam callidus arte,

agro Laurenti pascat? Mecum non certarent opibus Pallas et Licinius : tribuni ergo exspectent: priorem locum obtineat, qui ditior est; nec sacro-sancto illi magistratui concedat, qui non ita pridem Romam oblitis gypso pedibus accessit; quoniam sane divinis honoribus pecuniam prosequimur, licet nondum ipsi templum sit exstructum, necdum ullæ nummis aræ fuerint positæ, uti positæ sunt Paci, Fidei, Victoriæ, Virtuti atque Concordiæ, cujus templum resonat strepitu ciconiarum in ejus turribus nidificantium, quum nidos quos exacta hyeme revisunt, læto videntur plausu salutare. »

117. Quod si primores urbis cives, qui summos in ea magistratus gerunt, exeunte anno referunt in librum suarum rationum, quid apportet ipsis lucri sportula, quantam ad censum annuum accessionem faciat; quam miseram esse clientium conditionem necesse est, qui censu omni et patrimonio carentes, ex iis, quos a patrono capiunt, nummulis, coguntur togam, calceos, panem, ac pauca uvida, quibus focum accendant, ligna emere? Quid, quod ipsi nobiles in lecticis gestati, ad centum illos quadrantes corrogandos frequentissimi convolant; nec viri tantum, sed illorum etiam uxores, etsi ægrotæ vel gravidæ, quæ per omnia limina circumferuntur, adeo ut aliquis callidior (quod artificium jam est pervulgatum) sportulam

Ostendens vacuam et clausam pro conjuge sellam.
Galla mea est, inquit; citius dimitte : moraris?
Profer Galla caput. Noli vexare, quiescit.
Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum :
Sportula, deinde forum jurisque peritus Apollo
Atque triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos Ægyptius atque Arabarches,
Cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.
Vestibulis abeunt veteres lassique clientes,
Votaque deponunt, quamquam longissima cœnæ
Spes homini : caules miseris atque ignis emendus.
Optima sylvarum interea pelagique vorabit
Rex horum, vacuisque toris tantum ipse jacebit.
Nam de tot pulchris et latis orbibus et tam
Antiquis, una comedunt patrimonia mensa.

dari petat absenti uxori suæ, quam esse fingit in vacua lectica et clausa. « Hic, inquit, Galla est, uxor mea; oro, ne patere, ut diutius exspectet. Quid moraris autem, et sportulam cunctaris dare? — Juvat illam ipsam intueri, inquit sportulæ dispensator; age, Galla, effer caput e lectica, si vere hic ades. — Noli eam inclamare, maritus respondet; ægra est, ac indulget somno. »

127. Prosequamur ceteras diei occupationes egregias. Post acceptam a divite patrono sportulam, eum assectantur usque in forum Augusti, ubi celebris illa visitur Apollinis statua, qui causidicos et lites quotidie audit, et aliæ complures ducum et imperatorum, qui triumphi honorem adepti sunt, inter quas nescio quis Ægyptius, aut Arabum princeps, non dubitavit suam ponere magnificis titulis et inscriptionibus insignitam, juxta quam urinam reddere etiam non impune licet. Postea redeunt domum antiqui clientes, cursitando defatigati, et exspectata diu multumque cœna liberaliore; demum, frustrati suis votis et exspectatione, discedunt. O miseras, o falsas hominum spes! Caules emere coguntur, et ligna quibus illos coquant.

135. Interim illorum patronus ingurgitabit se lectissimis cibis, quos sylvæ, quos maria suppeditabunt, et in toro solus accumbet; jam enim illis divitibus mos est unam instruere mensam inter tot amplas et pretiosas ac prisco elaboratas opere mensas, quas domi

Nullus jam parasitus erit! sed quis ferat istas
Luxuriæ sordes? quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum!
Pœna tamen præsens, quum tu deponis amictus
Turgidus, et crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.
It nova, nec tristis, per cunctas fabula cœnas:
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas: eadem cupient facientque minores.
Omne in præcipiti vitium stetit: utere velis;
Totos pande sinus. Dicas hic forsitan, unde
Ingenium par materiæ? unde illa priorum
Scribendi, quodcumque animo flagrante liberet,
Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen?

habent; in qua tamen una dapibus oneranda tantos faciunt sumptus, ut integra patrimonia absumant: itaque nemo jam parasitus reperietur. At quis tam immanem, tam sordidam ingluviem æquo animo ferre possit? cujus demum intemperantiæ est, aprum integrum apponere uni homini, aprum, inquam, ideo natum, ut inter plures convivas simul epulantes dividatur? nec inultam hanc diu tamen gulam fers; debitas continuo pœnas dependis, quum cibo onustus exuis vestem, ut balneum petas, necdum digesto pavone, quem avide vorasti. Ex illa videlicet stomachi, tot cibos ferre et coquere negantis, cruditate, oriuntur mortes repentinæ multorum, ac præcipue senum, qui tolluntur e medio ante conditum testamentum. Recens ac subitus rumor alicujus hujusmodi mortis per omnia convivia domosque spargitur, hominibus, ad rei novitatem, ut ad monstri fabulæque narrationem, demirantibus, nec tamen valde ingemiscentibus ob mortem avari senis: effertur ad rogum mortuus, ab amicis iratis et dolentibus nihil sibi testamento relictum esse; immo plaudentibus et gaudentibus, quod avarus helluo male perierit.

147. Nihil habebunt posteri, quo mores nostros ac scelera vincant: iisdem plane cupiditatibus vitiisque laborabunt. *Ad summum omnis nequitiæ venimus.* Nullus itaque modus satiræ sit; in altum patentia vela demus. Roget quis, an tibi satis est ingenii pro tam amplo ac difficili argumento? estne illa, quæ priscis vatibus aderat, facultas

Quid refert dictis ignoscat Mucius, an non?
Pone Tigellinum: tæda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant;
Et latum media sulcum diducit arena.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos?
Quum veniet contra, digito compesce labellum.
Accusator erit, qui verbum dixerit; hic est.
Securus licet Æneam Rutulumque ferocem
Committas: nulli gravis est percussus Achilles;
Aut multum quæsitus Hylas, urnamque sequutus.
Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est

aperte, simpliciter scribendi quodcumque mens et ira suasisset, quam libertatem appellarem, si liceret ejus nomen edere? Ego vero parum laboro, utrum Mucius, aut alius ejusmodi, quem meis carminibus descripsero, mihi vera dicenti parcat, necne.

155. Sit ita sane. At si Tigellinum loco Mucii describas, tu palo per interiora transfixus combustusque, tædam ardentem de te dabis, qua vivi et stantes crémari solent illi, quibus stipes adactus per medium corpus e gutture fumanti emergit; quæ tæda, id est, corpus incensum et unco tractum per mediam arenam, latum pulveri sulcum inscribit.

158. Ergo patiar eum, qui tres patruos suos veneno sustulit, gestari impune in lectica instrata pulvillis pluma fartis, ex qua nos humi per vicum ingredientes despectabit?

160. Patere omnino: quin etiam, quum illum habueris obvium, impone digitum ori, nec hiscere quidem aude. Si quis enim vel hanc duntaxat vocem miserit: hic ille Tigellinus est; statim aliquis præsto erit, qui verbum istud excipiat, eumque accuset, a quo fuerit prolatum. Potes enimvero Rutulorum regem Turnum, et Æneam inter se pugnantes tuto describere: nemo ægre fert, nec stomachatur, quum Achillem a Paride vulneratum audit, aut ab Hercule diu vestigatum Hylan, qui cum urna haustus aquis perierat. Verum quoties poeta satiricus, puta Lucilius, incensus ira, stylum in flagitiosos, tamquam ensem, distringit, tunc auditor, suorum

Criminibus; tacita sudant præcordia culpa.
Inde iræ et lacrymæ. Tecum prius ergo voluta
Hæc animo ante tubas : galeatum sero duelli
Pœnitet. — Experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

sibi consçius criminum, rubore afficitur, ac tacito conscientiæ vulnere perculsus, sudat sub corde, cruciatur, flet, ultionemque meditatur. Hæc tecum expende, prius quam satiricum hoc bellum moveas : postquam miles galeam et arma induit, serum est pugnam detrectare. — Præclare mones : vivis parcam, ac videbo, quid possit in eos dici, quorum sepulcra exstant in via Latina et Flaminia.

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM PRIMAM.

Notæ. 1 seq. Romæ olim poetæ, historici et oratores, quæcumque scripserant, ante quam ea in vulgus ederent, amicis recitare solebant. Quod institutum initio præclarum fuit, et excolendis ingeniis librisque emendandis utilissimum: pauci enim, iique subacti judicii, viri invitabantur, ut libere, quid sentirent, quæque sibi parum probanda viderentur, expromerent. Verum consuetudo ista mox ita immutabatur, ut recitatores non precibus tantum, vel gratia et auctoritate sua, sed præmiis quoque propositis, pretio vestis, cœnæ, sportularum, etc., clientes, vel aliorum hominum magnam et imperitam turbam ad audiendum elicerent, et quasi emerent, eo consilio, ut singula ab iis ore pleniore laudarentur (unde non inurbane hi Ἐσφοκλεῖς vocabantur et *Laudicæni*), vel incondito exciperentur clamore ac plausu (vid. inpr. Plin. Ep. II, 14): ex quo inani laudis studio, mox insana scribendi et in primis poetandi manavit libido, quæ ingentem hominum multitudinem tamquam pestilenti sidere afflavit; et mirum in modum aucta est, quum astutia imperatorum, qui cives ad otium a militari studio publicisque negotiis traducebant, tum exemplis Neronis et Domitiani, qui famam poetarum ipsi affectabant (v. VII, 36—52; et Horat. Epist. II, 1, 108—118). Sapientiores, qui aderant, et doctiores ne animum quidem et aures ad ejusmodi recitationes, vel prælectiones et ἀκροάσεις advertebant; vel audiendi fastidio conficiebantur, unde h. l. *vexatus toties*[1]. Quum itaque illis temporibus non modo, ut nostris, tot jejuni libelli quotidie lumbricorum vermiculorumve instar pullularent, sed om-

[1] Vid. ad VII, 40, seq. (ubi insignem locum Tac. de orat. c. 9, adscripsi), et XIII, 32, 33. Martial. II, 27; Horat. Epist. I, 19, 35, seq. et A. P. 419, seq. 474, seq. Pers. sat. I, 15, seq. 53, et ad eum Koenig et Casaub. pag. 55, seq. 68, seq. Plin. Ep. I, 5, 4; 18, 1 seq. II, 14; V, 3, 7 seq. 13, 1 seq. VI, 17; VII, 17; VIII, 12; Lips. Epist. ad Belgas Cent. II, 48; Opp. tom. II, pag. 893 seq. Plutarch. περὶ τοῦ ἀκούειν; Casaubo, ad Theophrasti Characteres, cap. II, 3, pag. 170.

nia quoque fora, ambulacra et auditoria eorum recitationibus personarent; poetæ animum tacita et indignatio subit et miratio, cur tam diu patienter, nec sine summa molestia, aliorum scripta legerit et audiverit, nec jam ipse aliquid et scripserit, et recitaverit, ut certe *reponeret*, h. e. aliis idem legendi audiendique fastidium crearet, quod ipse ex illorum libris et recitationibus perceperit, ne patientiam suam hi *impune* insultasse videri possent: nam *reponere* est rependere, par pari referre, reddere beneficium, vel debitum[1]. Sic Plaut. in Persa:

Des mihi nummos, quos continuo tibi
Reponam, in hoc triduo aut quatriduo. Ed.

In primis verbis et in his maxime, illo *reponere*, non lepidæ tantum, quas poeta arripuit, scribendi caussæ, summa scilicet indignatio, ex audiendi tædio concepta, et vindictæ cupido, sed modestum quoque ejus de scriptis suis judicium continentur. Abrupta autem oratio convenit affectui, quem poetæ satirici in ipsis carminum principiis sequi et exprimere solent. Confer sat. IV, v. 1.

Variæ lectiones. 2. *Tociens*, 22, 26, 45, 46, 47, 49; al. *Totiens*, 14, 15, 16, 21, 23, 24, 60, al. h. l. et passim, ut *quotiens*, *formonsus*, *vicensimus*, *aquonsus* et similia in antt. Codd. Sed falsam hanc esse scripturam et inde profectam, quod veteres Romani, si Quintiliano fides habenda, apicem sive lineolam superscripserint vocalibus longis, jam dudum ac recte suspicati sunt Lipsius, Cellar. et alii. *Codri* legerunt Servius ad Virg. Æneid. I, et Priscianus: eadem lectio hoc loco et infra III, 203, 208, omnium fere Codd., etiam Parisinorum, auctoritate firmatur; nec obstat, quod nomen est Græcum et Codrus, infra III, 203, seq. memoratus, qui pro eodem vulgo habetur homine, Græcus videtur poeta fuisse, quod ex III, 206, probabili judicio colligitur. Antiquiorem quoque poetam Rom. ita dictum fuisse, cujus mentionem fecerit Valgius in Elegiis suis, docet Servius ad Virg. Ecl. VII, 22, seq. De alio Codro vid. Martial. II, 57; V, 26. *Cordi*, 1, 8, et alii, teste ac prob. Barthio Advers. I, 21, quod hoc potius nomen sit Romanum. Idem tamen monet, poetis talia esse καφὰ πρόσωπα, vel nomina suo tantum ævo nota, quæ frustra et inepte requiras.

Not. 2. Annotatio Heinr. est hæc: « Triplex in his commemoratur reci-

[1] Conf. Turnebi Adv. XX, 8, et Parrhas. Epist. XXII, p. 40, qui metaphoram desumptam putabat a conviviis, non a creditoribus. Barthius (Adversar. I, 21) notat, verbum hoc ex schola declamatoria τεχνικὸν dici de eo, qui respondeat themati, et ad clepsydram pari attentione, quam præstiterit congregi suo, audiendus vicissim orationem *reponat*. Nota Hein. est, *reponere* esse idem qd. *rependere*, clarum fiat ex Seneca, de Ira, libro I, cap. 3: « Aristotelis finitio non a nostra abest; ait enim: iram esse cupiditatem doloris reponendi; » et ex Lactantio, de Ira Dei cap. 17, ubi eadem verba affert, sed tamen *rependendi* habet pro *reponendi*.

tationum genus : epica, tum tragœdiæ, et elegi. Tragœdias omninoque fabulas ad agendum compositas recitari, seu prælegi, Athenis Atticis, florente re scenica inauditum fuit, nisi quum poeta διδάσκαλος singulas dramatis partes discentibus histrionibus docta vocis modulatione præibat, vel Antiphanes aliquis comœdiam ad aures Alexandri regis intra domesticos parietes recitabat; quam rem tradit Athen. lib. XIII pr. Contra Romæ, poetarum tragicorum studia in ἐπιδείξεσι continebantur plerumque, inprimis sub Cæsaribus; rarius tragœdiæ, apud auditores recitatæ a poetis, in scenam producebantur agebanturque gestu histrionum : quæ res pertinet ad decantatam illam scenæ tragicæ neglectionem apud Romanos; v. Boettigeri Prolus., a. 1798, de quatuor ætatibus rei scenicæ apud veteres, p. 19 not. Serioris ætatis quid isthac in re proprium fuerit, quando ne posteris quidem seculis tragœdias comœdiasque per ludorum solemnitatem in scena edere plane cessatum est, singulari diligentia ostendit vir doctiss. Petr. Er. Müllerus, Prof. Hafniensis, comment. de ævo Theodos. p. II, p. 134, seq. Qui post tragœdias porro commemorantur *elegi*, hos nota Plinii, epistol. VII, 17, omittit in recensu operum, quorum recitatio tum usu recepta fuit; etsi hi quoque, non minus, quam lyrica, quæ profert, caussam, in qua tuenda istic versatur, quodammodo juvare poterant. Sed *elegidia*, ut lectitata, expresse nominat Persius, sat. I, 51.»

— *Codri;* hujus non alibi fit mentio, nisi forte inf. III, 203, seq. (ubi tamen non de malo poeta, ut h. l., sed de paupere homine, ut forsan ap. Martial. II, 57, 4; V, 24, 8; V, 27, agi videtur), et ap. Martial. IV, 29, 8, ubi a Scaligero (in Scaligeran. p. 77) pro *Marso*, qui egregius poeta fuit, et ipsi Martiali passim laudatur. *Codrus* substituitur, probante Henninio ad h. l. ubi *Theseidem* dicit et *Amazonidem* unum forte idemque opus fuisse, et rationem, cur Amazonidis nomen Theseidi potuerit convenire, ex ipsa Thesei historia liquere. Cf. Var. Lect.

— *Rauci*, recitando et clamando, ut VI, 515; Martial. IV, 8, 2; X, 5, 4. Carminis longitudo significari videtur; sed judice Hein. tumor carminis, qui effecerit, ut vocem valde intenderet; quo sensu dixerit Martialis, libro VIII, epigr. 3, 15;

> Prælegat ut tumidus rauca te voce magister:

et Persius, in prima satira, vers. 14;

> Scribimus inclusi.....
> Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet,

ad quæ verba vide Casaubonem.

— *Theseide*, recitatione Theseidis, tragœdiæ, vel carminis epici de rebus a Theseo gestis, qualia olim plures poetæ scripsere, de quo vid. Heyn. Not. ad Apollodor. II, 5, 12, et III, 16, 1.

Not. 3. *Impune*, sine pœnâ, non, ut alii exponunt, sine effectu. — *Togatas* fabulas, in quibus Romanorum facta et mores exhibebantur, ut Græcorum in *palliatis :* nam toga Romanis fuit propria, ut pallium Græ-

cis. « *Fabula* generale nomen est : ejus duæ primæ partes sunt *Tragœdia* et *Comœdia*. Tragœdia, si græca argumentatio, *Crepidata*; si latina argumentatio sit, *Prætextata* dicitur. Comœdia autem multas species habet : aut enim *Palliata* est, aut *Togata*, aut *Tabernaria*, aut *Atellana*, aut *Mimica*, aut *Rhintonica*, aut *Planipedia*. » Sic Donati verba ad Terentii Adelphos restituit *Reuvens*; quem doctissimum vide, ad *Lydum* de magistratibus, I, 40. Ed.

Not. 4. *Elegos*. Elegus, elegia, carmen lugubre a voce Græca ἐλέω, miseror, alternis constans versibus, hexa metris et pentametris, primum threnos, deinde amores, utrumque sæpe spirans. Ed. — *Consumpserit*. Ad noctem usque recitando contriverit. Consumimus autem id cujus nil reliqui manet. Ed.

Var. 5. *Thelephus*, 14, 15, 16, 20, 24, 27, 45; al. Sed Græcis constanter Τήλεφος dicitur, etsi nomen hoc ei inditum ἀπὸ τῆς θηλῆν ὑποσχούσης ἐλάφου inepte fabulantur. — *Jam pleno*, 13.

Not. 5. *Telephus*, tragœdia de Telepho, et hæc pro recitatione ejus, ut mox *Orestes*. Fabulæ Telephi et Orestis a multis olim poetis tractatæ.[1]

Epitheton *ingens* spectat ad longitudinem carminis orationisque prolixitatem, et ad ampullas et sesquipedalia verba; cf. Horat. A. P. 96, 97.

Tragœdiam de *Oreste* tam prolixam fuisse poeta dicit, ut non in interiore tantum et adversa parte, more veterum, membrana fuerit perscripta, sed etiam *in tergo*, in aversa vel inversa charta, ὀπισθόγραφος[2]. Huc spectant verba Sidon. Apoll. VIII, 16, ab Grang. et Heinr. laudata : « Jam venitur ad margines umbilicorum, jam tempus est, ut satiricus ait, Orestem nostrum vel super terga finiri. » Idem Sidon. Epist. II, 9 extr. dixit : *epistolæ tergum madidis sordidare calamis*. Poetæ autem illius ævi inopiam et ingenii et rerum prodebant argumentis jam notissimis tractatis et ad fastidium dilatatis.

Var. 6. *A tergo*, 29, et duo Codd. Paris. — *Nondum*, 13, 19, 29, et X Codd. Paris.

Analysis. 7—14. Tam diu jam et tot poetis recitantibus operam dedi, tamque vulgaria sunt tum argumenta, quæ ab iis tantum, non omnibus

---

[1] Vide Heyn. ad Apollod. II, 7, 4, et III, 9, 1; Fabricii Biblioth. Gr. L. II, c. 16, 17, 18, et Bibl. Lat. L. IV, c. 1, § 4.

[2] Conf. Schwarz. Diss. de ornam. librr. Lips. 1756; Salmas. ad Vopisci Firm. c. 3, pag. 701 seq. Intpp. Plin. Ep. III, 5, 17; Potteri Archæol. Gr. t. III, p. 295 seq. edit. Germ. Martial. IV, 87, 11; VIII, 62. Nota Joh. Winckelmanni in Spec. Comment. in Juven. edito a S. V. Gurlitto in Animadv. ad Auct. vett. Spec. II, Magdeb. 1801, pagg. 51, 52, est : *plena jam margine*, plena etiam exteriore parte paginæ, quæ solet ad ornamentum libri relinqui vacua : *in tergo*, nam antiqui ex parte carnis scribebant, non ex parte pilorum, ex qua imagines depingebant ad honores principum.

pertractantur, tum descriptiones et imagines ex antiquis poetis desumptæ, quæ carminibus ubivis ab illis intexuntur, et a quibus potissimum petere solent colores artis, tamquam hujus summa et cardo in iis vertatur (quod etiam notat Horat. A. P. 15, seq. et Lessing. Laocoon, 174); ut illa mihi non minus *nota* inde facta sint, quam *ulli domus sua*. Fuere qui inprim. taxari putarent Valerium Flaccum, Juvenalis imitatorem. Vid. Burm. ad Valer. Flacc. I, 145, seq. et V, 642. Similiter Martial. lib. IV, epigr. 37, v. 7:

Et teneo melius ista, quam meum nomen.

Et Lucianus in Toxari, cap. 6.

Not. 7. *Lucus*, quales a poetis adumbrari solent, et *lucus Martis* (qualis non modo Romæ, sed in Ponto quoque, ubi aureum vellus servabatur, et Albæ, aliisque locis fuit) ut *lucus Dianæ* ap. Horat. l. l.[1]

Var. 8. *Inclusum* pro *vicinum*, N. Heins. ad Sabini Epist. III, 91, et Valer. Flacc. V, 612, sed memoriæ, opinor, lapsu.

Not. 8. Poeta Hieram, Vulcani sedem, juxta Æoliam Liparen, et locum Virgil. Æneid. lib. VIII, v. 416, in animo habuisse videri potest; confer ibi Heyn. in not. et in Excursu I, ad Æneid. lib. I. Sed quoniam Hiera quoque una ex septem insulis *Æoliis*, quæ et Vulcaniæ et Liparææ dicuntur, non vero iis *vicina* est, *antrum Vulcani et Cyclopum*, h. l. Ætna potius vocatur, quæ illis insulis imminet, et de qua poetæ multa fabulantur; confer infra ad lib. XIII, v. 45, et Heyn. l. l. *rupibus Æoliis*, ut *Æolium saxum* dixit Lucan. lib. V, v. 609.

Var. 9. *Volcani*, in plerisque Codd. legitur, ut *voltus*, *volgus*, *volnus*, *volsus*, quæ scriptura pro antiquiore haberi solet, sed judice Heynio in Præfat. novæ edit. Virg. p. 22, pronuntationi, mediæ inter fuscam et liquidiorem sequente litera liquida *l*, debetur, quam nonnulli ex usu vulgari male in scripturam traduxerunt.

Not. 9. *Quid agant* terra marique *venti*, nubes, tempestates et prælia inter se cientes, vel homines, ut Boreas Orithyiam et Chloridem, rapientes, vel mergentes naves e. s. p. — *Quas umbras torqueat*, examinet, et torquendas judicet, *Æacus*, judex apud inferos; h. e. nota mihi sunt, quæ de inferis eorumque pœnis poetæ fabulentur.[2]

---

[1] Nonnulli hæc verba accipiunt de historia Romuli et Remi, quos Rhea Silvia in luco Martis peperit; alii de historia integra Martis, amplissima poetarum materia; Schol. vetus de luco Martis, qui Romæ fuerit in Appia, in quo recitaverint poetæ.

[2] Alii non male ad id potissimum respici putant, quod Plato in extremo Gorgia et Minoe tradit, ab Æaco Europæo umbras Europæas, a Minoe et Rhadamanto Asiaticis judicari Asiaticas. — *Quas*, scil. Europæas. In toto autem h. l. vulgaria carminum argumenta, a multis poetis, tam summis quam minimis (v. 14), pertractata et quotidie recitata (v. 12, 13), recensentur. Hinc quoque sententiam suam

Not. 10. Nota mihi sunt Argonautica, ut e Colchis Jason furtim, inscio Æeta, et dolis Medeæ, aureum vellus Phryxi, τὸ χρυσόμαλλον δέρας, subripuerit. — *Pelliculæ :* vir clar. et doctiss. interpretatur *meretricis*, nempè Medeæ; sed illi sane non assentior. *Aurum furtivæ pelliculæ* est *pelliculam* (nempe pellem sive vellus) *auream* furtim ablatam. Pelliculam esse diminutivum vocis *pellis*, non vero *pellicis* arbitror, et *furtivæ* passivo non activo sensu interpretandum. Ed.

Not. 11. Novi pugnam Centaurorum cum Lapithis in Thessalia et robur *Monychi* Centauri, quem arbores cum radicibus evulsisse et torsisse fabulantur poetæ; vid. Ovid. Met. XII, 499, seq.; Lucan. VI, 388, et Valer. Fl. I, 145, seq. ubi v. Burm.

Not. 12. Ædes nobilium et ditiorum quotidie resonant recitatiònibus repetitionibusque earumdem vulgarium rerum ac fabularum, quas varii poetæ tractarunt, quæque adeo cuivis ita innotescunt, vel jam innotuere. Romæ enim, vel domi, paucis amicis convocatis, vel in ædibus et quidem in atriis porticibusve earum laxis magnisque, quæ tenuioribus, quibus ea non erant, a divite aliquo et nobili viro, ut h. l. a *Frontone* (a Stella Martial. IV, 6, 5), commodabantur, vel denique publicis locis, in quanta maxima fieri poterat hominum corona, recitabatur; conf. ad VII, 40; Horat. sat. I, 3, 88, seq. I, 4, 74, seq. Plin. Ep. VIII, 12; Theophr.

---

mihi non persuasit Wernsdorf, qui in Poet. Lat. Min. t. IV, p. 23, ita disputavit: « Juvenalis videtur omnino vs. 7, 8, duo poetas, aut duorum poematum argumenta tangere, unum, quod de expeditione Argonautica, alterum, et quidem Lucilii Junioris, quod de Ætna monte agit. Ea vs. 9, 10, propius notare pergit: nam verbis, *unde alius furtivæ... pelliculæ*, redit ad alterum poetam, quem ante dixerat *lucum Martis* descripsisse; verba autem *quid agant venti* omnino videntur Ætnam amplius signare et de ventis, Ætnæum incendium excitantibus, intelligenda esse. His quum statim subjungatur *quas torqueat umbras Æacus*, non videtur hoc ad ventos ante memoratos ullo modo pertinere, nisi mutatis paullum verbis legamus, *quas torqueat undas*, vel *quos torqueat æstus Æolus*. Ita vero clarius respicit Ætnam Lucilii, qui in præcipuis caussis Ætnæi incendii ventos subterraneos, partim etiam undas maris, antra Ætnæ subeuntes, ponit, et in principio carminis verbis fere a Juvenale repetitis utitur: *quæ tam fortes volvant inc ndia caussæ, Quod fremat imperium, quid raucos torqueat æstus.* » A vs. 7, et toto h. l. consilioque poetæ aliena est hæc ratio, qua ad duorum modo carminum argumenta referuntur omnia; et sic non modo verbis, *quas torqueat umbras Æacus*, sed et illis, *quantas jaculetur Monychus ornos*, alia substituenda sunt. Nota Hein. est: « Fortasse perstringuntur versificatores, qui se ad imitationem Æn. Virg. composuerant, ubi sermo est de tumultibus ventorum et de Æaco inferorum judice. » Eadem in aliorum quoque poetarum carminibus memorantur, in Æneide autem Virg. neque *lucus Martis*, neque *Jason*, *Argonautæ* et *Monychus*.

Char. V extr. ibique Casaub. et Lucian. Amor. cap. 31. — *Frontonis* nomine, vel quilibet designatur vir nobilis, doctorumque hominum fautor, vel M. Fronto ille, qui ter et cum Trajano consul fuit, de quo vid. Dionem, lib. LXVIII, cap. 1; Martial. lib. I, epigr. 56, v. 2:

Clarum militiæ Fronto togæque decus.

et Plin. Paneg. c. 60[1]. Eum Plutarchi nepotem fuisse tradit Joh. Sarisber. in Policratico, VIII, 13.

— *Platani*, porticus, quas platani obumbrant; cf. Martial. III, 19, 2; 58, 3; Petron. 131; Prop. II, 32, 11, seq. Misc. Obss. Crit. vol. V, t. III, p. 21. Nota Heinr. est hæc: « *Platanus*, ut omnino jucunda et dilecta antiquis arbor fuit (v. Gron. Obss. I, 5, et Burm. Sec. ad Anthol. Lat. t. II, p. 355), ita perraro abest, ubi dulcis et opacæ sedis amœnitas adumbratur. Facile hic succurrit ex Phædro Platonis (ad quem v. not. Heindorfii) platanus Socratica, magis etiam illustrata mentione Tulliana. Atque huc spectat elegiacum fragm. Philetæ Coi ap. Athen. V, p. 192. E. quod olim sic emendavimus: Θρήσασθαι πλατάνῳ λασίῃ ὕπο. Quis inter plures *Frontones* intelligi debeat, est sterilis quæstiuncula. Cæterum præter alios vid. Dionem LXVIII, 1, ibique Reim., et eumdem, LXIX, 18, tum Gatak. ad Antonin. I, 11, p. 19, seq. et Sirmond. ad Sidon. Apoll. Not. p. 7. Is igitur *Fronto*, seu consul fere obscurus, sive princeps ista ætate advocatus (v. Dion. l. post.), privatam domum et porticus *platanis* umbrosas recitantibus liberaliter præbebat; quod tum quidem necessarium fuit, quum neque in theatro fierent Romæ recitationes (vid. Vit. Virg. vol. VII, nostræ Editionis,, pag. 277, § 41), necdum Athenæa publice exstructa essent, quorum postea satis est frequens memoria, inprimis apud Scriptt. Hist. Aug. Vide saltem Sirmond. ad Sidon. pp. 31 et 44, atque Juret. ad Symmach. Epist. I, cap. 9, pag. 9. »

— *Marmora*, parietes crustis marmoreis obtecti; aut *convulsa marmora* non differunt a *ruptis columnis* marmoreis porticus. — Verbis *convulsa, clamant et ruptæ* διτυᾶς et ὑπερβολικᾶς exprimuntur, et recitatorum clamores, et auditorum frequentia, plausus ac putidæ illæ acclamationes (*clamor vagus et voces inanes*, ap. Tacit. de orat. cap. 9) ὀρθῶς, καλῶς, σοφῶς, θείως, εὖ, εὖγε, ὑπέρευ, *Euge, Bene, Pulchre, Belle, Recte* (de quibus vide Ramir., ad Martial. I, 4, et Böttigeri Sabina, p. 325, ed. pr.)! Res enim *rumpi*, vel *convelli* et *frangi* dicuntur, quæ magno strepitu et clamore impelluntur ac resonant[2]. — *Clamant*, resonant, ut *latrare, plan-*

[1] Hunc saltem intelligere malim, quam cum Dodwello (in vit. Juven.) extr. M. Corn. Frontonem, oratorem celeberrimum et Antoninorum magistrum. De his aliisque *Frontonibus*, v. Onuphrii Fastos et intpp. Gell. II, 26; XIX, 8 et 10; Plin. Ep. II, 11; IV, 9; V, 13, et Paneg. c. 60; Tac. Ann. II, 33, 68, et Dodwell. l. c.

[2] Sic forte *concha frangit aquas*, Claud. X, 133; *fregit subsellia versu Statius*, inf. VII, 86; *perorantem et rhetorica sedilia plausibili oratione frangentem*, Sidon. Apollin. Epist. V, 10;

gere, anhelare, βοᾶν, βρίμειν, ἰάχειν de ventis, fluctibus, etc. (v. ad Sil. III, 571; IV, 524, et Burm. ad Valer. Flac. I, 190.) — *Assiduo lectore*, continua atque frequentissima recitatione hominis, clara voce legentis.

ANAL. 14—18. *Exspectes eadem a summo minimoque poeta*, scil. ut carmina et scribant, et recitent! quale est illud Horat. Epist. II, 1, 117:

Scribimus indocti doctique poemata passim!

NOT. 15. *Ergo*, ut eadem a me exspectes, ut carmina aliquando scribere possem atque recitare, et quia *insanabile cacoethes scribendi* carmina nunc tenet tot homines (v. VII, 36, seq. 50, seq. et sup. ad v. 1), etiam ego (*et nos*, quæ verba ὀτιοῦς repetuntur) tam Grammaticorum quam Rhetorum scholas frequentavi, adspirans ad facultatem laudemque poeticam. Neque est, quod hujus consilii conatusque me pœniteat, quod *chartæ* parcam, vel aliquis ei parcendum dicat, quum illa, quamvis ipse non scribam, *peritura* sit manibus aliorum poetarum, quorum tantus est numerus, ut ubivis in eos incidas; quare nihil refert, utrum horum, an mea manu pereat. Sic omnia bene cohærent; et non minus modestæ, quam lepidæ rationes a Juvenale memorantur, quibus impellatur ad carmina scribenda. Neque rectius mentem poetæ cepisse videtur Heineck., cujus interpretatio est: Quæ quum ita sint (*ergo, hanc ob caussam*), i. e. quum sæpissime vexatus et cruciatus sim a poetis carmina sua recitantibus, *et ego* Grammaticorum scholas frequentavi, *et ego* declamavi, scil. eo consilio, ut aliquando scribere, illosque, qui mihi tantum fastidium creaverunt, vicissim vexare possem. Ut alia taceam, hæc et languent, quoniam eadem poeta jam v. 1—3 dixerat, et haud conveniunt verbis proximis v. 14, non enim a *summo poeta* exspectes, ut carminum recitatione te vexet et cruciet, sed eo, quo dixi, sensu *eadem* exspectes a summo minimoque poeta.

— *Manum ferulæ*, qua pueri percutiuntur, *subducere*, locutio proverbialis, ut multi putant (non modo Grang. et Brit., sed etiam Savar. ad Sidon. p. 153, 324; Erasm. in Adag. et Gesner. in Thes. L. L.), de iis, qui scholæ valedixerunt, et Grammaticorum disciplina ac potestate exempti

---

dignus, quo recitante crepitantis Athenæi subsellia curvata (al. *cuneata*) *quaterentur*, ibid. IX, 16: κατερρήγνυτο πᾶς ὁ τόπος ὑπὸ τοῦ κρότου καὶ τῆς κραυγῆς, Polyb. XV, 82; τηλικοῦτος κατερραγὴ κρότος, l. XVIII, 29, 9; ἄγνυτό ὄλυμπος et ἠχώ, Hesiod. Scut. Herc. v. 203, 279, 348; cf. Barth. ad Claud. laud. Stilic. II, 69; Heyn. ad Virgil. Georg. I, 49; III, 328; Græv. Lect. Hesiod. c. 18; Lips. Epist. ad Belgas Cent. II, Ep. 48, et inf. ad XI, 195; sed et Koenig ad Claudian. X, 133, ubi bene annotavit, jungenda potius esse ibi *Triton frangit* nando *aquas*, et illo sensu res quidem κατάρρηγνυσθαι dici et *rumpi*, non vero *frangi*, verborum autem Juvenal. sat. VII, v. 86, atque Sidon. Apollin. loc. sup. laud. explicationem aliam, a me infra propositam, videri præferendam.

sunt. Sed præstat, cum Wernsdorf. ad Colum. de cultu hort. v. 21, in Poet. Min. t. VI, p. I, p. 36, ita h. l. interpretari : et nos in disciplina ludimagistri fuimus, et, manum ferulæ præbere coacti, illam metuentes sæpe subduximus. Id facete dictum pro : scholas frequentavi. Hanc interpretandi rationem unice veram esse, Hein. et Heinr. probarunt coll. Macrob. III, 10; Sidon. Ep. II, 10, et Hieron. in Apol. ad Domnionem Ep. LI, p. 400, A. tom. I, ed. Paris, adv. Rufin. I, 4, p. 495, G. et in Ep. CI, ad Pammach. p. 665, C.

Var. 16. *Syllæ dedimus*, 24. *Syllæ*, 17, 20, 21, 22, 24, 60, 64. MS. Alex. et XV alii Codd. Paris. Sed *Sulla* passim in Inscriptt. legitur, estque cognomen Romanum, Græcis incognitum, qui illud, ut Plut. in vita Sullæ monet, per *u* scripserunt; Ach. — *Alte*, 16.

Not. 16. Artem quoque oratoriam edoctus sum, et in scholis rhetorum vel *suasorias* (scil. orationes), vel *controversias* fictas tractare et declamare didici (cf. Auct. Dial. de Orat. c. 35). Ejusmodi olim suasoria vel exercitatione aliqua et declamatione (μελέτη, ἐπιδείξις : Gallice; *amplifications*) Sullæ suasi, ut, perpetua dictatura omnique reipubl. cura deposita, reliquum vitæ tempus in otio transigeret; h. e. thema illud tractavi, et ostendi, Sullam ita prudenter egisse. Sic ap. Quint. Inst. Orat. III, 8, 45 : « Ciceroni dabimus consilium, ut Antonium roget, vel Philippicas exurat; » conf. inf. ad VII, 151, et similia themata apud Senec. Suasor. III, V, VI, VII. — *Ut altum* somnum *dormiret*, non interruptum curis ac vigiliis, quas summa secum trahit potestas; Gal. *dormir d'un profond sommeil*; Ach. [1]

Var. 18. *Occurram*, 13; *occurris*, 23, a m. pr.

Not. 18. *Perituræ parcere chartæ*, cf. Gierig ad Plin. Ep. VII, 2 (*impetrare aliquid perituri temporis*), et Gron. Obss. II, 22, quos laudavit Hein.

[1] Verba *ut altum dormiret* quidam referunt ad Syllæ morbum (phthiriasin), quem somno dissimulaverit, coll. Plin. VII, 43, et Sereno Sammon. cap. 6, p. 128. Sed in illo loco leg. *supremo somnio*, non *somno*; in hoc *languor* est morbus ille. Rigaltius turpem ignaviam putabat exprobrari Romanis, per quos licuerit Syllæ a dictatura se abdicare, et in Urbe privato vivere ac felici. Sed omnes illas de Syllæ morte, sive de Romanorum ignavia interpretationes improbabit, mentemque Juvenalis optime deprehendet, si quis *togatam* illam legat, in qua vir clarissimus *de Jouy*, gravi materiæ sublimique Syllæ menti par ingenium, dictatorem illum se a magistratu abdicantem ostendit; si quis præsertim videat hanc Syllæ noctem per metum vigilatam, illaque somnia ipsis vigiliis tumultuosiora, quæ tam vivide vultu, voce, gestu expressit verus ætatis nostræ Roscius (*Talma*), et in quibus Anglicam Germanicamque Melpomenen, quanta est, cum suo terrore, in Gallicam scenam transtulit vates feliciter audax. Tum sane cuique perspicuum erit abdicasse Syllam, *privatus ut altum dormiret*. Ed.

VAR. 19. *Libeat potius*, 12, 61, 62, 63, 67, 68, 71, 72, 73, recte forsan et concinnius. — *Discurrere*, 50.

ANAL. 19—150. His versibus poeta docet, quare, consilio carminum componendorum capto, satiras scribere in animum induxerit : tot scil. et tam varia nunc vigere vitia, ut *difficile sit satiram non scribere*, et, *si natura neget, faciat indignatio versum*.

— *Hoc decurrere campo, et per eum equos flectere*, hoc est, hoc carminum genus tractare : nota metaphora, a circo et stadio petita, ut apud Ovid. Fast. II, 360; IV, 10; VI, 586, et alii. « Petita præsertim a ludi genere, quod *ludus Trojanus*, vel ab exercitio, quod *decursio* dicebatur » ; Ach. « *Flectere* præcipue usitatum est de ludis Circensibus » ; Hein. qui conferri jubet Markl. ad Stat. pag. 273, et Burman. ad Propert. lib. I, satir. 3, v. 46.

VAR. 20. *Aruncæ*, 21, 23, 24, 26, 27, 28, 45, 50, 59, 64; conf. Heyn. ad Virg. Æn. VII, 206, 727, 795; XI, 318; XII, 94.

NOT. 20. *Auruncæ alumnus*, Lucilius, qui primus Romanorum satiras et quidem triginta earum libros scripsit, et Suessæ natus est, quæ urbs *Suessa Aurunca* dicebatur ab Auruncis, qui, bello inter ipsos et Sidicinos orto, profugi cum conjugibus et liberis, Suessam commigrabant. Cf. Scaliger Auson. Lect. II, 11, p. 115. Veteris Schol. nota h. l. est : « *Turnum* dicit, Scævæ Memoris, Tragici poetæ, fratrem, qui libertini generis, ad honores ambitione provectus est, potens in aula Vespasianorum, Titi et Domitiani; vel *Lenium* dicit, qui et ipse satiras scripsit; vel *Silium*, et ipsum sui temporis Satiricum, qui omnes ex Aurunca fuerunt. « De his poetis vid. Wernsdorf. Poet. Min. t. III, p. 16 et 19.

NOT. 21. *Placidi*, benigne.

VAR. 22. *Menia*, 19. *Nevia* vel *Nævia*, 13, 23, 27, 45—48, 50, 56, 59, 60, 61, 64, 73, 74. Hoc meretricis nomen est ap. Martial. II, 9 et 26; III, 13. *Mævia* et *Mevia* optimi Codd. nostri et Paris.

NOT. 22 seq. Quum omnia contra naturam, et viri fiant mulieres, mulieres autem viri; *spado*, castratus, eunuchus; *tener*, mollis et effeminatus (ut VI, 383, et XII, 39), *ducat uxorem*, ut ap. Martial. VI, 45, 3. *Nubit Lectoria Ligdo*, etc. Cf. VI, 366 seq. [1] — *Mævia* pro quacumque muliere impudica.

NOT. 23. Mulieres et puellas inde a Domitiani temporibus descendisse in arenam amphitheatri, ibique partes gladiatorum egisse, vel inter ve-

[1] Brit. et Ach. putant, libidinem simul mulierum notari, quæ, lege Julia in adulteros a Domitiano revocata, mœchis suis, inter quos fuerint et spadones, nupserint, ne quid de libidine deperderent, atque simul pœnis lege latis non afficerentur; Martial. V, 76; VI, 2, 7 et 22. Ed.

natores, seu bestiarios cum feris pugnasse, donec a Severo id vetitum, nota res est. Cf. VI, 246 seq. [1]

— *Aper Tuscus*, epith. ornans, ut *aper Marsus*, Horat. Od. I, 1, 28.

— *Nuda mamma* habitu mulieris, non tam irritantis spectatorum libidinem, quam ritum imitantis *Amazonum* (quibus læva papilla fuit nudata, et quibus Romanas mulieres comparat Stat. Silv. I, 6, 53 seq.), vel potius more venatricum, quarum humerus pectusque dextrum in nummis et statuis nudatum conspicitur [2]; nisi malis cum Britan. habitu procumbentis in vulnera feræ, quo mammæ e sinu exseruntur. Historia mythica de *Amazonibus* exponitur in *Creuzer's Symbolik* t. II, 111, seq. 161 seq.

Var. 24 et 25, a sec. m. ad marg. scripti in 22, et quibusdam MSS. Paris. Plane absunt a 7, et tribus Codd. Paris.

Not. 24, 25. Alii intelligunt *Licinium*, Augusti libertum et tonsorem, alii *Cinnamum* tonsorem, qui mulieris cujusdam muneribus ad equestrem dignitatem pervenit, et postremo in Sicilia exsulavit, de quo v. Martial. VII, 63. Ad eumdem certe refer eadem verba X, 225, 226. Cf. ad VI, 105. Perperam autem Crispinum innui putabat Dodwell. in Annal. Quintil. p. 180. Ad eum sequentia spectant.

— *Provocet*, cum iis certet. *Provocare* est potius certare cum certissima vincendi spe; Hein. Cf. Gierig. ad Plin. Pan. 51, et Bentl. ad Horat. Sat. I, 4, 14.

— *Barba gravis*, epith. orn., qualia poetis solemnia sunt, pro magna et horrida; unde *sonabat*, quod verbum gravius est, quam *tondenti barba cadebat*, ap. Virg. Ecl. I, 29. [3]

— *Sonabat* non barba, sed culter tonsorius; H. Vales.

Var. 26. Ante v. 24, in 24, tribusque Codd. Paris. et 26—29, ante v. 24, in 17, leguntur: *fœx Niliacæ plebis*, coll. III, 61, emend. Flavius Conjectan. cap. 30. — 28. *Lacernas Ventilet æstivo digitis sudantibus auro*, emend. Grævius, ut poeta dicat, Crispinum infirmis tenerisque digitis, qui vel minimo æstivo annuli pondere sudaverint, assidue ventilasse et sublevasse togam, quo annulos et sardonychatam manum ostenderet. Sed quomodo explicanda tum verba *humero revocante?*

[1] Conf. et Lips. ad Tacit. Annal. XV, 32, et Saturn. Serm. II, 4; Intpp. Sueton. Domit. 4, et Ner. 11; Scriver. ad Martial. de Spect. Ep. VI et VII, et alios, quos laudavit Barth. ad Stat. Silv. I, 6, 53 seq.

[2] Vid. ad Sil. II, 78, 79, et XII, 714; Spanhem. ad Callim. Hymn. in Dian. v. 212, 213; Heyn. ad Virgil. Æneid. I, 492, et XI, 649.

[3] *Barba gravis*, molesta et minime grata, qualis solet esse juvenibus; *Brit.* fastidiosa, eo quod imberbes magno in pretio Romæ; *Grang.* qui et verbo *sonabat* alludi credebat ad τρίχας Græcorum παρὰ τὸ τρίζειν dictas, quod inter tondendum stridorem quemdam edant. Grangæo adstipulatur Hein. qui tamen in verbo *sonabat* non argutandum putat.

ANAL. 26—29. *Crispinus*, a servo forte cujusdam ex infima fæce plebis *Niliacæ*, hoc est, Ægyptiæ, genitus, saltem humili loco natus in Ægypto, sed Domitiano gratissimus et ex servili conditione ad dignitatem censumque equestrem provectus. Si scholiis vett. fides habenda, Ægyptiacum habuit patrem matremque Arabicam, et fuit Ægyptius Alexandrinus, chartapola et unus de Liciniæ consulibus, h. e. comitibus vel consiliariis. Crispinus chartapola (forte χαρτοπώλης) fuit, et Ægyptius, ex Alexandria, ea præpositura, quam papyri venditores habitabant; Schol. in cod. Schurzfl. Cf. inf. IV, 1—33, 108, 109, et Schott. Obss. V, 35.

— *Canopus*, opp. Ægypti, ad Canopicum Nili ostium, non longe ab Alexandria, situm, et libidinibus olim luxuque tam feminarum, quam virorum infame. [1].

NOT. 27. *Tyrias* purpureas, *humero revocante lacernas* docte dictum videri potest de Crispino, humeris delapsas iterum colligente lacernas, more hominis novi, qui his vestibus uti nescit: nisi exponere malis cum Gronov. Obss. II, 19; humero lacernas adstrictas et religatas fibulis habente. Id arridere potest, coll. Sidon. II, 396:

> Fibula mordaci refugas a pectore vestes
> Dente capit:

[1] Vid. infra VI, 84; XV, 46; Strab. XVII, p. 800, 1; Senec. Epist. LI; Ulit. ad Grat. Cyneg. v. 43; Ammian. Marcell. XXII, 16 et 41; nos ad Sil. XI, 431, et inpr. Heins. ad Ovid. Amor. II, 13, 7. — Ad verba seqq. hæc notavit Plathnerus: « Indignatur poeta, Crispinum, Ægyptiacum mancipium, turpibus officiis e Virgarum colonia ad equestrem evolasse dignitatem, cujus peculiare ornamentum *annulus aureus*. Servis enim ferreus, plebi vero argenteus; v. Budæus ad L. fin. ff. de senator. Rosin. Antt. Rom. I, 17; Lips. Elect. III, 8; Cujac. Obss. VII, 14. Illud tamen notes, Libertos, qualis hic Crispinus, impetrato jure aureorum annulorum, non statim equites factos, sed quasi equites, ut loquitur Tac. Ann. XV. Dabatur enim jus annuli aurei *libertis*, ut inquit Godofr. in Rubr. ff. de jure aur. ann., *ditioribus*, id est, habentibus 40 millia in censu. Sed, ut dixi, nec erant perfecti equites, nec ingenui. Liberti enim imaginem tantum ingenuitatis, non vero statum isto capiebant privilegio; quod patet ex L. unica C. ad L. Vissell. et L. H. C. de jure aur. ann. ubi sic: « Diocl. et Maxim. aureorum usus annulorum, principali beneficio tributus libertis, quoad vivunt, imaginem, non statum ingenuitatis præstat. » Cum impp. sentit Mart. jurisconsultus, qui et ipse l. 33, § 11 de cond. et demonstr. istud beneficium non mutationem induxisse status, sed augmentum honoris saltem attulisse contestatur. Totam autem rem paucis complectitur Ulpianus de Bon. Lib. L. III, quando æmulatos hujusmodi vixisse ut ingenuos, mortuos esse libertos adserit. » — Ex emendatione Grævii et Scriver. in Crenii Anim. p. 14, *ventilet* (lacernas et assidue sublevet, ut annulos et sardonychatam manum ostendat) *æstivo digitis sudantibus auro* sensum utique aptiorem ad mollitiem Crispini increpandam prodire censet Gurlitt. l. l. in nota 4.

et inpr. Claudian. in Rufin. II, 79;

Revocat fulvas in pectore pelles;

ubi Kœnig hæc adnotavit: « Imaginem euntis potest exprimere, cui pellis, quæ in pectore fibula, seu nodo continetur, circum humeros et a tergo pendet: is enim, dum progreditur, pellem quasi *revocat*, trahit post se, præcipue autem, quum equo vehitur. Cf. Juven. I, 27. » Similiter Claudian. in Eutrop. II, 183:

. . . . Post terga reductas
Uberibus propior mordebat fibula vestes;

et Prudent. Psychom, 186 seq.

Carbasea ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens a pectore nodum, *etc.*

Sed propter seqq. præferenda forte explicatio Ferrarii, qui de Re Vest. IV, 13, monuit, vernulæ objectari *lacernas*, sive pænulas *Tyrias*, forte dibaphas, easque leviores et tenuiores, quæ per æstatem delicatulis gestarentur, et quod præterea plures ejusmodi lacernas *revocaverit*, h. e. sæpius mutaverit, ut Zoilus et ipse Crispinus ap. Martial. V, 80, 2 et VIII, 48, 2. *Revocare* tamen hoc sensu dici posse vix crediderim ceterisque veriora et h. l. aptiora videntur, quæ annotavit *Heinecke:* « Mollis humerus, qui lacernas tenuiores levioresque jam proxima æstate et sæpius gestaverat, sed incipiente hyeme deposuerat, nunc, quum rursus æstas est, *revocat*, i. e. resumit æstivas. *Revocari* enim dicitur, quod aliquamdiu intermissum ad pristinum morem et usum reducitur; cf. Ducker. ad Suet. Vesp. c. 16. » De *lacernis* v. ad IX, 28 seq.

Nor. 28. *Ventilet aurum*, annulos aureos (equitum insigne) de digito detractos in sublime jactet, et ita quasi refrigeret; ita Brit. et alii. Sed *ventilare* forsan h. l. est ultro citroque movere, jactare et ostentare in digitis, quibus- cum ita luditur, ut cernantur annuli.

— *Aurum æstivum*, annulos leviores tenuisque bracteæ, quos vir mollis et delicatus sibi faciendos curavit, per æstatem gestandos (quo sensu *leves annulos* dixit Martial. V, 62, 5), quoniam ei tum nimis gravia et molesta *majoris pondera gemmæ*, hoc est, annuli (ut infra v. 68), cui gemma prægrandis inserta, unde a delicatulis per hyemem gestabatur. Sic *annulus ingens* VII, 140; et contra *levitas æstiva* vestium sericarum dicitur Plinio lib. XXI, c. 3, vel *æstivæ viaticatus*, Plaut. Men. II, 1, 30; confer Barth. Advers. XIII, 13; Kœnig. ad Pers. I, 16; Gorlæi Dactyl. p. 10 et 12; Kirchmann. de Ann. c. 17; Turneb. Advers. XX, 2; Græv. Syll. Burman. tom. IV, pag. 184; et Böttigeri Sabina, pag. 292, 293, 412, edit. prim. Vix est quod moneam, singulis fere verbis novum inauditæ mollitiei genus vividisque coloribus adumbrari; cf. VI, 259 seq., et Ovid. Amor. II, 15, 22; et Lucian. Nigrin. 21, qui meæ interpretationi favet.

Nor. 30. Confer Casaub. ad Pers. I, 12, p. 53:

Scribere me satiram, qui culpat, maxime princeps,
Hanc rogo decernas, aut probet, aut timeat,

Sidon. Apoll. Epist. I, 12; confer Horat. lib. II, Sat. I, 1. — *Iniquæ*, flagitiosæ. — *Ferreus*, sine sensu et affectibus, χαλκεοκάρδιος, σιδηρόφρων, cui est ἦτορ χάλκεον et σιδήρειον, vel ψυχὴ λιθίνη. Confer infra VII, 150; intpp. Horat. Od. I, 3, 9; et Jacobs. ad Anthol. Gr. vol. II, p. III, pag. 172.

— *Teneat se*, temperet sibi, quo minus satiras scribat.

Not. 32. *Matho*, seu *Mathon*, *causidicus*, et quidem tam ventosus, quam ventricosus. Olim pauper et mediocris (vid. XI, 34), propter plurima vitia amicus Neroni factus, si fides habenda Schol. vet. apud Barth. Advers. XIII, 13. De eo vide infra VII, 129, XI, 34. Martial. IV, 80 et 81; VII, 9, 3, 4; VIII, 42; X, 46; XI, 69. Illum ex causidico delatorem et hinc divitem factum esse monent Intpp. quod unde habeant, neque ipsi dicunt, neque ego reperire potui. Infra VII, 129, pauperibus causidicis adnumeratur, et quidem iis, qui, ut se plebi, hominum ingenia ac doctrinam ex cultu eorum et magnificentia æstimanti, commendent, simulant se divites ésse, et vana opum luxusque ostentatione in magnum æs alienum incidunt. Hinc potius *novam* h. l. *lecticam*, stultamque ostentationem talis hominis et imitationem ditiorum non sine bile notari crediderim; *lectica nova*, nuper comparata, cum sale, ut qui antea pedes ambularet: Grang. simpl. *nova*, namque et hinc splendor, Farnab. coll. Martial. lib. II, epigr. 57, 6;

Recens sella linteisque lorisque.

Var. 33. *Et post* pro *post*, 25, 46—50, 54—65, 67, 68, 69, 71—74.

Not. 33. *Plena ipso*, propter obesitatem corporis; nisi malueris, ex Juvencii interpretatione, propter superbiam, qua turgebat. Ed.

— *Delator magni amici*, imperatoris, ad quem multos, more illorum temporum satis noto, deferebat (ut *magnæ amicitiæ* IV, 74; et *magnus civis* VI, 559); nisi malis, qui magnum aliquem amicum, sive Cæsaris, sive suum, dignitate conspicuum, detulit; cf. ad VI, 313. Quis vero fuerit delator hic famosus, ignoramus. Quidam designari putant *Heliodorum*, philosophum Stoicum, a quo delati L. Junius Silanus, Massa et Carus, si vet. Schol. fides habenda; alii *Egnatium Celerem* philosophum, qui Baream Soranum, discipulum suum *magnumque amicum*, falso testimonio oppressit, sed ipse postea, Vespasiani temporibus, accusante Musonio Rufo, damnatus est (de quo v. ad III, 116 seq.); alii rectius *M. Regulum*, qui tum temporis omnium bipedum fuit nequissimus, multosque nobiles sub Nerone ac Domitiano accusavit, de quo v. Tac. Hist. IV, 42. Plin. Ep. I, 5 et 20; II, 11 et 20; IV, 2 et 7; VI, 2. Forte tamen poeta non ad unum aliquem respexit delatorem, sed ad plures, quorum numerus tum in dies fere crescebat, quique non modo ab aliis, sed alter quoque ab altero timebantur; unde v. 35; *quem Massa timet*, ect. et Sidonius, Epist. V, 7: « Hi sunt, quos timent, etiam qui timentur. »

— *Nobilitate comesa*, bonis suis spoliata.

— *Rapturus;* in gratiam imperatorum, et sui quoque commodi caussa: nam delatores in partem prædæ veniebant.

Not. 34. *Massa* Bebius, vel Bæbius, delator, notissimus ex Tac. Hist. lib. IV, cap. 50, et vita Agric. cap. 45; Plin. in Epistolis, lib. III, 4; VI, 29; VII, 33. — *Carus*, Metius, seu Mettius Carus, eorumdem temporum delator, de quo vide Plinium Epistol. lib. I, 5; VII, 19 et 27; Tacit. vit. Agric. cap. 45; Martial. lib. XII, epigr. 25, v. 5. — *Quem munere palpat*, delinire conatur, cui blanditur muneribus missis; locutio desumta ab equis, qui *palpari*, *plaudi* et *mulceri* manibus amant. Vid. Drak. et nos ad Sil. IV, 264. Hinc et Horat. Serm. II, 1, 20, dixit;

Cui (Augusto) male si palpere, recalcitret undique tutus.

Confer ad lib. VI, 584.

Var. 36. *Ut* pro *et* legendum, recte, opinor, censet Heinr. v. Comm.

Not. 36. *Submissa*, missa, velut alii putant, ad coitum; velut alii, ut muneribus eum placaret, vel facundia, vel blanditiis.

— *Latinus*, mimus, gratissimus Domitiano, et *Thymele*, spectatissima mima et saltatrix; de quibus vide VI, 66, VIII, 197. Sueton. Domit. 15; et Martial. I, 5; IX, 29. Mulieri nomen ab arte scenica inditum putant: nam θυμέλη dicitur pulpitum s. ara theatri, vel hujus pars ad scenam, ubi forte cani et saltari solebat, unde *thymelicum* id. quod scenicum, de quo vide Sidon. Ep. IX, 13, 2, et Vitruv. V, 8.

Ex docta autem Heinrichii commentatione excerpimus ea, quibus et hic et alii poetæ loci ad mimos scenamque spectantes illustrantur: « Peracuta est Turnebi Advers. XX, 8, observatio. [*Thymele* mima, quæ cum *Latino* sæpe gestum agebat. Mimi igitur argumentum egit cum ea Latinus, in quo cum ea, ut aliena uxore, mœchus pæne deprehendebatur, vel marito de adulterio aliquorum delatione suspectus erat; sed dolosam et astutam mœcham ad maritum allegavit, quæ ei os sublineret et periculo Latinum et crimine eximeret. Id igitur facete Juvenalis ad extremum jacit ex argumento notissimi illa tempestate mimi: quemadmodum Latinus deprecatrice mœcha est usus, sic pro se quosdam ad delatorem placandum deprecatores mittere.] Hæc ille optima cum ratione nec sine elegantia. Sed, quod ejus aciem effugit et necessarium est ad perfectionem sententiæ, h. l. legendum: *ut a trepido Thymele submissa Latino*. Dicit delatorem potentem ac sævum, qui ab aliis delatoribus timetur, quemque ipsum muneribus palpat alius, peræque humiliter et abjecte, quam facit in mimo notissimo adultera, missa ab adultero, fortasse ad maritum zelotypum. Hunc ipsum vero appellare et adeo enuntiare, ad quem *submitteretur* mima, non opus erat apud auditores, vel lectores, quibus vix verbo commonefactis in re nemini non obvia et præsente nihil ultra dicendum erat. Zelotypum suppono maritum ex re ipsoque mimo, et ex variis satirarum locis. Scilicet lascivia mimorum, quasi legitimo more, in exprimendis adulterorum flagitiis versabatur inprimis. Prodibat ab altera parte *cultus adulter*

cum *callida nupta*, ab altera *stultus vir*, qui ludibrio esset adulteræ uxori, et quavis ejus astutia deceptus, populo cachinnos moveret; v. loc. class. Ovid. Trist. II, 497, seq. Personam mœchi Latinus sustinuit imperatore Domitiano, v. Suet. Dom. c. 15, et Martial. I, 5. Quo pertinet altera mentio *Latini* apud Nostrum, Sat. VI, 41—44 :

Quid fieri non posse putes ....
.... Mœchorum notissimus....
Quem toties texit perituri cista Latini?

Constat, in his item ad mimum alludi. Addo, ad mimicam eamdem actionem, tum maxime conspicuam, quando Latinum, partes adulteri agentem, Thymele sub persona uxoris, marito zelotypo superveniente, in arca inclusum abscondebat. At cista Latini *perituri*, etsi ad sensum apte explicari scio, sic tamen minus grammatice dictum videri debet. Lego itaque :

Quem toties texit perjuri cista Latini.

Scilicet poeta, pro eo more, quo satiras Virgilianis verbis ac dictionibus, parodiæ instar inversis, sæpe condire solet, Maronianam versus clausulam Æneid. II, 195, et V, 811, *perjurique arte Sinonis* et *perjuræ mœnia Trojæ*, suam fecit. Confer infra ad v. 169. Jam igitur ut *mœchum perjurum* egit Latinus, sic aliquando Roscius *improbissimum et perjurissimum lenonem* repræsentaverat in scena, teste Cicer. pro Rosc. Com. c. 7. Quod genus hominum, turpitudinis vinculo inter se junctum, recte etiam jungitur eadem nota epitheti, et ibidem orator *perjuro castum* opponit, ut appareat, qua illum significatione dictum voluerit intelligi. Quemadmodum autem hoc loco Juvenali ludus scenicus obversabatur, ita Horatius idem ludibrium mimi respexit, Serm. lib. II, v. 7, 59—61. Nimirum hoc ipse quoque spectaverat in theatro, et non minus spectatum Romanis sic, velut alludendo, poterat commemorare. — Adultera, secunda persona, callida mulier atque in technis ac dolis struendis artifex : quæ quum timeret, ne maritus, certior factus, flagitiosam perfidiam acerbe ulcisceretur, illum aggrediebatur blandiendo, ut placaret; aut, si mavis, missa ab adultero ad delatorem, servum vel alium quemcunque, quem blanditiis, donis, gratia, commitigaret. Ceterum ea omnibus modis verba dat miserando capiti,

Quumque fefellit amans aliqua novitate maritum,
Plauditur ....

Sic Ovid. l. c. — Tertia persona, ridicula præter omnes, zelotypi mariti. Is a Juvenale significatur, Sat. VIII, 197 :

Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi.

Ex quo versu *Corinthum* Mimum, nescio quem, arripiunt interpretes omnes. Imo vero scribendum *Corinthi*. Nam id duntaxat credas, fuisse histrionem haud ignobilem *Corinthium*, gentili nomine. Istis enim ludionibus, ut servis, sæpe nomina a gente indebantur. Sic *Latinus* fuit, sic *Corinthius*, alii. Jam quoniam stupiditatem, fere ut colorem, inducere solebant zelotypiæ, hinc factum, ut in mimo maritus a stupore tanquam

proprio nomine appellaretur *stupidus*, Ovidio l. l. *stultus*. Cujus personæ proprium erat *caput rasum*, calvities morionum solemnis; conf. Arnob. adv. Gentes lib. VII, p. 300 (*delectantur stupidorum capitibus rasis*, ubi v. Des. Herald. p. 416), et Cyprian. de Spectac. Opp. ed. Amst. p. 4, « scenæ sales inverecundos, agentium strophas, adulterorum fallacias.... ipsos quoque patres familias togatos, modo stupidos, modo obscœnos. » Alia multa hanc in rem docta manu collegit Müllerus de ævo Theodos. P. II, c. 9. Hinc et originem traxit antiquum verbum *calvere* et *calvi*, docente Nonio Marc. p. 6. Verbum e vita communi in jus assumptum; v. Menag. in Juris civ. amœnitatt. p. 264; Duker. de latinit. jurisconsultorum p. 163, et Vales. ad Ammian. XXX, 4, extr. Sed *calvus* morio, μωρὸς φαλακρὸς, quum tantopere in deliciis fuerit (nam leno quoque in scena φαλακρὸς producebatur et servus; vid. Pollux IV, 145, et 150), scire interest rationem inventi et originem, quam prætermisit Salmas. ad Scriptt. hist. Aug. p, 385. Nimirum res ducta ex fabulis Satiricis Græcorum ac translata a Silenis, quorum in istis conspicua calvities (v. vel Xenop. Sympos. IV, 19, ibique Schneid.), ad quoscunque moriones senes et ridicula capita. Conf. Juvenal. V, 171, 172. Stultus ne simul κιρασφόρος prodire in conspectum deberet, et ipsi Sileni effecerunt, utpote plane expertes talis vel oneris vel ornatus: quanquam in vita communi istius generis κίρασα jam apud veteres vigebant; v. Artemid, Oneirocr. II, 12, p. 155, Reiff. Jacobs. ad Lucilii Epigr. IX; Animadv. II, 2, p. 444; Huschke in Anal. crit. p. 168, et Henelius Otii Vratislav. c. 47. Colaphorum alaparumque injuriis nihil frequentius in mimo, atque istarum omnino valde consuetus in ludis mimicis abusus fuit. Cf. Juvenal. Sat. VIII, 192. Hac scurrilitate multis variisque modis utebantur planipedes ad populi spectantis delectationem. Nonnulla ad rem apte notavit Müller. l. c. p. 92. Discernenda autem hujus ignominiæ duplex ratio, una κονδύλους ἐνδρύψαι, altera κατὰ κόρρης παίσαι. De illa v. Toll. ad Longin. p. 232, de hac Harpocrat. Lex. Oratt. sub ἐπὶ κόρρης, et Hemsterh. ad Lucian. t. I, p. 493, Bip. Genus utrumque in scena frequentatum effusissimos in subselliis risus ciebat, quando aut stultus alapis os præbebat, aut ipsa mima colaphis indigne pertundebatur. Recens exemplum rei vetustæ ap. Procop. Anecdot. Allemann. p. 42, de Theodora, ista famosa imperatrice, antea inter mimos turpissima prostibula, neque tamen minus egregie in scena faceta: καὶ τοιαύτη τις ἦν, οἷα ῥαπιζομένη μέν τι καὶ κατὰ κόρρης παιομένη χαριεστίζειν τε καὶ μίγιστα ἀναπαγκάζειν. Notanda mimæ festivitas, alapas salse jocando, interdum et fuse ridendo, excipientis. — Sed mimicæ actionis, qualem mente informamus, restat quarta denique persona, servus, flagitiorum, puto, conscius ac promtum sese dominæ ministrum præbens. Colligere id licet ex Capitol. in M. Anton. sub fin. pag. 34, D. Salmas. » Hæc Heinr., probabiliora, quam quæ h. l. disputarunt [1] inter-

[1] Vulgo putant, poetam ostendere, ne homines quidem gratos impe-

pretes. Vir autem doctus, in *Jen. Allg. Lit. Zeit.* ann. 1810, N. 285, p. 480, suspicatur, *Thymelen* fuisse nomen usitatum in familiis artificum theatralium, vel curatorum apum fictorumve cerearíorum, a θύμον, odora apum herba, et ἑλεῖν, *capere*, deducendum, quum certe *Frutina Thymele* (qu. *fruens thymo* vel *in thymo delicians*) in Inscr. ap. Grut. t. II, p. 1010, n. 2, ed. Græv. aram dicasse dicatur *M. D. M.* (forsan *Mellonæ Divæ Matri*) *Cerariæ*, quam Augustin. de Civ. Dei, apum deam fuisse tradat. Vid. Lucian. de Saltat. cap. 76, ubi conf. Gesneri notam de *Thymele*, orchestræ parte media.

Not. 37. *Submoveant* justa hereditate; confer Lucian. in Timone, c. 22. — *Noctibus*, nocturno coitu, concubitu; unde *noctem orare*, *promittere*, *negare*, *pacisci*. [1]

Not. 38. *Evehit in cælum*, ad summam opulentiam, dignitatem et felicitatem. — *Optima summi nunc via processus*, nunc optima, vel facillima, brevissima et tutissima via ad summam felicitatem, nisi malis, ad consulatum, summum honorem, *vesica vetulæ beatæ*, amor anus, vel viduarum divitum, quas lucri causa sectabantur multi; confer ad sat. IV, vers. 4. — *Processus*, felix eventus, fortuna: sed *procedere* etiam proprie dicitur solemnis consulum pompa, qua primo initi magistratus die ex ædibus suis in Capitolium deducebantur [2]. Census autem, ut Ovidii verbis utar, dat honores. — *Vesica*, pudenda mulierum, cunnus, ut κύστις et κύστη, apud Aristoph. Lysistr. 956. — *Beatæ*, divitis, ut εὐδαίμων, μακάριος, μάκαρ. Hesiod. Ἔργ. 549.

Var. 40. *Proculeus*, 19, 21, 22. *Gilo*, 19. Vulgo ita distinguitur: *sed Gillo deuncem: Partes quisque.... heres Accipiat, sane mercedem sanguinis, et sic*, etc. Nunc mutavi interpunctionem, suadente Heineckio, ut sensus sit: *Proculeius* parvam hereditatis partem *habet*, accipit, *sed Gillo* multo majorem, et eodem modo *quisque heres partem suam ad mensuram inguinis*, scil. habet.

peratori, qualis Latinus fuerit mimus, tutos fuisse a delationibus, et ab eo clam fuisse missam mulierem aut uxorem ad delatorem placandum vel muneribus, vel facundia (unde *Thymele*), vel stupro. Ita quoque Ziegler de mimis Rom. p. 73.

[1] Confer Drak. et nos ad Sil. II, 503; III, 429, XI, 183.

[2] Confer Drakenb. et nos ad Sil. VI, 444, et inpr. Eckhel doctrin. nummorum vett. p. II, volum. VIII, p. 335 seq. ubi de *processibus consulum* doctissime agitur. Eo sensu vocem hanc cepit præter me Gurlitt. in Animadv. ad Auct. vett. Spec. II, Magdeb. 1801, p. 68, qui error jocularis videtur Heineckio, quia toto h. l. sermo sit de hereditatibus, et consulatum jure hereditatis accipere non liceat. Id quidem nemo vel contendet, vel ex hac interpretatione colliget. Hereditatibus vero facillime acquiruntur divitiæ et his via ad summos panditur honores.

[3] Confer inf. v. 67, et VI, 204; Heins. ad Ovid. Amor. I, 15, 34; Cuperi Obss. III, 1; Drak. et nos ad Sil. I, 609.

Tum verba v. 42, seq. eo, quo plerique illa acceperunt, sensu capienda sunt, ut sit concessio ironica et mens poetæ hæc: ego sane non invideo illis hereditatem sanguine et pallore partam.

Not. 40. Confer Var. Lect. Assis partes sunt *uncia*, *sextans*, *quadrans*, *triens*, *quincunx*, *semis*, *septunx*, *bessis*, *dodrans*, *dextans*, *deunx*, et, quum percommoda esset in computationibus totius in XII partes distributio, etiam aliæ res, inpr. hereditates, ad assis modum dividebantur; unde *heres ex asse*, cui tota hereditas, *ex uncia*, cui duodecima ejus pars, *ex unciola*, cui ne hæc quidem tota, *ex deunce*, cui undecim ejus partes obveniebant.

Proculeius male, et *Gillo* bene mentulatus; adulteri, sed ignoti. Proculeius certe non est idem, cujus VII, 94, mentio fit, neque etiam, quod Almel. putabat, ille, ad quem exstant Cic. Epist. ad Div. XIII, 30, seq.

Not. 42. *Mercedem sanguinis*, pretium delationis capitalis *accipiat* a Domitiano; H. Vales. Immo, *mercedem sanguinis*, coitu exhausti, vel (ut jam notarunt Gurlitt loco laud. sup. in nota 4, et Barth. ad Grat. Cyneg. 166, et ad Nemes. Cyneg. 127, 260), seminis, quod ex digestione sanguinis gignitur, profusi et amissi, roborisque adeo corporis debilitati.

Var. 43. *Ac sic Palleat*, 2; *inquit* pro *et sic*, 39, a m. pr. non improb. Barth. Adv. XIII, 13, ut introducatur velut de tabulis loquens vetula testatrix Sed oratio sic non bene fluit.

Not. 43. *Palleat*, debilitatus intemperato coitu et decoloratus; *ut nudis... anguem*, pallet metu ictus, et *rhetor Lugdunensem dicturus ad aram* metu ignominiæ et pœnæ, si displicuisset Caligulæ; de quo vide mox ad V, 44. — *Ut nudis pressit qui calcibus anguem*, imitatio Virg. Æn. II, 379, seq. et Ovid. Fast. II, 342, vel potius Homeri Iliad., III, 33, seq.

Not. 44. Commentarii instar sunt verba Suet. Calig. cap. 20: « Caligula instituit in Gallia, Lugduni, certamen Græcæ Latinæque facundiæ, quo ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorumdem et laudes componere coactos: eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi maluissent. » Lugduni etiam *ara* fuit, ad confluentem Araris et Rhodani (ubi nunc est abbatia *Asnay*) Augusto dedicata; vid. Dion. lib. LIV; Epit. Livii CXXXVII; Strab. lib. IV; Sueton. Claud. cap. 2, et quos Gurlitt. loc. cit. laudavit; Scaliger. Poet. lib. I, cap. 34; Lips. Epist. Quæst. II, 21, et Goltz. numism. Jul. Cæs. pag. 74. — *Rhetor*, hoc loco orator, ut passim. Notandum hic est, ut prius animadvertit *Raoul*, Juvenalis in carmina gallica translator, nullam esse similitudinem inter hunc rhetorem qui rem male successuram timet, et hominem nocturno infamique labore fessum et exhaustum. Non hæc sane Horatianum judicium et acumen sapiunt. Ed.

Not. 45. Quis non indignatione ad satiras scribendas excitetur, quum

tot improbos grassari, tot vitia et scelera vigere videat? Ex illis memorantur primum expilatores et singulorum hominum et oppidorum provinciarumque. — *Jecur ira* vel *bile ardere, fervere, uri, tumere,* dicitur: nam gravi ira acerrimus excitatur motus ebullientis sanguinis et potissimum oleosarum ejus partium, a quibus bilis in jecinore secernitur, quo fit, ut jecur extendatur, et bilis largius ex eo effluat. Hinc et ortæ loquendi formulæ: *rabie corda tument, iram coquere, esse in fermento*, חמץ, εἰδέναι καρδίᾳ χόλῳ, πίπτειν, sc. πίσσιν χόλον et κήδεα, φλεγμαίνειν ὑπὸ χολῆς. Cuivis vero affectui propria fere sedes assignabatur, iracundiæ in felle, aut corde et pectore (vid. ad XIII, 181), gaudio in splene, amori in hepate, libidini in lumbis, omnibus, at præcipue libidini et *iræ*, in *jecinore*, sanguinis officina. [1] Vid. exquisitas cl. *Boissonade* notas ad Nicetam p. 162, sq.

Var. 46. *Premat*, 10, 15, 17, 19, 20, 24—27, 45—50, 54—58, 60, 62, 64—68, 71—74, quod præferrem, nisi mox v. 49, sequerentur *bibit* et *fruitur*. Nota Hein. est: « Ob id ipsum recipiendum, nam talis mutatio modorum non rara est, et sæpius inveniretur, nisi talia corrupta essent ab imperitis librariis. Conf. Cort. ad Cic. Ep. XII, 2, 7, et Muncker. ad Hygin. fab. 148. » Sed librariis incuriosis pleraque hujusmodi exempla forsan tribuenda sunt.

Var. 47. *Pupilli plorantis*, emend. Plathner coll. XV, 134, seq. Sed idem verbum mox, v. 50, adhibetur; et miserationem tantum, at vulgat. *prostantis* summam simul indignationem movet. Legendum tamen videtur *Pupillæ prostantis*. Confer III, 65; VI, 123; IX, 24. — *Ac hic*, 16; *at hic*, 10, 11, 15, 17, 19, 20, 24—27, 45—50, 54—58, 60, 62, 64—68, 71—74, omnesque Codd. Paris. Id probavit Schurzfl. et recepit Achaintr. ita disputans: « Miror, qua facilitate hanc lectionem mutaverint editores recentt., hujus particulæ *at* vim satiricam non intelligentes, quæ sic se habet: *Quanta siccum jecur ardeat ira, quum populum premit hic spoliator pupilli prostantis;* sed ille spoliator tantum privatus: *at, hic Marius*, provinciarum spoliator, damnatus inani judicio, etc. Quanta siccum jecur ardeat ira! » Hæc tamen vis satirica non perit retenta vulg. lectione, et mox v. 50, repeteretur *at*, cui Achaintr. substituit *et*, quod in nullo Cod. legitur.

Not. 46, 47. Tutor *pupillum* aut potius *pupillam* (cf. Var. Lect. v. 47) omnibus exuit bonis, quo fit, ut hæc *prostet* (v. VI, 123), corpore quæstum facere paupertate cogatur, ille vero, alienis pecuniis locupletatus, tanta per urbem pompa incedat, totque clientibus, vel servis stipatus lectica gestetur, ut populum *premat* et urgeat. — *Gregibus comitum*, ut *grex togatus*

[1] Confer ad III, 188; VI, 314, 648; VII, 117; XIII, 14, 181, 182; Jan. et Mitscherl. ad Horat. Od. I, 13, 4; Koepp. ad Hom. Il. *α*, 81; *ι*, 550; Kœn. ad Pers. I, 12; II, 13; V, 129, et ad Claudian. VHI, 249, et nos ad Sil. II, 327, 626.

[2] Confer VV. DD. ad Plin. Paneg. c. 76, et Wernsdorf Poet. Lat. Min. vol. IV, p. 257 et 259.

apud Martial. II, 57, 5. — *Comites* h. l. non tam servi, quam, ut infra v. 119, clientes, qui officium patronis præstabant non tantum salutando et occurrendo, sed etiam deducendo et comitando, unde et præcedere et lateri hærere et subsequi solebant. [2]

Anal. 47—50. *Marius* Priscus, proconsul Africæ, provinciam expilaverat et ob innocentes tam condemnandos, quam interficiendos, a solo Martiano septingenta millia acceperat. Quum itaque ab Afris, quorum caussam agebat Plinius Junior, a. U. c. 853, repetundarum accusaretur; Cornutus Tertullus, cos. designatus, in cujus sententiam plerique senatores discedebant, hanc pecuniam ærario inferendam, et Mario Urbe Italiaque interdicendum censebat; cf. VIII, 95, seq. 120, seq. et inpr. Plin. Ep. II, 11 et 12. *Judicium* igitur hoc non modo iniquum fuit, sed etiam *inane*, quod neque provincialibus quidquam profuit, quoniam pecunia repetita ipsis non reddita est, sed in ærarium delata (unde mox *victrix provincia plorat*); neque Mario multum nocuit, pœnamque, quam meruerat, irrogavit: is enim *infamiam*, damnatione et exsilio sibi adspersam, nihil curabat, quia non omnem, qua spoliaverat provinciales, pecuniam iis restituere coactus erat, sed tantum ejus retinuerat summam, ut nunc lautius in exsilio, quam olim Romæ, vivere posset.

Var. 48. *Numis* alii; sed *nummis* rectius videtur, quoniam prima syllaba vocum νόμισμα, *numisma* corripitur. Νόμμος monetæ species fuit in Græcia magna.

Not. 49. *Ab octava* hora *bibit*: nam Romæ heluones, non homines frugi et laboriosi, jam ante nonam horam cœnare solebant; confer Martial. lib. IV, ep. 8, v. 6; Horat. Epist. lib. I, 7, 70, 71, et infra ad lib. VI, 418, et lib. XI, 204, seq. — *Fruitur dîs iratis*, gaudet ira deorum, h. e. damnatione, qua scilicet a rebus gerendis negotiisque publicis remotus, et tantum otii nactus est, ut genio suo magis quam antea indulgere possit. Bene comparant verba Junonis de Hercule apud Senec. in Herc. Fur. 34:

> . . . . Superat et crescit malis;
> Iraque nostra fruitur: in laudes suas
> Mea vertit odia. [1]

Similiter Persius, satira II, vers. 68, dixit;

> Peccat: vitio tamen utitur.

Iræ autem deorum tribui et ab ea repeti, quidquid mali atque adversi contingat hominibus, ut bona a *diis propitiis*, vix est quod moneam. [2]

---

[1] Confer ibi Gronov. (qui verba nostra sic interpretatur: mollius et lautius vivit, quia deos habuit iratos, quum damnaretur) et, quos Hein. laudavit, *Schwarz* et *Gierig*, ad Plinium, in Trajani Panegyrico cap. XXXIV.

[2] Grangæus comma post *bibit* delendum putabat jungebatque: *bibit et fruitur*, h. e. edit, *diis iratis*, non sine deorum indignatione. Donatus, ab eo

VAR. 50. *Ac tu*, 49.

NOT. 50. *Victrix*, verbum forense, ut *victor*, *vincere judicio*, *vincere caussam*; Grang. *Ploras*; ut V, 158; IX, 77; vid. Horat. Sat. II, v, 69, et Lucian. Dial. Mort. IX, 3. Hunc locum imitatus est noster *Boileau*, satira prima, vers. 71, his verbis :

« Je sais qu'un juste effroi l'éloignant de ces lieux,
« L'a fait pour quelques mois disparaître à nos yeux;
« Mais en vain pour un tems une taxe l'exile,
« On le verra bientot, pompeux en cette ville,
« Marcher encor, chargé des dépouilles d'autrui,
« Et jouir du Ciel même, irrité contre lui. »

NOT. 51. *Lucerna Venusina*, satira, quales Horatius composuit, vel satiris Horatianis, studio et lucubrationibus Horatii, qui satiras scripsit, cujusque patria fuit *Venusia* seu *Venusium*, opp. in confinio Lucaniæ et Apuliæ situm.

VAR. 52. *Heracleas*, 1, 31, 32, et duo Codd. Paris. *Herculeas*, 19, 24, et quatuor Codd. Paris. *Herculeias*, 14, 15, 17, 20—23, 26, 27, 45—48, 58, et XXIX MSS. Paris.

NOT. 52. *Agitem*, insecter, perstringam, notem; vel simpl. persequar, pertractem. — *Sed quid*, cur (ut τί pro διατί), scil. agitem, *magis Heracleas*, Ἡρακλίας fabulas, *aut Diomedeas*, etc., quomodo magis conveniat scribere fabulas de Hercule, Diomede, etc., quæ satis notæ sunt, et a poetis, tam optimis quam pessimis, pertractari solent? Nonne multo utilius est, satiras scribere, quam hæc fabulosa persequi et repetere? confer supra v. 7—14. — *Mugitum Labyrinthi*, fabulam de Theseo et Minotauro, in labyrintho incluso et mugiente; de quo vide Heyn. ad Apollod. III, 1, 4; 15, 8 et 9. De *labyrintho* tam Ægyptiaco quam Cretensi vide *Creuzer's Symbolik*, tom. I, pag. 320, seq. IV, 115, seq.

VAR. 54. *Aut mare*, 20, 26. — *Perculsum*, 15.

NOT. 54. *Mare percussum puero*, fabulam de Icaro, Dædali filio, altius volante et in mare Icarium decidente, quæ vel tironibus nota est ex Ovid. Met. VIII, 195, seq. ubi et de *fabro volante*, hoc est, Dædalo, summo artifice, agitur, qui proprie non alarum, sed velorum usu, quem primus invenit, per mediam Minois classem incolumis aufugit. De ejus artibus operibusque vide Heyne ad Apollodor. III, 15, 9.

VAR. 55. *Bona mecchi*, 15. — *Sit capiendi*, 77, 81; *sed capiendi*, 29. Mutavi distinctionem, ut et versus 55—62, et v. 64—68, pendeant a v. 63.

---

laudatus, ad Terentii Eunuchum IV, 7, extr.: « Frui, ait, proprie est vesci, a fruimine, quæ est summa pars gulæ. »

Oratio, etiam abrupta illa in v. 64, egregie affectui convenit indignationis, quem totus hic locus omnisque pæne satira spirat; est tamen magis oratoria, quam poetica, inprimis ob frequentissimam repetitionem conj. *quum*. Vulgaris interpunctio est hæc: *fabrumque volantem : Quum leno accipiat.... Flaminiam: puer Automedon.... amicæ. Nonne libet.... Quadrivio, quum jam*, cet. Eam probat Hein. qui tamen jungit *dum pervolat axe citato Flaminiam puer Automedon, nam*, etc.

Not. 55. En summam morum turpitudinem! *Leno* est ipse maritus, qui cupidus pecuniæ pudicitiam uxoris suæ vendit, et, mœcho cum ea concumbente, vel sursum spectat, vel vigilans stertit, velut ebrius *ad calicem*, h. e. altum somnum simulat, ut Cipius vel Cepius ille παραπίγχων, de quo v. Erasm. et Fest. in proverbio, *non omnibus dormio*.

— *Leno accipiat mœchi bona :* si uxor ejus jure impediatur adultero succedere, ipse maritus leno succedit adultero heres, ut per fideicommissum res adulteri ad adulteram veniant; Schol. Ita fraudem legi factam putant, quia Domitianus, teste Sueton. c. 8, « probrosis feminis lecticæ usum ademerit jusque capiendi legata hereditatesque; » quo referunt h. l. verba, *mœchi bona capiendi jus nullum uxori*. Sed hac interpretatione jus ipsum et sententiam poetæ vanis erroribus implicari, docet Heinrichius, qui, adjutus commoda admonitione Crameri, jurisconsulti eruditissimi, ita disputat: « Probrosa igitur hæc uxor, indeque illi *capiendi jus nullum*. Quasi vero omnis femina statim de jure legitimo probrosa esset, quæ probrum meruit turpitudine! Quin potius, quum de occultis rebus prætor judicet, non magis, quam ecclesia, uxor legitime probrosa non est, quæ peccat clam judice, conscio marito, et adeo istud turpe uxorum vulgus, quod hic satiræ aculeis poeta insectatur, edicto imperatoris haudquaquam esse poterat obnoxium. Neque omnino verius isto est alterum, quod Scholiastes narrat de fideicommisso, per quod nempe bona adulteri hereditate venissent ad adulteram. Nam posteaquam Augustus primus in fideicommissis jusserat consules auctoritatem suam interponere, conversumque id paullatim erat in assiduam jurisdictionem, ut prætor etiam proprius crearetur, qui de fideicommissis jus diceret, fideicommissarius appellatus (v. Institutt. l. II, tit. 23, § 1); nec fideicommisso uxor heres poterat institui, nisi quam directe licebat instituere. Si talis uxor fuit, quæ non jure hereditatem posset capere, frustra plane fuisset, quæ de fideicommisso voluisset postulare maritum, si forsan, facto posthac divortio, negaret, redditurum se hereditatem. Contra ea longe est alia juris ratio atque diversa mens satirici. *Bona accipere* est, heredem ex asse fieri: neque sine vi singulari et delectu positum videtur *accipere*, quod mox *capere*, ea aliqua differentia, ut qualicunque modo *accipiamus*, quod honeste *capere* non possumus; vid. Gesner. ad Plin. Pan. LXI, 5. Jam vero, quæ ex lege testamentaria Voconia ab omni hereditate exclusæ erant, mulieres non magis scribi ex asse secundum Papiam Poppæam poterant, nisi jus liberorum haberent; sed mariti scribi poterant, vel so-

litarii; v. Heinec. ad leg. Pap. Popp. p. 291, 293. Maritus igitur leno, solidæ avidus hereditatis, nunc lubens indulget adulterio, ut, quum uxor bona mœchi capiendi jus non habeat, eaque heres scribi non possit, scribatur ipse, quippe concessa adultero licentia, qui ipsum solitarium faceret. Propter rem conf. Schulting. in Jurisprud. Ante-Justin. p. 606, ad Ulpiani Tit. XIII. Quin optime Juvenalis suum ipse sensum illustrat, sat. IX, 82, seq., inpr. verbis mœchi ad virum, cujus uxorem fecerat gravidam, v. 87, 88. Nihil autem refert in omni hoc negotio, ut per fideicommissum ad solam uxorem veniat hereditas; quandoquidem id tantum agit nobile par conjugum, ut parta communiter præda communiter etiam perfruatur. »

Not. 56. *Doctus spectare lacunar*, ut fere *tectum intuentes*, apud Quintil. II, 11, 4, ubi Spalding hæc notavit: « Nihil aliud significari puto, quam desidem nihil agentis, neque in certam rem animum intendentis, gestum, qualis solet esse eorum, qui, quum acriter videntur aliquid intueri, ne cogitant quidem de eo, quod tum maxime spectant. Eodem redeunt Juvenalis verba. Simulat enim jucundus iste maritus et uxori commodus, se, nescio quid nugarum agitantem totumque in illis, quæ fiant, non attendere; quamquam id quoque, quod *sursum* spectat, magis eum avertit ab iis, quæ *humi* peraguntur; » confer ad VI, 140, 141; Jacobs. ad Anthol. gr. tom. II, part. II, pag. 350; Ovid. Amor. II, 5, 13 et 14; Alciat. Parerg. jur. IV, 26; Sueton. Aug. 69, et Horat. Od. III, 6, 29, seq. ubi ab Acrone laudantur Parmenionis verba:

> Αὐτῷ τις γήμας πιθανὴν τῷ γείτονι ῥέγχει,
> Καὶ τρέφεται· τοῦτ' ἦν εὔκολος ἐργασία.
> Μὴ πλεῖν, μὴ σκάπτειν, ἀλλ' εὐστομάχως ἀπορέγχειν,
> Ἀλλοτρίῳ δαπάνῃ πλούσια βοσκόμενον.

Henninius putabat, Plutarchum nobis explicare, quis sit ille leno maritus, ex cujus Erotico, p. m. 1352 (ed. Reisk. t. IX, p. 45) hæc excerpsit: Πολλοὶ Ἀφροδισίων ἑτέρους ἐκοινώνησαν, οὐ μόνον ἑταίρας, ἀλλὰ καὶ γαμετὰς προσαγωγεύοντες· ὥσπερ καὶ ὁ Ῥωμαῖος ἐκεῖνος, ὦ ἑταῖρε, Κάλβας (al. Κάββας, ut inf. V, 4, Schol. *Gabba* pro *Galba*) εἰστία Μαικήναν, ὡς ἔοικεν, εἶτα ὁρῶν διαπληκτιζόμενον ἀπὸ νευμάτων πρὸς τὸ γύναιον, ἀπέκλινεν ἡσυχῇ τὴν κεφαλὴν, ὡς δὴ καθεύδων· ἐν τούτῳ δὲ, τῶν οἰκετῶν τινος προσρυέντος ἔξωθεν τῇ τραπέζῃ, καὶ τὸν οἶνον ὑφαιρουμένου, διαβλέψας, Κακόδαιμον, εἶπεν, οὐκ οἶσθα, ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω; τοῦτο μὲν οὖν ἴσως οὐ δεινόν ἐστιν· ἦν γὰρ ὁ Κάλβας γελωτοποιός.

— *Lacunar*, tectum triclinii cælatum aut pictum, e tabulis ligneis; de quo vide Ernesti clav. Cicer.

Var. 58. *Spectare*, 7, 22, 23, a m. pr. 24.

Not. 58. *Curam*, præfecturam, *cohortis*, cohortium prætorianarum; munus præfecti prætorio. Scholiastes vetus accipiebat de tribunatu militum, de quo vide Lips. de Mil. Rom. lib. II, 9, ubi non male suspicatur, post

Polybium, sociis jam admissis in legiones, numerum Tribunorum militarium auctum esse, et decem legionis cohortibus totidem præfuisse tribunos. *Tribuni* certe *cohortium* memorantur a Cæsare, Bell. Civ. lib. II, 20, et Plin. Epist. III, 9, 18; confer infra X, 94.

Var. 59. *Damnavit*, 22.

Not. 59. *Bona donavit*, insumpsit, impendit, *præsepibus*, equis alendis (lupanaribus, judice Plathnero). — *Caret omni majorum censu*, quia eum dilapidavit. Alii Tigellinum, alii vero Cornelium Fuscum intelligi, et alterutrum quoque ficto *Damasippi* nomine, VIII, 185, designari suspicantur. De Tigellino vide infra ad v. 155, de Fusco ad IV, 112. In gratiam Neronis multos nobilium aurigandi studio captos fuisse, haud ignoro: sed Fuscum puerum ei aurigæ officium præstitisse (*lora tenuisse*, v. 61), quod Britann. et alii monent, nullibi legere memini. [1]

Var. 60. *Cum pervolat*; 11. — *Axe rotato*, 29.

Not. 60. Nota Hein. est: « Verba *dum pervolat axe citato Flaminiam* refert Brit. ad proxime antecedentia, ut hoc dicatur: consumpsit bona sua, dum in gratiam Neronis aurigat. Sed vix puto, Tigellinum, aut quisquis intelligendus est, si Neroni officium aurigæ præstitit, id suo ære fecisse. Suspicor potius, sensum h. l. esse: Quum is, *qui bona censu*, i. e. qui bona omnia dilapidavit, præfecturam Prætorianorum speret, *dum pervolat*, etc., quia imperatoris auriga est. Talem constructionem non inauditam esse, docent intpp. Tac. Ann. I, 7. » *pervolat axe*, curru, *citato*, ut fere apud Virgil. Georg. lib. III, v, 107.

Not. 61. *Flaminiam* viam, omnium antiquissimam et celeberrimam, Roma per Etruriam Arimino tenus a C. Flaminio Censore A. U. c. 533, perductam (Strab. lib. V, p. 333), et ab Augusto munitam: (Sueton. cap. 30), a qua diversa est alia, quam C. Flaminius Consul a Bononia ad Arretium stravit, teste Liv. lib. XXXIX, cap. 2. — *Puer Automedon*, Fuscus, vel alius (nescio quis), auriga Neronis, ut Automedon ἡνίοχος Achillis, de quo vide Homer. Il. π, 145 seq. ρ, 429 seq. 459—537; τ, 395 seq. Virg. Æneid. II, 477, et alii. Pro quovis etiam auriga *Automedontis* nomine utitur Cic. pro Rosc. Am. c. 35.

Var. 62. *Dum se*, 11, 24, 45.

Not. 62. *Ipse* Nero: nam *ipse*, ut *ille* v. 97, et αὐτὸς et ἐκεῖνος, sæpe auctoritatis, honoris et reverentiæ significationem habet, et hinc exquisite

[1] Plathnerus putabat, poetam h. l. in ambiguo ludere, et *præsepia* esse lupanaria, ut apud Cicer. in Pis. 18., et Claud. in Eutrop. I, 68. Sic etiam φάτνη apud Ælian., et *stabula* apud Claud. l. c. v. 61. Cic. Phil. II, 28, et Plaut. Pœn. I, 2, 6. Eodem referebat Plathner. *bipedem asellum*, infr. IX, 92. Idem arrisit Dousæ (in Præcid. ad Petron. III, 8) et Hein.

ita *magister* dicitur, quum discipulus (unde illud Pythagoreorum αὐτὸς ἔφα); *dominus*, quum servus; *imperator*, quum miles loquitur; *patronus*, si de clientibus; *animus*, si de corpore agitur; *imperator* e. s. p. ubi ex oppositione intelligi potest, ad quod referatur. [1]

— *Jactare se amicæ*, quod jam Casaub. ad Pers. IV, 15, monuit, est fere Græcorum ἐρεθίζεσθαι et καλλωπίζεσθαι, vel translatum a pavonibus, qui, quum picta pandunt spectacula cauda collumque incurvant, creduntur jactare se feminis, easque voce sua ad Venerem tum illicere. Cf. ad Liv. III, 1, not. 3. Britann. et alii *jactare se alicui* dici putant pro, se ipsum illi dare, ingerere, insinuare, adeoque h. l. per multa lasciviæ blandimenta comitari amicam et sæpe osculari vel amplecti.

— *Lacerna*, habitus virilis, non muliebris; unde *amica lacernata* per ludibrium dicitur puer vel vir, qui amicæ loco habetur, ac si quis *amicam masculam* sive *bracatam* vocaret; ut fere *sponsæ turpes* inf. v. 78. Significatur enim Sporus, quem puerum Nero, teste Suet. c. 28, « exsectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est, atque cum dote et flameo, nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad se, pro uxore habuit: quemque, Augustarum ornamentis excultum lecticaque vectum, et circa conventus mercatusque Græciæ, ac mox Romæ circa Sigillaria comitatus est, identidem exosculans. » Cf. ad v. 78.

Nor. 63. *Nonne libet*, impetus mihi sit scribendi et prurigo, nonne cupiam, *ceras*, tabulas ceratas, *capaces*, quæ multa capiant, h. e. amplas, *implere* versibus, carmine satirico, in *medio quadrivio*, in ipsa via, ubi hujus carminis materia occurrit, et quidem in quadrivio, ubi quatuor viæ concurrunt, adeoque plura eo carmine digna, et ab omni parte, sub adspectum veniunt. Ibi itaque summus etiam scribendi impetus oboritur summaque ira et indignatio, quæ defervescunt domi, ubi memoria repetimus, quæ oculi viderunt, ex tam multis jam quædam animo effluxerunt. Grangæus verba *in quadrivio* exponit: palam, sine ullo timore edicti Domitiani, quo scripta famosa abolevit. Rectissima hæc videntur Heineckio, illa vero aliena. Judicent acutiores!

Sic Ruperti. Ego quidem priori sententiæ, ut simpliciori et minus intricatæ, libens adhæreo. Ed.

Nor. 64. Lecticam et sellam, et quidem laxiorem, ditiorum ac potentiorum, ferebant servi, lecticarii, plerumque *sex*, nonnunquam octo:

[1] Confer ad V, 30; Ernesti ad Cicer. N. D. I, 5; et Tacit. Ann. XV, 71; Schol. ad Aristoph. Nub. 195; Casaub. ad Theophr. Char. II; *Fischer*, Ind. Theophr. v. αὐτός; Bach. ad Xenophon. Œcon. p. 14; Menag. ad Diogen. Laert. VII, 46; Alberti Pericul. Crit. p. 2; Westerhov. ad Terentii Andriam II, 2, 23; Valkenar. ad Theocrit. III, 38; Kuster. ad Aristophanis; Plutarch. 195, 219; Burmann. ad Valer. Flacc. lib. III, 150; et Ovid. Trist. lib. V, 1, 45; Wernsdorf. ad Calpurn. I, 46.

unde illa *hexaphoros*, Mart. lib. II, epigr. 81; IV, 51, 2; hæc *octophoros* dicebatur. Minutam et arctam, tenuiorum, vel duo servi portabant; de quo vide lib. IX, 142 seq. Confer Lips. Elector. lib. I, cap. 19, et Bottigeri Sabinam cap. 8, pag. 427, 428, 443 seq. editionis primæ.

VAR. 65. *Et nuda*, 15.

NOT. 65. *Hinc atque inde patens . . . . . signator*, proprie sella vel lectica, quoniam aperta est, non tecta. Britannicus hominem, qui ab utraque parte conspici possit, quum solus sit in lectica, designari, idque delicati esse et luxuriosi, putabat. — *Cathedra*, ut καθέδρα, hoc loco simplex sella, et delicatorum; nam proprie sella erat mulierum, et quidem sublimior (species θρόνου, quæ δίφραξ dicitur Theocr. XIV, 39, ubi vide scholia), in qua sedebant et nonnunquam gestabantur, dorsum acclinantes fulcris affabre factis, et brachia cubitosve reponentes in aliis fulcris, quæ etiam scribentibus pulpitorum instar erant. Confer ad VI, 91; IX, 52; Martial. lib. III, epigr. 62, 7; IV, 79; Plin. lib. XVI, cap. 37, s. 68; Burmann. et *Schwabe*, ad Phædr. III, 8, 4; Passerat. ad Propert. IV, 5, 37; Scheffer. de re vehic. II, 4, pag. 64 seq. et Bottiger. in Sabina, p. 4, 29, 30, 66, ed. pr. Lecticis sellisque vehebantur nobiliores Romani, pilentis et carpentis solæ Vestales et Augustæ. *Lecticas* et *sellas* earumque *pluteos*, quibus capita acclinabantur (*le dossier et les bras*), quatuor *pedes* et *cervicalia*, non *asseres* immissos, quibus gestabantur, expressa vide in Bottigeri Sabina Sc. VIII. Tab. XII. Sellam (*la chaise à porteur*) a lectica (*litière, palanquin*) ita diversam fuisse suspicabatur Lipsius, l. l., ut illa ad sedendum, hæc ad jacendum aptior et in illa *cervical* tantum, ad caput reclinandum (v. ad VI, 353), in hac vero lectus fuerit[1]. Idem monet, ante Claudium Imp. semper lecticæ, et post eum plerumque sellæ mentionem fieri.

— *Nuda*, non tecta, sed aperta; quod h. l. non civilitatis, ut apud Sueton. Aug. c. 53, et al., sed superbiæ et impudentiæ indicium est. *Clausa sella* memoratur inf. v. 124. Sellæ vel lecticæ apertæ forma, ut verbis Lipsii l. l. utar, simplex, asseres aliquot compacti, qui capere pulvinum oblongum possent, in quo homo porrectus jaceret (cf. ad III, 245 et VII, 132, ubi *asser* pro ipsa lectica), et pedes quidam breviores, quibus lectica deposita insisteret: eadem omnia in lectica tecta, nisi quod hæc majorum deliciarum fuit, contraque adspectum hominum sive injurias aeris clausa undique ac munita, et quidem pellibus atque velis, s. plagulis, quæ dimoveri poterant, ad fenestras oppansis.[2]

[1] Confer Wernsdorf. ad Calpurn. Ecl. VII, 27; in Poet. lat. min. t. II, pag. 166; Scheffer. de Re veh. II, 4, p. 75; interpp. Phædr. III, 8, 4; Bottigeri Sabina, l. l. et not. seq.

[2] Confer III, 242, et IV, 21; Drak. ad Liv. XXXIX, 6; Ernesti, ad Suet. Tib. 64; Lips. Elect. I, 19; Scheffer. de re veh. II, 4, 5, pp. 77 et 89; Gruterum, Inscription. CCCVI, et

Var. 66. *Mecenate*, *Mecœnate*, *Mecœnate*, *Mœcenate*, al. Sed *Μαικήνας* dicitur.

Not. 66. *Multum referens*, exprimens, imitans, *de Mœcenate*, hoc est, ei simillimus; ut fere ap. Virg. Æn. IV, 329; X, 766; Tac. Germ. 43, et alii. — *Supinus* et *resupinus* dicitur, qui vel supine jacet, aut in lecto jacere amat, adeoque tum socors, otiosus et negligens, ut ap. Quintil. V, 12, 10; X, 2, 17; XI, 3, al.; tum delicatus et mollis, vel qui supinus incedit, erecto corpore, et oculis cælum intuentibus, adeoque superbus. *Supina cathedra*, Plin. XVI, 37. *Deliciæ supiniores*, Martial. II, 6, 13. *Supinus Mœcenas*, h. l. dicitur, ut XII, 39, *tener Mœcenas*, et ap. Velleium, I, 88. « Mœcenas otio et mollitiis pæne ultra feminam fluens. » De mollitie ejus in habitu, oratione, et tota vita, vid Senec. Ep. XIX, CI, CXIV, et CXX; Quintil. X, 4; Plin. XIV, 6. [1]

Var. 67. *Signator falso, qui*, etc. distinxere Prat. Grang. Hennin. et alii, præeuntibus Turnebo (Adv. XXVIII, 24) et Gronov. (Obss. II, 24), ut *signator falso*, scil. testamento dictus sit, qui supposititium obsignaverit testamentum, signator in falsis tabulis. Meo qualicumque judicio hæc locutio durissima est, et ita saltem leg. *Signator falsus*, ut Sallust. b. Cat. 16.

Not. 67. *Signatores* testamentis aut caussis signacula imponebant, aut subscribebant; et illos septem esse oportebat, qui tamen omnes, ut tradit Justinianus, poterant uno annulo signare testamentum; Britan. — — *Falso*, hoc loco non est adverbium sed *falsum*, in jure Romano dicebatur corruptio, inpr. testamenti, et notissima lex Cornelia de *falsis*, adversus *falsarios* lata. Confer Var. Lect. — *Lautus*, qui laute, delicate et magnifice vivit. — *Beatus*, dives, vide ad v. 39.

Var. 68. *Ac gemma*, 22. — *Fecerit*, 21, 25, 26, 49, 57.

Not. 68. *Exiguis tabulis*, compendiosa et brevi opera falsas testamen-

DCCCCLIV, 8; et Bottiger. loc. laud.

[1] *Supini* et *resupini*, quod Casaub. ad Pers. I, 129, observavit, vocantur arrogantes, qui superbia inflati ingrediuntur adeo erecto corpore atque ὑψαύχενες, ut in cælum oculi eorum ferantur non multo secus ac resupinatorum, quod Gronov. συβιῶν, ὑψαυχεῖν et ἐξυπτιάζειν dicitur. Cf. Martial. V, 8, 10, et Sen. de Ben. II, 13; Ovid. Met. VI, 275; Sen. ep. 80. Henninius monet, forte et hoc vitium, seu naturale, seu adscititium, Mœcenati fuisse. Sed mollities ejus et minus dubia, et huic loco aptior est. Gurlitt (v. not. 4) hæc adnotavit: « *Supinus jacere* solet ignavus, negligens, *supinus incedere* amat vel mollis et delicatus, vel superbus. Hinc factum, ut illud vocabulum ad tres notiones per se diversas, *ignaviæ* dico, *mollitiei delicatulæ* et *superbiæ*, exprimendas adhiberetur. Catul. XVII, 25, *animus supinus* est ignavus et negligens. Recte quoque Casaub. ad Suet. Aug. 16. Antonium Octavio *ignaviam* exprobrasse monuit, quum diceret *supinum*, cælum intuentem, stupidum cubuisse. »

torum tabulas condendi; vel potius, paucis verbis scriptis, quum falsarius se heredem ex asse scripserit; Farnab. Sic infra XII, 125: « Omnia soli forsan Pacuvio breviter dabit. » — *Gemma uda*, annulo signatorio, cui gemma est inserta, et qui saliva humectatus imprimitur ceræ, ne eam ad se trahat[1]. Nota H. Valesii est: Ex Festo Paullus docet, adulterina signa dici alienis annulis facta; ergo *gemma uda*, ut obliterato hujus signo alterius annuli gemma tabulæ suppositiæ obsignarentur.

Var. 69 et 70. *Quæ molle Calenum, Porrectura virum, miscet sitiente rubeta*, corrig. Plathner, ut *sitiens rubeta* sit torrefactum ejus intestinum, quo sensu terra arida Virgilio *sitiens* dicatur, et *porrectura* pro interfectura, quoniam mortui olim in vestibulo ædium, pedibus in publicum porrectis (ad januam versis), collocati sint et *porrecti* inde vocati. Conf. Catull. 67, 6; Casaub. ad Pers. III, 103, seq. et Kirchman. de fun. rom. I, 12. Sed vulgata lectio bene se habet, et explicationem distinctione adjuvi.

Not. 69. *Matrona*, venefica quæcumque; sed, quia *potens* dicitur, Agrippina potius, Neronis mater et Claudii Imp. uxor, cui tam a marito, quam a filio, summa rerum permissa (v. Tac. Ann. XII, 7, 22, 25—27, 42; XIII, 5, 12; Suet. Ner. 9), quæque Claudium veneno necavit, quod notum ex Tac. Ann. XII, 67. Suet. Claud. 44, et al. Verba autem h. l. sic jungenda: *matrona potens, quæ viro sitiente miscet rubetam, porrectura ei molle Calenum.*

— *Calenum* vinum Campanum, a *Caleno* seu *Calibus*, Campaniæ oppido, sic dictum, pro quovis generoso. Confer Athen. I, 21 (48), p. 27, et Mitscherl. ad Horat. Od. I, 20, 9. Ei tamen, ut et Cæcubo, sua ætate nullum amplius honorem fuisse dicit Plin. lib. XIV, cap. 6. — *Molle*, scil. vetustate, vetustum, vel quod vini novitii acritudinem exuit, mite, lene, ut *durum* vinum dicitur acre vel austerum. Sic et οἶνος μαλακὸς et contra σκληρὸς apud Athen. et Theophr.[2]

Not. 70. *Rubetam*, ranam, a rubis et vepribus, in quibus degit, ita dictam et venenatam; unde h. l. et infra VI, 659; pro veneno ponitur. Cf. III, 44. Plin. VIII, 31; 25, 10: et de veneno rubetarum tam sumto, quam afflatu indito, Ælian. Hist. Anim. XVII, 12; et Plin. VIII, 31; XXV, 10; XXXII, 5, 6.

Not. 71. *Et Locusta melior*, veneficii peritior, *instituit*, docet, *propinquas rudes*, imperitiores veneficii, *efferre*, etc. nisi malis: *matrona quæ miscet rubetam et propinquas instituit* tamquam *Locusta melior*; hoc est, venefica peritior, ut ἀμείνων et χρείττων. — *Locusta* venefica notissima ex

[1] Confer infra ad XIII, 139; XIV, 132, et, quem Grang. laudavit, Ovid. Amor. II, 15, 15 seq.; Trist. V, 4, 5, 6, et ex Ponto II, 9, 69.

[2] Quod jam monuere Grang. ad hunc locum; Heyn. ad Virg. Georg. lib. I, 341; lib. IV, 102, et interprett. Horat. od. I, 7, 19.

Tacit. Annal. lib. XII, cap. 66; XIII, 15; et Sueton. Ner. cap. 33, 47.

Not. 72. *Efferre* domo mortuos, et quidem hoc loco veneno necatos, sepelire, ut VI, 175, 567, et XIV, 220. Hinc hoc loco consequentia pro antecedentibus, et *efferre* pro necare veneno. — *Nigros*, veneno sublatos, ab effectu et colore lurido lividoque, quem venenum efficit iisque inducit; quo sensu *pocula nigra* dixit Propert. II, 27, 10. Meursius de Fun. cap. 1, *nigros* referebat ad efferendi ritum in toga nigra, ut contra Græci in albis vestibus elati sint, teste Artemid. II, 2. — *Per famam*, ne clam quidem, sed palam, fama rei vulgata: *per famam et populum*, per confertam multitudinem populi, de hoc scelere ac funere confabulantis. [1]

Var. 73, 74. Fuere, qui post *brevibus* comma ponerent. — *Aliquid* (hoc est, magnum vel eximium quid), 10—17, 19—25, 28, 45—60, 64, 65, et duo MSS. viri docti in Misc. Obss. crit. vol. V, tom. II, pag. 265, qui etiam laudat glossas manuscriptt., *si vis esse alicujus pretii*. Conf. infra III, 230; Catull. 1, 4; Cic. ad Att. 4, 2, ad Div. VI, 50, et de divin. c. 15. Sic et εἶναί τι, et contra εἶναι μηδὲν vel οὐδὲν, ut ap. Plat. Apol. Socr. c. 33: καὶ ἐὰν δικαίως τι εἶναι, μηδὲν ὄντες, et alios, v. Schleusneri Lex. N. Test. vol. II, p. 1024 (1096, 1097, ed. sec.) Hindenburg. Obss. ad Xenoph. Mem. Socr. 1, 4, 14. Heins. et Burm. ad Ovid. Ep. Her. 12, 31. Sententia est eadem, sed doctior lectio nostra.

Not. 73, 74. Poeta animo commotus et indignatione incensus civibus suis consilium dat, accommodatum moribus illius ævi ac civitatis. Cf. Plin. Ep. II, 20, extr. et inf. VI, 557—564.

— *Gyaros*, Gyarus s. Gyara et Gyari, *brevis* insula, h. e. parva, quæ et fuit admodum sterilis, immitis, sine cultu hominum, egena aquæ, asperrimaque fere insularum Cycladum in mari Ægæo (hod. *Calairo* s. *Caloiera*, vel potius *Jura*, inter Andrum et Ceam insulas, de qua vid. *Tournefort, Voy. au Levant, lettre VIII*, in quam damnati, imperatorum temporibus, relegari ac deportari solebant (v. VI, 563, 564; X, 170; Tac. Ann. III, 68, 69; IV, 30; Plin. IV, 12; VIII, 29, 57); ut alii in *Seriphum* (VI, 564; X, 170. Tac. Ann. II, 85; IV, 21); Amorgum (Tac. Ann. IV, 13, 30); Donusam (Tac. Ann. IV, 30); Pandatariam (Tac. Ann. I, 53; XIV, 63); Oasin (v. Kœnig. ad Claud. XVIII, 178); Planasiam aliasque steriles et saxosas insulas, ubi fame enecabantur. *Gyari* itaque hoc loco pro quavis ejusmodi insula et pro pœna relegationis atque deporta-

[1] *Per famam et populum*, per famam populi; Grang. susque deque habens *famæ popularis* susurros, qua vulgo jactentur veneno *nigri* mariti esse elati; Hennin. ut carpantur judiciorum et legum neglectus atque despectus scelerumque impunitas, nec non pompa et ostentatio exsequiarum: nam cadavera mortuorum olim efferri mane et ante lucem, minore sumptu et strepitu, ad faces et cereos, solere, nemo est qui ignoret.

tionis; de qua v. Heynii Progr. in Opuscul. Academ. vol. IV, p. 268 seq. s. *Neues Magazin für Schullehrer*, v. I, p. I.

— *Si vis esse aliquis*, hoc est, in honore et pretio, ut ap. Cic. ad Att. III, 15, et Pers. I, 129: nam *aliquis* est *magnus, eximius, insignis quis*, qui ceteris præstat, et eximiæ est dignitatis, ut τὶς id. qd. μέγας; v. c. δοκῶν μέν τις εἶναι, ὢν δ' οὐδείς, apud Arrian. Epict. II, 24. Confer Hoogeven. ad Viger. pag. 149; Schleusneri Lexic. N. T. voc. τὶς, pag. 1024, et Var. Lection. Sic et Gallice, *faire le quelqu'un; se croire quelque chose.*

— *Probitas*, virtus, *laudatur* ab omnibus, etiam a malis, quia tam pulcra est; sed nihilo secius *alget*, frigore, h. e. fame urgetur, eget, non magnum fructum affert, nec meritis afficitur præmiis.

Not. 75, 76. Per scelera vero divitiæ parantur; ea nunc opes afferunt et honores. — *Debent*, accepta referunt nunc homines, qui ea possident. — *Hortos* amplissimos et magnificos, in quibus sunt villæ aliaque ædificia, ambulationes, piscinæ, lacus, fontes salientes, nymphæa, statuæ, etc. Nam hi proprie *horti* dicebantur, ut minores *viridaria* et *nemora*. — *Prætoria* sunt villæ, vel quævis ædificia magnifica, palatia, ut X, 161.[1] — *Mensas* marmoreas, eburneas et inpr. citreas, (e ligno odorato citri, arboris in Africa nascentis) quas Romani insano pretio emebant.[2]

— *Argentum vetus*, vasa argentea, a vetere quodam artifice elaborata. Confer similem locum Martialis, XI, 71, 8.

— *Stantem extra pocula*, exstantem, in cælatura prominentem, *caprum*, ejus signum, hoc est, pocula, in quibus sunt *emblemata*, sigilla περιφανῆ sc. eminentia, statuis similia et extrinsecus alligata, ut in aliis *crustæ*, προσηλωτὰ, quæ non, ut illa, totam ex omni parte rem, sed unum modo ejus latus ostendunt, neque admodum eminent; de quibus v. Ernesti clav. Cic. voce *crusta* et *emblema*, inprimis vero Salmas. ad Solinum, p. 735 seq. Conf. Martial. VIII, 51, 9:

> Stat caper AEolio (*al.* in phiala) Thebani vellere Phryxi
> Cultus . . . .

Ovid. Metarmorph. lib. V, v. 81:

> Altis exstantem signis cratera . . . .

et ejusdem Metamorph. lib. XII, v. 235:

> Forte fuit juxta signis exstantibus asper,
> Antiquus crater . . . .

Not. 77. *Dormire*, silere, neque ad satiram scribendam impelli. —

[1] Confer Perizon. diss. de prætorio, VIII, 15; Ernesti ad Sueton. August. cap. 72, ad Tiber. cap. 39, et clav. Cic.

[2] Vid. infra ad v. 137; Senec. de Benef. VII, 9; Plin. XIII, 15 (ubi confer Harduin.); Mitscherl. ad Hor. od. IV, 1, 20; interpp. Petron. satir. cap. 119; Meurs. de luxu rom. cap. 9; Kobierz. de luxu rom. II, 10; Kœnig. ad Pers. l. I, 53; et Bottigeri Sabina, pag. 305 seq.

Corruptor, stuprator, *nurus*, ipse socer. — *Avaræ*, quæ pecuniæ cupida, se corrumpi, et pudicitiam suam muneribus expugnari ab adultero (qui inde proprie *corruptor* dicitur) passa est. Sunt qui hæc referant ad Silanum et Juniam Calvinam : sed ille frater, non socer Juniæ fuit, neque eam vitiavit : vid. Tacit. Annal. lib. XII, cap. 4, et ibi Lips.; et Gronov. vol. II, p. 93, Editionis nostæ. Ed.

Var. 78, *Turpes sponsæ*, 21, 22; *sponsi turpes*, 11, et Cod. MS. Marii Nigri, qui hanc lectionem probavit ad Ovid. Am. I, 14, 33. Eamdem prætulit Schurzfl. ut designentur *οἱ τεμενοόμενοι* et cinædi.

Not. 78. *Sponsæ turpes*, viri viris nubentes.[1] — *Prætextatus adulter*, vel puer nobilis, qui nondum egressus annum XV, et in prætexta adhuc, didicit adulterum agere, ac prædicatur; vel magistratu, sive sacerdotio præditus, quem omnium maxime hæc flagitia vitare oportebat; Gronov. — *Prætextati* vocabantur, quicumque *prætexta*, toga alba, cui *prætextus* limbus purpureus, utebantur, inprimis magistratus, sacerdotes et pueri ingenui ac nobiles; qui quidem pueri eam forte gestabant, ut generis nobilitas manifesta esset; sed, si Macrobio, Sat. I, 6, et Quintil. declam. 340, fides habenda, ut ab omni injuria essent tuti, quique eam, ineunte anno vitæ XV, cum toga virili permutabant; de qua vid. ad Tac. Ann. lib. XII, cap. 41 pr. vol. II, p. 140, Edit. nostræ. Ed.

Var. 79. *Versus*, *Qualescumque potest*, 19, et quidam Codd. Paris. prob. Achaint.

Not. 79. *Si natura negat*, versuum faciendorum facultatem : nam, ut verba Cicer. pro Arch. cap. 8, mea faciam, « ceterarum rerum studia et doctrina et præceptis et arte constant; poeta natura ipsa valet, et mentis viribus excitatur, et quasi divino quodam spiritu inflatur. » — *Indignatio*, quam tot tamque varia flagitia, ubivis visa, vel comperta et vulgata movent. — *Versus*, *quales ego*, *vel Cluvienus* facit : illud modeste dictum, hoc *σκωπτικῶς*. *Cluvienus* vel fictum, vel verum nomen mali poetæ, cujus non alibi fit mentio; nisi forsan apud Ennod. Ep. V, 8. et in præf. carm. ad Faustum pro *Glovidenus* et *Glubidenus* leg. *Cluvienus*, quæ conjecturæ Gronovii in Obss. II, 22, maxime probantur Heineckio. « Satirice h. l. Juvenalis meritum suum extenuat, ut licentius Cluvienum carpat : solent autem poetæ satirici breviter et urbaniter per transitum homines notare, et in medio discursu obliquo aliquem dissecare ictu » ; Brit. et Grang. Hos versus in nostram linguam felicissime transtulit *Boileau*, sat. I, v. 141 :

« Non, non; sur ce sujet pour écrire avec grace,
« Il ne faut point monter au sommet du Parnasse,

[1] Confer supra ad v. 62, infra II, 117, 134; Martial. XII, 42; Sueton. Ner. 29; Gell. VII, 12; Art. amor. I, 524 (ubi vid. Heins.); Tac. Ann. XV, 37 (ubi vid. Lips.), et Kœnig. ad Claudian. XVIII, 223.

« Et, sans aller rêver dans le double vallon,
« La colère suffit, et vaut un Apollon. »

et alibi sat. IX, v. 45 :

« Mais pour Cotin et moi qui rimons au hasard. » ED.

VAR. 80. *Cluriennus*, 17; *Cluvieus*, 22, a m. sec. *Clivienus*, 45. — *Et* pro *vel*, 17.

VAR. 82. *Sortemque*, 26.

VAR. 83. *Animas caluerunt mollia saxa*, 12, 16, 23, 25, 46, 47, 48, 57, 58, 59, et tres Codd. MSS. Nic. Heinsii, qui hanc lectionem defendit, et exemplis firmavit ad Ovid. Metam. VI, 312; sed et conj. *Paulatim inque animas caluerunt mollia saxa.* — *Caruerunt*, 13.

VAR. 85. *Agant*, 15, 19, 49.

VAR. 86. *Est*, non exstat in 19, *et* pro *est*, 77; *nostri farrago libelli est*, 61, 62, 63, 67, 71, 72, 73.

ANAL. 81—86. His versibus, proœmii loco scriptis, continetur argumentum et summa omnium, quæ poeta in carminibus suis dicere atque pertractare constituit. Confer Casaub. ad Pers. I, 1. — *Quidquid agunt* et egerunt *homines*, *ex quo* tempore *Deucalion*, etc. hoc est, inde ab ultima hominum memoria, a veræ et certioris historiæ initiis usque ad hæc tempora. Confer Virgil. Georg. I, 61 seq. Sic infra XV, 30, *a Pyrrha*.

NOT. 81—84. Cf. Ovid. Met. I, 260 seq. et Heyn. ad Apollod. I, 7, 1—3. — *Nimbis*, imbribus, *æquor tollentibus*, augentibus aquarum copiam. — *Navigio* rudi, quod auctores Græci κιβωτὸν et λάρνακα (Moses Gen. VI, 14 seq. תֵּבָה), Ovidius *parvam ratem* appellat, qualis in Apamensium nummis conspicitur, de quo vid Falconerium; Hennin. — *Montem*, Lycoream Parnassi, vid. Heyn. l. l. et Munck. ad Hygin. fab. 153. — *Sortes*, responsa oraculi Delphici, quod, ut alia, olim etiam edebatur per *sortes*, hoc est, per fabas nigras et candidas, vel glebulas, vel pumices, sed inprimis per tesseras, seu talos et calculos (κλήρους, ψήφους, κύβους, διστραγάλους, πετροὺς), vel tabellas, versibus, aliisve notis inscriptas, quæ in urnam, seu situlam conjiciebantur, ex qua sortes ducebat vates, de qua κληρομαντεία, seu ψηφομαντεία vid. Potteri Archæol. II, 16, et Spanhem. ad Callimach. hymn. in Apoll. 45. « Oracula verius dicuntur, quæ vaticinatione funduntur, sed *et sortes*, quæ ducuntur », Cic. de div. II, 33, Romani *sortes* appellabant quævis oracula eorumque responsa, tam per sortes, quam ore edita, quoniam illa oraculorum genera iis sola fere nota et vicina erant, v. c. sortes Prænestinæ, Antiatinæ et aliæ; sed h. l. *sortes* etiam proprio sensu accipere licet. — *Poposcit sortes*, ut *poscere oracula*, apud Virgil. Æneid. III, 456, et Sil. I, 121. Ceterum alii Apollinem, alii Themidem (quæ post Tellurem et ante Apollinem responsa Delphis dedisse traditur) alii ipsum Jovem a Deucalione consultum memorant. Vid. Munckerus ad Hygin. fabul. 140 et 153. — *Anima*, cujus naturam multi olim philosophi igneam esse putabant, *caluerunt mollia saxa*; quæ fabula, ut

aliæ, ex inepta etymologia orta, quum vetus quidam poeta λαοὺς ex λάας duxisset: vid. Heynium ad Apollod. I, 7, 2, et Herrmanni Mythol. t. II, pag. 305.

Not. 84. Rigaltius in Diss. de Sat. Juvenal. notat, his verbis subtiliter innui, futile esse ac perabsurdum, quod poetæ fabulentur de sanctitate morum, ob quam Deucalion et Pyrrha servati sint tamquam exempla reparandæ posteritati, neque castam fuisse Pyrrham, sed potius magam et lenam, quæ projectis post terga sua saxis nudas puellas ediderit, quas maribus conciliaret. At Heyn. «Vereor, inquit, ne hoc Rigaltii commentum venerit per portam eburneam: nam ut vel maxime Juvenalis obscure notet homines sui temporis, tamen in cascis illis, hoc perabsurdum esset.»

Not. 86. Vocem *discursus* Brit. non ad corpus refert, sed ad animum, ut significet affectus et perturbationes ejus, quibus quasi quibusdam furiis mens hominis nunc huc, nunc illuc agitur; vel ad quotidianum salutandi officium, ut apud Martialem VII, 38, 1,

Discursus varios, vagumque mane,
Et fastus, et Ave potentiorum,

cte. Confer ad V, 21 seq. Potest etiam proprie accipi de discursu et studiis hominum, qui ad divitias, vel honores et gloriam nituntur, multisque propterea et variis occupationibus distinentur. — *Farrago*, argumentum varium et mixtum; proprie pabulum quadrupedum, e tritici genere, de quo vide Casaub. ad Pers. V, 77.

Not. 87. Grangeus comparat verba Senecæ in Octavia:

Collecta vitia post tot ætates diu
In nos redundant, sæculo premimur gravi.

Non falsus vates fuerat Horatius Od. III, 6, 17 seq. et 45 seq. Confer infra vers. 147 seq. Henninius observat, uberiorem semper esse vitiorum copiam, quando sæcula sint erudita cum longa pace et rebus prosperis conjuncta, quum adversa et calamitates homines reddant paullo magis pios; inde poetam VI, 292, queri, Romanos *pati longæ pacis mala*. — *Quando major avaritiæ patuit sinus*, metaphorica dictio, quam alii putant desumptam esse a sinu togæ, in quo pecunia, sive marsupium e collo pendens aliæque res condebantur, et in quem, quo laxior erat toga majorque sinus, eo plura demitti poterant; alii vero a navigantibus, quorum vela, quo majorem explicant sinum, eo majorem ventorum vim excipiunt.

Var. 88 et 89. *Alea quando Hæc animos* conj. Hein. Vid. Comm.

Not. 88 et 89. *Quando alea hos*, tot, *animos* scilicet cepit, occupavit? Abrupta oratio affectui consentanea est.

Var. 89 et 90. *Neque enim l. c. itur: Ad casum tabulæ posita sed luditur arca*, interpungendum videbatur H. Valesio.

Not. 89. *Neque enim*, neque etiam (vid. ad XI, 30), vel neque vero

(vid. ad VII, 124). — *Loculis comitantibus*, etc. Ita his verbis magnitudo jacturæ et insania ludentium, illis vero horum multitudo adumbraretur: utrumque autem poeta designare voluisse videtur. Heineckius hæc adnotavit: « *Alea* tam nude, ubi requiritur comparativus, me semper offendit. Britannicus subaudiendum esse ait *magis vexavit*, vel aliud quid. Ellipsis verbi satis usitata, non vero cum *magis*. Vel ex antecedent. *major* assume comparativum, qui huc conveniat, et *hos* δικτικῶς accipe, hos Romanos (vid. Oudend. ad Lucan. I, 363); vel potius corrige: *alea quando Hæc animos*, quando alea *hæc*, id est talis, ut nunc est, talis aleæ cupiditas *animos*, homines, scilicet cepit. Corruptus est locus ab imperitis librariis, qui putarent, *hæc* referendum esse ad *animos*. » Quæ si ego adnotassem, ille dixisset fortasse, inutilem esse hanc conjecturam, ineptam vero interpretationem illam. — *Alea* (quo voc. omnis designatur ludus, qui fortuna magis quam arte regitur, nobisque *jeu de hasard* dici solet, Romæ et turpis erat, et legibus vetita [1]: sed ipsi quoque Imperatores nullo lusus genere magis, quam hoc, oblectabantur, exemplumque dabant [2]. Ed. — *Loculi*, capsula, vel crumena, quæ aliquam pecuniæ summam continet.

Var. 90. *Caussam*, 16, 47, 58. — *Plena* pro *posita*, 2, in interstitio. — *Quoque* pro *sed*, 16.

Not. 90. *Ad casum*, fortuitum ludum, fortunam, *tabulæ*, aleæ, in quo lusu tali, vel tesseræ in abacum, seu *tabulam* lusoriam mittuntur. Cf. ad XIV, 5. — *Posita*, apposita in ludo, ut Germani: *aufs Spiel setzen*. — *Arca*, theca nummaria, in qua, quidquid pecuniæ numeratæ aliquis habet, reconditur. — Ita luditur cum universa re familiari cujus naufragium faciunt; atque, ut facete inquit Lucian. Saturn. 4: οἱ δὲ ἐμπαλιν γυμνοὶ ἐξανήξαντο, συνηριθμήσαντο αὐτοῖς τοῦ σκάφους, περὶ οὗ μικρῷ ἔρριψε τῷ κοβῷ. Ed.

Not. 91. *Dispensator* et curator rei familiaris, οἰκονόμος, post actorem princeps servorum, qui domino est a rationibus accepti et expensi, pecuniamque *dispensat*: confer VII, 219. *Dispensatore armigero*, domino ludenti *arma*, non tam talos (ut XIV, 5), ludi instrumenta, quam potius pecuniam, subministrante (nam sunt ablativa absoluta): metaphora a bello petita; unde et *prælia*, quæ dicta putant pro rixis, jurgiis, et quidem vel collusorum, vel dominorum cum dispensatoribus. Ita Henric. Vales. « *Quanta prælia*, quantas rixas pugnasque, *videbis*, *dispensatore*, qui dominum secutus est, et arcam attulit, *armigero*, arma, arcam, gerente, et clamante, quoties de arca domini promendum est. » Sed præferenda

[1] Vid. Heubach. de Politia Romanorum, Goetting. 1791, § 41, et interpretes Horatii Odarum, lib. III, 24, vers. 58.

[2] Vid. Sueton. August. cap. 70 et 71; Caligul. cap. 41; Claud. cap. 33, et Domit. cap. 21; Confer infra, satir. VIII, 10, et satir. XIV, 4, 5.

forte interpretatio Grangæi : » Quantas nummorum summas ludere videbis? Ludus enim aleæ quodammodo *præliis* comparatur : hinc jocus Romanorum in Cæsarem Augustum aleatorum permaximum, apud Suet. Aug. cap. 70. » Optime hæc ita explicari dicit Hein. qui multa perperam adversus me disputavit.

Not. 92. *Simplexne furor* est, num parva tantum, vel una insania est? Sic *simplices* cogitationes *magnis* opponit Tacitus, Germ. cap. 22. Hæc autem non verba dispensatoris, dominum perdentem objurgantis, ut quidam putant (vid. Hennin. ed. pag. 762), sed ipsius poetæ, ut reliqua, esse crediderim. — *Sestertia centum.* Centum millia sestertium, nostræ nuperæ monetæ circiter 19,600 fr. Ed. — *Horrenti* frigore, ut apud Ovid. Art. Am. II, 213, ubi vid. Heinsius. — *Reddere*, hoc licet simpliciter dare, non, ut quidam putant, restituere, quasi aliquis servorum tunicam suam commodaverit domino, qui suam perdiderit alea, et nunc servilem reddere non possit. — Is reddit qui debet. Porro herus servo debet cibum et vestitum : reddit igitur, quum dat ei debita. Ed.

Var. 93. *Algenti* pro *horrenti*, 22 a m. sec. — *Tradere*, 26.

Not. 94. *Quis avus*, quis e majoribus nostris. — *Totidem villas*, quot nunc multi exstruxerunt [1]. — *Secreto*, privatim, solus, sine hospitibus, *fercula septem cœnavit :* nam, quod Servius ad Virgil. Æneid. I, 637, e Catone notavit, « in atrio, et duobus ferculis epulabantur antiqui. » Confer Val. Maximum, II, 5, 5, et Lipsium, Antiq. Lectt. lib. III. — *Ferculum*, vel quodvis ciborum genus et quævis patina ; vel patinæ, quæ simul apponuntur in mensa, missus ciborum, carniumve, quam propriam vocis vim esse docet Nonius ; gallice, *un service.* Confer VII, 184, et XI, 64. — *Cœnare fercula* dicitur, ut *cœnare patinas*, apud Horat. Epist. I, 15, 34. Nota Ramiresii ad Martial. de Spect. epigr. 6, est hæc : « Juvenalis non notat sui temporis luxuriam eo nomine, quod *septem fercula secreto cœnarent :* id enim, si ejus temporis mores inspicias, sobrium esset ; sed acutum est argumentum a majori, ut aiunt. Avi nostri, quando secreto cœnabant, quo hominum oculos vitarent, ne luxuriosi audirent, numquam ita splendidi fuerunt, ut septem cœnarent : vos non secreto, sed publice innumera fercula cœnatis. » Hæc ingeniose disputata esse putat Hein., sed fortasse vulgarem interpretandi rationem præstare propter versum 136.

Anal. 95 seq. Nobiles Romani non aliquando, ut olim pauperiores clientes ad justam, seu rectam cœnam invitabant, sed propter quotidiana salutationum officia, *sportulam* dabant, seu sportellam, hoc est, corbulam, quæ vel cibaria (et quidem, ut putant, qualia nos Gallice *viandes froides*

[1] Villarum romanarum multitudinem, magnificentiam et amplitudinem diligenter descripserunt Lipsius de Magnitudine Romanorum III, 14; Castell. Lond. 1728; Zuggeri Venis. 1746; Adam Lond. 1764; Contini, Felibien, et alii. Confer infra XIV, 88 seq.

vocamus), vel centum quadrantes continebat [1]. Dabatur etiam publica sportula et cœna recta : vid. Suet. Ner. 16, et Domit. 7. — *Primo limine*, in prima ejus parte, ante fores sedium et atrium, in vestibulo. Confer Virgil. Æneid. II, 469; VI, 427. — *Parva*, nam sportula in dies imminuebatur. — *Sedet*, stat, apponitur : confer ad II, 120. — *Rapienda* a famelicis, qui eam non distribui patiuntur, sed alter alteri præripiunt. — *Turbam togatam* eo sensu accipere possis, quo Virgilius, Æneid. I, 282 (ubi vid. Heyn.)

Romanos rerum dominos gentemque togatam

dixit, ut res Romano cive indigna significetur. Confer mox vers. 100, et Prop. IV, 2, 56. Sed hoc loco contemptim potius poeta loquutus videtur. Nam Cæsarum temporibus toga non amplius vulgo in usu erat, neque fere gestabatur nisi a pauperibus, et plebeii, vel tenuioris ordinis hominibus, clientibus, servis, causidicis, et meretricibus, qui inde passim *togati* et *togatuli*, vel poetis *toga* vocantur. [2]

Not. 97. *Ille*, non servus, opinor, qui sportulam distribuit (*balneator*, apud Martial. III, 7), sed dominus patronusque sordidus, ad quem etiam *trepidat*, certe *jubet* v. 99, referendum est : conf. ad v. 62. Nomenclatorem designari putabat Plathnerus, qui et mox versu 99, *Præco* dicatur, et cujus officium fuerit, nominibus ciere salutatores, illos ordinare in vestibulis sportulamque dividere : vid. Senecam, Ep. 19, et de Ben. VI, 3; inprimis Ammian. Marcell. XIV, 6 (16). Sed durior est hujus, quam illius subjecti ellipsis, quippe quæ latet in v, 94, 95. Illo tamen sensu *præconem* accipio. — *Suppositus*, qui, inter clientes non receptus, in eorum numerum irrepere conatur.

Var. 98. *Suspectus*, 15. — *Et falso*, 17, 19—21, 25—27, 45, 47, 50, 54, 56—60, 64, 65.

Var. 99. *Cognitus*, 24. — *Accipias*, 16. — *Libet*, 26.

Not. 99. *Agnosci* dicitur, qui olim notus fuit, *cognosci* ignotus.

Var. 100. *Vexant nomen*, 7. — *Illi*, 7, 19, 21.

Not. 100. *Trojugenas*, ut *Troiades* apud. Pers. I, 4, nobilissimos viros, qui a Trojanis adeoque omnium antiquissimis familiis originem ducunt, vel potius se ducere gloriantur : nam homines veteris prosapiæ multarum-

[1] Confer. infra. v. 120; III, 127 seq. 249 seq. Martial. I, 60, 1; III, 7 et 14, 3; VIII, 50, 10; X, 27, 3; 75, 11; Suet. Ner. 16, et Domit. 4 et 7; Potterri Archæol. Gr. t. II, l. IV, c. 17, p. 627, 628, vers. german., Casaub. ad Athen. VIII, 17.

[2] Confer ad II, 70; III, 127; VII, 136, 142; VIII, 49; Horat. Sat. I, 2, 63, 82. Martial. II, 57, 5; III, 46, 1; X, 18, 4; 47, 5; 74, 3; XI, 25, 11; Ernesti clavem Ciceronianam ad hoc vocabulum, et Ferrar. de Re Vestiaria I, 33.

que imaginum, ut a novis hominibus et a fæce civium, qui, lege a L. Julio Cæsare, de civitate cum sociis et Latinis communicanda, bello sociali anno urb. cond. 663 lata, civitatem et tribum acceperant, discernerentur, Trojanam originem affectabant. Posteriores quoque gentes patriciæ (patres minorum gentium) contemnebantur ab antiquissimis, quæ a Trojanis oriundæ, vel ex Albanis certe principibus in patres lectæ vulgo credebantur, ut v. c. Æmilia, Antonia, Attia, Cloelia, Cluentia, Fabia, Gegania, Julia, Junia, Nautia, Quinctia, Sergia, Servilia: confer VIII, 41 seq. 46, 56, 181; XI, 95. — *Limen vexare*, διατρῖβειν pro frequentare, ut *limen terere*, ap. Martial., X, 10, 2. — *Nobiscum* pauperibus clientibus et plebeiis. — *Et ipsi*, nobilissimi, quos hujus rei pudere debebat: sed multi eorum ad incitas erant redacti. Confer III, 128 seq.; Martial. X, 10, 1 seq. — *Da* primam sportulam *Prætori, da deinde*, alteram, *Tribuno:* verba non dispensatoris, sed quæ ei vel dominus dicit et patronus, vel Prætor et Tribunus, manum porrigentes: *da* scilicet mihi.

Var. 102. *Ego tum*, 62, 66, 67, 71—74.

Not. 102. *Sed libertinus prior est*, vobis præferendus est: verba dispensatoris, — *Adsum*, adfui, ad limen veni. — *Inquit* libertinus, cujus verba sunt v. 102—109. Ceterum tirones caveant, ne *libertinos* putent esse libertorum filios, quum potius iidem sint qui liberti et adjecto patroni nomine *liberti* dicantur: de quo vid. Ernest. ad Suet. Claud. 24.

Var. 103. *Cur dubitem timeamve*, 19.

Var. 104. *Euphraten*, 16, 61, quod recepi pro *Euphratem*. Cf. Heins. ad Virg. Georg. IV, 561.

Not. 104. *Natus ad Euphraten*, in Oriente, in Armenia, vel Cappadocia, vel Mesopotamia, vel Syria, ex quibus regionibus multi servi Romam ducebantur. — *Quamvis natus ad Euphraten*, etsi olim servus fui. — *Fenestra* proprie dicitur quodvis foramen, apertura, fissura. *Fenestras* hoc loco putant esse inaures, vel annulos aureos, quos in Oriente non solum mulieres, sed etiam viri, vel ornamenti caussa, vel amuletorum instar, ad mala averruncanda, gestare solebant[1]. Sed recte notavit vetus Schol. his locis: «Argui homines, qui, quum propter libidinem libertatem meruissent (unde *molles*), et in libertinorum corpus et tribus relati essent, pertusis auribus signa libertinorum celare non potuerint.» Aurium enim perforatio servitutis signum fuit apud multos Orientis populos, verbi caussa, apud Israelitas[2], Arabas[3], Indos, Persas, Turcas et Tartaros,

[1] Vid. Intpp. Genes. XXXV, 4, et Exod. XXXII, 2, 3; Plin. XI, 37 seu 50; Harmari *Beobachtungen über den Orient* t. III, p. 309—315; Michaelis Jus Mos. volum. III, § 127.

[2] Vid. Rosenmulleri Scholia, ad Exod. XXI, 6, et Michaelis l. l.

[3] Petron. Sat. LXIII, alii CII.

qui pueris etiam, Deorum cultui et ministerio, ut tamquam illorum mancipia essent, consecrandis, aures perforabant [1]. *Molles fenestræ* pro molli aure, qua nihil mollius [2], vel quod hominem mollem ostendunt; Grang. *Aurem foratu effeminatus* dixit Tertull. de Pall. IV [3]. — *Arguerint*, probent, indicent.

Var. 105. *Neget*, 16, 45.

Not. 105. *Tabernæ quinque* mihi sunt, quæ a me locantur et quotannis mihi *parant*, reddunt, fenerant, ut statim reditum præstant (ut v. 118, *referat et rationibus addat*) *quadringenta* sestertia (circiter 78,375 fr.), censum equestrem, de quo vid. infra ad XIV, 323 seq. — *Tabernæ*, ædificia vilia, in primis circa forum, in quibus *tabernarii*, opifices aliique de infima plebe homines vel faciebant, venalesque exponebant merces, vel artes exercebant; unde *tabernæ librariæ*, *unguentariæ*, *tonsoriæ*, *cauponiæ*, *argentariæ*, *medicæ*, *sutrinæ*, *literariæ* (Liv. III, 44), *novæ ac veteres* argentariæ in foro Rom. (Liv. III, 44, 48; XLIV, 16), *lanienæ* (Liv. III, 48). Confer Nardin. Rom. vet. V, 8; Harduinum ad Plin. XXXV, s. 8 et 37; Adleri *Beschr. d. St. Rom.* p. 257. — *Quinque* argentariæ *tabernæ*, pars fori, argentariis et feneratoribus reservata (vid. Livium, lib. XXVI, c. 27, et lib. XXVII, cap. 11), *quadringenta*, reditum annuum, *parant* ex fenere et negotiis, in *quinque tabernis* (*à la bourse*) inter argentarios peragendis; *Dusaulx* et *Ach.*

Var. 106. *Quinquaginta*, 26. *Quadraginta*, 16, 19, 45, solenni errore. Conf. ad II, 117; V, 132; XIV, 326. — *Parent*, 11. — *Majus*, 7, 11, 15, 21 a m. sec. 25, 26, 27, 29, 46, 47, 48. 50, 54—69, 71—74, et XXVII Codd. Paris. quod perperam probant Bahrdt et alii, qui *majus* pro *magis* dictum accipiunt, et post *Optandum* interr. notam, post *oves* comma ponunt. *Purpuræ amator*, 4, 81, in marg. et Cod. MS. Marii Nigri, quem vid. ad Ovid. Amor. I, 14, 33.

Not. 106. *Purpura major*, consulatus, ut *toga major*, apud Claudian. in IV Consul. Honor. v. 656, vel tunica laticlavia, hoc est, dignitas senatoria, ut *purpura latior* dicitur Plinio; *purpura felix* Martiali VIII, 8, 4; *latus clavus* Plinio, Ep. II, 9; *major clavus* Statio, Silv. III, 2, 124; et

[1] Vid. Plut. Sympos. II, 1; Xenoph. de Exped. Cyri, III, 1, § 21; Cotovici itiner. Hierosol. et Syr. IV, 9; Rogerius in aperta porta ad occlusum ethnicismum, P. I, c. 7; Olearii itiner. Pers. l. V, c. 41; Straus in relat. Itiner. III, 12.

[2] Unde proverb. *auricula mollior*, de quo v. Cic. ad Qu. Fr. II, 15; Erasm. in proverb. et Scalig. ad Catull. epigr. XXV.

[3] Henninius: « forte ideo *molles*, quod ex iis dependerent jam in aures, divitiarum argumentum. » Super his omnibus confer Senecam de Beneficiis lib. XII, 9.

contra *pauper*, et *angustus clavus*, pro ordine equestri Stat. Silv. V, 2, 18, et Velleio, II, 88. Latus enim clavus insigne erat senatorum, etsi sub Cæsaribus Equites etiam illustres (vid. Suet. August. 38, et Ner. 26; ad quæ loca confer Ernesti), immo tribunos (Suet. Domit. 10) et præcones (Plin. XXXIII, 1) eum gestasse legimus.

VAR. 107. *In arvo*, 15, 21 a m. sec.

NOT. 107. *Custodit*, pascit, *oves conductas*, alienas, vel potius in agro, quem conduxit. — *Corvinus*, pro quovis nobilissimo ad inopiam redacto. Confer ad VIII, 5. Britannicus tamen suspicabatur, poetam respexisse ad M. Valerium Corvinum, qui exacta jam ætate agros coluerit.

NOT. 109. *Pallas*, Claudii libertus, cujus potentia et divitiæ satis notæ [1]. — In gente *Licinia* familiæ erant ditissimæ, inprimis Licinii, seu Licini Calvi Stolones, pater ac filius (vid. Livius, VII, 16), et Crassi, cognomine etiam *Divites* dicti, de quibus vid. Cicero, Plutarch., Dio, et quæ dixi in Tabulis genealogiæ gentium Romanarum. Sed prædives etiam fuit *Licinius*, Augusti libertus, de quo vid. ad XIV, 306. Hunc potissimum hoc loco intelligendum putant interpretes, nec male, quoniam libertinus loquitur, et cum Pallante eum conjungit.

ANAL. 109 seq. Verba poetæ indignantis impudentem arrogantiam hominis, qui servus quondam fuerit, et temporum suorum conditionem, quibus divitiæ dent honorem et plus meritis valeant.

VAR. 110. Post v. 118, legitur in 26, *non*, 22; *ne*, 17, 19, 45; *nec sacro*, 24.

NOT. 110. *Sacro honori*, tribuno, homini sacrosancto, quod vel tironibus notum ex Liv. II, 33; III, 19, 55; et Dionys. VI, 89.

NOT. 111. *Pedibus albis*, hoc est, cretatis, vel gypsatis, quod signum erat et indicium servorum trans mare ex barbaris terris advectorum, qui vilissimo pretio vendebantur. [2]

ANAL. 113 seq. *Pecunia* a Romanis quidem in Deos relata, sed neque ara, neque templum ei exstructum [3]; non culta, ut *Pax*, *Fides*, *Victoria*, *Virtus* et *Concordia* [4]. — *Funesta*, exitiabilis. — *Salutato nido*, σωτηρίῳ

[1] Vid. Suet. Claud. 28; Tac. Ann. XII, 53 (ubi confer intpp.) XIV, 65; Plin. H. N. XXXIII, 10; Plin. Ep. VII, 29; VIII, 6.

[2] Confer ad V, 53, et VII, 16, 120; Heyn. ad Tibull. II, 3, 60; Casaub. ad Suet. Octav. c. 69; Plin. XXXV, 17, 18; Dig. I, 21, t. 1, l. 1.

[3] Confer Sen. de Prov. c. 5; Tertull. Advers. XI, 22; Augustin. de Civ. D. IV, 21 et 29; Arnob. III.

[4] De templis *Pacis*, v. Suet. Vesp. 9; Plin. XXXIII, 8; XXXVI, 15; Herodian. I, 14. *Fidei* Dionys. II, c. ult; Cic. de N. D. II, 23; Plin. XXXV, 10. *Victoriæ* Nardini Roma ant. V, 8; VII, 11; Panvin. ap. Rosin. Antiq. Rom. I, 13.; Liv. XXII, 37; XXVI,

pro inviso ; nam proprie *templum*, *Dii*, *numen*, *augurium salutari* dicuntur, ut apud Cic. Rosc. Am. 20 ; Ovid. Pont. II, 8, 15 ; Virg. Æneid. XII, 257. — *Concordia*, *quæ crepitat*, satirice pro Concordia, in cujus templi fastigio ciconianidum posuit, et, ubi pullos revisit, rostro crepitat. *Crepitare* proprie dicitur de ciconia, ut apud Ovid. Metam. VI, 97, ad quem locum poetam respexisse suspicabatur Farnabius.

Var. 114. *Habitat*, 19. — *Exstruximus* quidam, ex interpret.

Var. 116. *Ciconia* pro *Concordia*, 2, 11 ad marg. 16, 19, 21 a m. sec. 22, 26, tres Codd. vetustiss. Jac. Susii, et quidam Paris. Sed hæc lectio glossam redolet, et metrum ei adversatur : vulgata etiam longe præstantior est.

Var. 117. *Honos*, 27, 60, 64, 65. — *Computat*, 22.

Not. 117 seq. Si vel *summus honor*, hoc est, summi magistratus (confer sup. v. 101) tam sordide et sine omni pudore sportulam petunt, quia id non minus quæstuosum quam commodum est ; *quid facient comites*, hoc est, cur sportulam petere erubescant pauperes clientes, *quibus hinc est*, paratur, emitur, *toga*, etc. id est, quibus sola sportula et cultum et victum suppeditat? Confer Martial. III, 30, et X, 10. — *Rationibus* accepti.

Var. 119. *Faciant*, 14, 16, 17 ; *comites facient*, 24.

Not. 119. *Comites*, clientes, ut v. 46, ubi vid. not.

Not. 120. *Fumus domi*, ligna, et quidem, qualia pauperibus emenda sunt, non ea, quæ Martiali XIII, 15, *Acapna*, et Jurisconsultis *recocta* vocantur, sed viridia, quibus magna vis fumi excitatur ; Grang. et Brit. Alii intelligunt domum fumo fuscam. Confer Martial. III, 30. — *Densissima lectica*, plurimi nobiles et summi magistratus, lecticis vecti. — *Centum quadrantes*, sportulam ; vid. ad vers. 95 seq. — *Languida*, ægrota. — *Prægnans*, gravida.

Var. 123. Suspicari possis *notæ jam callidus artis*.

Not. 123. *Absenti* uxori, quam in sella jacere dicit. — *Arte*, quæ nunc *jam* satis *nota* est. Ea festive hoc loco adumbratur.

Var. 124. *Ostentans*, 11, recte, opinor, judice etiam Schurzfl.

Not. 124. *Sellam*, *clausam*, vid. ad v. 65. — *Vacuam*, ut contra *plena*, v. 33. — *Galla* fictum uxoris nomen, ut passim apud Martialem. — *Inquit*, maritus dicit servo, qui sportulas distribuit.

---

23 ; XXXV, 9. *Virtutis*, Liv. XXVII, 11 ; XXIX, 11 ; Nardin. l. c. III, 2 ; Rosin. l. c. II, 18 ; Plin. XXXV, 10 ; Gyrald. de Diis Gent. Synt. 1. *Concordiæ*, Rufus et Victor Descr. U. R. Reg. III, IV et VI ; Plut. in Camillo, c. 21 ; Ovid. Fast. I, 647 ; Sallust. B. C. 46 ; Plin. LXXXI, 1 ; Nardin. l. c. V, 6 ; Donat. de Urbe Roma, II, 14 ; Gyrald. loco laudato.

Not. 126. *Profer* e sella *caput*, verba dispensatoris, et *noli vexare, quiescit*, mariti. — *Quiescit*, dormit.

Not. 127. De vulgari negotiorum diurnorum ordine ac serie vid. Martial. IV, 8. — *Pulcro*, εἰρωνικῶς. — *Sportula* petitur prima et secunda hora, qua clientes salutant patronos. vid. Martial. l. l. — *Deinde forum* petitur, causarum ibi agendarum patronorumque illuc deducendorum caussa, et potissimum quidem Augusti, in quo statua eburnea *Apollinis* (vid. Plin. VII, 53; confer Horatii Sat. I, 9, 78), et *triumphales* statuæ summorum ducum, quas Augustus in utraque fori sui porticu dedicaverat, teste Suet. Octav. 31. Ita Grang. qui etiam recte vidit, Apollinem facete *juris peritum* vocari, ut *Marsyan caussidicum*, Martial. II, 64, 8, quod utriusque statuæ in foro fuerint, et quotidie illi lites quasi audiverint. Facetius dixit Horat. Sat. I, 6, 119 seq.

....Non sollicitus mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.

Var. 130. *Quos*, 16. — *Aut* pro *atque*, 7, 14, 15, 19, 20, 24, 50. — *Arabarces*, 21, 22, 54, 60, 65. *Arabraches*, 16. *Alabarches*, 70, 74.

Not. 130. *Nescio quis*, contemptim de vilissimo homine. — *Titulos*, imagines cum titulis. — *Ægyptius atque Arabarches*. Vehementer olim viri docti disceptarunt inter se de *Arabarche*, vel *Alabarche* illo, et adhuc sub judice lis est: ad quam dirimendam vix quidquam facient codices, qui haud variant, si paucos exceperis, quorum lectiones supra ad hæc loca percensuimus. Qui vulgatam tuentur lectionem, *Arabarchen* dici putant vel mollem Arabiæ præfectum; vel eum, qui præfuerit Arabibus, hoc est, servis, ex Arabia Romam advectis; vel præfectum *Arabarchiæ*, hoc est, vectigali, pro animalibus solvendo, quorum ingens copia ex Arabia in Ægyptum abduci solita fuerit (vid. Cod. Justin. IV, 61, 9); vel denique magistratum, ab Ægypti Nomo Arabiæ dictum, et Alexandrinum, quod colligunt ex Cic. ad Attic. II, 17, ubi in aliis libris *Arabarches* legitur, in aliis *Alabarches*. Confer ibi intpp. et Wesseling. de Archont. Judæorum, cap. 8. Alii *Alabarches* legendum existimant, et varie interpretantur, Cujacius (Obss. VIII, 37), Ernesti (in clavi Cic. et quidem in Jud. hist. pag. 92), Brodæus (Miscell. IV, 2), et Turnebus (Advers. XXVII, 25), magistrum scripturæ, vel vectigalis e pascuis, ab ἀλάβᾳ, *atramento;* (vid. Hesych.); Fuller (Miscel. IV, 16), ἐπίσκοπον, vel præfectum Principis, ab hebr., vel syr. *halax* et *arcin* (forte אלוף et ארכון, Græc. ἄρχων); Ruffinus præfectum salis, a Græc. ἅλς dictum, unde *Halabarches* quibusdam scribendum videtur. *Ægyptiacus Alabarches*, hoc est, scripturæ, vel vectigalibus per Ægyptum præfectus, emend. Plathner, provocans ad auctoritatem Gratiani Imperat. in L. IX, C, de Vectig. et Com. *Usurpationem totius licentiæ submovemus circa vectigal Alabarchiæ per Ægyptum atque Augustaneam*. Quemadmodum autem de ipso verbo ejusque vi inter viros doctos discrepat, ita et de eo, ad quem poeta hoc loco respexerit; quan-

quam inter eos fere convenit, *atque*, non *aut*, hoc loco legendum, et *Ægyptium atque Arabarchen*, vel *Alabarchen*, non diversos, sed unum eumdemque hominem esse. Baptista Pius (Adnotatt. poster. cap. 93) quemvis designari putabat mollem atque effeminatum; Parrhasius (epist. XXIII) et Ptol. Flavius (Conjectan. cap. 49) Josephum, ducem a Judæis creatum, et, si D. Hieronymo fides habenda, propter virtutem ac vaticinium de imperio Vespasiani statua triumphali donatum; Gyraldus (in Dialog. XXXIX) et Alciatus (in Præterm. II) Tiberium Alexandrum, Ἀλαβάρχην Alexandriæ, fratrem Philonis Judæi, vel ejus filium ejusdem nominis, Procuratorem Judææ, et illustrem equitem Romanum (de quibus vid. Joseph. XX, 3; Lips. ad Tac. Ann. XV, 28, et Hist. I, 11; II, 74, 79). Britannicus autem et alii Crispinum Ægyptium, quem Lubinus mordaciter Arabum principem appellari existimabat, quasi omnium vernarum ex Arabia summum, hoc est, pessimum, quem vero *a Nerone* (calvo IV, 38, hoc est, Domitiano) *Arabiæ principem esse factum* dicit Schol. MS. in Cod. Pauchetii; vid. *Achaintre* ed. Juven. Paris. 1810, tom. II, pag. 80, et Miscell. Obss. crit. vol. V, tom. II, pag. 267. Quod si verum est, nec potius conjectura, ex hoc loco ducta (quæ tamen ingeniosa videtur et admodum probabilis); non est, quod dubitemus, quin pessimus ille homo significetur, qui mali Principis gratia e servili conditione ad summum fastigium evectus est, et in quem Juvenalis etiam Sat. I, 26 seq. et IV, 1—28, 108, 109, acerrime invehitur. Equidem olim suspicabar legendum esse *Ægyptius, atque*, vel *aut Alabandus*, ut servi innuantur, ex Ægypto et Caria (cujus urbs *Alabanda* infra III, 70, et passim memoratur) Romam deducti, ibique ad amplissimos evecti honores. Sed in re tam obscura ignorantiam profiteri malo, quam vanis incertisque conjecturis indulgere. — *Cujus ad effigiem*, statuam, *fas est non tantum meiere*, quod tamen insignis contumeliæ loco, aut rei illatæ indicium est, ut VI, 309 seq. et apud Persium I, 113 « pueri, sacer est locus: extra meiite: » qualia etiam in titulis tumulorum leguntur, adjectis sæpe diris (vid. Anthol. Lat. Burm. tom. II, pag. 145); sed etiam alvum exonerare. Ita Brit. et alii. [1]

[1] Grangæus ita contra mentem poetæ explicari credebat, qui tam sanctam potius Ægyptii hujus statuam a Romanis dicat habitam, ut ne quidem ad eam, tamquam si fuisset Principis statua, meiere auderent. Confer Casaub. ad Pers. I, 113, ubi monet, simulacris statuisque principum non minorem reverentiam fuisse exhibitam, quam locis sacris, in quibus urinam facere summæ impietati tribuerint veteres, etsi per lasciviam a multis id fieri solitum legamus apud Juvenalem (inf. VI, 309 seq.), Aristoph. et alios. Enimvero h. l. omnino de homine, loco humili nato *(nescio quis)*, agi videtur, et quis umquam *non tantum* pro *ne quidem* dixit? Præstiterit *non tantum* dictum accipere pro vulg. *tantum non*, vel, quia hoc sensu non occurrit, ita legere, ut dictum sit pro pæne, propemodum, hoc tantum excepto, ut gr. μόνον οὐ, seu οὔκ. Exempla laudata vide a Drak. ad Liv. IV, 2, et Schel-

Var. 131. *Mingere*, 11, 14, 15, 17, 19, 21, 22, a m. sec. 26, 45.

Not. 132. *Vestibulis*, ad quæ deduxerant ex foro patronos, non ulterius admissi; Grang. Ibidem potius sportula iis apponebatur, *primo limine* supra v. 95, 96. — *Lassi*, et quidem non tantum salutando, occurrendo, deducendo, sectando, sed etiam *longissima cœnæ* rectæ *spe*, quam per maximam diei partem frustra aluerant. — *Veteres clientes;* etiam hoc ad indignitatem rei augendam valet.

Var. 133. *Quamvis*, 24. *Votaque deponunt, quanquam longissima, cœnæ, Spes homini* distinguitur in edd. Grang. et Heinin. ut jungantur *vota cœnæ* et *quanquam longissima spes homini*, quæ scil. hominem lætum reddat, et semper meliora exspectantem ad mortem usque comitetur; unde proverb. *ægroto dum anima est, spes est*, et Hadriano interrogante, *quid est longissimum?* Epicteti responsio: *Spes*. Ita quoque Rigalt. h. l. interpretatur, qui tamen interpungit: *Votaque deponunt, quanquam longissima, cœnæ, Spes homini*. Tum vero verba sic potius transponenda: *Votaque deponunt cœnæ longissima quanquam Spes homini;* nisi cum Hein. dixeris, ea expediri posse per *synchysin*.

Not. 133. *Vota deponunt*, spem cœnæ rectæ abjiciunt, *quanquam longissima cœnæ spes homini*, hominibus, clientibus est, hæc cœnæ spes diutissime ab hominibus clientibusque ali solet. Heineckius hæc adnotavit: « Ego sic construo: *votaque deponunt* (*cœnæ*), *quanquam longissima cœnæ spes homini*. Ad verba priora vox *cœnæ* assumenda est ex *cœnæ* sequenti. Confer Ernest. ad Tacit. Ann. II, 71. Jam sensus verborum hic: Clientes omnem cœnæ spem abjiciunt, quamvis homines, ubi comedendi spes adest, et aliquid sibi accipiendum, quia hoc vita sustentatur, longissimum tempus exspectando trahere, maxime animum durare possint ad longissimam exspectationem, id quod in aliis rebus non ita est. Eodem sensu ego semper cepi hæc verba; illa tamen constructio eorum mihi non in mentem venit: quæ enim *vota* his locis intelligenda essent, per se patere arbitrabar. Comparanda autem hoc loco verba Luciani περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, § 7, et 8, ubi clientes dicit δι' ἡδονῆς ἐλπίδα μόνον πολλὰς ἀηδίας ὑπομένειν, et πιπράσχθαι αὐτὸς οὐδὲν ἧττον ἅπασι τῷ βίῳ πέρα τῆς ἐλπίδος. Confer et infra ad V, 166; et hujus loci Var. Lection. — *Caulis*, seu *caules* pro quovis vilioris cibi genere.

Var. 134. *Hominis*, 28; hominum, 11, 26, 45, 59, 60, 64, 65; *horum*

---

lero in Lex. Vulgarem interpretationem firmat Hein. laudato loco Plin. Epistol. lib. III, 14: *rem atrocem, nec tantum epistola dignam*, hoc est, non modo dignam, quæ epistola narretur, sed quæ vel carmine lugubri, tragœdia tractetur. (Confer ibi Gesner. et Gierigium.) Ipse etiam hanc explicandi rationem secutus sum, et aliam dixi præferendam saltem esse ei, quam Grangæus ingressus sit. Aliena itaque sunt, quæ Hein. adversus me, falsa autem, quæ de dictione *tantum non* disputavit.

deo Codd. Paris. — *Caules*, 10, 11, 14—17, 19, 20, 22—24, 27, 48, 54, 59—63, 65, 67, 68, 71—73, et XXXII Codd. Paris. quam formam, quia tum insolentior, tum auribus h. l. gratior est, et auctoritate tot Codd. firmatur, in locum vulgaris *Caulis* substitui, consilio viri docti in Miscell. Observ. critic., vol. V, tom. II, pag. 267.

Not. 135. *Interea*, dum illi caulem emunt et cœnant. — *Vorabit*, δεινῶς, tamquam helluo, qualis mox describitur vers. 137, 138. — *Reges*, βασιλεῖς (ut passim apud Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων), ut et *domini*, patroni, amici divites ac potentes, eorumque patrocinia *regna*, appellabantur, potissimum a parasitis, qui sæpe ab iis convivio excipiebantur : poetæ etiam specialem notionem generali substituere solent. [1]

Var. 136. *Rex hominum*, 56, 57; *rex dominus*, 13.

Not. 136. *Ipse tantum*, solus (vid. ad VI, 373), *jacebit* in *vacuis toris*, lectis : confer Martialem VII, 55. — In conviviis viri *jacebant* in lectis, uxores in sellis sedebant : vid. Bottigeri Sabina Sc. VIII, Tab. XII, et infra ad II, 120. Hæc optime in Gallicum carmen transtulit *Raoul* :

« Cependant, au milieu de tous ses lits déserts,
« Rassemblant les tributs des forêts et des mers,
« Le monarque, éloigné d'une foule importune,
« Seul, comme un gouffre avare, engloutit sa fortune. »

Var. 137, 138. Desunt, 13, 46, 48, 49; sed in comment. Calder. et Vallæ explicantur.

Var. 138. *Comedit*, 45; sed vulgaris lectio doctior est, et talem personarum numerique permutationem poeta amat. Confer infra ad v. 157.

Not. 137, 138. *Orbes* dicuntur vel patinæ, vel, ut his locis et XI, 122, 173, mensæ, quæ primum quadratæ erant, postea rotundæ, teste Varr. Ling. Lat. IV, 25 [2]. — *Una mensa*, unica cœna, vel adeo lance, ut τράπεζα, de quo vid. Polluc. Onomast. VI, 12, *comedunt patrimonia*, vel sua, vel ampla, exemplo Æsopi, Cleopatræ aliorumque, de quibus vid. Plinium, IX, 35; X, 51; Suetonium, Calig. 37, et Vitell. 13, al. De prima mensa, qua carnes piscesque appositi, accipiebat Grævius, coll. Virgil. Æneid. lib. I, 216, ubi vid. Heynium. Digna omnino est, quæ hoc loco legatur, docta Henninii nota : « Servius ad Virg. Æneid. I, 740, notat, apud majores ipsas mensas appositas fuisse cum lancibus, non vero lances in mensam; habuisse autem illos duas tantum mensas, unam carnis,

[1] Confer infra satiram V, vs. 14, 81, 92, 137, 147; sat. VIII, vs. 161, al. Horatium in Epist. I, vs. 17, 43; Martialem lib. III, 7, 5; V, 23, 14.; Plaut. Stich. III, 2, 2, et Asinar. V, 2, 69; ubi confer Gronovium et Casaubonem ad Theophrastem, Char. II.

[2] Confer ad IV, 132; V, 2, inpr., XI, 122, 173; Martial; II, 43, 9; IX, 60, 7; Athen. IX, 12; XI, 12.

alteram pomorum, unde *prima* et *secunda mensa*. Sic et πρώτη, δευτέρα τράπεζα, quod tamen ad missus etiam ciborum referri potest. Scilicet postquam prima mensa saturati essent, illa removebatur, et secunda mensa admovebatur, non, ut hodie et Servii ætate, novus missus eidem mensæ inferebatur, sed una cum missu mensa mutabatur. Confer Athenæi l. IX, c. 2. Mensæ autem illæ, quamdiu triclinia durarunt, in longum quadratæ ad lectorum mensuram erant: postea rotundæ mensæ invectæ sunt, seu *orbes*, quum *stibadia*, sive *accubita* (*sigmata* Martial. X, 48, 6; XIV, 87; *semirotunda* Apul. Met. V, pag. 160) in usum inducerentur, quæ quum semirotunda essent, necesse erat mensas rotundari. Invalescente demum luxu, non duabus, sed pluribus utebantur mensis, et aliquando ad singulos missus singulas mensas variabant; et vel loco eodem recumbentes novos missus mensasque exspectabant, vel locum mutantes aliis mensis accumbebant, unde *ambulans cœna* festive dicitur Martiali, VI, ubi Annii luxum taxat, qui ducentis fere mensis epulabatur. Mensæ autem, seu *orbes* illi apud delicatos erant citrei, quorum adeo immane pretium, ut aurum vincerent: vid. Martialem, XIV, 89; Senecam de Benef. VII, 9; Plinium, XIII, 15, ubi confer. Harduinus. Jam hoc loco *de tot*, notatur, quum luxuriarent copia citrearum mensarum; *latis;* quo enim latiores, eo pretiosiores erant, quandoquidem tanta solum erat earum amplitudo, quantum arbor ipsa pateretur: *et pulchris;* pulchriores censebantur orbes citrei, quo plures nodos et maculas haberent; vid. Senecam, l. l. et de Tranq. pag. 677. Petronius ideo queritur in Bello civ. « Citrearum mensarum Africa erutarum maculas mutari auro viliori, et censum ita turbari. » Cur eos *orbes* vocet Juvenalis, patet ex superioribus. — « *Et tam antiquis*, hoc est, per multas elegantium dominorum successiones civitati notis, ut loquitur Seneca. (*A Cethegis descendens*, Plin. loc. cit. ubi vid. Hard.) — « *Una mensa*, id est, ne variatis quidem orbibus, ne tota quidem cœna, ne uno quidem missu, sed vel una lance. Speciatim videtur tangi patina Clodii Æsopi histrionis, ejusque filii, de qua vid. Plin. IX, 35; X, 51; Horat. Sat. II, 239 seq. » — Ita Henninius. Confer. Lipsius de ritu conviviorum apud Rom. et Antiq. Lectt. III, 1, ac de citreis mensis supra ad v. 75. Alia prodigiosæ luxuriæ exempla, ad quæ poeta respicere potuit, alii memorant. [1]

Var. 139. *Ferat* pro *feret* recepi ex 10, 15—17, 19, 20, 22, 27, 28, 45—50, 54, 55, 59, 60, 64, 65, et cod. viri docti in Miscell. Observ. crit. vol. V, T. II, p. 267. — *Ipsas*, 22.

Not. 139. *Nullus jam parasitus erit*, qui oblectationis caussa convivio adhibeatur, si divites porro soli cœnaverint.

[1] Plut. Lucull. pag. 318, 319, et Anton. V, p. 149; Plin. IX, 35 (de Cleopatra, quæ una cœna centies HS. absumpsit, de qua v. et Macrob. Sat. II. 13); Suet. Calig. 37, et inprimis Vitell. 13, aliique.

VAR. 140. *Totum ponit aprum*, 23, et codex viri docti modo laudati.

NOT. 140. *Sordes*, sordidam avaritiam *luxuriæ*, cum luxuria conjunctam : nam divites pauperibus amicis et clientibus nihil dant, sed soli saginantur, et genio suo indulgent. — *Gula*, ut alibi *gurges*, et II, 114, *guttur*, voracitas, et hinc homo gulosus et edax, helluo et polyphagius.

O quanta est gula, centies comesse !

Martial. V, 71, 5. — *Sibi ponit*, apponit, et hoc pro, apponi jubet.

NOT. 141. *Totos*, integros, *apros* in conviviis, et quidem in magnis quadratisque lancibus, apponere solebant Romani; idque caput cœnæ nonnumquam erat. Solidum aprum primus in epulis Servilius Rullus, Plin. VIII, 51 seu 78 : octo apros Antonius, vid. Plut.; singulos singulis convivis Caranus quidam, teste Athenæo IV, 1 seu 3, pag. 129; binos ternosque in ipso cœnæ principio alii, vid. Plin. loc. cit. apposuerunt. Confer V, 115; Martial. VII, 58; Sueton. Tiber. cap. 34, et Athen. IV, 2, (6) pag. 131. — *Propter convivia*, ut pluribus in convivio, non uni, apponeretur et sufficeret. Id sumtum putant ex Varr. Re rust. II, 4, 10 : « Suillum pecus donatum ab natura dicunt ad epulandum. » Clemens Alex. Stromat. II, memorat, philosophum quemdam existimasse, τὴν ὗν θὺν εἶναι, suem Græcis ὗν tamquam θὺν dictum esse, ὡς εἰς θύσιν καὶ σφαγὴν μόνον ἐπιτήδειον, quod epulis tantum aptus esset.

VAR. 142. *Depones*, 25. — *Amictum*, 17, 25, 27, 45, 47, 48, 50, 54—60, 64, 65.

NOT. 142—144. Pœna luxuriæ atque voracitatis morbi et mors sæpe repentina [1]. *Pœna* helluonis *præsens*, præsentanea ac subita est, confestim sequitur, ut apud Cic. de Natur. Deor. II, 59. Britannicus bene comparabat similem locum Plin. XIV, 22, de ebrietate : « Hinc pallor, et genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus effundentes plena vasa; et quam sit pœna præsens, furiales somni, et inquies nocturna, *ostendunt* » Grangæus poetam respexisse putabat ad illud Horatii Od. IV, V, 24, *culpam pœna premit comes*. Confer Horat. Od. III, II, 31, 32, et ibi intpr. — *Deponis amictus* in balneo (confer ad VI, 418), et quidem in apodyterio, ubi capsariis tradebantur. — *Amictus* proprie genus vestimenti, quod superinjiciebatur, *amiciebatur*, ut *indumentum*, quod induebatur : vid. Bottigeri Sabina, p. 416. — *Turgidus*, ut apud Horat. Ep. I, 6, 61, *crudi tumidique lavemur;* et apud Persium, III, 98 :

Turgidus hic epulis atque albo (distento) ventre lavatur.

Caussam tradit Columella, Præf. § 16 : « Ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus. » Confer Cels. II, 17, al. — *Crudum*, indigestum, non concoctum. — *Pavonem* Romanis in deliciis

[1] Confer Martialem XII, 48, 10 seq. Pers. III, 98 seq. Senecam, Natur. quæstion. V, 4; et Columellam in præfatione, § 16.

habitum (vid. Cic. ad Div. IX, 18, et 20, al.), sed omnium difficillimæ digestionis esse, cujus mortui caro numquam putrescat (vid. Augustin. Civ. Dei, XXI, 4), monuit Ascensius. Pavonem Romæ primus apposuit Hortensius orator, et saginavit M. Aufidius Lurco.[1]

Not. 144. *Hinc*, ex nimia ciborum copia et indigestione. — *Intestata senectus*, mors repentina senis, qui idcirco intestato moritur.

Var. 145. *Et* pro *it* quidam. Præstiterit *es* vel *est*, vel *fis*, vel *fit*. — *Fabula*, quo sensu *fabula* seu *sermo esse* et *fieri* dicitur is, de quo multi loquuntur, ut apud Plaut. Pseud. I, 5, 4; Horat. Epod. 11, 7, et Epist. I, 13, 9; Tibull. I, 4, 83; II, 3, 31, 32; Prop. I, 5, 25, 26; II, 21, 7; 24, 1; Terent. Hec. IV, 3, 14, al. Confer infra ad X, 167, in comment.

Not. 145. *Fabula*, fama et rumor de morte talis senis, *it*, divulgatur, *per cunctas cœnas*, ubi scilicet de novis rebus sermones seruntur. — *Nec tristis fabula*; quoniam enim clientibus amicisque nec bene fecit vivus, nec quidquam legavit, ab intestato mortuus, nemo quoque ejus mortem luget; unde *plaudendum funus* et *iratis amicis*. *Fabula* etiam hoc loco dici potest ipse senex, quatenus multi de eo loquuntur.

Not. 147. Confer ad versum 87 seq. — *Nil* vitii flagitiique.

Var. 148. *Facient cupientque*, 19, 22, 23.

Not. 148. *Minores* scilicet natu, posteri, ut infra II, 146; VIII, 234; XIV, 189, ubi *veteribus* opponuntur, ut *majoribus* apud Ovid. Trist. IV, 10, 55.[2]

Not. 149. *Omne vitium* jam *stetit in præcipiti*, in summo quasi fastigio, ultra quod adscendere nequeat. — Verbis, *utere* igitur *velis*; *totos pande sinus*, poeta se ipsum ad scribendum exhortatur, quum tam larga ad id suppetat materies. Metaphora passim obvia et petita a navigantibus, qui, secundum nacti ventum, sinus velorum pandunt vento inflandos.[3]

Var. 150. *Dicas hoc*, 26.

Not. 150. *Unde priorum*, veterum poetarum, iisque fuerit *ingenium par materiæ*, et *illa simplicitas scribendi*; vel potius, unde mihi sit vis et facultas ingenii, argumento tam difficili et copioso, operi periculosæ pleno aleæ, pro dignitate pertractando, par atque idonea? Huic tamen objectioni hoc loco non respondet poeta: diluerat eam jam vers. 15 seq.; 30, 79,

[1] Vid. Plin. X, 20; Varr. R. R. III, 6; Macrob. Sat. II, 9; Ælian. H. A. V, 21.

[2] Vid. Heyn. ad Virg. Æn. I, 532; Drakenb. ad Sil. XVI, 44; Bul. et Burm. ad Val. Fl. III, 455.

[3] Vid. Cerda ad Virg. Georg. II, 41; IV, 116; Tollius ad Longin. περὶ ὕψους, c. IX, n. 21; Jani et Mitscherl. ad Horat. Od. I, 34, 4; II, 10, 23; IV, 15, 4; Intpp. Plin. Ep. II, 11, 3; IV, 20, 2; VIII, 4, 5; Ernesti clavis Ciceroniana ad vocabulum *velum*.

80. *Ingenium* itaque *par materiæ*, ni fallor, est libertas judicii, qualem talis materies ejusque tractatio requirit, *illa priorum*, veterum poetarum, Lucilii, Catonis Censorini, Terentii Varronis, Horatii aliorumque, *scribendi simplicitas*, hoc est libertas, παῤῥησία, quæ simpliciter et aperte, sine dissimulatione vel ambagibus, sine respectu periculi vel potentiæ ac gratiæ hominum, expromit quod sentit. Ea non modo legibus restricta erat[1], sed et penitus oppressa metu delatorum, judiciisque majestatis, a Tiberio institutis et reductis a Domitiano[2]. Illa tamen sublata atque denegata, ipsum quoque *ingenium* hebetatur, poetarum imprimis satiricorum, qui hinc fictis nominibus, ac sermone obscuro verbisque tecto uti solebant.

Var. 151. *Materiæ est*, 25, 27, 45, 46, 48, 49, 57, 59, 60, 65, et *unde est illa*, etc. codex olim Thuan., nunc Colbert. prob. Ach. ne metrum laboret; sed vocales literaque *m* in fine vocis sæpe non eliduntur, et tum producuntur propter cæsuram et hiatum. Vid. ad VI, 100; IX, 118, et XV, 7, in Var. Lect. Hiatus autem Juvenali sunt solennes. Confer II, 26; III, 70; V, 158; VI, 247, 468; VIII, 107; IX, 118; X, 11, 54, 281; XII, 36, 110; XIII, 65; XIV, 49; XV, 7, 126, al. Heins. ad Claud. Cons. Stil. II, 167, et Heyn. ad Virg. Æn. III, 211. Vereor tamen, ne pleraque exempla librariorum incuriæ debeantur.

Not. 151. *Priorum* scilicet poetarum satiricorum. Juvenalis tamen, quod vel ex versu 154 intelligitur, hoc loco potissimum Lucilii παῤῥησίαν respexit, de qua vid. Horat. Sat. II, 1, 62 seq.; et Pers. I, 114:

.... Secuit Lucilius urbem,
Te, Lupe; te, Mutl; et genuinum fregit in illis.

Not. 152. *Animo flagrante*, irato, propter scelera cujuscumque generis et ubivis obvia. Confer versum 79.

Var. 153. *Nunc* pro *non*, 81, in marg. prob. Flavio Conjectur. Cent. I. — *Audent* emend. Grævius.

Not. 153. *Simplicitas*, *cujus non audeo dicere nomen*: ita libertas scribendi (necnon cogitandi et loquendi) periit, ut ne audeam quidem eam nominare, quasi nefas sit; nam ea non audemus nominare, quæ fœda abominandaque sunt; Brit. Sed et periculosa.

Var. 154. *Mutius*, 17, 23—27; 45—47, 49, 50, 57, 60—76. Sed Gron. *Mevvios* dicitur.

[1] Vid. XII Tabul. et quidem Tabul. VII; Cic. Tusc. Qu. IV, 2, et de Republ. IV; in fragment. apud Augustin. de Civ. Dei, II, 9; in edit. Ernest. vol. IV, p. 1080; Horatius, Sat. lib. II, 1, 80 seq. et Epist. II, 1, 152, seq. collato Suetonio in Domitiano, cap. 8.

[2] De iis v. intpp. Tac. Ann. I, 72, 73; Plin. Paneg. c. 11; Senec. Benef. III, 26, 28; Suetonius in Tiberio, 58, et Domitiano, 12, ac in Trajano, p. 27, seq.

Not. 154. Verba hæc *Bahrdt* Lucilio tribuit, et Grangæus poetæ, qui monitori respondeat. Sed bene, opinor, monuit Brit., et hæc et omnia illa, a versu 150 ad 157, esse occupationem vel præsumptionem, προλῆψιν poetæ occupantis, quæ objici possint. Similiter Heineckius : « Poeta inducit aliquem sibi objicientem : An tu eadem libertate qua priores satirici, homines vituperare poteris? Minime profecto. Vix audere possumus libertatem nominare, de ea loqui, timentes, ne pœnas demus. Apud avos nostros aliter res se habebat, et Lucilius non curabat Mucium, si vel maxime succenseret; sed nunc magna rerum mutatio, et gravissimas pœnas dabis, si Tigellinum læseris. » *Refert* et *ignoscat* dixit recte et ἰμφατικῶς, quamvis in re præterita atque erepta, pro : aliquando sane, dum Lucilius viveret, impune licebat castigare Mucios ac Muciorum similes; Heinr.

Var. 155. *Tigellinum* pro *Tigillinum* reposui, quoniam hæc scriptura firmatur optimis codd. veterum scriptorum, et Romanorum et Græcorum. Confer Lips. ad Tacit. Ann. XIV, 61, et Ramir. ad Martial. III, 20, 16. — *Lucebit*, 8, a m. pr. et quatuor codd. Paris. quod recepit Hennin. probaruntque Lubinus, Grævius et Gronov., qui ad Sen. de Ira, III, 3, testatur, se invenisse illud in antiquiss. membranis in Britannia.

Var. 156. *Et* pro *qui*, 11. — *Fumat* emend. Ascens. et Voss. ad Catull. p. 42. *Pectore fumant*, 14. *Gurgite fumant*, 22, a m. pr.

Var. 157. *At*, 25. — *Lautum*, 19. — *Diducit*, 21, et vetus codex Lipsii, laudatus ab eo ad Senec. de Ira, III, 3, aliusque Heinsii, quem vide ad Ovid. Met. IV, 375. *Deducet*, 16, 22, 48, 82. *Deducit*, 1, 8, a m. pr. 10, 11, 12, 14, 17, 19, 20, 23—38, 45—47, 49, 50, 54—69, 71—77, et XXXV codd. Paris. prob. Ach. *Deducis*, 8, a m. sec. 28, 70, et MS. viri docti in Misc. Obss. crit. vol. V, t. II, p. 268. Pro eo nunc substitui *diducit*. Ed.

Not. 155. *Pone* loco Mucii *Tigellinum*, propter similitudinem morum vitiorumque Neroni et Galbæ amicissimum; de quo vid. vet. Schol. ad hunc locum; Tac. Ann. XIV, 48, 51, ubi confer Lips. 57; XV, 37, 40, 50, 72; XVI, 17, 19; et Hist. I, 72; Suet. Galb. 15. Possis etiam *ponere* docte positum accipere pro effingere, describere; proprie fingere, formare, de pictoribus et statuariis, ut τιθέναι, et *ponere* apud Pers. I, 70, ubi vid. Kœnig. Horat. Art. poet. 34, al.

Anal. 157, 158. *Tæda lucebis in illa* scilicet tunicæ molestæ (de qua vid. ad VIII, 235), *qua ardent stantes*, ad palum deligati, *qui fumant fixo gutture*, stipite per guttur adacto (confer Sen. Ep. XIV); *et latum sulcum* in *media arena diducis*, proprie *diduces*, defossus et igne circumdatus (ut apud Sen. de Ira, III, 3 extr.) mediam arenam sulco divides, diffindes. Plura harum crudelitatum exempla memorarunt interpretes ad Senecam, ll. ll. et Gell. III, 14. Diversa autem verborum tempora, ut hoc loco *lucebis* et *diducis*, sæpissime jungi monent Hein. et, quos laudavit, Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 13, et Gronov. ad Senecam, de Ira, III, 3. De tribus his versibus vide interpretationem textui subjectam,

supra pag. 17: et de versu 157, notam, vel Excursum infra positum. [1] Ed.

Var. 158. *Vehetur*, 10, 11, 14, 15, 22, 27, 45—50, 54, 55, 64, 68, multi codd. Paris. et vetustus viri docti in Misc. Obss. crit. vol. V, tom. II; p. 267. Parum interest, modo mox reposueris *despiciet*, non, ut Henninius aliique editores, *vehatur* et *despiciet*.

Anal. 158, 159. Responsio poetæ: patienterne ferendum est, sceleratissimos homines, superbos et sublimes ferri in lecticis, et nos illinc despicere?

Not. 158. Hæc verba proprie ad Tigellinum spectant, si fides habenda Probo Grammatico (nam aliud testimonium desideratur): « Tigellinus,

[1] Versus hic perobscurus, cujus, et lectio, et interpretatio tam dubia est atque tam parum commode expedita ab editoribus, ut Pithœus profiteretur, nullum in his satiris locum esse, quem ex grammaticorum glossis minus grammatice intellexerit. Varietatem lectionis supra ad hunc locum enotavimus: nunc paucis recensebimus potiores virorum doctorum conjecturas. Nonnulli legendum putant *qui ducit;* Withof. et Schrad. *vix ducit;* Flavius et Ach. versu hoc post 159 posito, *deducat;* Lipsius ad Sen. de Ira, III, 3, ex vet. cod. *Et latus mediam sulcus diducit arenam*, quod probarunt Scaliger Emend. Temp. lib. V, et Ferrarius Elect. II, 7, qui omnes *sulcum* intellexere de fossa in media arena, qua vivi nonnumquam defossi aint et cremati. Ita et Jo. Fr. Gronovius, qui tamen ad Sen. l. l. ex MSS. Britann. reponendum censebat *lucebit* et *diducet*, verbaque poetæ hoc sensu capiebat: Fac Lucilium vixisse ævo Neronis et pro Mucio posuisse Tigellinum; nihil certius fore spondeo, quam ut luceat in illa tæda molestæ tunicæ, et defossus in *media arena sulcum latum diducat*, mediam arenam sulco aperiat ac dividat. Lectiones illæ minus forsan probabuntur, quam interpretatio verborum *sulcum diducit;* et hanc adscivi, quia cum viris magni nominis errare malo, quam cum Hein. et Heinr. mirari, eos hærere et errare potuisse in loco satis perspicuo, et vix una vel altera fallaci scripturæ macula impedito, et etiam nunc aliquem nescire, qualis per tot lustra prostet notatio Gesneri ad verba Plinii, Pan. XXXIII, 3: *nemo spectator miseras voluptates unco et ignibus expiavit*, scil. hæc: « *Unco*, quo injecto traherentur per arenam: *ignibus*, quibus in tunica illa molesta urerentur homines. Utrumque supplicium conjungere videtur Juvenalis, I, 155 seq. ubi *lucebis* et *deducis* legendum puto. » Pro certo iis sumenda videntur, quæ dubitantius protulerit vir summus et modestus, verbaque poetæ sic exponenda: Si Tigellinum famosis carminibus notaveris, tunica indueris molesta, stipesque per medium agetur guttur, et unco traheris per mediam arenam. Fortasse tamen non deerunt, qui dubitent primum, exempla reperiri hominis, utroque supplicio affecti, et satisfacere hanc Heinr. annotationem: « forsan rectius legitur *Aut latum*, etc., nisi ex ipsa apud Plinium junctura vulgatum *et* tueri aliquis velit; » deinde, poetam de homine, qui unco per vias urbis trahatur, bene dixisse *deducis sulcum arena*, et *media arena;* denique, magnam inesse vim in loco Plinii, ejusque memorem tum fuisse Juvenalem,

homo omnium nequissimus, tres patruos habuit, quos omnes, ut eorum hereditatibus potiretur, veneno absumpsit, subtractisque annulis et falso tabulis signatis hereditates summo scelere consecutus est. » — *Aconita*, venenum; noxium herbæ genus [1]. — *Plumis*, in lectica, in qua lectus est seu pulvinus, plumis fartus adeoque mollissimus, qui *pluma mollis* dicitur Pentadio de vita beata, v. 5 [2]. — *Pensilibus*, in lectica, quæ sublimis, seu sublime fertur a servis.

VAR. 159. *Despiciat*, 10, 13, 17, 20, 21, 23, 24, 25, 45, 49, 50, 56, 57, 59, 60, 64—67, 71, 74, et alter codex viri docti modo laudati: quos secutus sum. *Despiciet* al.

VAR. 160. *Veniat*, 17, 23, 25, 46, 49, 54, 58, 64. *Venerit*, 24.

VAR. 161. *Verum dixerit*, 7, 10, 11, 14—17, 19—22, 24, 26, 45—48. 50—55, 74, 80, et quidam codd. Paris. quod probavit et male exposuit Brit. *Verum qui dixerit*, 23. *Verum qui dixerat*, 16. *Si verbum dixerit*, emendat Plathner. Præstitisset: *quum verbum dixeris;* sed vulgatum bene habet. — Mox *hic 'st* vel *hic st*, hoc est, hic tace, nisi perire velis (nam *st* silentii nota est), corrig. Lambinus, Lubinus, Grævius et Heinsius. *Quum veniet contra, st! digito compesce labellum*, etc. conj. Burman. Sec. ad Anthol. t. I, l. 3, ep. 188.

ANAL. 160—170. Verba et consilium admonitoris. *Quum veniet* Tigellinus, vel ejusmodi homo *contra*, obviam (ut apud Martial. V, 4, 5; XIV, 62), *compesce labellum*, coerce linguam, *digito* indice seu salutari, vel digitis, manu; hoc est, tace, ut ne suspicio quidem ul liusverbi prolati in te cadere possit. [3]

Erunt quoque haud dubie, quibus non minus grata sit mitis sapientia Gesneri, quam ingrata et odiosa inhumanitas et arrogantia pæne inaudita duumvirorum illorum, qui Klotzium æmulari malunt, quam virum illum, quem justis nonnumquam ornant laudibus, sed sæpius quoque, quam velint pro summa ejus reverentia, alucinatum esse profitentur in eis, quæ passim ex Satirico tractaverit. Maxima etiam auctoritas est John. Fr. Gronovii, viri (ut Hein. verbis utar) incomparabilis, cui omnes principatum in his literis concedunt. Nihilo tamen secius improbabunt passim conjecturas ejus et emendationes, quas his locis ne sanæ quidem sententiæ esse dicunt. Tam humanum itaque est (quod ipse Heinr. profitetur), errare, tam æquum, errantem in viam comiter reducere! tam grata est sapientia, cum humanitate simul et urbanitate conjuncta!

[1] Vid. intpp. Ovid. Met. VII, 419; Plin. VI, 1; XXVII, 2 et 3; Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 791, et ill. Voss. ad Virg. Georg. II, 152.

[2] Confer VI, 88; X, 362; Martial. XII, 17, 8; XIV, 146, 2; Plin. XXVI, 3, et Lips. Elect. I, 19.

[3] *Compesce labellum*, comprime coerce linguam, *digito* indice, qui alio nomine *salutaris* dicitur, quod eo protenso veteres salutarent, quodque silentium, quæ res maxime salutaris est, (!) eo indiceretur; unde et Martianus Capella *digito salutari silentium commovere* dixit: nec aliam ob caussam

Nor. 161. *Accusator* enim erit; ut accusator ejus, gravissimas pœnas luet, *qui verbum* hoc tantum *dixerit : hic est!* scilicet nefarius ille; H. Vales. Sed recte sensum hujus loci cepisse videtur Hein. qui hæc adnotavit : « Responderat poeta monitori, se vix sibi temperare posse, quin eum, qui patruos tres veneno necasset, et tamen summa pompa per urbem veheretur, acriter carminibus perstringeret. Huic monitor : cave facias; non modo satiram in eum ne scribas, sed si tibi forte occurrat, ne verbum quidem proferas, quod eum offendere possit, nam etiam accusator erit scilicet *ejus* vel *ei* (quæ ante *qui* sæpissime subintelligenda esse, docent Gronovius ad Liv. XXIII, 15; Duckerus ad Flor. I, 1; Cortius ad Sall. Cat. XIII, 2, et ad Cic. ad Div. III, 6, 7); id est, accusabit eum, qui tantummodo hæc paucula dixerit : *hic est*, scilicet, ille sceleratus homo. Sententia itaque est : Non solum, si satiram scripseris, maximas pœnas dabis, sed si vel, ubi ille tibi occurrit, alteri dicas : *hic est* ille sceleratus. Verba autem *hic est* cum contemptu pronuncianda sunt, plane ut Germani : *das ist der*, ubi ex modulatione vocis intelligitur, laudemne et admirationem indicet, an vituperationem. » Similiter jam Beckius : « Acclamatio *hic est* malo quodam prætereunte si audiatur, reus mox calumniæ eris et injuriæ illatæ : quam calamitatem ut subterfugias, melius est tacere, quam dicendo supplicium mereri. » Grangæus : « *Hic est* fit per demonstrationem, quæ aut laudi aut vitio vertitur pro ratione digiti, quo facta fuit demonstratio : indici enim laus, medio vituperium; unde proverbium *medium ostendere digitum*, de quo vid. infra ad X, 53. » In laudem passim *hic est* et Græce *οὗτος ἐκεῖνος* dicitur de homine celebri, qui digitis prætereuntium monstratur. Confer interpretes ad Horat. Od. IV, 3, 22; Pers. I, 28; Martial. V, 13; IX, 98, 4; Lucian. in Harmon. cap. 1, et in Somnio, cap. 11.

Var. 162. *Æneam* Græcorum more scribendum videtur pro *Æneam*, ut III, 5, *Prochyten* pro *Prochytam*. Vid. Heins. ad Ovid. ep. Her. VII, 26; et Drak. ad Sil. II, 413. Talia tamen non addicentibus codd. (quos nunc inf. VIII, 113, 229, et al. secutus sum) recipere religio mihi fuit, etsi non ignoro, poetam nostrum sectari doctiora, et me inconstantiæ accusari ab Hein.

Anal. 162—164. Tutius ac sine periculo tragicum vel epicum scribes carmen, mortuorumque vitam ac facta expones. Suspicor poetæ hoc loco ante oculos fuisse Horatium, Sat. II, 1, 10 seq., ubi Trebatius idem consilium dat Horatio. — *Licet.....committas*, carmen scribere licet, quale Virgilius scripsit, de præliis certaminibusque *Æneæ* et *Rutuli ferocis*, fortis, hoc est, Turni. *Committere*, ut *comparare* et *componere* par pari, verbum proprium de gladiatoribus, athletis, histrionibus, pantomimis et certami-

---

Ægyptii Harpocratem, aut Romani Angeronam, Deos silentii, digito ora comprimere finxerunt; GRANG. Confer Scalig. Lect. Anson. I, 29; Turneb. ad Varr. L. L. lib. V; et Augustin. de Civ. Dei, XVIII, 5.

nibus vel oratoriis vel poeticis [1]. — *Nulli gravis est*, timendus et periculosus; quia neminem offendit, *Achilles*, historia de Achille (ut mox *Hylas*), *percussus*, a Paride per insidias sagittis transfixus, quare non amplius nocere potest: vid. Homeri Il. χ, 359, et Odyss. ω, 36 seq.; Virg. Æn. VI, 57; Hygin. Fab. CVII, ubi vid. Munkerum. Grangæus putabat, Juvenalem legisse, et in animo habuisse locum Ovid. Trist. II, 411, 412. — *Hylas, multum*, diu, *quæsitus* ab Hercule *urnamque secutus*, una cum urna delapsus in Ascanium flumen, et raptus a Nymphis: quæ fabula, a multis poetis, (nam *cui non dictus Hylas puer?* Virgil. Georg. l. III, v. 6) variis modis est tractata. [2]

Var. 164. *Et*, 19.

Anal. 165—9. Si vero poeta satiricus, qualis fuit Lucilius, hominum, præcipue vivorum, vitia notat, hi *criminibus*, criminum conscientia (ut mox *tacita culpa*), *frigidi*, exagitati, anxii (quibus *formidine turpi frigida corda tremunt*, ut utar verbis Silii, II, 338; et *tacita sudant præcordia culpa*), *rubent*, rubore suffunduntur; et *inde iræ* sunt, ad vindictam inflammantur, in ultionem excandescunt. Verbis *ardens infremuit*, scil. indignabundus, et *ense velut stricto* vis et acrimonia Lucilianæ satiræ exprimitur, de qua vid. Persius, I, 114, 5; Horat. Sat. I, 4, 1—6; II, 1, 62 seq. Venuste autem hoc loco verba a rebus corporeis ad animum transferuntur, et simul opposita illa *frigere* et *sudare* de eadem fere adhibentur re. Conf. ad VI, 649 seq. et Huschkii Anal. crit. pag. 32, 33. Grangæus suspicabatur, poetam memorem fuisse dicti Caligulæ, qui peroraturus, *stricturum se lucubrationis suæ telum*, minatus sit, teste Suetonio, Calig. 53. Possunt etiam jungi verba *ense velut stricto rubet auditor*, et ad auditorem referri, qui sceleris conscientia et metu cruciatur, velut *destrictus ensis cui super impia cervice pendet*, ut poeta respexerit ad locum Horatii, Od. III, 1, 17 seq. et ad historiam de Dionysio tyranno et Damocle notissimam vel ex Cic. Tusc. V, 21.

Not. 166. *Auditor rubet* non tam pudore suffusus, quam ira in poetam; et *tacita sudant præcordia* præ animi anxietate et labore, ob conscientiam scelus objicientem, et timore, ne satira tacitam detegat culpam; Ach.

Not. 167. Mira metus sceleratorum et malæ conscientiæ descriptio, qua rei ac conscii modo frigore, modo calore alternis vicibus torquentur: illud fit propter metum, hoc ob pudorem; nam utrumque malæ conscientiæ inest; Lubin.

[1] Confer infra ad VI, 378 et 436; ad Sil. I, 39; X, 70; XVI, 616; Casaub. et Ern. ad Suet. Octav. 89; et Calig. 53; Intpp. Plin. Ep. VII, 24; et Lucan. I, 97.

[2] Vid. Burm. Catal. Argon.; Heyn. ad Apollod. p. 185; Munker. ad Hygin. Fab. XIV, et ad Anton. Lib. 26; Intpp. Propert. I, 20; et Theocr. id. XIII; Schol. ad Apollon. I, 131, et 1207 seq.; Barth. ad Statium Theb. V, 443.

Var. 168. *Ira*, 11, 21, a m. pr. et duo codd. mss. viri docti in Misc. Obss. crit. Vol. V, T. II, p. 267.

Not. 168. *Inde iræ* in te *et lacrymæ*, non pœnitentiæ, sed quales effundit rabies et ultionis ardens sitis; Ach. Poeta respexit locum Terentii, Andr. I, 1, 99:

Hinc illæ lacrumæ....

— *Ergo tecum hæc*, quæ dixi et monui, ut caveres, pericula satiricis imminentia, invidiam, odium et pœnas, *voluta prius animo* (ut apud Virg. Æneid. IV, 533; VI, 158, 185), solertius perpende, *ante tubas*, antequam tuba classicum canatur, et in hostem impetum facias, ante initium pugnæ (ut et apud Virg. Æn. XI, 424; et hinc apud Sil. IX, 52; Claudian. in Rufin. I, 333, et laud. Stilich. I, 192), hoc est, antequam scribas et satiris aliquem, imprimis potentiorem, lædas et perstringas. Pœnas illas minabantur etiam leges XII tabularum, si mala condidisset in quem quis carmina; quod facete interpretatur Horat. Sat. II, 1, 80 seq.

Var. 169. *Nec*, 58. *Hæc anima ante tubas* vel *tubam* alii, teste Ascensio. *Hæc animæ ante tubas*, 66. *Hæc anime ante tubam*, 51, 55. *Hæc anime ante tuba*, 54. *Ex animo ante tubas*, cod. Alex. non improb. Ach. *Hæc, anime, ante tubas*, 49, 61, 62, 63, 65, 67, 68, 71, 74, 78, 79. Priscianus, lib. XVIII, et antiquiss. codd. teste Mancinello et prob. Rigalt. ut poeta se ipse adhortetur, ut apud Quintil. IX, 2: *Dura, anime, hodie dura*, et apud Pind. Olymp. II, 160:

Ἔπεχε νῦν σκοπῷ τόξον,
Ἄγε, θυμέ....

Tecum prius ergo voluta Hæc animo ante tubas, 81, 82 et al. *Animante tubas*, 80. *Voluta Hæc: animante tuba galeatum sero duelli pœnitet*, 2, 10, 15, 16, 17, 19—28, 45—48, 50, 52, 53, 56—60, 64, 65, 75, 76, XXXIV codd. Paris. et VI Hafnienses, quod revocavit Ach. tamquam vividius et elegantius. Sed vulgatam lect. defendit Heinr. his verbis: « *Animante tuba* etsi satis animose dictum censeri potest, hæc tamen animositas in loquendo non satis placet, quæ propior est insolentiæ. Deinde vero sic *animante tuba*, quædam dispar compositio orationis existit, qua poetæ ingratiis illius integra concinnitas turbatur, dum, abrupta subito oratione post voc. *hæc*, priora ista pæne jejuna fiunt propter nimiam dictionis brevitatem, et reliquis contra aliquæpiam abundantia obtruditur, minus apta: nam *galeatus* per se explet satis sententiam: alterum vero *ante tubas*, scil. inflatas, est aptissimum. » Confer Comm. *Exanimante tuba*, 11, prob. Schurzfl. cujus nota est hæc: « Ait auctor, quum tuba jam militem sonitu suo tantum non exanimat, sero nimis in bellum abiisse pœnitet; et ita sane videtur Schol. vetus legisse, quum explicat metaphoram: *tarde pœnitet indixisse bellum, quum jam pugna commissa*. » Immo Schol. legit *animante tuba*, aut *ante tubas*.

Not. 169. *Galeatum* militem, armatum, qui jam *galeam* armaque induit, et prælium iniit, unde pedem referre non possit: *duelli*, pugnæ, *pœnitte*

sero, postquam victus et vulneratus est. Ita te consilii sero pœnitebit, si aliquem lacessiveris carmine, et ad vindictam provocaveris. Adnotatio Heinr. est hæc : « Illud *ante tubas* suppeditavit Virgilius, Æneid. XI, 424 (unde et petiit Claudianus, laud. Stilich. I, 192), nisi vero, propter hunc ipsum, archetypa scriptura hoc loco videatur *tubam*. Convenientissimum est loco ingenioque Juvenalis, qui sæpissime sumptas a Virgilio loquendi formas, bono cum effectu, in suam rem convertit. Vide saltem supra v. 61, coll. Virg. Æn. II, 477 (ubi tamen non *puer Automedon*), sed

.... Equorum agitator Achillis
Armiger Automedon....

Sat. II, 99, 100; VI, 44 (vid. supra ad v. 36); XII, 94, etc. Nimirum Æneidi Virgilianæ plurimum ista ætas tribuit : cujus quum singuli pæne versus Romanis lectoribus prompti essent, id commodum accidit Juvenali et aliis scriptoribus, unde sibimet ipsi auditorum plausus colligerent. *Galeatus* non est simpl. miles, ut fere VIII, 238; sed est, ut *mulier galeata*, VI, 252, galea indutus, sive, qui capiti galeam imposuit, prælium ingressus. Id enim fiebat ex more, ut milites, quemadmodum res oculis subjicitur in Columna Trajana, galeam ante pugnam ad humerum dextrum appensam gererent, eaque caput obtegerent tum demum, quum prælium inciperet. Confer Hirt. de Bello Afric. 12. Parum recte hac de re dubitat Fabrettus ad Column. Traj. pag. 213. »

Anal. 170, 171. Poeta respondet monitori : Si vivos sine periculo carpere non possum, mortuorum vitia vocis libertate perstringam. Huic quidem promisso non satisfecit, et passim vitia sui ævi et hominum tunc temporis viventium notavit, sed numquam fere aliorum, quam ignobilium, et qui minus gratia imperatorum valebant, adeoque minus ei nocere poterant; de potentibus autem, vel ipsis adeo Cæsaribus, mutatis tantum et fictis nominibus egit; vel ita, ut, quæ diceret, ad alios etiam referri possent.

Not. 171. Ad vias, præcipue *Flaminiam* (vid. supra ad versum 61), *Latinam* et Appiam, Romani exstruere solebant sepulcra, quorum latebris sæpe latrones se occultasse notum est; unde multa exstant epigrammata in *viatores*, et in inscriptt. passim fit mentio viatorum [1]. — *Latina* via, teste Strab. V, inter Appiam et Valeriam sita et lapidibus strata ab Urbe ad Sinuessam, opp. extremum Latii, per Algidum et Tusculanos colles ad Ferentum, Frusinonem aliasque civitates nobiles tendens : ad quam exstructa sepulchra, quoniam lege XII tab. sancitum erat, ne quis in Urbe sepeliretur; Ach.

[1] Confer infra sat. V, v. 55, et sat. VIII, v. 146; Martial. lib. VI, 28, 5; lib. XI, 14, 1; Kirchman. de Funer. Romanorum, lib. II, 22.

SATIRÆ SECUNDÆ

ARGUMENTUM.

Arguitur Satira probitas simulata secunda.
Carpitur hac Satira probitas simulata secunda.
Hypocritas damnat, in quos Lauronia clamat.
Dat caussam pœnæ quod Martem poscit amœne.

IN, SIVE CONTRA HYPOCRITAS. — DE PHILOSOPHIS OBSCŒNIS. — DE FICTIS MORIBUS INSTITUTIS. — HYPOCRITÆ.

Magna nunc Romæ est pessimorum multitudo hominum, qui, vultu et sermone speciem sapientiæ ac virtutis præ se ferentes, vitia, quibus ipsi indulgent quam maxime, verbis pœnisque castigant, tristes in publico, domi obscœni, v. 1—28. Neque id mirum: nam perniciosum hujus simulationis exemplum Princeps et Censor severus, tragico nuper pollutus adulterio, edidit, quod certatim imitantur senatores ac nobiles, qui muliebria tam facientes quam patientes, et sericis perlucidisque vestibus induti mollitiem tamen acrius increpant, v. 29—78. Horum contagio cujusque mox ordinis et sexus homines trahet, v. 78—81: ipsi vero paullatim, ut vulgo fit, ab illa turpitudine ad majorem delabentur, et in consortium fœdorum muliebriumque recipientur virorum, qui, sexum, habitum, ornatum, vultum, vocis exilitatem incessumque feminarum mentientes, sacra Bonæ Deæ celebrant; et, Othonis imperatoris exemplo, in ipsis castris vel speculis utuntur, vel faciem linunt pane madido, v. 82—114. Non desunt etiam, heu nefas! viri, iique summo loco nati, ac sacerdotes, qui data dote viris nubunt, nihilque magis dolent, quam quod nequeunt parere, v. 115—142. Quod tamen omnium turpissimum est ac portento simile, viros, genere et nobilitate, hujus civitatis facile principes, non pudet gladiatorum, et vel retiariorum, qui nuda facie pugnant, partes agere, v. 143—148. Quæ monstra hominum, si vera essent, quæ de Manibus et inferis poetæ fabulantur, adspicere olim in Orco horrerent Curii, Fabricii, aliique spectatæ virtutis viri, v. 149—158. Quid enim prodest, imperium nostrum orbis terrarum terminis definiri, si barbaros populos, quos vicimus armis, etiam

vitiis superamus; et peregrini, qui ad nos commearunt, mox perditos induunt mores nostros, atque in patriam suam referunt? v. 159—170.

SATIRÆ SECUNDÆ

ANALYSIS.

De hujus satiræ summa ac descriptione, de partium convenientia et artificio dispositionis, callide artem celantis, egregie disputavit Heinrich. in sec. specim. Commentat. in Juven. Satiras p. 6 seq. ubi hæc leguntur: « De philosophis obscœnis agi, v. 1—65, et hos esse *tristes obscœnos*, clamant uno ore, quicumque huc quidquam attulerunt. Sed hic philosophos vides, non umbraticos magistros suæque artis professores et doctores, quales Romæ tum erant Artemidorus, Epictetus, multi alii; immo homines inductos in forum et judicia publica, leges ac jura citantes, atque adeo scenam omnem plane instructam judicialem in modum. Vel hoc licet mirari: attamen alterum multo magis, quod subito his dimissis,

Qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt,

statim a v. 65, deflectit ad contrarium genus; sicque mutat ingenium, ut pro philosophis, turpitudinem vultu dissimulantibus, nunc prodeant alii, qui infamiam quamlibet palam habent, et parum absunt, quin etiam flagitia sua cupiant *in acta referri*. Addit postremo illud monstro simillimum, quod viros, nobilissimis gentibus ortos, non pudet, quo placeant domino, vulgo inspectante, arenæ operam dare ac volutari in servilibus ludis gladiatorum. Debent hæc quidem disjuncta videri: in quibus conciliandis tamen apparet felix audacia poetæ et non vulgare ingenium. — Aperienda est via ad intelligendum elementis rerum explicandis, quæ huic satiræ scribendæ opportunitatem atque materiam dederunt. Et primum, id quod vulgo negligentissime faciunt, accurate animo informemus faciem temporum, in qua quidem repræsentanda totum satiræ argumentum versatur, quoque omnis refertur et indignatio et cogitatio scriptoris. Ecloga hæc quum tota referat tempora, sive, ut novo modo loquimur, *genium sæculi* Domitiani, tum aut scripta

est adhuc imperium tenente Domitiano, et interea scriniis retenta; aut statim post cædem tyranni: ut certum videatur, satirarum, quas quidem edidit Juvenalis, tempore primam omnium esse habendam hanc nostram. Præcipue sunt memorabiles versus 29—33, in quibus quodammodo spirat, si dicere licet, argumenti anima, et viget recens asperitas ex nupera atrocitate facinorum. Domitiani hic notari infamiam, sine controversia demonstrat additum *nuper*, rem plane significans, quæ erat proxime commissa, quamvis fortasse plurium intervallo annorum; quæ est sermonis consuetudo in talibus ponendis adverbiis. Accedit huc confirmatio ex loco Plinii Epp. IV, 11, 6, res peræque conjungentis, quum Domitianus Corneliam, Vestalem Maximam, specie incesti, defodi imperasset: « Nec minore scelere, quam quod ulcisci videbatur, absentem inauditamque damnavit incesti, quum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum, verum etiam occidisset: nam *vidua* abortu periit. » Quibus in verbis extremis, de veritate lectionis *vidua*, non debebat prætermitti utilis annotatio Reimari ad Cass. Dion. p. 1102, l. 82. Posita Juvenali plurativa ex vero sic intelligunt, Juliam non unum, sed plures fecisse abortus; nam minime inaudita Latinis *abortui* significatio, qua ponitur pro *abortu*; nec refellitur id saltem collatis mentionibus ceterorum scriptorum, et satis credibile fit diuturnitate fœdæ imperatoris cum Julia habitæ consuetudinis: de qua memorat Cassius Dio, LXVII, 3; et ipsos annos computat, nimio, ut multis in aliis rebus, acumine, Dodwellus Ann. Quintil. p. 127. Fecit tamen poeta fortasse benignius, turpe facinus numero augens, quemadmodum loqui solemus indignabundi. Nobis Dioni sufficit credere, a quo scelus refertur ad annum U. c. 836, post C. N. 83, quum annum jam tertium *Flavius ultimus semianimum orbem laceraret.* Sed non obscure ipse arguit Juvenalis, hoc eodem tempore factum fuisse, ut Principis edicto *leges amaræ* in usum revocarentur: itidemque rem colligit Dodwellus l. c. De his legibus revocatis nihil præter incertos rumores conferunt ad Juvenalem: quod minus miramur in tanta, tam hodie pervulgata, neglectione Juris Romani scientiæ. Non solum reductam legem Juliam, verum quibusdam etiam accessionibus auctam Domitiano, unus satis docuit Jo. Guil. Hoffmannus ad L. Juliam, c. IX, §. 5; non tamen in eo satisfaciens, quod pæne nullam ob caussam eidem anno tribuit revocationem, quo Domitianus IX Consul fuit, hoc est, ei ipsi anno, quem meliorem ob caussam diximus antea. Jam vero intuenti teterrimum vultum istorum temporum, ad animum

incorruptum nihil accidere poterat intolerabilius, nihilque acrius indignationem movere, quam quod tyrannus, qui bellua esset, non homo, et ad genus omne flagitii turpitudinisque natus esse videretnr, dum quotidie ipse dirissima summæ infamiæ exempla præberet, simul tamen severus virtutis vindex, ac morum per orbem corrector restitutorque videri vellet. Adhuc ab Augusto inde imperatores, licet reliquis in se translatis muneribus, tamen plerique *Censuram*, omnium honorum longe maximum, κορυφὴν τιμῆς ἁπάσης καὶ πολιτείας ἐπιτελείωσιν, ut dicit Plut. Cat. maj. c. 16, noluerant saltem nomine, quod esset invidiosum, usurpare, et quamvis re habentes potestatem Censoriam, non tamen verbo dici jactarique Censores. Vide Fabric. ad Dion. p. 714, l. 85, et multo magis Spanhem. de pr. et usu num. Vol. II, p. 472 seq. ed. Lond. Nunc vero denique Domitianus surrexit *Censor Perpetuus*, et *Censoriæ Potestatis* impudentissimus ostentator; idque maxime ab a. U. c. 838, post C. N. 85, v. Dion. p. 714, l. 84 seq. et iterum p. 1104, l. 19, τιμητὴς δὲ διὰ βίου πρῶτος δὴ καὶ ἰδιωτῶν καὶ αὐτοκρατόρων ἐχειροτονήθη, propter annum autem, notata ex numis ibid. l. 18, sed præcipue de re tota Spanhem. p. 478. Hic igitur novus atque eximius promptæ adulationi locus inventus erat, et, quem totus orbis exhorrescebat eum multi concentu suavissimo consalutabant *Censorem maximum*, *Censorem sanctissimum;* inque his Quintilianus IV, Procem. 3; quem tamen belle excusat mitis sapientia Gesneri: « Concedendum est, inquit, homini beneficiis et metu devincto. » Quemadmodum autem illis versibus hæc maxime petitur contemptissima in tali Principe Censoriæ simulatio severitatis, per quam latæ contra libidines leges, ac nuper ambitiosius revocatæ, magnam judiciorum et condemnationum frequentiam præbere cœperant, ita, nisi nos nostra plane fallit opinio, ex ea re ipsa potissimum est tracta hujus vis omnis ac materia satiræ. Exstabat scilicet clarum exemplum Principis, qui, Censoris titulo in perpetuum sumpto, modo fortiter correctionem morum flagitiorumque coercitionem susceperat; conf. Suet. Dom. c. 8: quod quidem exemplum tum facile multi, quo plus ipsi essent perditis moribus, eo acrius vehementiusque imitabantur; et mox certatim personati Catones, Principis cælestem auctoritatem (*cælestia judicia* prædicat Quintil. l. c.) Dominique, *sanctissimi Censoris* videlicet, divinum exemplum testantes, ipsi etiam vultu et loquela Censoriam gravitatem mentientes, forum et judicia occupabant, ut ex lege Julia maxime mulierum crimina et adulteria publicis accusationibus persequerentur. Sane jam dudum

fœdissima adulteriorum licentia et consuetudo Urbem invaserat : magna erat in feminis morum pravitas ; sed etiam in viris major et effrenatior : quanto igitur invidiosius se efferebat proterva istiusmodi simulatio accusatorum ! Illuc redeunt plura satiræ loca, quæ sententiam habent, aut obscuram, aut ambiguam, nisi ad talem rerum speciem accepta, quorumque vis omnis sita est in simulatione vultus Censorii, ad imperatoris exemplum isto tempore Romæ vulgata. Sic statim initio satiræ v. 2, *quoties aliquid de moribus audent*, h. e., de morum correctione; deinde v. 40, *Tertius e cælo cecidit Cato ;* v. 63, *vexat censura columbas ;* v. 121, *censore opus est, an aruspice nobis ?* In quibus locis verba ipsa rem clare indicant, quam hic intelligi volumus. Itaque totum carmen est tinctum acerbissimo sensu poetæ stomachantis odiosam affectationem sanctitatis et gravitatis, qua illa ætate et ipse Princeps furebat, et furebant multi alii, cælesti exemplo vitiis specieque simillimi. — Nunc vero horum ipsorum severæ legis proclamatorum rationem necesse est intueri paulo acrius, ut plane appareat, illos homines esse illustri loco natos, atque primorum in civitate ordinum ; senatores et quoslibet nobiles : quales perditis quibusque temporibus primi fere existere solent auctores corruptelæ ac turpitudinis, ab ipsis deinde ad vulgus manantis ; quod Juvenalis ipse dicit, nimirum edoctus experientia, v. 78 :

.... Dedit hanc contagio labem
Et dabit in plures....

Nobiles tantummodo agnoscunt in parte carminis extrema, ubi errare nimirum nemo potest, inde a v. 143. Ceteroquin, re ignorata, non potuit recta esse interpretatio. Ita *Sextum* v. 21, Stoicum putant : ubi, quod unice verum est, monstrat docta brevitas veteris scholii : *Sexte, Senator.* Mox v. 67 et 78, nescientes, quid faciant *Cretico*, postremo judices intelligi jubent ; quamquam hoc vel propterea falsissimum est, quod idem Creticus eodem in versu *perorare* dicitur, et paulo post v. 71, *agere*, atque eidem etiam v. 75, 76, *judex* cum *teste* opponitur. Et hoc quoque in loco verum continet vetus scholium : « *Cretice* : hoc nomine vel quemlibet nobilem significat, vel Julium Creticum, qui sub Cæss. illustris caussas egit. » Illud prius tenendum esse docetipse Juvenalis iterum posito nomine VIII, 38, *ne tu sis Creticus, aut Camerinus :* et ibi rursus scholium bene : *Ne sis tantum nominibus nobilis.* Jam demum de philosophis erit perspicuum, quale genus poetæ sit obversatum. Ut Stoicus non est is qui *Sextus* nominatur v. 21, ita hæc tota pars satiræ v. 1—65,

nec Stoicos spectat, nec Cynicos, neque omnino tales sapientiæ professores, ad quos Urbe Italiaque ejiciendos tunc novum Domitiani edictum pertinebat. Neque ad rem quadrant verba Quintil. I. Procem. 15, de ostentantibus ex professo philosophiam. Alius est autem, qui egregiam lucem afferat, locus ejusdem scriptoris XII, 3, 12, ubi notantur homines « pigritiæ arrogantioris, qui, subito fronte conficta (hæc vera lectio) immissaque barba, paulum aliquid sederunt in scholis philosophorum, ut deinde in publico tristes, domi dissoluti, captarent auctoritatem contemptu ceterorum. » Ad quem locum apparere ait Gesnerus, hic etiam peti invisos Domitiano philosophos. Immo respici eosdem apparebit, qui Juvenali v. 9, dicuntur *tristes* in publico, domi *obscœni;* v. 4, *indocti*, simulatores quidem, sed tamen rudes præceptorum, quippe qui vix primis labris attigerunt aliquot scholas, multum arrogantiæ, ex iis, sapientiæ parum, haurientes; v. 52, *strepitu fora moventes*, in judiciis, non in scholis versantes; non denique *Stoici*, sed, verbo significanter rem exprimente, *Stoicidæ*, tamquam filii, aut potius simiæ philosophorum. Atqui inter hos ipsos et philosophos tantum discriminis erat, ut illis nullum aliud genus in civitate magis fuisse videatur obsequiosum et dilectum imperatori; dum hi quidem, qui publice scholas habebant, ceterum longe a foro judiciisquè abhorrentes atque inde etiam legitima civilium munerum vacatione disjuncti; v. auctores nominatim commemoratos ad Plin. Epp. X, 66, 1; contumaciæ caussa jam a principatu Augusti (ad quem præclara ea de re Mæcenatis sunt verba apud Dionem p. 689, l. 48, seq.) suspecti Cæsaribus erant, et post Vespasianum iterum Domitiani odio Italia expellebantur. Illa igitur, prompta serviendi adulandique facilitate satis tuta ab exsilio, natio, plerumque nobiles erant et senatores; quo præter reliqua etiam ducit v. 129, ille *clarus genere atque opibus vir :* verum hi omnes rursus divisi in duas partes diversas : pars ἐκ παίγνιος σοφοί, quorum *hispida membra quidem, et durœ per brachia setæ promittebant atrocem animum*, v. 11, 12, in quos adeo Tullianum valebat illud *Stoici pœne Cynici* Cic. Off. 1, 35; contra alii, venusti ac delicati, vestituque et universo corporis habitu ad omnem munditiem expoliti, *Stoici pœne Epicurei*, quique, cultu et amictu, Antonio, quam Zenoni aut Chrysippo, similiores se ostendebant. Ad hos paulo abruptior transit oratio a v. 65, quos tamen non esse a *Stoicidis* sejungendos, nisi mox *Creticus* doceret v. 77 :

Acer, et indomitus, libertatisque magister,

videlicet Stoicæ, id intelligi ex omni sententiarum contextu oporteret. Ceterum in superioribus etiam nonnulla moris Stoicorum habent significationem, quæ vulgo minus animadvertuntur. Stoicæ disciplinæ assectatores male audiebant ab infami libidine, ut molles et catamiti: καταμαδίαι, quæ est origo vocis Latinæ, Lexicographis ignota; παιδεραστῶναι appellati ab Hermia in iambis ap. Athen. XIII, p. 563, E, ubi statim ipse Athenæus, Antigono Carystio auctore, addit: καὶ τοῦτο μόνον ἐζηλωκόσι τὸν ἀρχηγὸν τῆς σοφίας Ζήνωνα τὸν Φοίνικα, ὃς οὐδέποτε γυναικὶ ἐχρήσατο, παιδικοῖς δ' ἀεί. Conf. Diog. Laert. VII, 13, ex verissima emend. Schweig. Anim. in Athen. T. VII, p. 36. Et sic *verba Herculis* dicta sunt v. 20, grandia quidem ac magnifica, qualibus Hercules uteretur, ut exponunt; sed cum respectu ad Stoicos pæne Cynicos, qui Herculem se imitari dicebant, ad ejusque personam, quum reliquum habitum, tum vero etiam vocis sonum et granditatem verborum conformabant: v. Menag. ad Diog. Laert. VI, 2. Rem eamdem Hermias expressit apud Athen. l. c. vocabulo apto et elegante, τραγῳδεῖν, quique ibidem Στόαχις vel Στόαχος per contemptum, tanquam *Stoici pusilli*, sive *Stoiculi*, dicuntur; eos jam Grangæus haud indocte cum Juvenalis *Stoicidis* comparavit: non tamen adeo certam putamus scripturam, quæ nunc Athenæi in libris vulgata est, ut de illius integritate nihil amplius quærendum videatur.

Hæc omnino probabiliora sunt, quam sententia et Crenii, qui in animadvers. philol. et hist. P. XIII, p. 17, versus 1—65, retulit ad collegium a Domitiano Minervæ institutum, et omnium poetæ interpretum, qui eos spectare putant ad philosophos tunc temporis viventes, atque propter morum pravitatem Urbe et Italia expulsos edicto Domitiani (qui tamen majus in philosophorum pertinaciam et libertatem loquendi, quam improbitatem et vitia, odium habuisse et hoc illi prætendisse censendus est; de quo vid. Sulpiciæ Sat.); nam in verbis potius convenire, quam ad rem quadrare videntur similia, quæ de philosophis dixere Quintilianus (potissimum in Procem lib. I, Inst. Or. § 15: «Veterum quidem sapientiæ professorum multos et honesta præcepisse, et, ut præceperunt, etiam vixisse facile concesserim; nostris vero temporibus sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt: non enim virtute ac studiis, ut haberentur philosophi, laborabant, sed vultum et tristitiam, et dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus prætendebant), Lucianus in Cynico, Timone § 54—58, Nigrino, Hermotimo aliisque dialogis his similibus (Lucianus enim præcipue philosophis

tum viventibus infestus erat, eorumque vitia miro passim sale perfricuit), Gellius I, 2; IX, 2; XIII, 8, (*vitia facundissime accusant, intercutibus ipsi vitiis madentes*); XIII, 23: Martialis IX, 47, al. 48, in Pannicum, et alii, quos *Jacobs* ad Anthol. Gr. T. I, P. I, p. 134; Gataker. ad M. Antonin. p. 277, et Wetsten. ad Ep. Pauli ad Rom. II, 24, laudarunt, impr. vero Dio Chrysost. in oratione Alexandriæ habita περὶ σχήματος, quam huic satiræ ex asse respondere dixit Henninius.

SATIRA SECUNDA.

Ultra Sauromatas fugere hinc libet, et glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt.
Indocti primum; quamquam plena omnia gypso
Chrysippi invenias: nam perfectissimus horum est,
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit.
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.
Fronti nulla fides: quis enim non vicus abundat
Tristibus obscœnis? castigas turpia, quum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinædos.
Hispida membra quidem, et duræ per brachia setæ
Promittunt atrocem animum; sed podice levi

SATIRÆ SECUNDÆ INTERPRETATIO.

1. Est impetus ultra Sarmatas hinc aufugere, et ultra septemtrionalem Oceanum, glacie concretum, quotiescumque illos audio verba de moribus emendandis magnifica facere, qui sermonem Curiorum et vultum sibi sumunt, licet eadem, qua vivitur in bacchanalibus licentia, vitam ipsimet turpem et flagitiosam agant. Primum quidem sunt admodum imperiti; doctrinæ tamen famam captant, coacervandis domi suæ philosophorum, atque inprimis Chrysippi statuis, factis e gypso; isque inter illos censetur esse doctissimus, qui Aristotelis imaginem ipsi Aristoteli simillimam, aut Pittaci emerit; et in museo suo, tamquam ejus custodes, ostentet has Cleanthis effigies, ad quas velut ad archetypos, aliæ effinguntur.

8. Non habenda fides eorum fronti: quæ enim regio non abundat iis hominibus, fronte quidem severis, vita vero obscœnis. Reprehendis vitiosos; at, tu ipse es notissimus inter cinædos, qui turpia ea patiuntur, quorum insimulatus est Socrates. Membra quidem eorum pilis hirsuta sunt; et villi, quibus operiuntur brachia, masculum quoque animum spondere videntur; sed podex pumice levigatus est; et hac in parte corporis, ipsis tumidæ pustulæ cæduntur, dum ridet

Cæduntur tumidæ, medico ridente, mariscæ.
Rarus sermo illis, et magna lubido tacendi,
Atque supercilio brevior coma : verius ergo
Et magis ingenue Peribomius : hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum incessuque fatetur.
Horum simplicitas miserabilis; his furor ipse
Dat veniam : sed pejores, qui talia verbis
Herculis invadunt; et de virtute loquuti,
Clunem agitant. Ego te ceventem, Sexte, verebor?
Infamis Varillus ait : quo deterior te?
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cælum terris non misceat, et mare cælo,
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni,
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Sullæ si dicant discipuli tres?

medicus, qui turpis morbi caussæ conscius est. Utuntur autem sermone parco et infrequenti; silentiumque pertinax iis plurimum placet; comam habent, stoicorum more, ita detonsam, ut superciliis brevior sit : ergo apertius ac simplicius agit Peribomius, qui non vitium dissimulat, sed suum morbum vultu et incessu fatetur; ita ut illum imprudentem peccare crediderim, et fato quodam rapi ad flagitia vel invitum. Horum ingenua confessio eos miseratione dignos facit; et ipse impotens furor veniam meretur. Pejores his simplicibus sunt illi, qui vitia, quibus ipsi contaminantur, increpant severis et gravibus verbis, qualibus Hercules ad incusandam voluptatem utitur; et postquam de virtute loquuti sunt, clunes agitant lascivo more. Varillus, libidinibus infamis, ait Sexto, senatori impudico : Cur ego te ceventem reverear? quanam re te deterior sum? Qui recto est corpore et firmis pedibus, rideat sane alium obtortis pedibus claudicantem : qui vultu est candido, eum rideat, qui, instar Æthiopis, niger sit. Quis vero non indigne ac moleste ferat, si audiat seditiosos Gracchos seditiones insectari? quis omnia perturbata esse non clamitet, cælumque terris mixtum, et mare cælo, si latroni succenseat Verres, Milo homicidæ? si Clodius in adulteros invehatur, Catilina in Cethegum? si Triumviri Syllam, quod cives

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu, qui tunc leges revocabat amaras
Omnibus, atque ipsis Veneri Martique timendas,
Quum tot abortivis fecundam Julia vulvam
Solveret, et patruo similes effunderet offas.
Nonne igitur jure ac merito vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, et castigata remordent?
Non tulit ex illis torvum Lauronia quemdam
Clamantem toties: ubi nunc lex Julia? dormis?
Ad quem subridens: felicia tempora, quæ te
Moribus opponunt! habeat jam Roma pudorem!
Tertius e cælo cecidit Cato: sed tamen unde
Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo
Quæ tibi? ne pudeat dominum monstrare tabernæ.
Quod si vexantur leges ac jura, citari

proscripserit, accusent, qui eum, ut magistrum discipuli, sunt in eo ipso imitati? Qualis erat nuper imperator, ille adulter, pollutus infando suæ neptis concubitu, qui leges revocabat metuendas non solum omnibus Romanis qui mœchantur, sed ipsis quoque adulteris Veneri et Marti, eo ipso tempore, quo Julia, ejus fratris filia, tot abortivis medicamentis abigeret et effunderet e fecunda vulva immaturos fœtus, similitudine quadam accusantes patruum, qui eam incestaverat? Nonne igitur merito facinorosissimi homines derident illos simulatores probitatis, qui Scauros imitari se fingunt; quumque ab hypocritis ejusmodi reprehenduntur, nonne ipsi vicissim eos merito vituperant ac redarguunt?

36. Lauronia, e plebe mulier, unum aliquem ex illis, qui vultu severo ac tetrico sanctimoniam præ se ferebat, non potuit palam non carpere. Quum enim ille sæpius in eas voces erumperet: O lex Julia, qua puniuntur adulteri, ubi tandem es? an dormis? tunc Lauronia subridens illi: O felicem, inquit, nostram ætatem, quæ in te habeat specimen et exemplar probitatis, quo mores hujus ævi perditissimos refutare possit? jam Romanos peccare pudeat; nam *en tertius Cato e cælo ad nos emendandos delapsus est.* Age tamen, oro te, qua in officina venduntur odores pretiosi, et succi balsamei, quibus collum tuum, licet barbatum et villosum, est delibutum? Ne te, oro,

Ante omnes debet Scantinia : respice primum,
Et scrutare viros; faciunt hi plura; sed illos
Defendit numerus, junctæque umbone phalanges.
Magna inter molles concordia : non erit ullum
Exemplum in nostro tam detestabile sexu.
Tædia non lambit Cluviam, nec Flora Catullam :
Hispo subit juvenes, et morbo pallet utroque.
Numquid nos agimus caussas? civilia jura
Novimus? aut ullo strepitu fora vestra movemus?
Luctantur paucæ; comedunt coliphia paucæ.
Vos lanam trahitis, calathisque peracta refertis
Vellera : vos tenui prægnantem stamine fusum
Penelope melius, levius torquetis Arachne;
Horrida quale facit residens in codice pellex.
Notum est, cur solo tabulas impleverit Hister
Liberto; dederit vivus cur multa puellæ.

pudeat edere mihi nomen illius unguentarii. Quod si appellantur a te leges, et moleste, quasi dormientes, excitantur, Scantiniam illam contra nefandam Venerem, profecto præ ceteris appellari par est. Viros contemplare, et eorum mores scrutare: gravius peccant feminis, sed numero se tuentur contra legum severitatem, ut milites multi junctis clypeis conferti hostem arcent. Magna est inter molles pathicos concordia; nec ullum erit exemplum adeo infandum in nostro sexu. Tædia, licet impudica mulier, non lambit Cluviam, nec Flora Catullam. Hispo vero lambit juvenes, et pallet libidine exsanguis, dum pædicat et pædicatur. An aguntur a nobis caussæ, an callemus jura civilia, aut clamoribus nostris fora vestra turbamus? paucæ feminæ pugilatu et luctatione exercentur; paucæ vescuntur illis panibus, quibus utuntur athletæ ad corroborandas vires. Vos e colo ducitis lanam, o viri; et in vimineis cistis perfecta pensa reportatis; vos fusum, cujus media pars involuto circum filo intumescit, quasi prægnans, doctius et citius, quam Penelope, aut Arachne, contorquetis; quale facit agrestis illa serva, residens alligata trunco ligneo, quia ab uxore domini sui in adulterium cum ipso deprehensa est. Omnes norunt cur Hister libertum suum solum ex asse hæredem tabulis testamenti inscripserit; et cur, dum

Dives erit, magno quæ dormit tertia lecto.
Tu nube, atque tace : donant arcana cylindros.
De nobis post hæc tristis sententia fertur :
Dat veniam corvis, vexat censura columbas.
Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem
Stoicidæ : quid enim falsi Lauronia? sed quid
Non facient alii, quum tu multicia sumas,
Cretice, et hanc vestem populo mirante perores
In Proculas et Pollitas? est mœcha Labulla;
Damnetur, si vis, etiam Carfinia : talem
Non sumet damnata togam : sed Julius ardet;
Æstuo : nudus agas! minus est insania turpis.
En habitum, quo te leges ac jura ferentem,
Vulneribus crudis populus modo victor, et illud

viveret, multa dona dederit suæ uxori. Illa dives erit, quæ dormit cum viro et viri liberto in lecto, qui ad hoc nefas amplior est. Tu, nube, quæcumque sis, et tace infamiam mariti; hoc nempe silentio tibi comparabis omne lapillorum et divitiarum genus. Et fertur tamen contra nos, tanquam reas, feralis sententia, dum viri abeunt absoluti! *Nempe a censoribus notantur et plectuntur columbæ; corvis ignoscitur.*

64. Lauroniam hæc dicentem, quæ vera esse ac manifesta intelligebant illi præclari Stoici, pudore suffusi ac metu, fugerunt. Quid enim illa falsum dictitabat? Age vero quum tu patronus nobilis, et oriundus ex illo Metello, qui Cretieus est nuncupatus, bombycinam vestem, mollissimam ac tenuissimam induas, eaque indutus, quam populus miratur, inveharis in adulteras, Proculæ ac Pollitæ similes, quid non audebunt ignobiliores alii? quas exemplo tuo vestes sumere verebuntur? Labulla est adultera, sit ita sane; condemnetur, non recuso : feratur eadem, si lubet, in Carphiniam sententia; neutra tamen togam adeo mollem ac delicatam induet, adulterii damnata. At enim, inquis, sævit æstus; hoc mense Julio calorem tolerare non possum; auctor ego tibi sum, ut nudo potius corpore declames, quam ista tam molli utaris veste; nec eorum reprehensionem verearis, qui te insanum dixerint, si nudum videbunt; minus turpe est, insanum existimari, quam impudicum. Ecce hunc habitum egregium, in quo te priscus ille Romanus populus

Montanum positis audiret vulgus aratris.
Quid non proclames, in corpore judicis ista
Si videas? quæro, an deceant multicia testem?
Acer, et indomitus, libertatisque magister,
Cretice, perluces : dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures; sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit et porrigine porci,
Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.
Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu.
Nemo repente venit turpissimus : accipient te
Paullatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus, et toto posuere monilia collo,
Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam : sed more sinistro

in sylvis et montibus educatus, aut a bello recens post victoriam de hostibus reportatam, ostentansque vulnera cruore adhuc manantia, aut redux ab agris, post aratra deposita, spectaret audiretque leges proponentem, et jura civitati dantem! Ego te ipsum consulo : num illas tenues ac pellucidas vestes convenire testi arbitraris? quonam igitur pacto judicem decebunt? nonne indignissimas illo esse, ac jure quidem clamabis? tune, o Cretice, qui austeram virtutem, et omnibus libidinum telis insuperabilem profiteris, pellucidam vestem gestas? nimirum ex flagitiosorum hominum contagiosis exemplis hanc mollis effeminatæque vitæ labem traxisti : nec ibi sistet morum ista contagio ; serpet ad plures, qui tuis vicissim exemplis inquinari se sinent, sicut integer grex, ob unius porci scabiosi et porrigine laborantis morbum, per agros interit; et uva tabescit corrumpiturque, si prope uvam aliam tabidam et livido colore suffusam posita fuerit.

82. Ab hac vestitus mollitie gradum olim facies ad flagitia graviora. *Nemo enim statim ad summum improbitatis culmen evadit.* Brevi suum in gregem te pertrahent illi Albani sacerdotes, qui capita induunt prolixis redimiculis, atque colla tota monilibus circumdant, et Bonæ Deæ teneram immolant suem, hujusque abdomen pingue, et vas ingens vino refertum ad eam placandam offerunt. Sed, more penitus contrario illi mori qui Romæ in Bonæ Deæ

Exagitata procul non intrat femina limen.
Solis ara Deæ maribus patet : ite profanæ!
Clamatur : nullo gemit hic tibicina cornu.
Talia secreta coluerunt Orgia tæda
Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotytto.
Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos : vitreo bibit ille Priapo,
Reticulumque comis auratum ingentibus implet,
Cærulea indutus scutulata aut galbana rasa,
Et per Junonem domini jurante ministro.
Ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis,
Actoris Aurunci spolium, quo se ille videbat
Armatum, quum jam tolli vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti

sacris usurpatur, expellunt omnes templo mulieres, et viris solis ad aram aditum patere volunt. Procul este, o profanæ, exclamant, nullæ hic tibicinæ ad canendum cornibus adhibentur. Non dissimili modo Baptæ sacrificia olim nocturna, et enthusiastica secreto celebrarunt accensis facibus, in honorem Cotyttus, Deæ libidinum apud Athenienses, quam saltibus continuis, lascivis gestibus, clamoribus, atque omni genere obscœnitatum fatigare solebant. Videas unum aliquem ex iis præclaris sacerdotibus, qui supercilium madenti fuligine imbutum, calamistro componat oblique ducto, ac pilos singulos carpens, extendat; idem palpebras pigmento aliquo inficit, oculos nictantes ac tremulos identidem attollens : alius vitreo utitur scypho, Priapi figuram referente; prolixis crinibus reticulum filis aureis discretum implet, dum splendent vestes coloris cærulei, aut galbanei, e panno raso, vel in morem brevium scutorum variato : interim servus, qui poculum ei porrigit, jurat per Junonem, quam nempe ab hero suo, mulierum more, coli videt. Alter præfert manu speculum, quod Otho effeminatus et pathicus imperator, non secus atque olim Turnus hastam Actori Aurunco ereptam gestabat, et in quo se armatum contemplabatur, quum exercitum in hostes sublatis signis educi juberet. Enimvero speculum inter præcipuas sarcinas imperatoris, civile bellum ge-

Historia, speculum civilis sarcina belli!
Nimirum summi ducis est, occidere Galbam,
Et curare cutem; summi constantia civis,
Bebriaci campo spolium affectare Palati,
Et pressum in faciem digitis extendere panem:
Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Mœsta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.
Hic nullus verbis pudor, aut reverentia mensæ:
Hic turpis Cybele est, et fracta voce loquendi
Libertas, et crine senex fanaticus albo
Sacrorum antistes, rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum, conducendusque magister.
Quid tamen exspectant, Phrygio quos tempus erat jam
More supervacuam cultris abrumpere carnem?

rentis, numeratum, res est digna quæ in Romanis nostrorum temporum annalibus, et peculiari quadam historia legatur. Sane fuit illud præclari ducis facinus, Galbam senem interficere; fuit hæc civis eximii fortitudo, curare cuticulam, et genio constanter indulgere; hostem in agris Bebriacis lacessere, ad obtinendas imperatorii palatii gazas, ac ludicra ornamenta, velut opima spolia et victoriæ præmia; panis offulas madidas, et digitis compressas ac subactas, vultui levigando dealbandoque adhibere: quod neque a Semiramide, quæ arma bellica pharetramque, licet femina, gestabat, factum apud Assyrios fuit, neque a Cleopatra ob amissam Actiaca pugna victoriam navalem mœrente, et iram Cæsaris metuente.

110. Ceterum in hoc impuro sacrificulorum grege et contubernio, nulla est vel in loquendo, vel in potando verecundia: licentia maxima voces obscœnas balbutiendi, et faciendi quidquid turpissimum in sacris Cybeles fieri consuevit. Quippe illis impudicitiæ quasi sacris præsidet senex aliquis lymphatus, non tam spectandus ob crines canos, quam ob raram gutturis amplitudinem et immensitatem gulæ, ac dignus qui pretio conducatur, ut tales discipulos ad talia instituat. Sed quid exspectant illi viri? eos pridem oportebat amputasse sibi cum lapideis cultris, more Phrygiorum sacerdotum, eam carnem, qua viri sunt, ipsis inutilem muliebria patientibus.

Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem
Cornicini, sive hic recto cantaverat ære.
Signatæ tabulæ : dictum Feliciter! ingens
Cœna sedet : gremio jacuit nova nupta mariti.
O proceres, censore opus est, an haruspice nobis?
Scilicet horreres, majoraque monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?
Segmenta, et longos habitus, et flamea sumit,
Arcano qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus. O pater Urbis,
Unde nefas tantum Latiis pastoribus? unde
Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Traditur ecce viro clarus genere atque opibus vir:
Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,
Nec quereris patri? vade ergo, et cede severi

117. Gracchus dedit cuidam histrioni canenti, vel ære curvo, quod cornu est, vel ære recto, quod tuba est, quadringenta sestertia, sicut dotem, quam uxor suo viro portat. Matrimonii tabulæ ab eis subsignatæ sunt; faustæ precationes adhibitæ; ingens nuptiale convivium appositum; et, Gracchus, ut nova nupta, recubuit in gremio cornicinis sui mariti. O Romani proceres! egemusne censore, qui hæc flagitia emendet; an potius haruspice, qui hæc procuret monstra? an cohorresceremus vehementius, aut majus monstrum esse duceremus, si femina vitulum, vel agnum vacca pareret, quam quum hæc portenta scelerum audimus? ille Gracchus, Martis sacerdos, qui non semel sacros clypeos, ancilia nuncupatos, occulto loro inter se religatos et nutantes, per urbem, non sine labore et sudore saltando circumtulit, idem, mulierum more, vestem tæniis versicoloribus ornatam, et ad pedes usque demissam, nec non velum quo novæ nuptæ caput obtegunt, induit! o Mars, urbis Romanæ conditor et pater, quis hæc tandem scelera in populum tuum invexit? quæ labes priscos Latinorum pastorum, e quibus Roma primum coaluit, et sanctos mores eo usque sensim immutavit, ut tam fœda voluptatis prurigine eorum posteri ac tui laborarent? Ecce vir clarus genere et opibus nubit alii viro, et tu cessas interim; neque armatum galea caput, hæc intuens, moves; nec hastam terræ

Jugeribus campi, quem negligis! officium cras
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ caussa officii? quid quæris? nubit amicus,
Nec multos adhibet: liceat modo vivere; fient,
Fient ista palam, cupient et in acta referri.
Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quod nequeunt parere, et partu retinere maritos.
Sed melius, quod nil animis in corpora juris
Natura indulget: steriles moriuntur, et illis
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas præbere Luperco.
  Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi,
Lustravitque fuga mediam gladiator arenam,
Et Capitolinis generosior, et Marcellis,

incutis, neque apud Jovem patrem tuum quereris? vade igitur, et cede illo campo martio, quo severus judiciorum armorumque labor exercetur, si Romanos, qui tibi hunc sacrarunt, ita negligis. — Cras, inquit unus ex his hominibus, officium amico mane primo præstiturus sum in valle Quirinali.—Et quod officii genus præstiturus es amico, rogat alter? — Quid enimvero id curas, respondet ille? amicus, velut uxor, viri matrimonium init, et paucos testes vocat, ne res noscatur. Scio quidem hæc scelera clam admitti; sed si vita longior nobis suppetat, erit, erit illa dies, quum hæc palam fieri videbimus, immo etiam fastis annalibusque mandari. Attamen ingens ægritudo viros sic nubentes perpetuo angit; quod nequeunt parere, et liberis, hoc legitimi conjugii vinculo, fastidientes aliquando maritos retinere. Sed satius est naturam non dedisse mentibus jura in corpus, nec indulsisse, ut hi parere possent, et suo muliebri arbitrio ipsam mutare. Moriuntur steriles, et his nihil prodest ars Lydes illius, crassæ mulieris, medicamina fecunditatem conferentia vendentis; nil prodest eos palmas præbere Lupercis, Panos sacerdotibus, qui urbem agili cursu lustrantes, obvias mulieres fecundas reddere dicuntur, quum eas percutiunt.

143. Hæc tamen flagitia, licet monstrorum simillima, superavit illud deforme spectaculum, in quo Gracchus tunica indutus, et armatus tridente, gladiatoris in morem, mediam arenam, fugiens secutorem, pererravit: ille nobilior et Capitolinis, et Marcellis, et

Et Catulis, Paullique minoribus, et Fabiis, et
Omnibus ad podium spectantibus : his licet ipsum
Admoveas, cujus tunc munere retia misit.
Esse aliquid manes, et subterranea regna,
Et contum, et Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque una transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.
Sed tu vera puta. Curius quid sentit, et ambo
Scipiadæ, quid Fabricius, manesque Camilli,
Quid Cremeræ legio, et Cannis consumpta juventus,
Tot bellorum animæ, quoties hinc talis ad illos
Umbra venit? cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis, et si foret humida laurus.
Illuc heu! miseri traducimur! arma quidem ultra
Litora Juvernæ promovimus, et modo captas
Orcadas, ac minima contentos nocte Britannos :

Catuli et Æmilii Paulli posteris, et Fabiis, et omnibus demum qui primis in sedilibus spectabant, quamvis iis adjicias illum ipsum, qui tunc edebat munus gladiatorium, quum Gracchus idem retiarii personam et partes gessit.

149. Esse manes et regna inferorum, ubi supplicia sint sceleratis constituta ; esse ibi Stygem, in qua ranæ nigræ conspiciantur ; per eam paludem a Charonte subigi conto cymbam, in qua tot hominum millia, quot quotidie mortem obeunt, transvehantur; hæc, inquam, ita esse, ne ipsis quidem pueris persuasum est, nisi forte iis qui adhuc sunt impuberes, nec lavantur in publicis balneis. Tu vero ea prorsus vera esse, tibi persuade. Attende quid sentiat Curius, quid duo Scipiones, quid Fabricius, Camillus, Fabii ad Cremeram cæsi, romana pubes ad Cannas interfecta, tot viri bello præstantes : quoties ad egregios illos manes aliqua ex hoc grege umbra descendit, exsecrantur ejus mores, adspectum occursumque fugiunt, quo se ita contaminari putant, ut lustrari purgarique cuperent, si esset ibi facultas et copia sulfuris cum tædis, ac lauri sacris undis immersæ. Omnes, heu! ad hæc regna subterranea deportandi aliquando sumus, et pœnas scelerum daturi. Sane armis victricibus populos ultra Hiberniam positos, Orcadas recenti bello expugnatas, et Bri-

Sed quæ nunc populi fiunt victoris in urbe,
Non faciunt illi, quos vicimus? Et tamen unus
Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior, ardenti sese indulsisse tribuno.
Adspice, quid faciant commercia! venerat obses.
Hic fiunt homines: nam si mora longior urbem
Indulsit pueris, non umquam deerit amator:
Mittentur bracæ, cultelli, frena, flagellum.
Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

tannos, ubi noctes per æstatem sunt brevissimæ, domuimus. Verum gentes a nobis victæ non inquinant se illis flagitiis, quæ a nobis ipsarum victoribus admittuntur. Unus tantum Zalates ex Armenia oriundus, ceteris nostris juvenibus facilior, dicitur sui corporis nefarie copiam tradidisse tribuno, ipsius insano amore depereunti. Contemplare, quid faciant consortia? ille juvenis venerat, ut obses, moribus puris integer: at in nostra urbe homines brevi perficiuntur nostratum consortio. Nam si liceat istis pueris commorari diutius in urbe, aderunt undique amatores, qui eos corrumpant. Abjicient virilia vestimenta et studia quibus in patria utebantur, bracas, cultellos, frena, flagellum; et pro his simplicibus et honestis institutis, mores procerum Romanorum perditisssimos in suam urbem Artaxata referent.

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM SECUNDAM.

VARIÆ LECTIONES. 1. *Decet* pro *libet* 16.

NOTÆ. 1. Ultra *Sauromatas*, ad extremum terræ terminum, ad barbaras et remotissimas orbis terrarum gentes, *fugere* [1]. — *Sauromatæ* seu Sarmatæ, populus septemtr. in Sarmatia, quæ et Europæa et Asiatica est, ac dirimitur Tanai fluvio, qui terminus Europæ atque Asiæ a veteribus habebatur. — *Oceanum glacialem*, septemtrionalem, borealem. — *Audent*, scilicet, disputare seu præcipere. [2]

VAR. 3. *Similant* scribendum videtur, pro *simulant*, usu quidem invito ac refragg. Diomede I, pag. 362; Gronov. Diatr. Stat. cap. 6, et Ernesti ad Cic. Invent. I, 28; Tac. Germ. 9, et Agric. 10; sed etymologia ac vi verbi id postulante, et faventibus libris nonnumquam omnibus, v. c. in Tac. Germ. cap. 9. Assentiuntur Heynius ad Virg. Æn. XII, 224; Barth. ad Claud. Ruf. II, 81; ad Stat. Theb. IV, 261; Scheller in Lex. et alii. — Post *vivunt* majorem posui dictinctionem pro minori.

NOT. 3. *Simulant Curios* se esse, vel imitantur, scilicet externo habitu, specie et vitæ ratione. Confer Martial. I, 25, 3; VII, 57, 7; et IX, 28, 6 seq. Sic *simulare Catonem* dixit Horatius, Epist. I, 19, 13; *simulare simbos* Virgilius, Æneid. VI, 591, et al. — M'. *Curius* Dentatus, perfectissimum virtutis ac frugalitatis, vel continentiæ exemplum; vid. infra ad XI, 78 seq. — *Bacchanalia* scilicet sacra, in quibus sub prætextu religionis omnia scelerum genera exercebantur; de quo vid. Liv. XXXIX, 8—18. Confer imprimis *Creuser's Symbolik*, tom. III, pag. 374 seq. — *Vivunt*

[1] Confer ad XV, 171 seq. Prop. I, 6, 4; II, 30, 2; Hor. Od. II, 6, 1 seq.

[2] Delenda sunt tria verba in edit. min. his subjuncta, quæ ex pluribus margini primum adscriptis et deinde inductis infelici casu remanserant, mediis inter *leg.* et *docent* omissis. Dictio enim illa *aliquid de moribus audere* etiam nunc mihi haud sincera videtur, sed emendatio satis probabilis nondum succurrit.

Bacchanalia, hoc est bacchice, ritu eorum, qui hæc sacra celebrabant, vel Bacchanalium modo, ita ut ea vivendo exprimant.

Analysis. 4 seq. Hæc est descriptio horum hominum. — *Primum* sunt *indocti*; deinde, vid. 8 seq., *fronti nulla fides* est; præterea, vid. 11 seq., *hispida membra quidem* etc., denique, vid. 14 seq., *rarus sermo illis* etc. — *Omnia* eorum musea, sive bibliothecæ, quas virorum doctorum imaginibus plerumque ornatas fuisse docet Grangæus[1], vel omnes ædium partes, imprimis atrium ejusque parietes. — *Gypso*, statua sive imagine gypsea, ex gypso. Confer Plinium, XXXV, 12, s. 44, 45; XXXVI, 24. — *Chrysippi* Stoici.

Var. 5. *Invenias* restitui, pro *invenies* ex 10, 11, 14—17, 19—25, 45—69, 71—74, 77—80. — *Est* desideratur in 25, 46, 47, 48, 50, 54—60, 62, 64—67, 71—76.

Not. 5. *Perfectissimus horum est*, ipsorum scilicet sententia, vel iis videtur.

Var. 6. *Si quis Aristotelem, similem vel Pittacon* (vel Pittacum, Aristoteli similem vultu) *emit* distingnere, aut potius *Aristotelem, Simiam vel Pittacon* legere malebat H. Vales. Sed illa interpretatio vix cuiquam arridebit, et hæc lectio repudianda est, quoniam philosophus ille, Socratis discipulus, Xenoph. Mem. Socr. III, 11, 17, et aliis Σιμμίας dicitur, non *Simias*.

Not. 6. *Si quis*, pro simpl. *qui*. — *Aristotelem similem*, hoc est, statuam, sive imaginem Aristotelis, ei similem, quæ eum ad vivum referat; ut fere apud Hesiod Ἔργ. 71 : Παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκτυπον, scil. εἴδωλον, sive ἄγαλμα, ποίημα, πλάσμα.[2] — *Pittacus* Mitylenæus, unus ex septem Græciæ sapientibus.

Not. 7. *Et jubet, pluteum*[3] *servare*, in eo reponit, recondit, *Cleanthas*,

---

[1] Laudavit Plin. XXXV, 2; Suet. Tib. 70; Euseb. Hist. eccles. II, 18; Sen. de Tranq. anim. cap. 9; Lips. de biblioth.

[2] Confer Stat. Silv. I, 1, 101; II, 7, 129; Martial. IX, 103, 1.

[3] Memorabilis est lectio *puteum* in 59 et 60. Ita jam olim conjecere H. Valesius et Grævius. Ille hoc loco ita interpretabatur : « Si quis Aristotelis et Pittaci statuam in bibliotheca collocat, Cleanthis autem signum aliquod archetypon ad *puteum* ponit, quod hic, antequam philosophus stoicus esset, aqua ex puteis haurienda sese tutabatur; et videtur mos fuisse tam Cleanthis imagines prope *puteos* collocandi. » Hic vero, qui idem persuaserat Nic. Heinsio, *jubet Cleanthas servare puteum*, habet imagines Cleanthis, ex puteo aquam haurientis, vel hauriendis aquis apud puteum stantis. Nam Cleanthes, ab inopia vexatus, ut interdiu studiis literarum vacare posset, operam suam locavit Atheniensi cuidam, cujus hortum nocte aqua, ex *puteis* hausta, irrigaret, unde et Φρεάντλης dictus est. Vid. Suidas, Diogen. Laert. et Sen. Epist. 44. Id omnino arridere potest : sententiam

Cleanthis Stoici imagines. Cleanthes primum pugil, inde Zenonis discipulus fuit, cujus defuncti scholam accepit regendam. Quum adolescens, inops admodum esset, interdiu studiis operam dabat, nocte vero mercenariam operam in hortis irrigandis, et aqua haurienda locabat; unde vocatus etiam *Phreantles*, a φρέαρ, puteus, et ἀντλέω, haurio. Ach. — *Archetypos* adject. ut apud Græcos et Mart. VII, 10; XII, 70: Ἀρχέτυπον, exemplar primum, ad quod alia effinguntur (Gall. *Original*), quodque maximi putatur. Sermo est de hominibus, quales etiam nunc reperiuntur, qui, quamvis sint indocti, ut fucum faciant imperitis, utque docti, doctorumque virorum et bonarum artium cultores videantur, ostentationis caussa musea ornant magna picturarum copia et librorum, quos neque legunt, neque intelligunt. — Confer Senec. de Tranquillit. anim. cap. 9, et *La Bruyère, Caractères, chap. de la Mode.* Ed.

Var. 8. *Fronti* pro *Frontis* reposui ex 46, 48, 49, 50, 56, 59, 60, 64, 65, 69, 73, et quatuor Codd. Paris. Certe doctius est.

Not. 8. *Fronti nulla fides* scilicet est, vel habenda est. Sic *nolito fronti credere* apud Martial. I, 25, 4, et *verissima frons* opponitur *mentienti* a Cic. ad Quint. fr. I, 1, 11, et Rabir. Post. 2. *Frons* sedes pudoris (vid. VIII, 189; XIII, 242; Pers. V, 104), severitatis (vid. Cic. ad Div. IX, 10, et Ernest. clav. Cic.) et tristitiæ. Confer ad XIV, 56, 109, 110. Sed hoc loco est potius omnis externa species et forma; ut apud Pers. V; 116,

.... Fronte politus
Astutam vapido servat sub pectore vulpem

simulator, qui probus homo esse videtur. Confer mox v. 11 seq.

Not. 9. *Tristibus*, hominibus fronte severis ac gravibus, iisdemque *obscœnis*, vita moribusque turpissimis. Talis fuit *Sextus*, infra v. 21 seq. et ille, qui notatur a Lucilio Epigr. VI, in Brunck. Anal. tom. II, p. 441. « Philosophos vultum et *tristitiam*, et dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus prætendere, » dicit Quintilianus, lib. I, Procem. § 15, ubi

---

tamen illam paullo durioribus obscurioribusque verbis expressam esse facile intelligitur (nisi *puteum Cleanthis* legendum); neque vulgata lectio inepta videtur. *Pluteus*, seu *pluteum* proprie dicitur asser parieti affixus, vel armarium, repositorium, scrinium, parieti inclusum, in quo imagines, seu libri reponebantur; et hinc ipsa quoque bibliotheca, aut museum. Sic forte apud Pers. I, 106, et apud Sidon. cujus verba Britann. laudavit: *Hic libri affatim in promptu: videre te crederes aut grammaticales pluteos, aut Athenæi cuneos, aut armaria exstructa bibliopolarum et bibliothecarum.* Lipsius in Synt. de biblioth. cap. 10, huc etiam refert vetus distichon, imagini Virgilianæ subscriptum, « Lucis damna nihil tanto nocuere poetæ, Quem præsentat honos carminis et plutei, » (hoc est, videtur vivere, qui in libris et imagine vivit) et *sigilla plutealia* apud Ciceronem, Epist. ad Atticum I, 10, ubi tamen optimi libri *sigillata puteolia* exhibent.

Spalding : « *Tristitia*, inquit, proprium vocabulum de affectata morum severitate, unde et Quintilianus, II, 1, 34, *barbam* et *tristitiam* jungit, agens iterum de ostentantibus ex professo philosophiam. »

Var. 10. *Sotadicos ... cinædos* emend. Leopard. Emendatt. XIII, 10; ut ita dicti sint cinædi a Sotade Maronita, obscœno scriptore, et Ionicarum cantilenarum poeta, ὃς ἦρξε πρῶτος κιναιδολογεῖν, de quo vid. Strabo XIV, p. 648; Athen. XIV, 13; Martial. II, 86, 2; IX, 48; Gell. VII, 9; Plin. Ep. 5, 3; Columna ad Ennii Fragm. pag. 291; Suidas voc. Σωτάδης, Fabric. et Harles, Bibl. Gr. T. II, pag. 495, seq.; Herman. de metris, pag. 334. De alio Sotade, comico poeta, vid. Athen. VII, 41. Sed vulgatam lect. præter alios tuetur Rutgers. var. lect. 6, 13; quum *Socraticum dogma* exagitarit etiam Martial. IX, 47, al. 48; et *Socraticos pædicones* ex astris arcessiverit Firmic. VII, 14; et Socrates etiam olim παιδεραστίας insimulatus sit, quod notum ex Laert., Plat. in Apol., Luciano, Seneca Ep. 104, et de vita beata, cap. 27; Aristoph. Nub. Cf. Athen. V, 19, 20 (61, 63), p. 219, 220, et XIII, 8 (71), p. 599.

Not. 10. Confer Martial. lib. I, ep. 25; VI, 64; IX, 28 et 48. — *Fossa*, ut βόθρος, *scrobs* apud Arnob. adv. Gent. IV, *caverna* apud Auson., et *vesica* I, 39 : unde et *fodere* sensu obscœno dicitur, de quo vid. ad IX, 45; hinc hoc loco, ὁ λακκόπρωκτος, qui Ausonio *fossor* vocatur; Grang. Conf. Polluc. VI, 30. — *Cinædus* (κινῶν αἰδοῖα) idem quod *pathicus* infra, v. 99, qui muliebria sub drauco patitur. Ed. — *Socraticos cinædos*, qui, quum turpissime vivant, de moribus tamen more Socratis disputant, ejusque disciplinam et philosophiam profitentur. Sic Ruperti. Ego crediderim potius poetam his verbis Socratis moribus alludere, quum apud antiquos, licet immerito, male audierit Socrates, qui eum ut puerorum amatorem et divisorem distulerunt. Ed.

Anal. 11—13. Exterior quidem, quam præ se ferunt, species horrida est, et vere mascula videtur, sed clam muliebria patiuntur, et fœdis libidinibus indulgent. Confer infra ad IX, 15; XIV, 195; Ovid. Metamorph. XIII, 850; et inprimis loca similia Martialis, II, 36, 5, 6, et VI, 56.

Var. 12. *Levi* ubivis scripsi, pro *lævi*, quoniam respondet Græco λεῖος, si prima syllaba producitur.

Not. 12. *Promittere*, ut *spondere*, VII, 134; προσδοκίαν παραστῆσαι, excitare expectationem, vel ἐπαγγέλλεσθαι et στεῦσθαι apud Homerum, Iliad. ε, 832; al. quod jam monuit Casaub. ad Theophr. Char. XXIII pr. Sic et *promittere* apud Valer. Flacc. I, 272, et Claudianum, VIII, 521. — *Animum atrocem*, gravem et masculum. Confer Horat. Od. II, 1, 24. — *Podice levi*, λείῳ, levigato, depilato; nam homines et elegantes delicatique et molles solebant, aut cutem pumice levigare, κατακισσηρίζειν; aut barbam pilosque, pudendis, pedibus et aliis corporis partibus a natura obductos, radere et tondere; vel forcipe evellere, vel resina, pice (πίσσῃ), dropace (δρώπακι, emplastro piceo), et psilothro (ψιλώθρῳ, unguento, *Rusma* Turcarum) oblinere, ut exciderent : cujus ξυρήσεως, παρατιλμοῦ, πισ-

σώσεως, πισσοκοπίης, δρωπακισμοῦ frequens fit mentio, v. c. VIII, 16, 114, 115; IX, 14, 95, locisque class. Persii, IV, 35 seq.; Martialis, III, 74; IX, 28; Plinii, XIV, 20; XXXVI, 21; et apud Athenæum, XII, 3 (14), pag. 518, ubi Theopompus de Etruscorum pueris juvenibusque hæc tradit: Γίνονται παρ' αὐτοῖς πάνυ καλοὶ τὰς ὄψεις ἅτε τρυφερῶς διαιτώμενοι καὶ λεαινόμενοι τὰ σώματα. Πάντες δὲ οἱ πρὸς ἑσπέραν οἰκοῦντες βάρβαροι πιττοῦνται καὶ ξυροῦνται τὰ σώματα· καὶ παρά γε τοῖς Τυῤῥηνοῖς ἐργαστήρια κατεσκεύασται πολλὰ, καὶ τεχνῖται τούτου τοῦ πράγματός εἰσιν. ὥσπερ παρ' ἡμῖν οἱ κουρεῖς· παρ' οὓς ὅταν εἰσέλθωσι, παρέχουσιν ἑαυτοὺς πάντα τρόπον, οὐδὲν αἰσχυνόμενοι τοὺς ὁρῶντας, οὐδὲ τοὺς παριόντας.

Not. 13. *Cæduntur*, ut eamdem turpitudinem repetere possint. — *Marisca*, genus ficorum, hoc loco pustulæ podicis frequenti attritu natæ; ulcus, quod et *ficus* ac *fungus*, Græcis σύκωσις dicitur; vid. Celsus, VI, 3; Martialis, I, 66, 1; IV, 52, 2; VII, 70; XIV, 86. — *Medico ridente*, quoniam nota ei est caussa turpitudinis. Ed.

Var. 14. *Libido* 17, 19—22, 25, 57, 58, 60, 64—67, 75, 76, nil interest.

Not. 14. Proprium esse hominibus, gravitatis opinionem inepte affectantibus, ut sint ἀπροσήγοροι, jam monuit Casaubonus ad Theophrast. Char. XV, pr. — Grangæus: ut Pythagoricæ sectæ germani appareant imitatores, cujus auctor nihil prius discipulos suos docuit, quam *tacere*, vel linguam coercere, ac meditari. Quæ tamen de Pythagora traduntur, quidam referunt ad discipulos ejus, qui aliquamdiu tacentes audire jussi sint (vid. Gell. I, 9); rectius vero alii ad arcanam illius disciplinam, vel per symbola docentem nonnulla, vel potius non divulgandam, alios celandam; vid Menag. ad Diog. Laertium, VIII, 15 et 17; *Meiners* de vero deo, pag. 286; et Kœnig. ad Claudianum, XVII, 90. Confer potius Luciani verba in Hermotimo, cap. 18: Ἑώρων γὰρ αὐτοὺς κοσμίως βαδίζοντας, ἀναβεβλημένους εὐσταλῶς, φροντίζοντας ἀεὶ (meditabundos semper) ἀῤῥενωποὺς, ἐν χρῷ κουρίας τοὺς πλείστους, οὐδὲν ἁβρὸν οὐδ' αὖ πάνυ ἐς τὸ ἀδιάφορον ὑπερεκπίπτον, ὡς ἔκπληκτον εἶναι καὶ κυνικὸν ἀτεχνῶς, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ μέσου καταστήματος, ὃ δὴ ἄριστον ὤπαντες εἶναι φασίν.... ἢ τούτων ὀλίγον σοι μέλει, ἄχρις ἂν εὐσταλὴς ἡ ἀναβολὴ καὶ ὁ πώγων βαθὺς καὶ ἐν χρῷ ἡ κουρά;... καὶ χρὴ ἀπὸ σχημάτων καὶ βαδισμάτων καὶ κουρᾶς διαγιγνώσκειν τοὺς ἀρίστους· ὃς δ' ἂν μὴ ἔχῃ ταῦτα μηδὲ σκυθρωπὸς ᾖ καὶ φροντιστικὸς τὸ πρόσωπον, ἀποδοκιμαστέος καὶ ἀποβλητέος.

Not. 15. *Coma* iis est *brevior supercilio*, ut Stoici videantur, quorum secta ac disciplina omnium rigidissima erat ac severissima. Confer ad v. 64, 65, et IV, 76. Ita vulgo hæc verba et bene exponunt: nam Stoici non crinem barbamque promittere solebant, ut reliqui[1] philosophi, sed

[1] De quo vid. Salmas. ad Tertull. de pallio, pag. 3 seq. Intpp. Gell. IX, 2;

comam strictim ad cutem tondere, *ἐν χρῷ κείρειν*, qui mos fuit frugi hominibus et elegantiarum incuriosis; quod ex Phocylidis sententia, *ἄρσεσιν οὐκ ἐπίοικος κόμη*, factum monet Grangæus[1]. Hinc stoici Luciano, l. l., *ἐν χρῷ κουρίαις* dicuntur; eorumque discipuli *detonsa juventus* Persio, III, 55, ubi vid. Casaub. Quoniam vero *superciliorum* fit mentio, suspicari possis, salse perstringi simul philosophorum illius ævi singularem superbiam arrogantiamque, quam inpr. supercilio adducto et alte sublato (Seneca de Const. Sap. 3) prodebant; unde dicebantur *ἀνατείνειν*, *ἀνάγειν*, *ἐπαίρειν*, *ἀνασπᾶν*, *ὑπεραίρειν τὰς ὀφρῦς*, de quo vid. Heynius ad Epictet. cap. 22, et, quos ibi laudat Bergler. ad Alciphr. pag. 140; Hemsterh. ad Lucian. tom. I, pag. 373, et ad Aristoph. Plut. 756; item Abresch. Lect. Aristæn. pag. 336. Confer Luciani Timon. § 54, pr. et Dial. Mort. X, 6, et 9; re itaque festive et *σκωπτικῶς* in majus aucta, *coma* eorum dicitur *brevior* fuisse *supercilio* per fastum quasi extento et alte sublato. Hinc et *supercilium*, ut *ὀφρύς*, simpliciter de fastu adhibetur; vid. ad V, 62. Hæc prorsus aliena esse contendit Hein., quoniam in omnibus, quæ poeta disputaverit, non sermo sit de superbia, sed de simulatione. Nonne vero hæc est *simulatio*, si homines, de quibus agitur, illo modo superbiam produnt, ut philosophi esse videantur? Nonne eamdem ob caussam plura facere possunt? — *Verius*, apertius et simplicius scilicet facit, agit, qui vitia sua non dissimulat, sed palam profitetur. Sic *vere agere*, hoc est, sine dissimulatione, dicit Cic. Orat. II, 86. — *Peribomius*, homo impudicus. Vid. Varr. lectt.

Var. 16. *Perhibonius*, 26. *Peribonius*, 4, 5, 6, 11, 19, 23, 24, 25, 27, 45—48, 50, 54—69, 71—74. *Peribomius*, 1, 2, 3, 10, 12—17, 20, 21, 22, 49, 70, 75, 76, 77. Nomen forte effictum ex Gr. *περιβώμιος*, qui circa aram est (Archigallus), non ex *βωμολόχος*, scurra, quod Calder. suspicabatur. Vetus scholion est: « Nomen Archigalli cinædi, quem *magulum* (forte *gallum*, seu *gallulum*, vel *matulam*), *conspurcatum* dicimus, qui publice impudicitiam perpessus (professus) est. »

Anal. 16 seq. Ejusmodi homines non malitiose et repugnante intus ratione, vel scientes prudentesque peccant, sed vel inviti et tam cœco ad voluptates et flagitia rapiuntur *furore*, hoc est, impetu, vel motu furentis animi et affectuum, ut de virtute ne quidem cogitent, neque sciant se male agere, quasi penitus sit in iis exstincta ratio, unde poeta hoc loco eorum *morbum* atque intemperantiam *fatis imputat*, quemadmodum Aristoteles eos Nicomach. II, natura, sive naturæ vitio peccare, et Philo Judæus, in libro de Herede rerum divinarum, *ζῆν κατὰ γένεσιν* dicit. — *Horum*,

---

XIII, 8; Horat. Satir. II, 3, 35, et infra ad XIV, 12. Stoici barbam alebant, sed caput cute tenus tondebant; Kœnig ad Pers. III, 54, coll. Luciano in Vit. auct. c. 20, ubi conf. interpretes.

[1] Confer Casaub. ad Theophr. Char. X, 4, et ibid. Fischer. in Indice voc. *ἐν* et *κείρεσθαι*.

Peribomii et qui ei similes sunt, *simplicitas*, ignorantia virtutis et vitiorum, vel potius ingenua confessio morbi ac vitii, quod scilicet facie et incessu produnt (ut *vera*, non simulata, *simplicitate bonus* dicitur Martial. I, 40, 4), *miserabilis*, commiseratione digna (τοὺς ἐλεεῖσθαι προσήκει Galen. de Usu partium, XL), *et furor veniam* meretur, nam ὁ μηδὲν εἰδὼς μηδὲν ἐξαμαρτάνει, et οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ' ἄκων μάκαρ. Cf. Pers. III, 31—34, ubi vid. Casaub. et Luciani, Ἀπολογία περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, cap. 9, ἆρά μοι κράτιστον, ἐθελοκακήσαντα καὶ τὰ νικῶντα ἐπιστρέψαντα καὶ ἀδικεῖν οὐκ ἀρνούμενον ἐπὶ τὴν κοινὴν ἐκείνην ἀπολογίαν καταφυγεῖν λέγω δὲ τὴν τύχην καὶ μοῖραν καὶ εἱμαρμένην) καὶ παραιτεῖσθαι συγγνώμην ἔχειν μοι τοὺς ἐπιλεγομένους, εἰδότας, ὡς οὐδενὸς ἡμεῖς κύριοι, ἀλλ' ὑπό τινος κρείττονος, μᾶλλον δὲ μιᾶς τῶν προειρημένων ἀνάγκης ἀγόμεθα, οὐχ ἑκόντες, ἀλλ' ἀναγκαίως πανταπασιν ὄντες, ἃ ἂν λέγωμεν, ἢ ποιῶμεν.— *Hunc ego fatis imputo, qui*, etc. Grangæus *fata* hoc loco accipiebat de influxu astrorum ac nativitate, coll. Manil. V, 105 seq., quem locum a Juvenali expressum censebat. Eadem cecinit Nostras *Lafontaine*, XI, fab. 4:

« Les noms et les vertus de ces clartés errantes,
« Par qui sont nos destins et nos mœurs différentes. »

Sed fata simpliciter dici puto pro : natura ; ea indole quæ unicuique natura comparata est. Ed. — *Incessu fatetur*, indicat, manifestat, ostendit, prodit, ut X, 172, et XV, 132. — *Morbum*, vid. ad IX, 49.

Var. 17. Forte *quem*, pro *qui* legendum : *ego fatis imputo hunc morbum, quem vultu incessuque fatetur*. Pessime ita hunc locum tentari contendit *Heinecke*, quum tota orationis series sit hæc : « Pessimi sunt illi homines, qui, quamquam sceleratissimam vitam agunt, tamen virtutis speciem præbere volunt ; magis mihi placet is, qui sua vitia non callide occultare studet, et certe hoc nomine non culpandus est, quod et peccat, et homines simul fallere studet : talem hominem fere puto non in culpa esse, sed potius fatum, quod eum vel invitum ad peccandum impellit. » Quærit itaque, quid in his sit, quod jure possit vituperari ? Nihil sane in ipsa sententia, sed non nihil in oratione poetæ, qui eam ita expressit, et *hominem fatis imputari* hoc sensu dixit.

Var. 18. *Iis furor*, 22 ; *et furor*, 25.

Anal. 19—21. *Pejores* his simplicibus sunt illi, qui *talia* vitia, quibus et ipsi contaminati sunt atque obruti, dissimulant et *verbis invadunt*, castigant, insectantur, increpant, reprehendunt[1]. — *Verbis Herculis*, grandibus ac magnificis, qualibus Hercules uteretur ; vel gravissimis ac severissimis, qualibus Hercules ille Prodicius Voluptatem increpuit, et a se repulit, quod vel tironibus notum e Xenophonte, Memor. Socrat. II, 1.

[1] Conferatur Plinius, Epist. VIII, 22, 1 ; Valer. Maximus, VIII, 6 ; Gruterus ad Aurelii Victoris Epitomen, cap. 1.

Confer omnino verba Hermeæ Curiensis, jam a Grangæo laudata ad v. 64, quæ leguntur apud Athenæum, XIII, 15, p. 563 (tom. V, pag. 34, ed. Schweigh.) :

Ἀκούσατ', ὦ Στόακις[1], ἔμποροι λήρου,
Λόγων ὑποκριτῆρις, οἱ μόνοι πάντα
Τὰ τοῖς πίναξι, πρὶν ἢ τῷ σοφῷ δοῦναι,
Αὐτοὶ καταῤῥοφεῖτε· κἄθ' ἁλίσκεσθε
Ἐναντία πράσσοντες οἷς τραγῳδεῖτε

(deprehendimini contraria his facere, quæ pompose, tragico sermone dicitis, ut hoc loco *verbis Herculis*),

Παιδοπίπαι ὄντες.....

(puerorum cupidi speculatores) καὶ τοῦτο μόνον ἐζηλωκότες τὸν ἀρχηγὸν ὑμῶν τῆς σοφίας Ζήνωνα, ὃς οὐδέποτε γυναικὶ ἐχρήσατο, παιδικοῖς δ' ἀεί. Θρυλλεῖτε γάρ, ὅτι δεῖ μὴ τῶν σωμάτων, ἀλλὰ τῆς ψυχῆς ἐρᾶν· εἴτινες μέχρι ὀκτὼ καὶ εἴκοσι ἐτῶν δεῖν λέγοντες συνέχειν τοὺς ἐρωμένους.

VAR. 21. *Ceventem te*, 21, 22.

VAR. 22. *Virillus*, 13. *Varilus*, 72. *Verillus et Barillus* al.

NOT. 21, 22. *Clunem agitare*, idem quod *cevere*, quod proprie significat σαίνειν κέρκῳ, de canibus hero adulantibus, deinde τὸν πρωκτὸν αἰσχρῶς κινεῖν, more lascivorum et libidine in coitu inflammatorum [2]. Græci explicant τὸν πρωκτὸν αἰσχρῶς κινεῖν, vel uno verbo σαλακωνίζειν, a Salacone, Antocli patre, molliculo et deliciis diffluente; Grang. [3] — *Ego te ceventem*, mollem et effeminatum, cinædum, *verebor*, reverear et colam? — *Sextus* non Stoici pathici nomen, sed, quod vetus Schol. monet, Senatoris. — *Infamis* stupro, libidine, flagitiis. — *Quo*, quanam re, quo modo, quam ob rem, *te deterior* sum? Horat. Sat. II, 7, 40 seq.

ANAL. 23 seq. Quicumque alteri exprobrat naturæ vitia, iis ipse careat necesse est [4]. — *Loripes*, ἱμαντόπους, seu βλαισόπους, valgus, cui *pedes*, vel crura distorta sunt in modum *lori*, ἱμάντος. Confer Plin. V, 8, extr. et ibi intpp. — *Rectus* opponitur *curvo*.

VAR. 24. Ante vers. 23, legitur in 19, atque duobus Codd. Paris. et plane excidit ex 17, 20, et quibusdam MSS. Paris. quoniam sequens versus idem principium habet: quod millies factum docent Burman. ad Lucan. IX, 907; Dorvill. ad Charit. VI, 4, pag. 552; Drak. ad Liv. IX, 11, 11, et Schrader Obss. pag. 7. Conf. inf. ad III, 69; VI, 191, 483; VIII, 159, 160; X, 294,

[1] Alii Στόακις; sed. MS. Ep. ut sup.

[2] Confer Horatium Satir. II, 7, 50; Passerat. ad Propertium II, 16, 27; Miscellan. Observat. vol. V, tom. I, p. 119; Sciopp. Commentar. in Lus. cap. 18, v. 4.

[3] Confer infra IX, 40; Martial. III, 95, 13; Pers. I, 87.

[4] Grangæus comparabat Plaut. Trucul. I, 2, 58; Terent. Phorm. V, 9; Erasm. Prov. III, 2, 21. Confer et Caton. Dist. de mor. I, 30.

195; XVI, 9. — *Gracos*, 22 : *Graccos*, 64 : ut passim in numis, unde hanc scripturam probabat N. Heins. ad Sil. IV, 495. Sed vide, quos ibi Drak. laudavit, Cic. Orat. cap. 48; Quintil. Instit. or. I, 5, et Charis. Instit. gram. I, p. m. 78. — *Loquentes*, pro *querentes*, 15.

Not. 24. *Quis tulerit* patienter. — *Gracchos*, Tiberium et Caium, tribunos plebis, ac fratres, agrariis aliisque legibus rogatis, multisque motis turbis trucidatos.

Not. 25. Similiter *cœlum ac terras miscere* dixit Livius, IV, 3, ut Lucianus in Prometh. cap. 9 : τὴν γῆν τὸν οὐρανὸν ἀναμεμίχθαι, ac Germani : *Himmel und Erde bewegen*, hoc est, magnos motus turbasque concitare, de homine, qui indignatione et iracundia furit, vel qui monstra vidit atque audivit, et tum clamando elementa ciere solet. Cf. infra, VI, 283, 284; et Virgil. Æneid. I, 133; V, 790. Sententia δεινῶς expressa! Hunc Juvenalis locum sic transtulit vetus noster Satiricus, *Math. Regnier, Sat. V;*

« Scaures du temps présent, hypocrites sévères;
« Un Claude effrontément parle des adultères;
« Milon, sanglant encor, reprend un assassin,
« Gracche un séditieux, et Verrès le larcin. » Ed.

Var. 26. Post *Verri* inseritur *si* in 45, et tribus Codd. Paris. *aut* in 13, 65, *atque* in 68, 70. Sed vid. ad I, 151.

Not. 26. *Verri*, cujus furta in Gallia, Cilicia et præcipue Sicilia nota e Cic. Verr. I, 17 seq.; 36 seq.; et Act. in Verr. lib. III, IV, V. — *Miloni*, qui Clodium interfecit.

Var. 27. *Claudius*, 11, 13, a m. sec. 15, 21, a m. sec. 22, 45, non improb. Schurzfl. quia talia narret Sueton. Sed famosum notari *P. Clodium*, vix est quod dubitemus. *Clodii* autem ex eadem gente *Claudia* fuere. Prisci enim Romani *au* plerumque pronuntiarunt *o;* unde nomina illa nihil differunt, et sæpe permutantur. Conf. ad v. 36.

Not. 27. *Clodius* infamis incestu sororis suæ, et adulterio Pompeiæ, uxoris Cæsaris. — *C. Cethegus* socius *Catilinæ* in conjuratione. Cf. ad VIII, 231, et X, 287, et Sallustium nostræ edit. ubi fuse de eo agitur, cæterisque Catilinæ sociis. Ed. — *Tres discipuli*, imitatores; *Sullæ*, qui idem, quod Sulla, fecerunt, ejusque exemplum imitati sunt, Octavius, Antonius et Lepidus, triumviri (quorum proscriptio propterea *Sullana* dicitur Floro V, 4), non, quod alii putant, Cæsar, Pompeius et Crassus. — *Tabulam* proscriptionis. — *Dicere in*, contra, *aliquid*, de judice sententiam dicente, vel de accusatore.

Var. 29. *Tragico nuper*, pro *nuper tragico* recepi, ex 10, 16, 17, 19—22, 26, 74.

Anal. 29—33. Vide annotata ad Argumentum. — *Qualis* rigidus aliorum censor fuit Domitianus, qui *Juliam*, Titi fratris filiam, adhuc virginem, oblatam in matrimonium sibi, quum, devinctus Domitiæ nuptiis, pertinacissime recusasset, non multo post alii collocatam ultro corrupit,

et quidem vivo etiam tum Tito ; mox patre ac viro orbatam ardentissime palamque dilexit (vid. Dio LXVII, 3), ut etiam caussa mortis exstiterit, coactæ conceptum a se abigere. Ita Suetonius, Domit. cap. 22, quocum conferatur Plinius, Epist. IV, 11, 6 ; Philostratus de vita Apollonii VII, 7 ; et de iniqua Domitiani censura Spanhem. de U. et P. N. Dissert. II, pag. 106. — *Tragico,* horrendo. nefando. *Tragicum* proprie vocatur, quod a Tragicis describi solet, vel dignum, quod a tragico quodam poeta tractetur. Sed quis hanc rem tragici argumenti esse dixerit? Heineckius hæc adnotavit : « Sed *tragicum* non per se habet significationem *horrendi*, *nefandi*, sed hæc notio translata est a *tragœdiis*, quia in iis ejusmodi res tractatæ sunt. Ita concubitus *tragicus* hoc loco, qualis fuit OEdipi et Jocastæ, eorumque historia tamen sæpissime tractata est a Tragicis. » Hæc ergo cum illa plane congruit? — *Leges* de adulteriis, Juliam scilicet et Scatiniam, *revocabat amaras omnibus* adulteris [1]. Idem Domitianus mares castrari vetuit ; de qua ejus lege vid. ad VI, 368 seq.

Var. 30. *Revocaret*, 16. *Revocarat*, 10, 11, 14, 15, 17, 19, 20, 22—25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, et XXIV Codd. Paris. unde recepit Ach.

Var. 31. *Ipsi*, 13, a m. sec. 63. *Marti Venerique*, 16.

Not. 31. *Veneri Martique*, facete, diis adulteris, et a Vulcano etiam in concubitu deprehensis : nec minus salse *omnibus*, quo ingens adulterorum copia innuitur. — *Abortivis*, scilicet medicamentis. Conf. VI, 368, 595, 596.

Not. 32. *Fecunda vulva*, et plurativum *offas* ad partum tergeminum, quadrigeminumve referri possunt (confer sat. VI, v. 599), nec tamen opus est.

Not. 33. *Offas*, massas deformes, fetus immaturos, seu embryones, *patruo similes*, quia Domitianus, Juliæ patruus, eam incestaverat, gravidam fecerat ; Britannicus, Grangæus et alii hac similitudine non modo incestum Domitiani, auctoris et patris, significari putant, sed etiam deformitatem ejus, quoniam Domitianus deformis calvitie, obesitate ventris et crurum gracilitate fuerit (vid. Suet. Domit. cap. 18), et *offa* proprie sit massa carnis, aliarumve rerum *deformis atque in tumorem crescens* (vid. ad XVI, 11). — Dodwellus in Annal. Quintilian. pag. 127, ex verbis *tot abortivis* colligit, Juliam plures uno fecisse *abortus*. Sed unus tantum a Suetonio et aliis, nedum permulti (*tot*) memorantur abortus Juliæ, a Lexicographis vero vix unicus laudatur locus, ubi *abortivum* omnino pro *abortu* dictum : aptior etiam videtur hoc loco poetæ nostri vulgaris hujus vocis significatus ; probabiliusque est, Juliam periisse sumptis *tot* abortivis, quum unum, alterumve non suffecisset (*abortivis erat opus*, non *abortivo*, ut

[1] Vid. Annotata ad Argument. Suetonii Domitian. c. 7 et 8, ibique interpretes Zonar. Annal. tom. II ; Martial. I, 5 ; VI, 2, 4, et 7.

VI, 368), et ipsa, Suetonio teste, conceptum abigere *coacta* esset, quam *tot* fecisse abortus.[1]

VAR. 34. *Victos*, manuscript. Scriverii, qui inde conjicit, *victos Condemnant Scauros*.

NOT. 34. *Ultima*, extrema, summa, maxima, *vitia*, hoc est, vitiosissimi, flagitiosissimi homines, ut *labes ac cœnum* apud Cic. *scelus, scelus viri, scelus hominis, stabulum nequitiæ*, vel *flagitii*, etc. passim apud Plaut., vel *stabula* de equis stabulantibus apud Silium, III, 383, ubi vid. not. Confer Var. Lect. infra ad v. 120. — *Fictos Scauros*, hoc est, homines improbos et simulatores (ut apud Horat. Sat. I, 3, 62), qui vitia sua dissimulant et occultant, similes M. Æmilio Scauro, qui teste Sallust. Jug. 15 (al. 18): « Nobilis homo fuit, impiger, factiosus, avidus potentiæ, honoris, divitiarum, ceterum callide vitia occultans. » Possunt tamen ita quoque dici homines, qui, quum flagitiosi sint, veris moribus dissimulatis, speciem *Scaurorum*, hoc est, bonorum graviumque hominum (ut X, 91), vel morum sanctitatem gravitatemque præ se ferunt. — *Vitia castigata remordent*, hoc est, improbi verbis castigati, similes canibus remordentibus, vicissim castigant, et mordacibus verbis, vel dente jocoque mordente lacessunt improbos censores suos, qui iisdem, vel aliis vitiis dediti sunt. Conferatur Horatius Epod. VI, 1—4; et Lucretius III, 839; IV, 1128.

VAR. *Laronia*, 4, 5, 14—17, 20, 21, 22, 23, a m. pr. 27, 46—55, 58, 61—82; ut ap. Martial. II, 32, et Gruter. Inscr. pag. 646, 2. *Latonia, et Latronia* quidam libri, nescio qui, si fides habenda Ascensio et Turnebo Advers. 15, 17; qui posterius probabat, quod etiam apud Martial. l. l. in libris manuscriptis reperitur. *Lauronia*, 2, 3, 6, 10, 11, 13, 19, 23, a m. sec. 24, 25, 26, 45, 56, 57, 59, 60, 65; duo Codd. MSS. viri docti in Misc. obss. crit. vol. V, tom. II, pag. 269, et quidam libri in Martial. loco citato, ubi vid. Rader. Beckius in Obss. philol. in Juven. Sat. duas, pag. 15. « *Lauronia*, inquit, in *Laronia* facillime permutari potuit tribus quidem modis, quibus *au* in *o*, *u*, *ao* immutari potest. Sicut *caudex* in *codex*, *caulis* in *colis*, *saurex* in *sorex*, ita *Lauronia* in *Loronia* procul dubio factum est. (Confer sup. ad v. 27, et inf. ad III, 112, et 6, 345.) Pro *claudo* veteres dixere *cludo*, quod adhuc legitur in Codd., et ex compositis *occludo*, *concludo* patet; hinc *Luronia* quoque, pro quo propter similitudinem τοῦ *a* et *u* in literis minusculis lectum *Laronia*. *Laomedon* nunc est pro *Laumedon*, *Laodicea* pro *Laudicea*; ita forte *Laoronius* pro *Lauronia*, quod imperitus librarius ejecta litera *o* in *Laronia* contraxit. *Lauron* vero est urbs Hisp. Tarrac., ubi Pompeius, a Cæsare victus,

[1] Dodwello suffragatur Heinrich., neque ejus sententiam in dubium putat vocari posse a quoquam, qui oculos habeat et cernere queat expressa *tot abortiva* et *patruo similes offas*, quique ex Lexicis didicerit, minime inauditam esse Latinis *abortivi* significationem, qua ponatur pro *abortu*.

cæsus est. *Lauronia* itaque civem hujus urbis, vel inde oriundam significat: nam poetis solenne est, fictis personis a loco nativitatis nomen imponere, ut *Sybaris* ap. Horat. Od. I, 8.

.... Sybarin cur properes amando
Perdere?....» ED.

NOT. 36. *Ex illis* simulatoribus. — *Lauronia*, mulier impudica et dicax. — *Quemdam torvum*, severum, qui semper temperantiam crepabat et virtutem: nisi malis jungere *clamantem torvum*, ut apud Virgil. Æneid. VII, 399; et Sil. XI, 99; quod mihi repugnat. ED.

VAR. 37. *Lex nunc*, 15.

NOT. 37. *Lex Julia* de adulteriis, sive pudicitia, ab Augusto, non a Julio Cæsare, lata, quod hodie satis notum est. — *Dormis*, nonne vim amplius habes et exerces? num impunita dimittis tot scelera? Similiter *ferulæ* et *pessuli dormiunt* apud Martial. X, 62, 11; Plaut. Curc. I, 2, 66, et quæ propius huc spectant, laudata a Rigaltio, verba Appiani in Pun. c. 112: Οἱ Λακεδαιμόνιοι, λύσαντες ἐν χρείᾳ τὴν ἀδικίαν τῶν ἀλόντων περὶ Πύλον, ἔφασαν· Κοιμᾶσθαν οἱ νόμοι τήμερον.

VAR. 38. *Atque ita subridens*, 14, 17, 19, 20, 21, 26, 70, 75, 76, 82, et XX Codd. Paris. *Ad quem subridens*, 10, 15, 23, 24, 25, 45—67, 69, 71—74, 77—80, et quidam MSS. Paris. ut ap. Virg. Æneid. X, 742, quam lectionem revocavi, quia et doctior est, et optimorum librorum auctoritate firmatur: nisi forte ex Virgil. l. l. margini adscripta, et textui deinde illata videri possit. *Ad quem ita subridens*, 11, 16, 68, prob. Schurzfl. et omnino suspicari licet, ex hac lectione reliquas esse ortas. Sed nostram Beckius l. l. non male ita defendit: « Quum scriptum esset antiquitus *ad quem subridens*, superflua vox *ita* vel intelligenda tantum, vel nasutulo cuidam necessaria visa, postea ipsis poetæ verbis inserta fuit: deinde elidente eo, qui dictabat, syllabam *quem*, scribens audivit *atquita*, et sic *atque ita* scripsit. » *Ad quæ subridens*, 27, quod etiam legitur in quibusdam Codd. Virg. l. l. ibique probatum est a N. Heinsio. *Adque*, 22.

NOT. 38. *Ad quem subridens*. Lauronia dixit, non irata, vel indignabunda, sed cavillans et ludibrio eum habens. Quæcumque enim respondet, *ἰρωνικῶς* dixit. Confer Var. Lect. — *Te*, tanquam exemplar virtutis *opponunt moribus* pravis.

VAR. 39. *Exponunt*, 73. — *Pudores*, 47, 55.

NOT. 39. *Habeat jam Roma pudorem*, pudeat jam Romanos peccasse, aut nunc peccare, te præsente, vel quum tale probitatis exemplum habeant.

NOT. 40. *Tertius e cœlo cecidit Cato*, paullo liberius dictum, tanquam Urbs duo habuisset *Censorios*; Heinr. Nonne vero poeta, qui contrarium ignorare non poterat, si ad solum respexisset Censorium, pro *tertius* dixisset *alter*, aut *secundus*? Malim itaque interpretari: tu *tertius* quasi *Cato* es, post Censorium illum et Uticensem, viros summa gravitate ac severitate

conspicuos. Ita *Sappho Musarum decima* et *Stertinius sapientum octavus* apud Horat. Sat. II, 3, 296 : similiter Euphron, comicus poeta, dixit apud Athenæum, IX, 6 (24), pag. 379 :

Οὗτοι μετ' ἐκείνους τοὺς σοφιστὰς τοὺς πάλαι
Γεγόνασιν ἡμῶν ἑπτὰ, δεύτεροι σοφοί.

Seneca, epist. 120 : « Quidam alternis Vatinii, alternis Catones sunt ; » et alio loco, « Omne ævum Clodios fert (confer infra VI, 345), sed non omne tempus Catones producit. » — *E cœlo cecidit*, singulari deorum beneficio ac favore nobis datus est. *De cœlo venisse*, vel *demissum* dicebatur ac putabatur olim, quodcumque vel repente ac præter omnium opinionem conspiciebatur, ac potissimum hominibus insperantibus et in summo periculo versantibus saluti erat, eodem sensu quo Gallice dicitur : *tomber des cieux* (vid. Livium, XXII, 29), vel tam eximium, singulare et admirabile videbatur, ut prorsus divinum et a vi aliqua superiore profectum existimaretur (confer XI, 27); populi enim, in rerum caussis indagandis rudes, omnia insolita et quæ præter naturam fieri putant, vel bona, vel mala, ab immediata deorum vi, ope, et influxu repetere solent. Conferatis Ammian. Marcellinum, lib. XXII, 2, 4; Macrobium, Somn. I, 9, et Mureti Varr. XIII, 7. — *Raoul* sic feliciter vertit :

« Que le siècle est heureux d'avoir un si grand homme !
« La pudeur sous vos lois va renaître dans Rome.
« Un troisième Caton nous est tombé des cieux. » Ed.

Anal. 40 seq. Facile sentis vim interrogationis et sarcasmum, quo hypocrita mollitiei convincitur. Confer Martial. XIV, 59.

Not. 41. *Opobalsama*, unguenta. De balsamo, opobalsamo, xylobalsamo et carpobalsamo, vid. Plin. XII, 25. — *Hirsuto collo*, confer v. 11 seq.

Var. 42. *Nec pudeat*, 23; *non pudeat*, 26.

Not. 42. *Tabernæ*, unguentariæ, ubi opobalsama emisti.

Var. 43. *Et jura*, 23, 46, 48, 49.

Not. 43. *Si leges vexantur*, vexandæ quasi in somno, ex eo excitandæ sunt, hoc est, citandæ et in memoriam hominibus revocandæ, ut tu semper crepas legem Juliam : nam eam *dormire* versu 37 dixerat simulator. Alii : si negotium est legibus exhibendum, et si advocandæ sunt contra vitia ; qui enim vocantur, ut veniant, iis labor injungitur, et *vexari* videntur.

Var. 44. *Scatinia* recepi e 10, 11, 13, 15, 17, 19, 20, 21, a m. sec. 22, 23, 25, 26, 27, 45, 49, 50, 52, 53, 56, 57, 59—62, 64—69, 71, 72, 73, 79, 80; probb. Christio in Hist. legis Scatin., Hoffmanno in Comm. ad leg. Jul. de adult. I, 26, Beckio l. l. et al. *Scantinia*, 1, 46, 47, 48, 51, 54, 55, 58, 63, 70, 74—78, 82; probb. Britan., Lubino, Grang. et Schurzfl. Confer Ferrar. ad Cicer. Philippic. III, 6, et interprett. Sueton. Domitian. 8, et Quintilian. Instit. Orator. IV, 2, 8, 4.

Not. 44. *Scatinia*, vel *Scantinia* lex in molles et effeminatos, qui nefanda Venere uterentur, hoc est, aut ipsi muliebria paterentur, aut vim pueris facerent, quibus pœnam decem millium nummorum statuit, lata a P. Scantinio Pont. (Livius, XXIII, 11), vel a Scatinio tribuno plebis; nam a Scantinio, qui ea damnatus sit, illam nomen accepisse, e Valerio Maximo, VI, 1, 7, judicio parum probabili colligitur. [1]

Var. 45. *Faciunt ii plura*, 11, prob. Schurzfl.

Not. 45. *Plura* reprehensione et pœnis digna.

Not. 46. Peccantium multitudo et consuetudinem et licentiam peccandi parit. Compara Senecam de Clem. I, 22; de Benef. III, 16; Lucan. V, 259, 260, et al. Se invicem junctis viribus tuentur a legibus judicibusque, ut milites se ab hoste tutantur facta et densata *phalange* (*μάχῃ αὐλοσχιδεῖ, συναστισμῷ*, testudine), qua impetus vel hostis excipitur, vel in eum fit, et viris atque *umbonibus*, hoc est, scutis, *junctis*. [2]

Not. 47. Grangæus confert proverbium *Simile simili gaudet*, Catulli, Epig. LVIII:

Pulcre convenit improbis cinædis,

Martialis, VIII, 35, et al. — *Molles*, pathicos, cinædos.

Var. 49. *Tedia*, 27, 60, 64, et plerique Codd. Paris. unde recepit Ach. *Tedea*, 16; *Tœdia*, 17; *Teclia*, 21; *Media*, 75, 76. — *Cluvam*, 23 a m. pr. *Cliviam*, 23 a m. sec.

Not. 49. *Lambit*, vid. ad IX, 4. — *Cluvia*, *Flora* et *Catulla* nomina ficta mulierum impudicarum, ut *Hispo* (al. *Hippo*) viri cujusdam infamis. — *Catulla* forte eadem memoratur X, 322, et a Martiali, VIII, 53, qui quidem de ea sic loquitur:

Formosissima, quæ fuere, vel sunt,
Sed vilissima, quæ fuere, vel sunt:
O quam te fieri, Catulla, vellem
Formosam minus, aut magis pudicam!

[1] Var. 50. *Hippo*, 1, 56, 70, 74, 81, 82. Sed *Hispo* restitui ex 10, 11, 15, 16, 17, 19, 21 a m. sec. 22, 23, 24, 26, 27, 45—55, 58, 61—69, 71, 72, 73, 77—80. Hoc nomen memoratur Tac. Ann. I, 74; Gruter. Inscript. 597, 1; forte et Cic. ad Div. XIV, 1. Confer Comm. *Ispo*, 14, 25, 57, 59. *Hyspo*, 21 a m. pr. *Ipso*, 60, 65, 75, 76. — *Subdit*, 47.

Not. 50. *Subit*, prædicat. Confer Propertium, III, 19, 14. — *Morbo*

[1] Vid. Christii Hist. legis Scatiniæ, Halæ, 1727, in-4°; Ernesti clav. Cic. in Ind. legum; Bachii Hist. jurispr. Rom. p. 146, et qui ab his laudantur.

[2] De hac phalange densata vid. Polyb. XVIII, 12 seq. Clarke et Kœppen ad Homer. Il. λ, 72 seq.; ν, 130 seq.; π, 212 seq. Klotz. ad Tyrt. II, 30, pag. 101; et Curtium nostræ Edition. t. I, Excursus I ad lib. I, pag. 178.

utroque, lambendo et patiendo, vel fellando et pædicando, vel quia cum utroque sexu rem habet. De voce *morbus* vid. ad IX, 49.

ANAL. 51 seq. Nos non virilia agimus, ut vos muliebria.

VAR. 52. *Fora nostra*, 23.

NOT. 52. *Fora*, judicia, *non movemus*, turbamus, caussas agimus. Sed vid. VI, 242 seq.

VAR. 53. Post hunc versum alius legitur in Cod. Mazarin. bibl. reg. Paris. *Spicum illustre tenens splendenti pectore virgo.*

NOT. 53. *Luctantur paucæ*, vid. ad I, 22, 23. — *Coliphia* dici aridam validamque carnem in coxis boum, alibilem athletarum cibum (vid. ad XI, 20), docent Schneider. ad Script. rei rust. tom. IV, pag. 104, et Bottiger. in *London und Paris V. Jahrg.* N° III, ann. 1802, p. 262, 263. Κωλῆ, κωλὴν et diminut. κωλήφιον, seu κωλήπιον, femur, perna. Confer Salmas. ad Tertull. pall. pag. 262, et interpretes Martialis VII, 66, 12.

VAR. 54. *Trahitis lanam*, 21, 22, 68.

NOT. 54. *Lanam trahere*, ducere e filo, vel potius carere, carminare. Confer Heinsium ad Ovidium, Ep. Her. XIX, 49; Scaliger. et Heynium ad Tibullum, I, 6, 80. — *Peracta vellera*, lanam et stamina in filum deducta. — *Calathus*, κάλαθος, καλάθιον, καλαθίσκος, corbis vimineus, eleganter flexus, cui ancillæ, lanam facientes, pensa diurna *referebant*, hoc est, in quo ea reponebant, τάλαρος εἰρεχαρὴς, seu εἰρεκόμος (vid. *Jacobs* ad Anthol. græc. vol. I, P. II, pag. 68; Bottigeri Sabina, pag. 176, XIX, XXIV, ed. pr.; et Spanhemium ad Callim. Hymn. in Cer. v. 1.

NOT. 55. *Fusum tenui stamine prægnantem*, plenum, repletum, *levius*, velocius, *torquetis*, ut *levi teretem versabat pollice fusum* Arachne apud Ovidium, Metam. VI, 22, et Penelope λιπτ' ἠλάκατα στρωφῶσα apud Homerum, Odyss. ϱ, 97.

VAR. 56. Transpositi in 21, *melius, melius*, 46, 48, 49, 61, 62, 63, 65—69, 71—74. *Melius meliusque*, 19.

NOT. 56. Ars *Penelopes* nota ex Homer. Odyss. τ, 137 seq. et *Arachnes* ex Ovid. Metam. VI, 5—145.

VAR. 57. *Cortice*, 2, 3, 5, 6, 7. *Corthice*, 16.

NOT. 57. *Codex*, ligneus stipes, quem alligati servi, qui deliquerant, trahebant, cuique *insidebant* vincti; Turneb. Advers. XXIII, 21. Confer Propert. IV, 7, 44, et Plaut. Pœn. V, 3, 34. — *Quale* stamen *facit horrida*, inculta, *pellex*, ancilla, cui hæc pœna infligitur ab uxore viri, cujus pellex fuerat ante nuptias, vel post eas adhuc est, aut esse putatur. Confer Bottigeri Sabina, p. 426, 442, ed. pr.

VAR. 58. *Soli*, 19, 20, 22, 23 a m. sec. 26, 45, 50, 59, 64, 68, 74. — *Hyster*, 21 a m. pr. 23, 24, 45. *Ister*, 22.

Not. 58. *Hister* Pacuvius, homo infamis, et captatione testamentorum ditatus. Confer XII, 111 seq. — *Cur liberto* eodem quo drauco, seu pathico *solo tabulas* testamenti *impleverit*, hoc est, eum heredem ex asse testamento reliquerit, vel scripserit. Confer VI, 601.

Not. 59. *Cur vivus multa* dona *dederit puellæ*, uxori, ut scilicet pateretur tertium in eodem lecto secum *dormire*, cubare (vid. versus seq.), et ut ejus maritique turpitudinem celaret; unde *arcana*, etc. v. 61. — *Puellæ* et *virgines* poetis romanis, ut παρθένος et νύμφη græcis, dicuntur etiam uxores juvenes. recens nuptæ et dilectæ; quæ in flore ætatis sunt, etiam eæ, quæ jam alicui nuptæ sunt, vel adeo pepererunt. [1]

Var. 60. *Dives eris, magno quæ dormis tertia lecto.* 1. Non male!

Not. 60. *Dives erit*, multis donis a marito acceptis, *quæ tertia*, cum marito et drauco, sive pathico, *dormit*, cubat, ut apud Martialem, III, 73, 1. — *Magno* in *lecto*, qui tres capere potest. Aliis lectus divitis, vel maritalis esse videtur.

Not. 61. *Arcana*, silentium. Confer ad v. 59. — *Cylindri*, lapilli pretiosi, teretes, oblongi, instarque cylindri, quo in areis æquandis utimur, volubiles; Grang. coll. Plinio, XXXVII, 5, et Tertulliano, de Habitu mul. cap. 7.

Var. 62. Post *fertur*, colon ponunt Bahrdt, Farnab. et alii, ut sensus sit: postremo, vel si porro ita fiet, de nobis valebit, quod vulgo proverbii loco dicitur, *dat veniam corvis*, etc.

Not. 62. *De nobis* miseris mulieribus, scilicet si in aliquam, etsi falsam, impudicitiæ suspicionem inciderimus, vel ex infirmitate et simplicitate forsan peccaverimus. — *Post hæc* flagitia vestra; hoc est, quum vos contra impune feratis scelera. — *Tristis*, severa ac dura, *sententia fertur*, a maritis, ædilibus, senatu, vel Imperatoribus. Impudicitia matronarum severis utique legibus (inpr. Julia, cujus pœna fuit relegatio in insulam cum publicatione dimidiæ partis dotis et tertiæ bonorum), ac pœnis coercebatur. [2]

Not. 63. Simili apophthegmate Democrates, Zaleucus et Anacharsis leges comparasse dicuntur aranearum telis, retinentibus infirmiora animalia, validiora transmittentibus. Vid. Stob. Serm. LXVI, et CLI; et Plutarchum vit. Solonis Opp. T. I, pag. 81, A; Valer. Maximum, VII, 2, ext. 11; Erasmi Adag. Chil. III, Cent. V, 73. Similiter Germani dicunt: *Kleine Diebe hangt man, grosse lasst man laufen.* Confer Terentium, Phorm. III, 2, 16 seq. — *Corvis*, hoc est, iis, qui multa ac magna commi-

[1] Vid. ad 6, 258; 9, 74, intpp.; Horat. Od. II, 8, 23; III, 11, 35; 14, 9; 22, 2; Kœppen ad Hom. Il. 7, 130; Heyne Obss. ad Tibull. III, 1, 21; Drakenb. et nos ad Sil. Ital. III, 435.

[2] Vid. intpp. Suet. Tib. c. 35; Lips. not. et Excurs. ad Tac. Ann. II, 85.

serunt delicta, hoc loco viris malis et improbis. — *Vexat*, exagitat, castigat, punit. — *Censura*, cognitio et judicium. — *Columbas*, eos, qui minus, vel nihil deliquerunt, innocentes; hoc loco mulieres. — *Raoul* sic vertit:

« On pardonne au corbeau, pour percer la colombe. » ED.

VAR. 64. *Trepidæ*... *Stoicides* forte 1. — *Loquentem* quidam pro *canentem*. Sed vid. Comm. seq.

ANAL. 64, 65. *Stoicidæ* contemptim dicuntur homines libidinosi flagitiosique, sed stoicorum speciem præ se ferentes, eorumque more de virtute disputantes; ut Στώικες, vel Στόικες diminutive et per contemptum pro Στωικοὶ in loco Athenæi supra ad v. 19, adscripto: confer ad v. 14. Vetus Schol. et alii putabant, voc. *Stoicidæ* femineum esse et contumeliose dici, ut *Phrygiæ* apud Virgil. Æneid. IX, 617, et *Troiades* apud Pers. I, 4. — *Canentem vera* Lauroniam, quæ pudorem iis incusserat. *Canere* significat clare dicere et indicare (ut *cantare* passim apud Plaut. v. c. Bacch. IV, 9, 61; Most. IV, 2, 64, et Rud. II, 5, 21), vel simpl. loqui, aut dicere, quoniam antiquissimis temporibus omnia et dicta et præcepta versibus continebantur. — *Quid falsi* dixerat?

VAR. 65, 66. *Lauronia*, al. v. ad v. 36. — *Faciant*, 14, 17 a m. pr. 45. *Faciunt*, 47, 58. — *Multitia*, 21, 60, 64, ut 21, 27, inf. v. 76, et 19, 59: inf. 11, 186.

NOT. 65 seq. Quid non facient alii, quum judices et cognitores vitiorum ipsi iis dediti ac molles sint? *Multicia* scilicet vestimenta, ut v. 76, et XI, 186; vel *multicia synthesis* apud Tertull. de Pall. 4, et *multicia tunica* apud Flav. Vopisc. in Aurel. 12; vestes subsericæ, seu bombycinæ et Coæ, tenuissimæ et perlucidæ (unde v. 78, *perluces*; de quo v. Heyn. ad Tibull. IV, 6, 13, et *Jacobs* ad Anthol. græc. t. II, P. II, p. 279), quibus tunc temporis etiam viros uti non pudebat, quamvis ne feminas quidem decerent. Confer. ad VI, 259, 260; VIII, 101; Horat. Serm. I, 2, 131; Senec. Ep. 90, 115, 123, et de Benef. VII, 9, extr.; Lucan. I, 163 seq.; Petron. Sat. cap. 119; Plin. XI, 22 extr., et 23 extr.; Clemens Alex. Pædag. III, 3; Lipsii Excursus ad Tacit. Ann. II, 33; Salmas. ad Tertull. de Pall. pag. 226 seq.; et Vopisc. l. l. Dicta autem *multicia* Salmasius putat a *multum* et *icio*, bene densata et radio percussa, ideoque tenuia et levia. Adeo enim tenues erant hæ vestes, ut per eas singula membra conspici possent; « utque, inquit Seneca, matronæ nostræ ne adulteris quidem plus suis in cubiculo, quam in publico ostendant. » Minus probabiles sunt aliorum conjecturæ: vid. Vossium, Etymolog. p. 331, et Ferrar. de re vest. I, 20. — *Sumas*, induas, ut contra *ponere et deponere vestem* pro exuere; Grangæus.

VAR. 67. *Critice*, 10 a m. pr. et inf. v. 78, in 10, 23, a m. sec. et 67. Ita legendum putabant Calder. et alii: sed ab h. l. alienum est, et metri legibus adversatur. — *Peroras*, 16, 22.

Not. 67. *Creticus*, nomen cujuslibet nobilis, ut VIII, 38. Conf. annot. ad Argum.

Var. 68. *Pollutas* pro *Pollitas*, 7, 26. *Pollucis*, 19. *Pollucas*, 14, 45. *Polluces*, 15. *Polluicas*, 11, 17, 19, 22, 23. *Polliucas*, 10, et XI Codd. Paris. unde recepit Ach. *Pelvicas*, 24. *Pelluicas*, 27. *Pullaitas*, 16. *Polluvicas*, 21. *Pollineas*, 25, 49—57, 59—74, 78, 79, 80. *Pellineas*, 46, 47, 48, 58. *Pollenias* conj. Beck. (vid. ad I, 161), quia nomen *Pollenius* obvium aliquoties in antt. marm. v. c. ap. Gruter. Inscr. p. 816, 3. — *Fabulla*, 1, 70, 75, 76, 77, 81, 82, quæ lectio firmari videtur Martial. 1, 65; 12, 95. *Labulla*, 10, 11, 14—17, 19—27, 45—69, 71—74, 78, 79, 80, et XXXV Codd. Paris. unde restitui, præeunte Ach.

Not. 68. *In Proculas et Pollitas*, contra adulteras et meretrices, lege Julia damnandas. — *Procula*, nomen roman. ut III, 203, et apud Gruterum passim.

Var. 69. *Carphinia*, 10, 21, 22, 45, 46, 49, 54—57, 60, 62, 66—69, 71—74. *Corphinia*, 47, 50, 58, 64. *Corvinia*, 23. *Calphinia*, 27. *Calphurnia*, 24.

Not. 70. *Togam talem*, multicia. Interpretes hoc loco monent, matronis stupri *damnatis* deponendas fuisse stolam, institam, vittam, *sumendamque togam* meretriciam [1]. Eo tamen non respexisse videtur poeta [2]. — *Sed Julius ardet, æstuo*, verba Cretici, causantis, se tam tenui veste uti propter nimium Julii mensis æstum. *Julius ardet*, ut *Testam fervens Julius coquit messem* apud Martialis, X, 62, 7.

Var. 71. *Infamia*, 24, 26, 81, et quidam Codd. Paris. prob. Grang.

Anal. 71—76. Locus difficillimus, cujus sententia nunc, re solertius perpensa, sic mihi expedienda videtur: Respondet poeta v. 71: *agas* caussam (ut *perores* v. 67) *nudus*, sola vestitus tunica (ut γυμνὸς et passim *nudus*; vid. ad Liv. III, 19, 9); *minus est insania turpis*, minus turpe est, insanum haberi, quam tam mollem et effeminatum. Quibus hæc reponit Creticus ridens vers. 72—74: *En habitum, quo te* (nisi malis *me*) *leges*, etc., habitus hic, quem sumere mihi suades, sane tam ridiculus est, ut, si sola indutus tunica *leges et jura ferres*, in tribunali sederes, vel *populus modo victor*, qui modo, vix rediit victor *vulneribus crudis*, recentibus,

[1] Confer sup. ad I, 96; Porphyr. Acron. et Lambin. ad Horat. Sat. I, 2, 63, et 82; Heyn. ad Tibull. I, 6, 67; IV, 10, 3; Lips. Excurs. ad Tacit. Ann. II, 85; Martial. II, 39; X, 52.

[2] Plathnerus hæc verba eo referenda putabat, quod toga fuerit vestis mulierum in luctu, et damnati veste incesserint lugubri. Confer Rittershus. Commentaria ad XII Tabularum leges I, 4; Godofredum ad L. XV, § 15, de Injuria, et Schott. nod. Ciceron. lib. I.

nondum sanatis, *et montanum vulgus positis aratris*, relicto opere rustico, *te audiret*, te videndi audiendique cupiditate accurreret. His poeta respondet ista v. 75, 76. Vere et recte; at *quid non proclames*, quanto magis stupeas necesse est, *si in corpore judicis videas ista* multicia, vestimenta ejusmodi perlucida, quæ ne *testes* quidem *decent*, nedum judices? Sic oratio magis nitebit, quam si omnia hæc tribueris poetæ, et *habitum*, v. 72, ad multicia spectare credideris; quam rationem et ipse olim sequutus sum, quaque admissa languent saltem versus 75 et 76. — Editores, quotquot consului, versus 72—74 hoc sensu ceperunt: O quam dignus habitus et judex, quem spectent prisci illi Romani, militiæ et agriculturæ assueti! Quæ interpretatio neque his, neque proximis verbis versuum 75, 76, satis convenit, quamvis huc referantur, quæ de voce *modo* notavi infra ad v. 160. Displicuit etiam Heineckio, cui tamen mea (antiquior illa, quæ omnia quidem tribuebat poetæ, non vero ad priscos referebat Romanos) videtur multo pejor. Audiatur itaque octavus sapientum, cujus verba sunt hæc: « Mecum sic interpunge et explica:

> .... Nudus agas. Minus est insania turpis?
> En habitum, quo te leges....
> .... aratris.
> Quid? non proclames, in corpore, etc.

id est, tu potius nudus age caussam tuam. His respondet Creticus: Ergo me insanum esse vis, atque hoc minus turpe putas. Profecto tali habitu me nemo hac tempestate audire sustineret; si coram priscis illis agerem, qui sæpius in forum ad caussas audiendas ibant *modo victores*, id est, redeuntes ex pugna, ubi victores fuerant (notissimum enim est, initio Romani imperii bella sæpius uno, paucisve diebus finita esse, populusque igitur in forum ibat, ubi paullo ante, *modo victor* exstitit *vulneribus* adhuc *crudis*); si coram illis, et præsente illo montano populo (Sabinis tetrica sua disciplina), qui ab aratro ad negotia civilia vocabantur, Cic. de Senect. 16, *nudus in Proculas et Pollitas perorarem*, non pro insano haberer, quod nostris temporibus secus est. Poeta Cretico respondet: *Quid?* ergo tali habitu te nunc insani speciem non evitaturum putas, at *non proclames*, nonne terram et cælum moveas, si ea, quibus tu indutus es, *ista*, in corpore judicis videas? Significationem vocis *nudus* non urgendam esse puto, si quidem *nudus* sæpius dicitur, qui modo tunica indutus est. Confer Burmannum ad Petron. cap. 92. Tunica vero ad dicendum procedere, nefas habebatur, et vel in toga rite componenda accurati erant dicturi. Confer interpretes ad Plinium, Ep. II, 3. » Ergo hoc est sapere! Mihi quidem et hæc, pæne omnia, et ea, quæ contra me disputavit vir doctus, multas ob caussas, quas memorare nihil attinet, non minus absona videntur, quam illi mea, licebitque ei reponere idem, quod mihi dixit: Si Juvenalis hæc et dixisset, et ita expressisset, quovis tirone pejus balbutiret. Judicent nobis acutiores!

Var. 72. *Me* suspicari possis pro *te*.

Not. 72. *En habitum*, amara irrisio, ut apud Virg. Æneid. IV, 597; XII, 359 seq. et al. Similiter *Ecce iterum Crispinus* infra IV, 1. Isti quidem interpretationi adhæreo, quam dedit Alexander Ruperti. *Nudus* tantum credo significare, sine ulla prorsus veste, ne tunica quidem: et hoc sensu poeta addit: *minus est insania turpis*. Insani enim foret caussam agere *nudum*. Ed.

Not. 74. *Montani*, seu *pagani* dicebantur cives Romani, rure et in locis montanis habitantes: vid. Ernesti Clav. Cic. voce *montani* et *pagani*. — *Positis*, depositis, relictis, *aratris*.

Not. 75. *Quid non proclames?* Proclames forte, ut Tullius, *O tempora, o mores!* (confer Mart. IX, 71) vel, ut Plautus, *Mare, terra, cœlum, Dii vostram fidem!* Grang. Confer ad versum 25.

Var. 76. *Deceat*, 16, 26, 75, 76. — *Multitia* alii. Vide supra ad v. 66.

Not. 77. *Creticus*, vir nobilis, etiam *Stoicida* (vers. 65) fuisse videtur, et tum sane aptissima hæc verba, quæ olim a me ad intemperantiam libidinum, immoderatamque vivendi licentiam relata sunt, sed rectius a Grangæo ad philosophum Stoicum, et quidem tam ad paradoxum Stoicorum, qui sapientem ἀπαθῆ, et vel in tormentis beatum (vid. Cic. Tusc. Quæst. II, 7) prædicabant, quam ad dogma ipsorum, ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος. — *Acer*, nam Stoicorum disciplina omnium erat rigidissima; *Indomitus*, ἀπαθής, immunis et ab affectibus animi, et a corporis doloribus; *magister libertatis*, ἐλευθερίας, quam Stoici dicebant esse ἐξουσίαν αὐτοπραγίας (vid. Diog. Laert. VII, 121), et Cicero Parad. V, 1, 4, *libertatem vivendi, ut velis*. Confer præclara loca Horatii, Sat. II, 7, 81—94, et Epist. I, 16, 63 seq.; ad quæ loca vid. Wieland.

Var. 78. *Critice* quidam. Vide supra. ad v. 67. — *Pelluces*, 17, a m. sec. 19, 22—25, 27, 46, 47, 49, 50, 54—58, 60—69, 71—74, 77. *Polluces*, 45. — *Talem*, 19, 25, 57.

Not. 78. *Perluces*, hoc est, veste perlucida indutus es: vid. sup. ad v. 66. Sic *perlucidus homo* dicitur Sen. de Constant. 18, et *perlucidus ostro* Martial. XII, 38, 3. — *Hanc labem*, animi maculas et morbos, vitia, inprim. mollitiem, *dedit* tibi et aliis, vel potius vulgavit, diffudit (ut mox *dabit*) *contagio*, commercium, consuetudo hominum malorum ac mollium. Comparant Sen. de Tranq. animi, cap. 7, et de Ira, III, 6; Ovid. Rem. Am. 613 seq. et al. Confer infra ad vers. 166. Confer quoque Servium ad Virg. Ecl. I, 51; et D. V. *Boissonade* ad Manassem, vol. II, p. 419. Ed.

Anal. 79, 80. Confer Colum. VII, 5; Virgil. Georg. III, 441 seq., 468 seq., et qui ibi laudantur ab intpp. — *Scabiem* describit Cels. V, 28, sect. 16, et *porriginem* hominum pecorumque; idem, VI, 2, et Seren. Sammon. de Medic. III, 34, 35 (ubi cf. Keuchen.); Plin. XXVI, 6, 8. Confer var. lect.

Var. 80. *Prorigine*, 10, 11, 48, 49, 51, 55, 80. *Prurigine*, 13—16,

17, a m. pr. 27, 19, 44—47, 54, 56—58, et XVI circiter Codd. Paris. prob. Turnebo. Eadem lectionis varietas deprehenditur in simili loco Columel. R. R. 7, 5, ubi *porriginem* præferebant Ursinus coll. Celso de Med. II, 7; VI, 2; Grævius (in Sylloge Burm. tom. IV, pag. 295, et ad Justin. XXXVI, 2); Keuchen. et Burm. in Poet. latin. min.; ad Seren. Sammon. de Medicin. III, 35. Beckius (vid. ad I, 161) hæc notavit: « Isidorus in cutis vitiis Etym. IV, 8. *Prurigo*, inquit, *vocata a perurendo et ardendo*. Hoc sensu rectissime usurpatur de suibus, quoniam ob prurientem cutem luto volutantur, et quibusvis lapidibus ac truncis sese affricare gaudent. Celsus contra VI, 2, *porriginem* describit, ut sit, *ubi inter pilos quædam quasi squamulæ surgunt, eæque a cute resolvuntur; et interdum madent, multo sæpius siccæ sunt*. At enim vero si paullo post edocearis, *fore id in capillo fieri, rarius in barba, aliquando etiam in supercilio;* qua ratione suibus capillos, barbam, supercilia affingas? Vetus glossa *porrigo* vertit πτύρίασις, πτύρια τὰ ἐν τῇ κεφαλῇ. *Porrigo* autem et *prurigo* differunt, tanquam genus et species, quorum hæc totum corpus, illud caput tantum afficit. »

Var. 81. *Confecta*, 14. *Contacta*, 48, a m. sec. et Sarisb. quod etiam malebat Marshall, ut commodior esset sensus et apertior. At vid. Comm. — *Compacta* non nemo emend. teste Henninio.

Not. 81. Hoc ex vulgi opinione dictum, censentis, ubi livere et nigrescere cœperit unus uvæ acinus, protenus propinquum eo conspecto, velut invidia quadam, similem ab eo trahere, vel *ducere* colorem; Turneb. Adv. XV, 17. Quæ opinio abiit in proverbium, quale apud Suidam: Βότρυς πρὸς βότρυν πεπαίνεται, et *Uva uvam videndo varia* (hoc est, vario colore conspicua, dum maturescit, ut contra *uvâ unicolor*, quæ jam matura est) *fit;* Grang. — *Livorem*, nigrum colorem, quem *ducunt* uvæ maturescentes, βότρυες μέλανες, seu μελανόχροες. Conf. Homerus, Iliad. Σ, 562; Anacreon, LII, 1; Horatius, Od. II, 5, 10; Propertius, IV, 2, 13. — *Conspecta*, etiam ab inanimatis, quæ prope adstant, et propinqua, vel opposita sunt. Vid. Wernsdorf. Poet. Min. tom. V, P. I, pag. 163, ad Rutil. Itin. I, 489.

Var. 82. *Aliud* pro *aliquid* conj. Lubinus.

Anal. 82 seq. Aliquando etiam, quod turpius est, vestes feminarum indues, earumque sacra, vitam, vultum, incessum ac mores imitaberis; ita paulatim, velut per gradus, ad majora turpioraque scelera progredieris. — *Amictu*, vid. ad I, 142.

Var. 83. *Venit* vett. Codd. Rigalt. et Pontani, quem vide ad Macrob. Sat. III, 10. Hoc omnino doctius, quam ut librariis debeatur, et occurrit etiam VII, 29, unde nunc recepi. *Fit* pro *venit*, 19, 45. *Fiat* alii, et *fuit* reliqui: quæ omnia ex glossa videntur orta.

Not. 83. *Venit*, vid. ad VII, 29. — *Accipient*, recipient *te* in consortium.

Anal. 84 seq. Quinam sint ii, de quibus hoc loco agatur, non liquet.

Interpretes tantum non omnes hæc referunt ad Albanos, vel Flaviales sacerdotes, quorum collegium Domitianus Minervæ (quidam interpretes perperam dicunt Cereri, et alii Dianæ) in Albano prædio instituerit (conf. ad IV, 61, 100, 145), et a quibus Quinquatria non minore turpitudine celebrata sint, quam sacra Bonæ Deæ (*Bonam*, vid. 86, pro, Minervam, eo ritu, quo matronæ, *redimiculis monilibusque* ornatæ, Bonam Deam *placant*, hoc tantum discrimine, ut non mares, sed feminas excludant et arceant a sacris), et Orgia Græcorum, vel potius Bacchanalia Romanorum. Sed de his illorum sacerdotum ritibus nihil alicubi legere memini. Videntur potius Romæ illis temporibus alii homines effeminati fuisse, qui clandestina sacra peragerent, imitati matronas Bonam Deam colentes, viri nubentes, qui mulieres, vel matronas illas, habitu, vultu, incessu moribusque, quin etiam prostibula obscœnitate factorum verborumque (vid. v. 95, 107, 110 seq.) referrent. [1]

Not. 84. *Redimicula* fimbriæ, seu fasciæ pendulæ, quæ subligabantur mento, et vel pendebant de pectore, vel *frontem* ornabant. De hoc mulierum ornamento, vid. ad III, 66, et Winkelm. Monument. antiq. ined. pag. 155; et *Gesch. der Kunst*, pag. 308.

Not. 85. De *monilibus* monolinis, dilinis et trilinis, vid. Bottigeri Sabina, p. 405, 406.

Var. 86. *Bonam Cererem*, 16. — *Temere*, 60, 65.

Anal. 86 seq. Confer VI, 314 seq. — *Abdomine porcæ*. Ex interpretatione, quam dedit *Achaintre*, hæc omnia cinædi illi faciebant ad deridenda Bonæ Deæ mysteria; et idcirco de *abdomine porcæ* hic agitur. Abdomen est pars cutis, quæ ventrem protegit, pro ventre ipso. Quemadmodum igitur in sacris Bonæ Deæ porca immolabatur, ita nostri convivæ tenerae ventrem porcæ mensis apponi jubebant, quæ pars apud Romanos erat delicatissima. Ed. — *Et magno cratere*, obvoluta vini amphora, vel mellario vase. [2]

[1] De quibus vide, quos Grangæus laudavit, Dionys. Gothofr. ad l. *quum vir nubit*, ad L. Juliam de Adult., et Salvian. de Gubernat. Dei, Lib. VII, cujus hæc sunt verba: *Quum muliebrem habitum viri sumerent, et magis, quam mulieres, gradum fingerent; quum indicia quædam monstrosæ impuritatis sibi innecterent, et femineis regminum illigamentis* (ut v. 84, *longa redimicula*) *capita velarent, atque hoc publice in civitate Romana, urbe summa ac celeberrima: quid aliud quam Rom. imperii dedecus erat, ut in medio reip. sinu exsecrandissimum nefas palam liceret admitti?*

[2] Vid. Macrob. Saturnal. I, 12; Lactant. Inst. I, 22; Plutarch. vit. Cæsar. cap. 7; Gyrald. Synt. IV, p. 144; Dempster. ad Rosin. III, 19, et inpr. Heins. ad Ovid. Artis Amatoriæ lib. III, vs. 244 (ubi et de Bonæ Deæ sacris copiose disputat), et Fast. lib. III, vs. 418, vol. VI nostræ edit. pag. 192. De *Bona Dea*, vid. *Creuzer's Symbolik*, tom. II, pag. 445.

Nor. 87. *More sinistro*, perverso, contrario : nam ad sacra Bonæ Deæ feminæ tantum admittebantur. [1]

Var. 89. *Profani*, 71, 73.

Nor. 89. Nota est formula initiorum, qua *profani*, non initiati, *βέβηλοι*, *ἀξύλεκτοι*, *ἀμύητοι*, voce præconis vel sacerdotis a sacris submovebantur : *ἐκὰς ἐκὰς*, *ὅσσοις ἀλιτρὸς*, vel *ἐκὰς*, *ἐκὰς ἐστὶ βέβηλοι*, *procul*, *o procul este profani*. [2]

Nor. 90. Sententia hujus loci est, ab illo turpissimo cœtu semivirorum, sacra Bonæ Deæ celebrantium, feminas omnes, tanquam profanas, submotas fuisse, ita ut nulla ibi tibicina cornu inflaverit, ut in veris sacris Deæ illius aliorumque Deorum factum, sed omnia semivirorum ministerio sint peracta ; Ferrar. Elect. II, 14. — A *tibicina* non tibiam, sed *cornu* inflari, non est quod nos offendat : non enim omnes tibiæ rectæ, sed quædam incurvæ, vel obliquæ erant, *πλαγίαυλοι* et *γίγγραι*, seu *γίγγρας* dictæ, inprimis Phrygia, cujus frequens in sacris usus, et quæ inde *cornu* passim vocatur [3]. — *Gemere* de quovis sono et strepitu. Confer VII, 71, et ad Sil. I, 425, in var. lect.

Var. 92. *Jussi* pro *soliti*, 46, 48. *Baptæ soliti*, 20. — *Cotitto*, 67. *Cotyto*, 74, et Cod. Mazarin. bibl. reg. Paris. *Cotyton*, 1, 49, 56, 57, 59. *Cotytton*, 50, 70. *Cociton*, 14, 15. *Coccyton*, 16. *Cocithon*, 26. *Cochiton*, 22. *Cocyton*, 10, 11, 17, 19, 20, 21, 23, 24, 25, 27, 45—48, 51, 52, 54, 55, 58, 75, 76, et vel idem, vel *Cocciton* et *Cochiton*, XXXIV, Codd. Paris. habent probb. Calder. et Ach. ut designetur Proserpina, vel Ceres, a *Cocyto* fluvio, vel a *κωκύω*, *fleo*, *lugeo*, sic dicta, in cujus sacris Eleusiniis *δᾳδοῦχοι* (forte hoc loco *baptæ*), *tædas* ferentes, saltaverint, et Deam lascivis gestibus clamoribusque *lassaverint*. Sed prima syll. vocc. *Cocytus*, *Κωκυτὸς*, *κωκύω*, producitur.

Anal. 91, 92. *Talia*, non minus nefaria et obscœna, *Orgia*, sacra no-

---

[1] De quo vid. Heins. l. l. Tibull. I, 6, 22 (ubi confer Heyn.); Plin. X, 56; Plut. Lactant. et Macrob. II. cc.; Cic. Parad. 4.

[2] Vid. Spanhem. ad Callim. II, in Apoll. v. 2, et in Cer. v. 3; Virgil. Æn. VI, 258; Sil. XVII, 28; Suet. Ner. 34.

[3] Verb. caus. apud Horat. Od. I, 18, 14. Ovid. Met. III, 533, XI, 16, et Fast. IV, 181, ubi Neapolis observat, eam propterea *cornu* dici, quod, si fides habenda Polluci et Hesychio, *κόδωνα* habuerit, seu amplius orificium, ex cornu adnexum, ejusque inferior pars incurvata fuerit. Confer infra ad III, 63, 64, et VI, 315; inpr. vero Spanhem. ad Callim. II, in Del. v. 253, et Gronov. Obss. I, 17, ubi et insulsissimi erroris arguitur Rigaltius, qui in Diss. de Sat. Juven. putabat, hæc verba ad Clodium spectare, qui vestitu cultuque psaltriæ, seu tibicinæ, sacris Bonæ Deæ affuerit, et intulerit *cornu*, nempe virum patrando stupri flagitio paratissimum.

cturna et enthusiastica, *coluerunt*, egerunt, *Baptæ*, Βάπτας, mollès effeminatique sacerdotes Cotyttus, quo titulo Eupolis comœdiam, quam alii Cratino tribuunt (nisi hæc alia est), scripsit, in qua, teste vet. Schol., Athenienses induxit ad imitationem feminarum saltantes, et præcipue perstrinxit Alcibiadem, quare ab hoc, vel ab illis necatus est : vid. Schweigh. ad Athenæum, IV, 82, pag. 678. Dicti forte Baptæ ἀπὸ τοῦ βάπτειν, *inficere, fucare;* non, quod sacris initiandi aqua calida *lavarentur,* vel quod omni vitiorum genere *tincti* essent, aut post illas nefandas pollutiones sola aquæ *tinctione* sese purgatos arbitrarentur, quæ Britannici et Grangæi conjecturæ mihi certe minus probabiles videntur. — *Cotytto,* δαίμων φοβερὸς apud Hesychium, hoc verbo; Dea nefandæ libidinis, cujus sacra Κοτυττία, seu Κοτυττὶς ab Edonibus in Thracia primum culta, et deinde in Phrygiam, inde vero Athenas translata; unde hoc loco Dea *Cecropia*, id est, Atheniensis, vocatur. Ab ea forte non diversa, certe ei similis *Cotys,* Κότυς, seu Cotyto et *Cotytto,* libidinum Dea, a Corinthiis et Chiis culta; unde homo mollis et effeminatus Κότυος διαπάντης, *Cotyos sodalis,* dictus putatur : nisi forte et proverbium hoc, et ipsa Dea originem debet Cotyi, libidinosissimo Thraciæ regi, de quo vid. Athen. Deipnos. XII, 8.[1] — *Tæda secreta,* nocturna, seu mystica, qualem gestabant δᾳδοῦχοι in Eleusiniis. — *Soliti lassare* ipsam *Cotytto*, cujus tamen libido insatiabilis est. Poeta, opinor, fingit, homines istos in fœdas libidines adeo se mergere, ut ipsa Cotytto eorum adspectum velut refugiat, vel prius, quam ipsi, delassaretur atque satiaretur, si iisdem voluptatibus se dederet.

Var. 93. *Tactum*, 2, 3, 5, 17, 19, 20, 21, a m. pr. 26, 47, 58, 61, 62, 67, 70—79, 81, 82. *Tinctum*, 10, 11, 14, 15, 16, 21, a m. sec. 22—25, 27, 45, 46, 48—57, 59, 60, 64, 65, 66, 68, 69, 80. Sed illud exquisitius est, hoc glossam redolet. *Tectum*, 63. *Factum* legebat Gonzal. ad Petron. pag. 274, et 366.

Anal. 93—95. Similiter Pollux, l. V, c. 16 : τὰς ὀφρῦς μιλαίνειν, τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφειν. Alii ex illis, more mulierum, decoris studiosi, supercilia fuco illinunt, et *fuligine* denigrant : nam nigra supercilia olim et delicatis pulchra videbantur, de quo vid. Junius, de Pictura, III, 9; Fischer ad Anacr. l. XXVIII, c. 16; et *Guys, Voyage en Grèce,* tom. I, p. 106. — De toto hoc *fuliginis* apparatu, quem Varro apud Non. p. 607, et Plinius, XXXIII, 6, *Calliblepharon* appellant, de *obliqua acu,* et de acu discriminali docte, ut solet, disputat Bottiger in Sabina, pag. 22 seq. 49, 50, et 148 seq. *Fuligo* pulvis fucusque subniger, similis *fuligini*, aqua

[1] Confer loc. class. Strab. X, p. 470, al. 721; B. Mitscherl. ad Horat. Epod. XVII, 56; intpp. Ovid. ex Ponto II, 9; Heyn. ad Virg. Catal. IV, 19; Synes. Epist. 44; Suidas v. Κότυς, Gyrald. de Diis Gent. Synt. VI; Politian. Miscellan. cap. 10; Jun. apud Erasm. Adagior. centur. I, pag. 317 seq.; Schweigh. ad Athen. IV, 77, p. 644, et IV, 82.

infectus (unde hoc loco *madida*), et superciliis, ulcerive infricatus (Columella, VI, 32, extr.); Græc. στίβι (unde *stibium*), seu στίμμι et στίμμις, vel galena fossulata, et plumbago (Germanice, *feine Schwarze von Bleyerz, von gepulvertem, zerstossenen Bleyglanz;* Turc. *Surmé;* Gallice, *galène de plomb*), vel antimonium nigrum (Gall. *oxyde noir d'antimoine;* German. *Spiessglas, Spiessglaserz;* Arab. *Cohel, Chohel, Alchohel*); Hebr. כחל et פּוּךְ (unde Lat. *fucus*), IV, Reg. IX, 30; Isai. LIV, 11; Jerem. IV, 30; Ezech. XXIII, 40, quibus locis LXX interpp., Aquila et Symm. vertunt στίβιον, στίμμις, στιβίζεσθαι et στιμμιζεσθαι [1]. — *Ille*, hic, alter. — *Tangere* docte dicitur pro tingere, imbuere, adspergere [2]. — *Supercilium producit*, ut *supercilium proferre de pyxide* apud Petronium, cap. 110, et Martialem, IX, 38, 6 (quod tamen Bottiger facete dictum putat); vel *medicamenta ex fuco, quibus lanæ* (leg. *malæ*) *colorantur, illum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur*, etc. apud Tertull. de Hab. mul. cap. 2; Grangæus. Confer loca class. Plinii, l. XXXIII, c. 6 : « Vis ejus (*stibii*), adstringere ac refrigerare, principalis autem circa oculos; namque ideo etiam plerique *Platyophthalmon* id appellavere, quoniam in callieblepharis mulierum *dilatat* (ut hoc loco *producit*) oculos; et fluxiones inhibet oculorum, exulcerationesque. » Et *Mémoires d'Arvieux*, tom. III, pag. 297 : « Elles noircissent légèrement les bords de leurs paupières avec « une poudre composée de tutie, qu'on appelle *Kohel, Kehel*, et tirent une « ligne de la même couleur au coin de l'œil, pour les faire paraître plus « grands et plus fendus; car la grande beauté des dames arabes, et de « toutes les femmes de l'Orient, est d'avoir *de grands yeux noirs bien fen-* « *dus*, et à fleur de tête. »

[1] Confer Dioscor. lib. V, cap. 99; Plin. lib. XI, cap. 37, seu 56; XXVIII, 11, et 17, XXX, 15; XXXIII, 6; XXXVIII, 8; inprim. Claudian. X, 268 (ubi vid. Kœnig.); Ovid. Artis Amator. lib. III, vers. 201 (ubi vid. Heins. et Burm.); Schneideri Lex. Gr. v. στίμμις, Grandi in Ep. ad Ludolf. p. 117 (in Ephemerid. Naturæ curiosorum Anni VI, Decur. II, p. 81 seq. Append.); *Savary's Briefe*, I, p. 103; *Forskol* Flora Ægypt. p. XXIII; *Sandy's Travels*, p. 67; *Shaw's Travels*, pag. 294; *Rauwolfs Reisen*, I, 7; *La Roque, Mœurs des Arabes*, c. 17; *Thévenot, Voyage du Levant*, I, 42; *Lady Montague Briefe*, tom. II, p. 21; *Chardin, Voyage en Perse*, tom. I, pag. 156; *Russels Natural history of Aleppo*, p. 102; *Nieburhrs Reise nach Arabien*, tom. I, pag. 292; Hieron. Ep. ad Fur. 10; Spanhem. Hist. Jobi c. 15, § 11; Casaub. ad Athen. XII, 2, extr. (cap. 10, ed. Schweigh.), et Lichtenstein prolusio philol. de luce, quam auctorum class. interpretatio ex Histor. natur. lucratur, Hamb. 1782, pag. 10 seq.

[2] Vid. Turneb. Adversar. XV, 17, Gronov. Observationum lib. III, 18; Heins. ad Ovid. Artis Amatoriæ lib. III, vers. 269; Broukhus. et Heyn. in Observation. ad Tibull. lib. I, Eleg. 8, vers. 52; Burman. ad Ovid. Epistol. XIX, vers. 41, et qui ab his laudantur.

VAR. 94. *Tingitque* suspicari possis coll. Plin. 11, 37, seu 56. *Mulieribus tanta est decoris affectatio, ut tingantur quoque oculi.* Sed præstat vulgata lectio, quia modo præcessit *tactum*, hoc est, tinctum.

NOT. 94. *Obliqua acu*, quæ Galeno dicitur μήλη, specillum, German. *Sonde*. Eadem vel duobus potius graphiis, quorum superior pars aliquantum inflexa est (unde hoc loco *obliqua acus*), etiam nunc ita utuntur Turcarum feminæ. Vid. *Bottiger's Sabina*, pag. 23, ed. pr. — *Pingit*, fucat. — *Oculos trementes*, pætos, palpitantes, tremulos, ut solent esse scortatorum : *oculos udos, ac tremulos, ac prona libidine marcidos, jam jamque semiadopertulos*, Apuleius, Met. III, pag. 135, edit. Elmenh. *Putres* dixit Horatius, Od. I, 36, 17. Conf. VII, 241; Ovid. Art. Amat. II, 721; Interpretes ad Virgilium, Eclog. III, 8; Douza Præcid. ad Petron. III, 7; Casaubon. et Kœnig. ad Pers. I, 18. Lucian. Amor. cap. 14 : ταχερόν τι καὶ ῥέον ἐν τοῖς ὄμμασι παῖδος ἀνυγραίνων. ED.

NOT. 95. *Ille bibit* e *vitreo Priapo*, hoc est, pene; drillopota, vet. Schol. Designatur poculum, formam membri virilis, vel ipsius Priapi referens; quemadmodum similis formæ penis Martiali XIV, 69, *Priapus siligineus* dicitur.[1] Sic Plinius hæc innuit, lib. XXXIII, cap. I : « In poculis cælare juvit, et per obscœnitates bibere. »

NOT. 96. *Reticulum*, muliebre capitis tegmen, κεκρύφαλος; Non. 14, n. 8, et 32; Varro, Ling. Lat. IV, 67. — *Auratum*, ut *aureum*, apud Petronium, 67. Conf. Varro, Ling. Lat. IV, 67, et Salmasius, Obss. ad Jus Att. cap. 5, pag. 162. Henninius non male *auratum* putabat dictum, vel quod auro intextum esset, vel quod *comæ* illæ *ingentes*, quæ signum sint animi plane effeminati, auri pulvere essent respersi, quales in Othone delicias, nec non in Elagabalo notarunt auctores.

VAR. 97. *Galbina*, 1, 48, 70, 75, 76, 82, ut in optimis libris Martialis, Petron. cap. 56, 64, et Vopisci, probb. Ferrar. R. V. 3, 22. Scalig. et aliis. *Galbana*, 10, 11, 14—17, 19—25, 27, 45, 46, 47, 49—69, 71—74, 77—81. Recte, si color hic a galbano, resina ferulæ Syriacæ, dictus est.

NOT. 97. Color *cæruleus* et *galbinus*, sive *galbanus* (vid. var. lect.) mulierum est, non virorum, unde *galbini mores*, et *galbinati* pro mollibus Martiali, I, 97, 9; III, 82, 5, et forte *Tetricus tunica galbina ornatus*, ut ignaviæ symbolo, apud Vopisc. in Aurel. cap. 34, ubi vid. Casaub. Conf. Lipsius, Elect. I, 13, extr.; Turneb. Advers. XVII, 8 et 15; Ferrar. de Re Vest. I, 17; III, 22. Hi docent, *galbum* in Glossis exponi χλωρόν, hoc est, herbaceum, viride, pallidum, flavum; et hinc quoque

[1] Ejus effigiem exhibent Rhodius de Acia Cels. c. 5, p. 59, 60, et Pignor. de Servis; Hennin. *D. Bern. de Montfaucon, Antiquit. expliq.* Confer Plin. XIV, 2, 13, 22; XXXIII, Præf. et c. 1; Salmas. ad Hist. Aug. p. 552; Gonzalez ad Petron. p. 429; Rutgers. L. VI, pag. 506.

galbeum, *galbinum* et *galbineum* dici hunc colorem. Alii *galbanum* rectius scribi putant, et galbani colorem designari. *Galbanus*, seu *galbanum*, gummi, seu resina male olens, et succus viscidus ferulæ, *νάρθηκος*, in Syria nascentis. Plantæ delineationem dedit Nic. Jos. Jacquin in *horti Vindobon.* tom. III, tab. 36; descriptionem ejus et succi Celsius Hierobotan. tom. I, p. 267; conf. Interpretes Virgilii Georg. III, 415, inpr.; Johan. Andr. Murray apparat. medicam. tom. I, pag. 262—266; et nostram Floram Virgilianam (Ed.); et interpp. Plin. XII, 25, seu 56; XXIV, 5, seu 13. Græcis dicitur *χαλβάνη*, et Hebr. חלבנה, Chald. et Syr. חלבניתא, unde *chalbanum* rectius forte scribitur. Color galbani exterior flavus est, et ipsa ferula, quæ initio albet, vetus flavescit, albicantibus tamen maculis distincta. Res hæc, ex oriente a Phœnicibus forte ad Græcos primum perlata, dicta videtur ab hebr. חלב, *lacte* (scilicet arboris, fruticisve), vel Syr. חלב, *gummi*, et לבן, *albus*: inde vero color albidus et flavus, qui galbano est, Lat. *galbus* et *galbanus*, vel *galbinus*. — *Scutulata*, scil. vestimenta, forte non eadem quæ *virgata*, *ῥαβδωτὰ*, dicuntur, a *σκυτάλη*, virga (de quibus vid. ad Sil. IV, 155): sed *πλινθία*, texta in formam scutularum, hoc est, quadrarum, quales in retibus, vel tela aranearum cernimus; Germanice, *Stoffe mit Rauten oder Würfeln, gewürfelte oder mit Queerlinien durchschnittene Kleider, à la quadrille.* Vid. Harduinum ad Plinium, VIII, 48, seu 73, et *Bottigers Vasengemälde*, tom. I, Fasc. II, pag. 77. — *Rasa* vestimenta, *ξυστὰς ἐσθῆτας*, sine villis, vel pilis, ut *toga rasa* apud Martialem, II, 85, 4, et Plinium, VIII, 48, seu 74, cui opponitur toga, seu vestis *pexa*, *ἡ μαλλωτὴ ἐσθὴς*, eminentioribus villis. Ad illustrandum hunc locum plurimum facit Plinius, VIII, 48, seu 73: « Lana Istriæ Liburniæque pilo propior quam lanæ, pexis aliena vestibus, et quam Salacia scutulato textu commendat in Lusitania. » Conf. etiam idem, XI, 24, seu 28, et ad hæc loca Harduinus ac Scaliger, item Turneb. et Ferrar. ll. cc.

Not. 98. Mulieres Romæ *per Junonem*, vel aliam deam, et servæ per Junonem, ac genium heræ, viri autem per Jovem, Herculem, genium suum et principis, ac servi per genium heri jurari solebant. Confer Heynium ad Tibull. III, 6, 48. En itaque novum mollitiei indicium! Virorum effeminatorum genius est Juno, per quam jurant more mulierum, et quam maxime colunt: hinc et *ministri*, hoc est, servi, qui per genium heri jurare solent, *per Junonem domini* jurant.

Anal. 99—101. Aliud muliebris mollitiæ argumentum frequens speculi usus, et vesanum tam formæ ad id explorandæ, quam comæ ad illud ornandæ studium; quod ne moratas quidem virgines ac matronas, nedum militem ac ducem decet. Quæ vero major insania fingi potest, quam quod imperator eo ipso temporis momento, quo ancipiti prælio de salute, vita et imperio contendendum est, formam suam in speculo contemplatur, ejusque elegantiam curat? Confer Spanhemium ad Callimachi Hymn. in Pallad. v. 17. — *Speculum* tale hoc loco ianui, quale describit Seneca

Nat. Quæst. I, 16, suspicabatur Hennin.[1] — *Speculum, gestamen Othonis*, non, quod Otho olim gestarat, quodque *ille*, de quo hoc loco agitur, ei occiso abstulerat, sed potius, quale Otho gestare solebat; etsi illi explicationi favent loca Virgilii, e quibus hæc et seqq. verba facete huc translata sunt, Æneid. III, 286:

.... Clipeus, magni gestamen Abantis.

et Æneid. XII, 94:

Actoris Aurunci spolium....

hoc est, quod speculum Otho non minori in pretio habebat, aut quo non minus gloriari solebat, quam Turnus hasta, qua Actora Auruncum spoliaverat: nam ita heroum arma ornantur a poetis et commendantur.[2] Confer ad I, 169. — *Pathici*, παθικοῦ. Confer ad v. 10. De *Othonis* imp. voluptatibus muliebribusque munditiis, vid. Suet. Oth. c. 2 et 12; Tac. Hist. I, 71, et al.

Not. 100. *Ille*, Otho.

Not. 101. In his verbis obscœni quid latere putabant Grang. et Turneb. Adv. IV; sed immerito, ut arbitror. Ed. — *Vexillum* tunica russa, sive velum purpureum, signum futuræ pugnæ, quod a duce proponi, et in prætorii fastigio extendi in hasta ac *tolli* solebat, ut, eo conspecto, milites se et arma pararent, dispersique convenirent; vid. Lipsium, de Milit. Rom. IV, 12, et confer notam ad Q. Curtium nostræ editionis, lib. V, cap. 2, 7. Ed.

Not. 102. Speculum inter sarcinas militum esse, tam stolidum est et inauditum, ut singulari historia dignum sit. Hæc δεινῶς magis, quam εἰρωνικῶς dicta. Confer Tacit. Hist. I, 88.

Not. 103. *Belli civilis*, inter Othonem et Vitellium, prælio apud Bebriacum, vicum inter Veronam Cremonamque situm, confecti, quo Othoniani a Vitellianis victi: quod notum e Tacito, Hist. II, 14—62, et Suetonio, Oth. 8, 9.

Anal. 104—107. Suetonius in Oth. cap. 9, et 12, memorat, multos, nec frustra, credidisse, Othonem, nuntio accepto de infelici pugnæ Bebriacensis eventu, magis pudore, ne tanto rerum hominumque periculo dominationem sibi asserere perseveraret, quam desperatione ulla, aut diffidentia copiarum, necem sibi ipsum conscivisse, et magnam partem hominum,

[1] Specula veterum non ex vitro erant facta, ut nostra, sed ex ære, stanno, argentoque polito, nonnumquam et auro. Vid. interpret. Plin. XXXIII, 9; Stat. Sylv. III, 4, 94; et Sen. Quæst. nat. I, 17 (qui *specula totis paria corporibus* memorat); Spanhem. ad Callim. Hymn. in Pall. v. 21; *Beckmanns Beytr. z. Gesch. der Erf.* tom. III, pag. 291; Bottigeri Sabina, pag. 400 seq. et 419.

[2] Vid. Héyn. ad Virgil. Æneid. V, 260 seq.; IX, 359 seq.; X, 700; et nos ad Sil. V, 137 seq. 321 seq.

incolumem gravissime detestatam, mortuum laudibus tulisse, multos etiam militum *fortissimum virum, unicum imperatorem*, prædicasse. Hinc Henninius ad hunc locum recte ita commentatur : « Hoc iniquum vulgi judicium Juvenalis nequibat concoquere, atque hinc σκωπτικὰς satirica antithesi exclamat : scilicet id vero *summi ducis* fuit, *occidere Galbam* (vid. Suet. Galb. 19, et Tac. Hist. I, 41 seq.), virum nihil minus, quam id, de se meritum (senem præterea, manibus pedibusque articulari morbo distortissimis ; Suet. Galb. 21, 23) ; et ea fuit Othonis in asserenda libertate Romana *constantia, ut cutem curaret!* Monstrum potius fuit hominis, qui *Bebriaci in campo* de imperio decertare ausus vir muliere corruptior insano formæ studio marcescebat. Cæcus vero sit oportet, qui hic non advertit reconditum, quo Romanorum inertiam pungit, aculeum ; qui sibi patiebantur ita ab hoc semiviro illudi. » — *Nimirum εἰρωνικῶς* et amare dicitur, ut *scilicet*, versu 122 ; V, 76 ; VI, 239 ; VII, 159 ; XIV, 156 ; et nostrum *sans doute*. Sic illa negant cum et sine interrogatione : conf. XIV, 54 ; ad Silium, V, 114 ; Bentl. ad Horatium, Sat. II, 2, 106.

Var. 105. Vulgo junguntur verba, *Et curare cutem summi constantia civis*. Mutandam esse distinctionem, bene monet Hein.

Not. 105. *Curare cutem*, ut *pinguem et nitidum bene curata cute* apud Horat. Epist. I, 4, 15 : nam pinguium cutis nitet. Sic et *curare pelliculam, genium, corpus*. *Cutis* quoque pro toto corpore ponitur, ut Gr. χρὼς passim, de quo vid. Spanhem. ad Callimachi Hymn. in Jov. v. 17. Sed hæc verba referenda potius ad mollitiem, levorem nitoremque cutis, vel corporis, inprimis faciei, quam Otho in speculo assidue contemplabatur. Molles homines amabant *cutem lotam* (VI, 464) lacte asinino (vid. ad v. 107), aquisque suaviter olentibus, mollem, nitidam et levigatam smegmate, σμήγματι, seu σμήματι. Confer. Athenæus, IX, 77 ; Salmasius, ad Scriptt. Hist. Aug. tom. I, pag. 42, et Bottigeri Sabina, pag. 19 seq. ed. pr. — *Summi civis*, imperatoris.

Var. 106. *Bebriaci campo*, 14—17, 19—24, 26, 45, 52, 64, 70, 74—77, 82. *Bebriaci in campo*, 10, 25, 27, 46—51, 53—63, 65—69, 71—73, 78—81. — *Spolia*, 21. — *Aspectare*, 22.

Not. 106. Confer ad v. 103. — *Bebriacum* aliis *Bedriacum*, Plutarcho in Othone, pag. 1070, Βηδριακὸν, et Josepho Bell. Jud. IV, 23, Φρυγδιακῷ dicitur[1]. — *Spolium affectare Palatii*, ad summum imperium adspirare : nam imperium quidem Otho jam susceperat, sed eodem tempore Germaniciani exercitus jurarant in Vitellii verba, et pugna Bebriacensi decernendum erat, quisnam ex illis regnaret, adeoque *Palatium*, domum se-

[1] Confer Lips. et Broter. ad Tacit. Hist. II, 23 ; intpp. Suet. Oth. cap. 9, et Plin. l. X, c. 49 ; Cluver. Ital. ant. lib. I, pag. 261.

demque Augustam, obtineret. *Spolium Palatii δυνᾶς* de imperio, quod illis temporibus vi rapiebatur.

Var. 107. *Expressum*, 19. — *In faciem*, 14, 15, 25, 45, 46, 47, 49, 50, 56, 57, 58, 60—69, 71—74. *In facie* alii, etiam Hennin. quod probat Hein. ut non jungantur verba *digitis in faciem pressum*, sed *in facie extendere panem pressum*.

Not. 107. « Otho fuisse traditur munditiarum pæne muliebrium; vulso corpore: quin et faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum: idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset. » Suetonius, Oth. cap. 12. — *Pressum panem*, madidum lacte asinino, quod psilothri loco erat, cujusque illitu splendor genis conciliabatur, facie siligineo hoc tectorio inducta, vel cute hoc smegmate attrita (vid. Heynium et Scaliger., Obss. in Tibull. I, 8, 11): nam molles Romani « cutem in faciem erugari (*vel extendi*) et tenerescere, et candorem custodiri lacte asinino putabant; unde Poppæa, uxor Neronis, quocumque ire contigisset, secum sexcentas asellas ducebat, » si fides habenda Plinio, XXVIII, 12. Apud eumdem, lib. XI, cap. 41, seu 96, hæc leguntur: « Lac crassissimum asinæ, quod conferre aliquid et candori in mulierum cute existimatur. Poppæa certe quingentas secum per omnia trahens fetas, balnearum etiam solio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens. » Idem de Poppæa memorat Dio Cassius, LXII, pag. 714, ubi vid. Reimar. tom. II, pag. 1024, 146. Confer infra ad VI, 461—473, ex quo loco recte, opinor, Casaubonus (ad Hist. Aug. pag. 22) collegit, *panem* istum non modo ex oryza et fabis, ut apud Medicos in compositione psilothrorum legimus, sed etiam ex farina siliginea factum esse.

Var. 108. *In Assyria ph. S. urbe* (Nino, capite imperii Assyriorum et sede regum, a Nino rege, Semiramidis marito, condita) conj. H. Vales. qui tamen præferebat vulgatum *in Assyrio orbe*, hoc est, in Assyria, seu in imperio Assyrio.

Anal. 108, 109. Tantum formæ explorandæ ornandæque studium in ipsis castris et acie ne impudicissimis quidem luxuriosissimisque mulieribus fuit. — *Quod nec fecit*, scilicet in castris et acie. — *Semiramis, Assyriæ* regina, non magis animi magnitudine ac rebus gestis, quam mollitie et libidinibus famosa, unde et A. Gabinius a Cicerone, Prov. Cons. 4, *Semiramis* appellatur. De ea voce *Creuzer's Symbolik*, t. II, p. 67—80; t. IV, p. 254. — *Orbis Assyrius*, ut *orbis Romanus*; confer var. lect. — Epitheton *pharetrata* ad virtutem spectat. Eam ex monimentis Ægyptiis Kircherus in *Turre Babel* cum arcu et sagitta ut jaculatricem exhibet; Hennin.

Not. 109. *Cleopatra*, regina Ægypti, cujus mollities notissima [1]. —

[1] Vid. Suet. Cæs. 35, 52; Hor. Od. I, 37, 9 seq.; Plut. vit. Anton.; Dio, XLVIII, 24; XLIX, 33; L, 4 seq.; Appian. Bell. civ. V, 4 seq.

Mæsta, victa navali prælio ad *Actium* prom.[1] Ipsa vehebatur aurea navi cum velis purpureis : vid. Florus, IV, 11 ; Plinius, XIX, 1.

Not. 110. *Hic*, in consortio conventibusque turpissimorum horum hominum, de quibus inde a v. 84, agitur inter eos, vel iis est. Romæ ; Grang. — *Reverentia mensæ*, quæ veteribus sacra erat : τράπεζα μὲν ἱερὸν χρῆμα, δὶ ἣς ὁ θεὸς τιμᾶται φίλοίς τι καὶ ξένοις, Synes. Epist. LVII.[2] Cf. notam ad Curtium nostræ editionis, lib. V, cap. 2, 14. Ed.

Var. 111. *Hic turpis Cybele est*, *et fracta*, etc. 11, probb. Henninio et Beckio Obss. phil. in Juven. Sat. duas priores, pag. 33. Illius nota est : « Si quid video, omnino ita legendum, plano sensu : nimirum dolet, Romæ tantas invaluisse in moribus corruptelas, ut etiam avide receperint *turpissimam* Deorum Matrem, ejusque cærimonias, quæ usque adeo omnem profligaverant verecundiam, ut vel in iis e Veterum memoria repetendis ipsum quodammodo prostituatur ingenium. » Hujus vero : « Ipsa orationis series videtur hanc lectionem postulare, quia plurima nomina in casu recto sese excipiunt, *libertas*, *senex*, *antistes sacrorum*, etc. Sic et *Cybele*, potissimum quum et ipsa *turpis* esset, et sacra illius detestanda. Origo autem depravationis duplex esse potuit. Una debetur lectori, vel dictanti, pro ratione metri, *hic turpis Cybelest*, quod dum librarius idiota, vel oscitans, ut audivit, in album conjecit, in causa fuit, ut τὸ *est* loquor cum Henninio, resolveretur in *s*, et adjiceretur τῷ *Cybele*. Altera ex antiquitate critica desumitur, et antiquo illo per compendia scribendi more, quando, quoties ultima litera vocis cujusdam cum prima sequentis eadem erat, ambæ in unam ceteris aliquantulum majorem conflatæ sunt : de quo vid. Gasp. Scioppii Art. crit. pag. 61, ed. Amst. 1662. » Meo qualicumque judicio illa lectio ab hoc loco prorsus aliena est : nam vox *Hic* non referenda ad Romam, sed, ut v. 110, ad consortium et conventus turpissimorum hominum, qui describuntur v. 84, seq. Vulgata autem lectio non est quod displiceat. modo epith. *turpis* cum *libertas*, non, ut vulgo fit, cum *Cybeles* jungatur.

Not. 111. *Hic est turpis libertas Cybeles*, hoc est, quali in Megalesiis aliisque enthusiasticis Cybeles sacris utebantur ejus sacerdotes, Corybantes, vel Curetes, Idæi et Galli, semiviri obscœni, et furentibus similes. De Cybeles cultu et sacerdotibus v. *Creuzer's Symbolik*, t. II, p. 33—68, 318. Confer Varr. Lect. — *Fracta*, delicata, molli et feminea : nam *frangere* significat vigore et vi sua aliquid privare, imminuere, mollire, effeminare ; unde et Græci θρύψις ac κεκλασμένοι. Confer Hennin. ad hunc locum ; Casaubonum ad Pers. I, 18, et 34 ; Burm. ad Petron. 128 ; et interpretes Claudiani in Eutrop. I, 262 ; Gesnerum ad Lucianum, de Saltatione, I, 229 ; Meurs. ad Lycophr. Cassandr. v. 136, et Potteri Archæol. Gr. L. IV, cap. 20, pag. 665, 666, edit. germ.

[1] Vid. Vellei. lib. II, cap. 84—86 ; Dio Cass. L, 14 ; LI, 3 ; Plutarch. Vit. Anton. et al.

[2] Confer Barth. ad Claudian. in Rufin., I, 229 ; Meurs. ad Lycophr. Cassandr. v. 136, et Potteri Archæol. Gr. L. IV, cap. 20, pag. 665, 666, edit. germ.

tione, cap. 17 : « Verbum κλάω, ad vocem relatum, vim quamdam sono naturali, et voci illatam notat : ἀνακλᾶν ἐστὶν, est sursum vi quadam agere vocem, ut altior, quam fert natura, vox exeat ; κατακλᾶν contrarium est, nempe infra modum illum et sonum naturalem vocem deprimere. Utraque ratio efficit κεκλασμένον, fractum aliquid, quia non pleno gutture vox funditur. » Ed.

Var. 112. Forte leg. *crine senex phanaticus alto*, ut significetur capitis rotatio, in fanaticis his sacris solennis ; de qua vid. infra ad VI, 316.

Anal. 112 seq. Quod indignationem auget, inter hos nuptos, qui ritu et more sinistro *sacra* Bonæ Deæ celebrant (vid. ad v. 84 seq.), reperiuntur decrepiti, quos ætas et experientia sapientes et continentes reddere debuerat, immo *antistes* eorum *senex* est et gulosus : tangit autem poeta aliquem sui temporis, nobis incognitum ; Grangæus. Plathnerus putabat, toto hoc loco non Cybelicos revera tangi, sed cinædicos illius sæculi homines, imitantes in omnibus fanaticos Cybeles sacerdotes, luxuriosissimum genus hominum, a sola autem absistentes eviratione. — *Crine albo*, cano. — *Senex fanaticus*, numine afflatus, et ab eo in furorem actus, θεοφορούμενος, ἔνθεος, ἐνθουσιάζων.

Var. 113. *Et* pro *ac*, 11, 24, 45.

Not. 114. *Gutturis*, ut *gula*, I, 140, ubi vid. notam. — *Conducendus magister* ad erudiendos et instituendos gulosos ; Grangæus.

Var. 115. *Exspectent*, 26, 60. — *Quis*, 15, quod præstiterit. — *Erit*, 26.

Anal. 115, 116. Quum tamen molles isti et effeminati homines habitu et moribus mulieres sacerdotesque Cybeles imitentur, ac muliebria quoque patiantur, *quid*, τι, hoc est, διὰ τί, cur *exspectant*, cessant ac dubitant (ut apud Ovid. Ep. Her. III, 83), *more Phrygio*, hoc est, sacerdotum Cybeles, Deæ Phrygiæ, *abrumpere cultris carnem supervacuam*, genitalia, quibus non opus est iis (pondus inutile pathicis), ut per omnia Gallis mulieribusque similes sint, nec ullum virorum argumentum relinquatur ? Sic fere *vilia membra* a Gallis cædi vel secari dixere Ovidius, Fast. IV, 243, et Tibullus, I, 4, 70, ubi vid. Heynium :

Inguinis et reliquum Phrygiis abscindere cultris.

Claudianus in Eutrop. I, 280. Confer Var. Lect. et infra ad VI, 513.

Var. 116. *Cultris abscidere carnem*, 14, 17. *Abscindere*, 15, 16, 19—22, 24, 45, 46, 48, 49, 61—69, 71, 72, 73, ut in simili loco Claudiani in Eutrop. I, 279, 280. *Cymbala ferre licet, pectusque illidere pinu, Inguinis et reliquum Phrygiis abscindere cultris ;* propter quæ verba Plathner. hoc loco malebat *Phrygiis . . . . cultris*, hoc est testaceis et lapideis. Confer Comment. ad VI, 514 (ubi verbum *secare*, ut passim, de eadem re adhibetur), et Heyn. ad Tibull. I, 4, 70. Sed *abscindere* glossam redolet, et *abrumpere*, quod in plurimis

libris legitur, aptius videri potest, si lapideis, non ferreis, cultris se castraverunt Galli.

Var. 117. *Quadraginta*, 11, 14—17, a m. pr. 19, 23—25, 45—49, 55, 57, 58, 59. Confer ad 1, 106.

Anal. 117 seq. De aliis exemplis virorum viris nuptorum vid. ad I, 62 et 78. — *Gracchus* fictum nomen viri nobilis ac divitis, quem poeta notat. — *Dedit dotem*, pro dote, dotis nomine, *quadringenta sestertia*, hoc est, ingentem vel maximam dotem (vid. infra ad VI, 137), censui equestri æqualem dotem, scilicet quadringenta millia sestertium; ex æstimatione quam fecit *Achaintre* 78,395 fr. 61 $\frac{52}{81}$. Ed. — *Cornicini, sive hic cantaverat ære*, hoc est, aut tubicini. *Tuba directi, æris cornua flexi*, apud Ovidium, Metamorph. I, 98.

Var. 118. *Cantaverat*, 2, 3, 5, 10, 15, 16, 17, 19—21, 26, 46, 48, 56, 61—63, 65—77, 81, 82. *Cantaverit*, 11, 14, 22—25, 27, 45, 47, 49, 50, 54, 55, 57—60, 64, 66, et duo Codd. Mss. viri docti in Misc. Obss. crit. vol. V, tom. II, p. 271.

Var. 119. *Dictum est*, 47, 48, 54, 55. — *Feliciter est*, 58.

Not. 119. *Tabulæ* dotales, seu dotis, seu nuptiales, de quibus vid. Lipsius, ad Tac. Ann. XI, 30. — *Feliciter!* vel *felix hoc sit!* fausta et boni ominis acclamatio, præcipue in conditione nuptiarum, aliisque pactis conventis.

Var. 120. *Ingens Cœna, sedet: gremio*, etc. distinguendum putabat Pithœus. *Ingens Cœna: sed et gremio* emend. Lips. Epist. Quæst. 4, 23. At vulgata et distinctio et lectio exquisitior. — *Marito*, 26.

Not. 120. *Ingens cœna sedet*, hoc est, ingens convivarum multitudo, multi cœnantes, sive convivæ accumbunt. *Cœna* pro cœnantibus, ut *convivia* pro convivis, V, 82: confer ad v. 34. Alii *sedet* dictum putant pro ponitur, apposita est, ut I, 96, et apud Ovidium, Trist. II, 481, ubi vid. Heinsius. — *Nova nupta*, Gracchus, *jacuit gremio*, in sinu, *mariti*, cornicinis, more nuptiali, de quo vid. Lipsium ad Tac. Ann. XI, 27. Idem Lipsius ad Tac. Ann. XI, 2, monet, mulieres olim cubantibus viris sedisse (vid. ad I, 136), postea etiam accubuisse, et quidem ita, ut uxores in virorum, amicæ puerique meritorii in amatorum sinu recubuerint, quod vocaverint *infra aliquem accubare*, vel *interiorem* (forte *inferiorem*) *jacere*. [1]

[1] Confer Ovid. Amor. I, 4, 5, 6, 35, 36; Suet. Cæs. 49, et Calig. 24, pr.; Liv. XXXIX, 43; Cic. ad Div. IX, 26, pr.; Gell. VII, 12, extr. ubi vid. intpp. Sic et ἀνακεισθαι et τινα ἐν τῷ κόλπῳ τινὸς Johan. XIII, 23; Luc. XVI, 22, 23. Sed illæ loquendi formulæ etiam ad proximum in lecto locum referri possunt: nam, ut loc. Lipsii constat, et omnibus notum est, veteres in triclinüis ita accumbebant, ut capite alterius sinus quasi pectusque alterius sibi proximi tangeretur et expleretur. Confer ad V, 17.

VAR. 121. *Auruspice*, 21. *Aruspice*, 23, 24, 61, 62, 63. Sed *haruspex* in lapidd. legitur, dictusque non ab *ara*, sed *haruga*, sive *haruiga*, hostia in *hara*, stabulo, includi solita, et *inspicienda*, si fides habenda Festo et Donato ad Terent. Phorm. IV, 4, 28.

NOT. 121. Exclamatio cum indignatione ad primores civitatis, quod ii ejusmodi vitiis magna parte infecti; Grang. — *Censore*, qui mores turpissimos corrigat, et talem furorem pœnis legum comprimat. — *Haruspice*, qui inspectis extis futura prædicat, et sacrificio portenta hæc, iramque deorum expiet. — *An*, vid. Heinsius ad Ovidium, Fast. II, 394.

ANAL. 122, 123. Quasi majus monstrum esset, si bos agnum, vel mulier vitulum pareret, quam videre virum viro nubentem, et mulieri habitu moribusque similem. — *Monstra* appellantur omnes res insolitæ et portentosæ, vel quæ præter naturam fiunt, v. c. monstrosa scelera, phænomena, ostenta, prodigia, ut versu 143; IV, 2, 45, 115; VI, 286, 645, al. — *Scilicet*, vid. supra ad versum 104.

NOT. 123. Ejusmodi monstra ac prodigia (quorum vanitatem occulte poeta ridere videtur), ut et procuratio eorum, vel tironibus e Livio nota. Confer de ostentis, prodigiis et monstris, eorumque generibus et caussis Commentatt. II, in Heynii Opusc. Acad. vol. III, p. 198 seq., p. 255 seq.

VAR. 124. *Flammea*, 14—17, 19, 21, 22, 24, 58, 61—64, 67—73. *Flamea*, XXXIII, Codd. et edd. antt. unde recepi cum Ach. Confer Comment. seq.

NOT. 124. *Segmenta*, quasi *secamenta*, a *secando* sic dicta, erant *laminæ*, quæ priscis temporibus, quibus nostra ars textoria, picturaque auraria ignota erat, percuti, dissecari, et tunicæ, seu stolæ matronarum, et quidem ejus institæ, aliisve rebus adsui solebant: cf. ad VI, 89; Val. Max. V, 2, 1; Ferrar. R. vol. III, 17; Salmas. ad Scriptt. Hist. Aug. t. II, p. 569 seq.; *Beckmanns Beitr. zur Gesch. d. Erfind.* tom. III, pag. 63; et Bottigeri Sabina, pag. 360, 378, 379, ed. pr. — *Habitus longos*, muliebres, stolas et syrmata. — *Flammeum*, aut *flameum* velum, pannus bombycinus, vel rica, tegmen capitis rutilum, lutei vel ignei coloris (unde *flammeum*, non *flameum* scribendum videtur), quo nupta, velata sponsa tradebatur sponso, unde orta loquendi formula *nubere alicui*. Confer ad I, 62; X, 334; Fest. et Voss. Lex. Etym., Ferrar. loc. cit. Sed apud Plinium, XXI, 8, flameo *luteus color* tribuitur (*jaune clair*), « lutei videO honorem antiquissimum in nuptialibus flameis totum feminis concessum (ED.); » ut apud Lucan. II, 361: et hæc laudantur Verrii Flacci verba: « Flameum nuptæ amiculum vocabant, non quidem a *flammæ* colore, sed quia *Flaminica*, cui divortium facere non licebat, eo perpetuo utebatur. » Eadem dicit Festus, et ex his verbis simul intelligitur, signate et acerbo cum aculeo dici VI, 225, *flamea* priora *conterit*, lacerat, vel quasi conculcat, quod contemptus signum est, hoc est, priora connubia adspernatur, et sæpius nubit.

ANAL. 125, 126. Gracchus, qui et nobilissimus nunc ditissimusque est,

et olim Salius, sacerdos Martis, Dei bellicosi, et animi maxime virilis, fuerat, nunc habitum sponsæ induit, ac nubit. — *Sacra* scuta, *ancilia*, *nutantia*, huc illuc vergentia, ac sursum deorsum jacta motu saltantis, *ferens* læva manu *loro arcano*, occulto, quippe quod interius adnexum erat. [1]

Var. 126. *Et pater Urbis* MS. Cantabrig. unde *Wakefield* ad Lucret. III, 1104, non male emend. *En! pater Urbis*, etc.

Not. 126. *Clipeis ancilibus*, ut *arma ancilia* dixit Valer. Maximus, I, 1, 9. Nam *ancile* adject. est, ita dictum, non *quod ab omni parte ancisum vel recisum esset, et omnis abesset angulus*, quæ Ovidii (Fast. III, 377), Varronis, Festi, aliorumque sententia est, sed quod περιφέρειαν sinuosam, passim incurvatam, et in apices excurrentem (non circuli vel peltæ formam), haberet, teste Plutarcho in Numa, pag. 69; unde ἀγκύλιον ab ἀγκύλος, *curvus*, appellatum, et *ancyle*, non *ancile*, scribendum est. — *Sudavit* ferendo ancilia et saltando: nam Salii ὄρχησιν ὑποορχοῦνται διατιθέμενοι τὴν πόλιν· κινοῦνται δὲ ἐπτέρυγες, ἱλιγμούς τινας καὶ μεταβολὰς ἐν βαθμῷ τάχος ἔχοντι καὶ πυκνότητα μετὰ ῥάμης καὶ κουφότητος ἀποδιδόντες Plutarchus, loco citato.

Anal. 126—132. Summa vis indignationis in hac expostulatione et compellatione Martis, inprimis in versibus 131, 132; conf. Casaub. ad Persium, I, 87. — *Pater Urbis* hoc loco non Romulus, sed Mars; et exquisite pro ejus nomine. Poeta Deum quasi admonet paternorum officiorum, quæ negligat.

Not. 127. *Latiis pastoribus*, Romanis, oriundis a pastoribus, quorum majores fuere homines rudes et agrestes, omnium voluptatum ignari. Confer III, 67, et ad VIII, 275.

Not. 128. *Gradive*. Nomen Martis, a gradiendo ultro citroque in bellum. Ach. — *Urtica*, quævis cupido, inprimis pruritus libidinis, ejusve stimulus, ut infra, XI, 166, ubi est synon. τοῦ *irritamentum Veneris*. Sic et κνίδη, κνίδωσις, et κνισμός· Vid. Jacobs ad Anthol. græcam tom. II, P. I, pag. 141 et 201. — *Nepotes*, posteros, ἀπογόνους. Confer Horat. Od. I, 2, 35.

Not. 129. *Traditur viro vir*, tamquam res empta, ritu nuptiali: vir viro nubit. Confer ad versum 117. — *Vir*, amator, pædico. Confer Heins. ad Ovidium, Art. Amat. I, 524.

Var. 130. *Nec tempora cuspide pulsas* in quodam Cod. MS. legit Lipsius, nec improbavit in Epist. Quæst. 2, 9, ubi monet, in more militari fuisse,

[1] Alii epith. *arcano* ad *sacra* referunt, vel ad cæleste ancile, pluribus ejusdem formæ immixtum, et Bahrdt ad balteum, cui ancile sub pallio annexum fuisse perperam tradit. Quod nulli, præter Salium liceret ferre; Britann. Vide not. 7, ad Liv. pag. 65, vol. I nostræ Editionis. Ed.

hastis scuta galeamque concutiendi in ira. Hinc leviori mutatione Plathner conj. *nec parmam cuspide pulsas*. Non male! Sed nec vulgata lectio spernenda.

Not. 130. Hæc δεινῶς dicta pro : nec irasceris, nec ira ardes? Confer XIII, 113 seq. ibique notam. — Mars iratus *quassat galeam* (ut apud Virg. Æneid. VII, 292; Valer. Flacc. I, 528; VII, 577, al.) et caput, ut Ἐννοσίχθων κινήσας κάρη, apud Homerum, Odyss. ε, 285.

Not. 131. *Nec quereris Patri* tuo, Jovi, mollitiem ac scelera Romanorum, vel de iis apud patrem tuum? Martem sine patre fuisse, non nisi Romanorum poetarum commentum est. Summa vero vis indignationis in his et reliquis verbis; quasi Mars ipse talem ignominiam morumque pravitatem ulcisci et avertere nequeat.

Anal. 131, 132. Curam gentis, cujus auctor es, et quam tu *negligere* videris, alii Deorum permitte! Confer Horatium, Od. I, 2, 35, 36. — *Cede*, discede a *jugeribus campi*, a campo; eum relinque. Omnia summum indignationis affectum spirant.

Not. 132. *Campum* Martium exquisite poeta pro tota Urbe ejusque imperio posuit, quod is locus Marti potissimum consecratus erat, et in eo comitia magistratibus creandis, legibus et judiciis quoque publicis extra ordinem ferendis habebantur; et quod in eo milites ad arma et bellum exercebantur; unde hoc loco *severus* dicitur, quod epith. Grangæus ad ipsum Martem referebat.

Anal. 132 seq. Satiricorum more aliquos repente colloquentes inducit poeta. — *Officium* Romanis dicebatur, quidquid honoris, aut studii et operæ, humanitatis ac benevolentiæ, vel patronis a clientibus, salutando, deducendo, sectando, occurrendo, etc., vel amicis et cognatis, solemni aliqua occasione, significabatur et præstabatur, τὰ καθήκοντα, v. c. si quis, ut Plinii verbis Epist. I, 9, utar, officio togæ virilis interest, sponsalia aut nuptias frequentat, ad signandum testamentum, in advocationem, in consilium rogatur.

Var. 133. *In valle Quirina est*, 11. Suspicari etiam possis *in colle Quirini*, ut apud Horat. Epist. II, 2, 68, aut *in colle Quirino*, hoc est, Quirinali, ut apud Ovid. Metam. XIV, 836. Sed vulgaris lectio ex ingenio poetæ, non librariorum, profecta videtur.

Not. 133. *Primo sole*, pro solis ortu. — *In valle Quirini*, collis Quirinalis. Sic Horatius, Epist. II, 2, 68, de simili re dixit :

.... Cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino; visendus uterque.

Confer Bentl. ad Horat. Od. I, 2, 46. In hac valle erat porticus, et Romuli templum, quo conveniebant homines componendorum negotiorum caussa, atque ubi sponsalia etiam aliquando peragebantur. Ach.

Var. 134. *Caussa est officii*, 22. *Caussa officii est*, 21.

Not. 134. *Quid quæris?* quasi id non facile divinare possis, quum his

temporibus non raro eveniat. — *Nubit amicus*, confer ad vers. 117, et I, 62, 78.

Not. 135. *Nec multos adhibet* testes, vel ad nuptiarum solemnia et cœnam.

Anal. 135, 136. Si modo paullulum vixero, hæc, quæ Scatinia, aliisque legibus vetita sunt, palam fieri videbo. — Verbum *fient* δὶς τὰς repetitur.

Not. 136. *Cupient* liberos habere, eorumque nomina, et *ista* matrimonia, *et in Acta* publica, seu populi, *referri*, quibus res rationesque populi, judicia publica, supplicia, comitia, ædificia, nativitates, illustres mortes, matrimonia, divortia continebantur, de quo vide Lipsii Excurs. ad Tac. Ann. V, 4, ubi etiam monuit, matrimonia divortiaque, propter præmia pœnasque legum, jam ante Juliam Papiamque, in Acta fuisse relata. Confer IX, 84; Salmasium, Exerc. ad Plinium, p. 717; et de *actis* senatus ac populi ad VII, 104; Lipsii l. l. et Ernesti Excurs. ad Suetonium, Cæs. c. 20. Cæterum quod his carminibus auguratus est Juvenalis, posterioribus sæculis factum est. Quæ ad hoc turpitudinis genus pertinent legere est apud Salvianum, christianum auctorem, qui medio quinto sæculo florebat. Ed.

Var. 137. *Obstat* pro *hæret*, 14.

Not. 137. *Tormentum* animi, dolor, ægritudo *nubentibus* viris *hæret*, eos perpetuo angit.

Not. 138. *Partu retinere maritos*, maritorum amorem firmare: nam liberi amoris conjugiique vincula sunt ac pignora; steriles autem uxores sæpe minus amantur, nec raro etiam repudiabantur a Romanis. Conf. VI, 142 seq., et Claudianum, XVIII, 72 seq.:

Femina quum senuit, retinet connubia partu, etc.

Var. 139. *Dii melius*, 13. — *In corpore*, 2, 3, 5, 10, 14—16, 25, 45—50, 55—61, 63, 66—69, 74, prob. Schurzfl. ut Græco more dictum sit. *In corpora*, 4, 6—9, 17, 19—24, 26, 27. 54, 62, 64, 65, 70—73, 75—77, 81, 82, et tres Codd. MSS. Nic. Heinsii, qui ad Ovid. Amor. I, 1, 5, hanc lect. recte defendit, post Turneb. Advers. 15, 17.

Not. 139, 140. Bene consuluit hominibus natura, quæ prohibuit, mares concipere, etsi maxime id cupiant.

Var. 140. *Morientur*, 10, 14, 15, 17, 19—21, 24, 26, 45, et omnes fere Codd. Paris. unde nunc recepi cum Ach. pro vulg. *moriuntur*.

Var. 141. Abest a 75. — *Condita pyxide Lyde*, 2, 4, 63, 67, 69, 70, 71, 73—77, 81, 82, prob. Turneb. l. l. *Condita in pyxide Lyde*, 10, 14, 21, a m. sec. 22—24, 49, 60, 65, et Cod. viri docti in Misc. obss. crit. vol. V, tom. II, pag. 271. *In pyxide condita Lyde*, 15, 16, 47, 50, 54—59, 61, 62, 64—66, 68, 72. *Nec pyxide condita Lyde*, 46, 48. *Nec condita pyxide Lyde*, 45. *In condita pyxide Lyde*, 27. Plathner laudat conject. C. Bachmanni, pro *Lyde* substituentis *lite*, quod medicamenti nomen sit.

Not. 141. *Lyde* nomen unguentariæ, promittentis ac venditantis medicamina, sterilitatem amoventia, qualia a medicis commendantur, et quibus *pyxis* ejus *condita*, hoc est, referta est. — *Pyxis*, gr. πυξὶς (*boîte de pommade et d'essence*), primum ex buxo (πύξῳ), ligno facile poliendo, deinde ex auro argentove confecta. Conf. Bottigeri Sabina p. 69 et 87, ed. pr. — *Turgida*, epitheton anui conveniens; Beroald. Turgentes et gravidas reddens matronas; Grang.

Not. 142. *Luperci*, Panis sacerdotes, nudi per urbem discurrebant, unde hoc loco *agili Luperco*, et scuticis, vel ferulis, e caprino corio factis, terga vel humeros (h. l. *palmas*, seu manus, ut apud Plutarch. in Cæs.) cædebant obviorum, præcipue mulierum, quas inde fecundas reddi putabant: quod notum ex Ovid. Fast. II, 425 seq., et V, 102, ubi vid. Heins.

Anal. 143—148. Viros nubere turpissimum quidem est, sed turpius, quod nostris temporibus vidimus, viros nobilissimos arenæ operam edere, et ad artes inhonestas gladiatorum, qui omnes infames habiti (vid. Leg. I, § 2, ff. de Testibus), descendere: conf. IV, 99 seq. et similem locum, VIII, 192—194, et 198—210, ubi singula illustrata videbis. — *Vicit*, superavit rei turpitudine, *hoc monstrum*, hanc rem inauditam ac fœdam, scil. quæ de viris nubentibus dixi; conf. ad versum 122. — *Tunica* et galerus habitus Retiarii, ut arma ejus *fuscina* et rete; vid. ad VIII. 200 seq.

Not. 144. *Lustravit*, percucurrit, *arenam fuga*, ut *fugit* VIII, 208.

Not. 145. *Generosior*, antiquiori ac nobiliori genere natus, Manliis *Capitolinis*, *Marcellis*, *Catulis*, et Æmilii *Paulli minoribus*, hoc est, posteris, ut I, 148, ubi vid. notam. — *Generosior*, nobilior, ut VI, 124; VII, 191, ubi tamen hæ voces vario sensu capiendæ; VIII, 30, 224.

Var. 146. *Catuli*, 75, 76. — *Paulique minoribus*, 22, 70, 75—77, 81, 82, ut jam emend. Lips. Epist. Quæst. 4, 25. In reliquis libris *Paulisque minoribus*, prob. Beck (vid. ad I, 161) ut *minores*, hoc est, nepotes, vel posteri (vid. Comment. ad I, 148), hoc loco etiam dicantur *Capitolini*, *Marcelli*, *Catuli*, et *Fabii*, quorum gentes in posteris suis semper Romæ floruerint.

Not. 147. *Omnibus ad podium spectantibus*, hoc est, nobilissimis aliis. — *Podium* in circo et amphitheatro dicebatur projectura, seu pars projectior et prominentior muri, arenam proxime cingentis, inter arenam et imum orchestræ gradum, in quo gradu primi e Patribus sedebant; vide Lipsium, de Amphith. c. XI, qui tamen non male suspicabatur, inter ipsum podium imumque orchestræ gradum planum aliquod et vacuum latioris spatii fuisse, et in eo spectasse magistratus curules, Prætores, vel Editores munerum, in sellis curulibus ac tribunalibus, ipsosque deinde Principes in suggestu, vel cubiculo (*loge*), idque proprie dictum esse, *ad podium spectare;* in hoc enim plano commodissime sellas curules potuisse poni, non in ipsis gradibus.

Not. 147, 148. *His* nobilissimis viris *licet* ut *admoveas*, hoc est, addere poteris, etiam *ipsum*, qui *tunc* munus edidit, in quo Gracchus *retia misit*,

Retiarii partes egit, hoc est, Prætorem, munerarium, vel potius Imperatorem, Neronem, aut Domitianum. Tum sensus est : ipsi quoque Imperatori antiquitate ac nobilitate generis antecellit Gracchus, quem non puduit, infames gladiatorum artes exercere.

Var. 148. *Admoneas*, 46, 48, 50, 54, 60, 64, 73, prob. Calder. et Junio, qui male hæc interpretantur. — *Nunc*, 26. — *Retia servat*, 14. *Retia pulsat*, ex MS. emend. Scheggius ad Vellei. 1, 13.

Var. 149. *Esse aliquos* omnes libri præter 11. Vid. Exc. seq.

Anal. 149 seq. Quomodo hæc verba intelligenda sint, non perspexisse videntur interpretes, qui tantum non omnes hunc eorum esse sensum putarunt : hæc scelera inde oriuntur, quod inferos fabulas esse aniles credant omnes, nec quisquam ullo futurarum metu pœnarum, vel religionis pietatisque sensu a peccando absterreatur; tu vero, qui virtuti convenienter vivere cupis, cave iis assentiaris, et puta inferos esse. Sed ipse poeta noster Manes et inferos tanquam vana nomina ac nugas irridet versu 150, exemplo Aristophanis in Ranis, act. I, sc. 4; Petronii, Satir. 121, extr. aliorumque, inprimis Stoicorum et Epicureorum. [1] Non magis probanda Bahrdtii explicatio : Manes et inferos esse, nemo quidem hodie credit, præter perpusillos pueros; at tu certe id tibi persuasum habere debebas, quam tibi potissimum opus sit hac ratione, qua deterrearis a peccando. Planissima vero sunt omnia, si hoc sensu ea ceperis : Nemo quidem hodie, præter parvulos pueros, sibi persuadet, Manes et inferos *esse aliquid :* [2] quis enim non rideat certe, si in poetis legerit, in Styge *nigras* esse *ranas*, et a Charonte *cymbam conto* [3] propelli, vel *tot millia* umbrarum *una cymba*

[1] Confer infra XIII, 51 seq.; Prop. III, 5; Plin. VII, 55; Eurip. Alcest. 787 seq.; Lucret. III; Ovid. Metam. XV, 153, 154 (ubi Pythagoras loquitur); Cic. Tuscul. Quæst. I, 3, 4 et 5; Senec. Epist. 24 et 83; Consol. ad Marc. c. 19; de Ira, II, 35, et Troad. v. 369 seq.; Lucian. Dial. de Luctu, al.

[2] *Esse aliquid* pro vulg. *aliquos* olim suspicabar tanquam exquisitius, et nunc recepi e Cod. Schurzfl. Probavere hanc lect. Schurzfl., Schraderus et Burm. ad simil. loc.; Prop. IV, 7, 1, qui haud dubie Juvenalis animo obversabatur : *Sunt aliquid Manes; letum non omnia finit, Luridaque evictos effugit umbra rogos.* Utrique forte præivit Homerus Iliad. Ψ, 103, 104. Ὦ πόποι, ἦ ῥά τις ἐστὶ καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι ψυχὴ καὶ εἴδωλον· ἄτερ φρένες οὐκ ἔνι πάμπαν. Ibi in antiquiss. Cod. MS. Lips. pro τις legitur τι, quod non spernendum judicabat Ernesti, ut sensus esset : Non ergo falsum est, apud inferos esse ψυχάς, etc. Eodem sensu Græci scriptores passim dixere εἶναί τι, et Ovid. Metam. VI, 543. *Si numina Divum sunt aliquid.* Conf. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 4, 16, et *Jacobs* ad Anthol. Gr. vol. I, P. II, pag. 305.

[3] Vers. 150. *Pontum*, 1, 70, 75, 76, 81, 82; sed *contum*, 2—12, 14, 15, 17, 19, 27, 44—69, 71—74, 77—80, quod restitui, quoniam tanta auctoritate firmatur, aptiusque videtur

vadum, hoc est, fluvium vel aquam Stygis (vid. ad Silium, I, 52, et Gronovii Obss. I, 19), *transire?* (conf. Virg. Æneid. VI, 302 seq.) *sed tu* (Gracche, et vos, turpes mollesque homines) *puta*, fac, pone, *vera* esse, quæ tibi falsa et vana videntur (ut V, 7, *hoc ipsum defecisse puta*); *quid* tum censes sensuros esse Curium, aliosque viros præclaros fortissimosque, qui patriam olim defenderunt ab hostibus, et nunc in inferis sunt, perfectissima illa piæ simplicitatis, continentiæ, fortitudinis, aliarumque virtutum exempla, *quoties talis umbra hinc ad illos veniret*, tam spurci effeminatique homines ex superis locis ad inferos descenderent? Conf. similia loca XV, 172 seq., et Silii V, 595 seq., et inprimis XVII, 465 seq., ubi vide quæ dixi in Var. Lect. — *Una cymba.* Lucian. Dialog. Mort. XII, 5 : φησὶ γοῦν ὁ ποριθμιὸς μὴ διαμένειν αὐτοῖς τότε τὸ σκάφος, ἀλλὰ σχιδίας διαπεξαμένους τοὺς πολλοὺς αὐτῶν διαπλεῦσαι.

VAR. 150. *Pontum* et *cantum* alii. Vid. Exc. seq.

VAR. 151. *Vana* pro *una*, 16.

VAR. 152. *Hæc*, 24. *Nec credunt pueri, qui nondum ære lucrantur*, 16. *Nec senes credunt, nec qui nondum ære lavantur*, MS. Scriverii, teste ac prob. Crenio in Animadv. philol. P. XIII, pag. 19.

NOT. 152. *Pueri*, impuberes, nondum quadrimi, *qui nondum lavantur* in balneis vel thermis publicis *ære* : nam, qui lavabantur, quadrantem solvebant; unde *quadrantaria res* dicitur Senec. Epist. 86 med. [1]

VAR. 153. *Quod*, 47, 50, 57, 60, 65.

VAR. 154. *Quod*, 16, 17, 56, 57, 59, 60, 65. *Et quid*, 45. — *Fabritius*, 21, 23, 24, 27, 57, 60, 64, 65. Sed in marmorr. *Fabricius*, et Græcis Φαβρίκιος dicitur. A *fabricando* nomen huic genti inditum putatur.

NOT. 154. *Scipiadæ*, Scipiones, ut *Memniades* pro Memmius dicitur

---

hoc loco, ubi Juvenalis subtiliter illas fabulas et commenta poetarum explodit. Respexit, opinor, verba Virgil. Æneid. VI, 302 seq. (ubi etiam, ut hoc loco versu seq., de magna umbrarum, transmitti cupientium, turba agitur). *Ipse* Charon portitor *ratem conto subigit, velisque ministrat, Et ferruginea subvectat corpora cymba.* Nic. Heinsius pro *Et pontum* vel *contum* malebat *Et Porthmeum* vel *Porthmeaque et* (vid. Burm. ad Virgil. l. l.); at Sterke in Actis literariis societatis Rheno-Trajectinæ, Lugd. Bat. 1793, 8, tom. I, pag. 174, *Et cantum et Stygio ranas*, etc. hoc est, ranas cantantes. Ita legitur in Cod. 16, idque placere potest propter exquisitam loquendi formam, et locum Aristoph. de Ranis, act. I, sc. 4, ubi Charon, ad remum agendum excitans Bacchum, suavissimos dicit ab eo auditum iri ranarum cantus, si remo incumberet. Sed nostra omnium fere librorum lectio non videtur sollicitanda, eaque numerus rerum fabulosarum augetur.

[1] Conf. Heubach. Comm. de politia Roman. Goett. 1791, § 78, 79; infra VI, 447; Horat. Satir. I, 3, 137; Martial. III, 30, 4; XIV, 163.

Lucretio, I, 27, ubi vid. Lambinus.[1] — *Ambo* Scipiones sunt, vel duo fratres, pater et patruus Africani majoris, ut apud Silium, VII, 107, vel potius Africanus major et minor, ut *gemini Scipiadæ* apud Virgilium, Æneid. VI, 843; qui κατ' ἐξοχὴν ita appellantur.

VAR. 155. *Quod*, 17, 19, 45, 60, 65.

NOT. 155. *Cremeræ legio*, Fabii, ad Cremeram fluvium a Veientibus cæsi, sex et trecenti milites, omnes patricii, et unius gentis, qua non alia *legio*, hoc est, exercitus, vel minor numero, vel fama clarior fuit. Res nota ex Livii II, 48 seq.; Dionys. IX, 22; Sil. VII, 40 seq. et aliis. — *Cannis*, ad Cannas, *consumpta juventus*, ab Hannibale cæsa ac deleta.

NOT. 156. *Tot animæ bellorum*, virorum, qui in bellis perierunt; vel *animæ bellorum* sunt a. bellatorum, et hinc simpl. bellatores, viri fortes, quo sensu Homerus, Il. I, 3:

Πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς . . . . Ἡρώων,

et Tacitus, Hist. IV, 32, servilia ingenia dixit *animas servientium*.

NOT. 157. *Cuperent lustrari*, tanquam polluti talium umbrarum visu et contagione, *si qua darentur*, essent, scil. in inferis, *sulphura*, et *si laurus foret* ibi. Lustratio fiebat circumlatis circa aliquem *sulphure* vel *tædis*.[2]

VAR. 158. *Sulphura*, 26, 60, 65, et optimi Codd. Paris. unde hanc scripturam vulgari *sulfura* substitui cum Ach. *Sulpura* tres Codd. Paris. et sic *sulpur* scribitur in Vatic. Cod. Virg. ut *triumpus*, et alia ejusmodi vocabula, quibus, convicio aurium flagitante, adspirationem datam esse docet Cic. Orat. cap. 48. — *Umida*, 21, ut *umens*, *umectare*, *umerus*, et al. in antt. Codd. Conf. Quint. Instit. Or. I, 5; Broukhus. ad Tibull. I, 4, 44; Drak. ad Sil. II, 125.

NOT. 158. *Laurus humida*, laurea virga immersa in aquam, qua adspergi solebant, qui lustrabantur. Sic *uda laurus* apud Ovidium, Fast. V, 677.[3] Apud Lucian. Νεκυομ. cap. 9: *ὁ μάγος δᾷδα καιομένην ἔχων*, et cap. 7: *περιήγητά με δαδὶ καὶ σκίλλῃ καὶ ἄλλοις πολλοῖσιν*, (cap. 9: *ἱερεῖα καὶ μελίκρατα καὶ ἄλλα, ὅσα πρὸς τὴν τελετὴν χρήσιμα*) *ἅμα καὶ τὴν ἐπο-*

[1] Confer Heynium ad Virgil. Æneid. lib. VI, vers. 843; Drak. et nos ad Silium VII, 107.

[2] Servius ad Virg. Æneid. VI, 226. » *Circumtulit*, purgavit: antiquum verbum est, ut apud Plant. (Amph. II, 2, 143); nam *lustratio* a *circumlatione* dicta est vel tædæ vel sulfuris. » Hujus ritus graphica descriptio est apud Claud. VI, Cons. honor. v. 324 seq. Confer Casaub. ad Theophr. Charact. XVI, 3. De tali *sulphuris* usu v. Potteri Archæol. tom. I, liv. II, cap. 4, p. 528 seq. germ. vers. et quos Grang. laudavit; Plin. XXXV, 15. Ovid. Fast. IV, 739, 740; Metam. VII, 261, et Art. Amat. II, 329, 330; Tibull. I, 5, 11; Homer. Odyss. X, 481 (ubi confer Clarke); Passer. ad Prop. IV, 9. De *tædis*, vid. Heyn. ad Tibull. I, 2, 61, et Potter. l. c. Confer Burm. ad Val. Flacc. V, 349.

[3] Confer Potter. l. l. p. 525, et Plin. XV, 30.

δὴν ἰκείην ὑποτινθορύσας (conf. Sat. VI, v. 133, 610, 611) εἶτα ὅλον με καταμαγεύσας καὶ περιλθών, ἵνα μὴ βλαπτοίμην ὑπὸ τῶν φαντασμάτων nam tædæ aliaque remedia magica ferebantur circa lustrandos, ut hi ab incursu malorum geniorum tuti præstarentur (quod ad sacrum ambarvale et amburbiale translatum videtur), unde περιέρχισθαι, περιάγειν et περιαγωγεῖν in lustrationibus.

VAR. 159. *Illic* (in inferis), 21, 22, 23, a m. pr. et MS. Scriverii, prob. H. Vales. Tum maxima distinctio ponenda post *traducimur*, et verbum hoc eo sensu capiendum, de quo dixi ad VIII, 17. Sed vid. Comment. — *Arma quid ultra..... Britannos?* 2, 3, 5, 10, 11, 26, 45—47, 49, 50, 54, 56—58, 60—69, 71—74, et omnes fere Codd. Paris. Id recepit Ach. mutata tamen distinctione et lectione: *Illuc heu! miseri traducimur. Arma quid ultra..... Britannos; Si, quæ nunc populi fiunt victoris in urbe, Non faciunt illi quos vicimus?* Sed *illuc* verbis seqq. arctius jungendum est, et *Si*, v. 162, in nullo legitur libro, sive scripto, sive edito.

NOT. 159. *Illuc heu! miseri traducimur*, eo turpitudinis flagitiorumque venimus, prolabimur, et jam prolapsi redactique sumus: *arma quidem*, etc. hoc est, armis expugnavimus notum orbem terrarum; *sed quæ* turpia, fœda, scelera, monstra, *nunc populi fiunt*, etc. Vulgo verba *illuc traducimur* exponunt: ad inferos post mortem venimus; quod languet, et minus aptum est. Illam interpretationem, quam nova mihi meditatio suggesserat, a Cl. *Achaintre* jam propositam fuisse, nunc demum vidi. Ille tamen distinctionem lectionemque mutandas censet; vid. Var. Lect. Aliam tandem interpretationem proposuit *Guyardin*. Nempe fingit hoc versu, cæterisque ad 163, Scipiadas Camillosque loquentes, et dicentes: *Illuc heu! miseri*, nempe: Ergo nos vivere cogimur illuc (in inferis) cum talibus hominibus, etc.

VAR. 160. *Littora* scribunt alii. De origine ac propria vi vocis vid. Ernesti ad Suet. Tib. cap. 40. — *Juvernæ* revocavi e 2, 3, 5, 10, 14, 15, 17, 20, 21, 23—25, 27, 45—51, 54—69, 71—74, 78—81. Ita scriptum apud Mel. 3, 6, et Ptolem. in Cod. Palat. Ἰουουερνία· nam in vulgatis libris legitur Ἰουερνία, ut apud Agathem. II, 8. *Jubernæ*, 1, 16, 26, 70, 75, 76, 77, 82, probb. Schurzfl. et Beck. qui hoc nomen, addito duplici digammate (FIFAPNH), effictum putant ex Gr. Ἰέρνη, quo Hiberniæ nomine utuntur Aristot. de Mundo, Strabo, lib. II et IV; Claudian. cons. Hon. IV, 33, et laud. Stilic. II, 252. *Invernæ*, 53. *Vibernæ*, 52. *Hyverne*, 22, in marg. *Hiberniæ*, 19. *Laverne*, 22.

NOT. 160. *Juvernæ* aut *Jubernæ*, Hiberniæ, quæ Romanis parum nota erat ante et post Agricolæ tempora, qui ejus occupandæ consilium propter aliarum gentium motus exsequi non poterat; vid. Tac. Vit. Agric. cap. 24. Quomodo itaque poeta dicere potuit, *arma* a Romanis, vel *ultra Hiberniæ litora* fuisse *promota?* Non ob ignorantiam, opinor, veritatis, sed ut magniloquentiam Romanorum, illo ævo viventium, vel nonnullorum, talia credentium, derideret, et sic verbis suis majus daret pondus.

Var. 161. *Archadas*, 45. *Orchadas*, 10, 17, 19—24, 49, 60, 65. Sed in optimis exemplarr. scriptorum Rom. *Orcades*, et Græc. Ὀρκάδες dicuntur. — *Et* pro *ac*, 10, 20.

Not. 161. *Orcadas* insulas, supra Scotiam sitas, quæ nunc *Orkneys* dicuntur, et in quarum numero definiendo non consentiunt veteres geographi; vide Cellarium, Geogr. et Harduinum ad Plin. IV, 16. — *Modo captas Orcadas:* nam Agricola has *incognitas ad id tempus insulas invenit domuitque*, quod refert Tacitus in ejus vita, cap. 10. Eusebius tamen in Chronico tradit, Claudium Imperatorem jam de Britannis triumphasse, et Orcadas insulas Romano adjecisse imperio. Tum vocab. *modo* de longiori tempore accipiendum, ut passim *modo* et *nuper;* confer IV, 77; Dukerum ad Flor. I, 11; Gronovii Obss. IV, 18, et Ernesti clav. Cic. hisce vocabulis. — *Britannia* Romana Cæsaris et Claudii adhuc temporibus exiguis finibus continebatur, qui prolati sunt sub Nerone ac Flaviis, virtute Suetonii Paullini et Agricolæ, ac deinde sub Hadriano et Antoninis. — *Minima contentos nocte Britannos;* confer Plinium, II, 75, ubi vid. Harduinus; Cæsarem, Bell. Gall. V, 10; et Tacitum, Vit. Agric. cap. 12, ubi vid. Lipsius.

Var. 163. *Ipsi*, 45. — *Vincimus*, 21, a m. pr. Post *vicimus* majorem posui distinctionem. — *Attamen*, 16.

Anal. 163—166. Qui tamen Romam veniunt, mox nostros induunt mores, et in patriam suam referunt. Sed malim hunc locum διαλογικῶς explicare, ita ut verba adversarii sint *et tamen* .... *Tribuno*, ad quæ poeta versu 166 respondeat. Sic pictura personis animatur, et in versu 166 major est sarcasmi vis.

Var. 164. *Zalaces*, 17, 21, 24, 52, 70, 75, 76, 81. *Zelates*, 23, a m. sec. 26, 49, 55, 60. *Zelaces*, 14, 19, 23, a m. pr. *Celates*, 10. *Zalaches*, 22. *Galaces*, 45. *Talaces*, 10. *Jelaces*, 20. *Galathes*, 15. *Galates*, 16. *Zelotes*, 54, prob. Sabino, qui hos Armeniæ populos esse monet. Sed *Zalates* hoc loco est potius nomen proprium obsidis.

Not. 164—165. Caligula quosdam obsides dilexisse ferebatur commercio mutui stupri, teste Suetonio, cap. 36. Eo respexisse h. l. poetam, et Imperatorem ab eo *Tribunum* esse dictum (v. ad XI, 7, in Var. Lect.), suspicari licet cum *Achaintre*. — *Zalates* nomen proprium obsidis. — *Armenius* cum dilectu dicitur: nam ab Armeniis poetæ temporibus obsides Romanis fuisse traditos, memorat Tacitus, Annal. XIII, 9, et XV, 1 seq. — *Mollior cunctis ephebis*, quippe qui ad libidinem proniores sunt.

Not. 165. *Sese indulsisse*, tradidisse, exhibuisse, ad fœdum scil. obsequium; confer Statium, Silv. IV, 6, 37. — *Ardenti* amore, acri ac libidinoso.

Var. 166. *Venerat hospes*, 26.

Not. 166. *Adspice*, vide, en; confer ad V, 67. — *Commercia* populorum, vel conversatio cum malis. Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, divi Pauli dictum 1 Cor. XV, 33, verissimum; Ach. conf. ad v. 78.

Var. 167. *Sic*, 4, et ita emend. C. Vales. cujus nota est: *sic fiunt homines*, id est, quamquam non latine, *sic viri fiunt*, et hoc satirice, quum contrarium velit intelligi, *sic pueri effeminantur*, ut X, 304, 305.

Not. 167. *Hic*, Romæ, *homines fiunt*, præclare formantur, instituuntur; quod σταστικῶς dicitur. — *Si mora longior Urbem Indulsit*, commorationem, præsentiam in urbe nostra concesserit *pueris* illis exterorum, qui vel inter obsides Romam missi sunt, vel alia occasione ad nos venerunt, hoc est, si diutius Romæ commorati fuerint; *non umquam deerit amator*, vel cinædus, qui eos corrumpat.

Var. 168. *Nonnumquam*, 10, 49, 63. *Numquam*, 17, 24. Sed verbum *deerit* in duas syllabas contrahendum, ut apud Virg. Æneid. VII, 262; Georg. II, 200, 233, al.

Var. 169. *Bracæ*, 23, 24, 45, 46, 48, 49, 56, 59, 61—63, 68, 69, 71. Græc. ἡ βράκα et τὰ βράκες, apud Diodor. II, 30; Strab. et al. *Braccæ* alii, eaque scriptura usitatior. *Brachæ*, 47. *Bracchæ*, 27, 60, 65. — *Clitellæ* conj. Schrader.

Not. 169, 170. *Mittentur* pueris ab amatore *bracæ*, *cultelli*, *frena*, *flagellum*, munera, quibus solent delectari etiam in patria sua, et facilius, quam pecunia, capi; Britannicus. Sed aptior est aliorum interpretatio: *mittentur*, omittentur, abjicientur, *bracæ*, vestimenta, quibus in patria utebantur, et *cultelli* venatorii (*cultelli*, quia de *pueris* agitur), *frena*, *flagellum*, arma patria, et studia venationum exercendorumque equorum; et pro virilibus institutis patriisque moribus, simplicibus atque honestis, *mores prætextatos*, Romanos, qui perditissimi sunt, ac profligatissimi, *Artaxata*, domum, vel in patriam, *referent*. — *Braccæ*, seu *Bracæ* (v. Var. Lect.) non modo Gallis Narbonensibus, qui inde *Bracati* VIII, 234, dicuntur, in usu erant, sed et Dacis, Getis, aliisque Ponti populis, Phrygibus, Lydis, Persis, Indis, Medis[1]. Laxa autem erant feminalia, seu femoralia, ἀναξυρίδες; sed *Scythæ totum bracati corpus*, *et, nisi quæ vident*, *etiam ora vestiti*, teste Mela II, 1. Confer et Ovidius Trist. III, 10, 19, 20. D. Hieronymus, ad Fabiolam, *bracas* ait *fuisse ab umbilico ad genua usque porrectas*, *quibus verenda celantur*. — *Artaxata*, caput Armeniæ, ad Araxem flumen. — *Prætextati mores*, ut *verba prætextata* (quæ *puris honestisque* opponuntur, jungunturque *impudicis*, et *dicacitati sordidæ scurri-*

[1] Vid. Scalig. ad Prop. IV, 10, 43; Casaub. ad Suet. Aug. cap. 82; Ovid. Trist. V, 10, 34; Brisson. de Regno Pers. I, § 63, 64; Reland. Dissert. Miscell. P. II, Diss. 8, inpr. Perizon. ad Ælian. V. H. XII, 32.

liqua apud Gellium, IX, 10; Macrobium, Sat. I, 1, med.; et Suetonium, in Vesp. 22), dicuntur, vel mores prætextatorum, nobilium, ac primorum civitatis, et, qui iis sunt, filiorum, qui prætexta utuntur, et perditis nunc moribus sunt; vel potius, quod alii putant, turpes, qui solent prætexi ac velari, vel prætendi. Olim in usu fuisse videtur verbum *prætextare*, synon. vel frequentat. τοῦ *prætexere*, hoc est, speciosa nomina, vel verba et caussas alicui rei prætendere, specioso verborum prætextu in ea exprimenda uti. Confer. Gronovius ad Gellium, IX, 10.

Var. 170. *Si*, 4. *Hic*, 61. *Hinc* suspicari possis, hoc est, Roma, et *referent*. Sed vulgata quoque lectio bene se habet.

SATIRÆ TERTIÆ

ARGUMENTUM.

Effugit Umbricius diversa pericula vitans.
Odisti quod Roma bonos, pravos colis, hinc te
Effugit Umbricius diversa pericula vitans.

AD UMBRICIUM. — QUARE UMBRICIUS URBEM DESERAT. — DE DIGRESSU UMBRICII. — URBIS INCOMMODA.

Umbricius haruspex, quem Cumas migraturum Juvenalis ad Egeriæ usque lucum comitatur, v. 1—20, veteri amico ibi discessus sui caussas exponit, nimirum Romæ probos homines contemptu laborare, neque ad honestas artes exercendas præmiis invitari, sed iis potius ad incitas redigi, malos contra et viles gratia atque auctoritate apud omnes, etiam principes, valere, et pravis sordidisque artibus ad summos obrepere honores, maximasque opes nancisci, v. 21—40; spectatissimos esse, et felicissimos artis dissimulandi, adulandique gnaros, Astrologos, filios, quibus mors parentum sit in optatis, et adulterii, furti aliorumque scelerum conscios, v. 41—57; gratiosissimos omnium, minimeque ferendos esse peregrinos, qui e Syria aliisque Orientis regionibus Romam confluxerint, ac prorsus corruperint mores hujus urbis, maxime Græcos, homines molles, libidinosos, adulationis omniumque artium peritissimos, qui in divitum se insinuent familiaritatem, et quorum ne philosophi quidem dubitent, falsis testimoniis alios, ipsosque amicos, ac discipulos circumvenire, v. 58—125; miserrimam esse conditionem pauperis clientis, cui a ditioribus magistratibusque summis præripiatur sportula, qua vitam sustentaverit, v. 126—130; servos ac libertinos ditiores esse ingenuis, et honoratiores, v. 131—136; ne homini quidem probissimo religiosissimoque fidem haberi, nisi idem sit locuples, v. 137—146; inopes atque tenues male vestitos omnibus ludibrio esse; loco ac sede honoratiori, quam olim occupaverint, a vilissimo quoque, modo dives ille sit, pelli; si filiam alicujus nuptiis ambiant, repudiari; non scribi heredes; a negotiis publicis removeri, neque facile ex egestate atque humili conditione emergere propter insana omnium rerum pretia, v. 147—170; ambitiosam esse paupertatem, neque pro re

ac facultatibus pretiosiores sumi vestes, quum in plerisque contra Italiæ oppidis, etsi Romanis ibi legibus moribusque vivatur, nemo ne togam quidem, nedum prætextam, induat, et festis quoque diebus, ac publice omnes, summi pariter et infimi, nobiles et ignobiles, eodem habitu conspiciantur, v. 171—183; ab egenis clientibus non patronis tantum, sed servis quoque, ne aditu ad dominos eorum prohibeantur, quovis die festo aliquid muneri esse dandum, v. 184—189; neque interdiu vitam periculo vacuam esse, neque noctu somnum capi, propter assiduam ædificiorum prolapsionem, frequentiaque incendia; et ædibus ardentibus pauperem, qui in summo habitet cœnaculo, non curari; bonisque, etsi paucis, tamen omnibus, amissis, a nemine juvari; ditioribus contra præsto esse qui subveniant, v. 190—222; tenebrosas ædes tanti in unum conduci annum, quanti in aliis Italiæ oppidis ematur domus cum agro hortoque, v. 223—231; plurimos pauperes mori morbo ex vigiliis contracto, quum in ea ædium parte habitent, quæ vicis proxima sit, et ubi continuo curruum, opificum, jumentorumque strepitu somnus eorum interrumpatur, v. 232—238; divites lectica per urbem ferri, et tutos in ea etiam legere ac dormire; inopes vero euntes, vel a turba populi in vicis premi, concuti et conculcari, vel adeo casu arborum saxorumve, plaustris impositorum, obtritos perire, v. 239—267; noctu summum esse periculum, vel a testis fractis, et ex alto cœnaculo dejectis, v. 268—277, vel a juventute lasciva ac temulenta, quæ nocturno tempore per urbem vagari, atque invalidum quemque obviorum corripere, cædere, vel ultro quoque, tanquam injuria sibi facta sit, accusare soleat, v. 278—301; tantam esse multitudinem grassatorum latronumque, quæ ex multis Italiæ locis Romam, tanquam feræ et aves ad vivaria, confluxerint, ut vix suppetant catenæ ac vincula, ad eos, qui capti sint, constringendos, v. 302—314. Hisce discessus caussis memoratis, Umbricius poetam valere jubet, v. 315—322.

SATIRÆ TERTIÆ

ANALYSIS.

Venutissima satira, qua Juvenalis, imaginem Romæ civiumque ejus vivis coloribus picturus, inducit Umbricium, amicum suum, propter pravitatem morum Romæ vigentium, et varia, civibus ibi imminentia, pericula, Cumas migrantem, et de iis copiose disserentem. Eam ante oculos habuere *Math. Regnier*, in Sat. III; *Nic. Boileau*, in Sat. I et VI; et *Smollet*, in libello, quem inscripsit: *A satirical description of London and Bath*, in *the Expedition of Humphry Clinker by the Author of Roderic Random. Lond.* 1771.

SATIRA TERTIA.

Quamvis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis
Destinet, atque unum civem donare Sibyllæ:
Janua Baiarum est, et gratum litus amœni
Secessus. Ego vel Prochytam præpono Suburræ;
Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos, ac mille pericula sævæ
Urbis, et Augusto recitantes mense poetas?
Sed dum tota domus rheda componitur una,
Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam;

SATIRÆ TERTIÆ INTERPRETATIO.

1. Licet non possim veteris amici discessum ferre non moleste, nihilominus ejusdem consilium vehementer probo, quod habitare Cumis, in urbe tranquilla, nec admodum populosa cogitet, ibique domicilium sibi eligere, ac saltem uno capite numerum augere civium Cumæam Sibyllam colentium. Est hæc civitas quasi vestibulum Baiarum, ac totum istud Campaniæ littus gratissimum adeuntibus, et amœnissimum secessum præbet. Neque vero me solitudo loci, et incolarum infrequentia movet: sic enim sum, ut insulam vel maxime desertam, qualis est Prochyta, præferam Suburræ, vico urbis frequentissimo. Ecquis enim locus tam solitarius, tam desertus, tam commodis omnibus destitutus esse potest, ut in eo non præstet habitare, quam Romæ versari, perpetuo in metu incendiorum, ædium corruentium, et sexcentorum, quæ cives miseros excruciant quotidie, periculorum, et miseriarum, in quibus jure numeres molestos poëtas, Sextili mense sua carmina convocatis amicis odiose recitantes.

10. Interim autem dum Umbricii Cumas demigrantis componitur familia et domestica res, tam tenuis quidem, ut omnis uno curru possit contineri, paulisper ipse restitit prope arcus trium-

Hic, ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ:
Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur
Judæis, quorum cophinus fœnumque supellex:
(Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, et ejectis mendicat silva Camenis).
In vallem Egeriæ descendimus, et speluncas
Dissimiles veris. Quanto præstantius esset
Numen aquæ, viridi si margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum!
Hic tunc Umbricius; Quando artibus, inquit, honestis
Nullus in Urbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid; proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Dædalus exuit alas,

phales, a veteribus erectos in honorem trium Horatiorum, et ad portam Capenam, aquis, ob impositum ipsi aquæ ductum, madentem semper et stillantem; non procul ab eo loco in quem Numa, constituto tempore, conveniebat noctu, ad audiendos Ægeriæ amicæ monitus: nunc illud nemus, cum fonte sacro ac delubro, locatur mendicantibus Judæis, quorum egestas tanta est, ut nihil fere aliud supellectilis habeant quam corbem cibo servando aptam, fœnumque cubili sternendo utile. Tamen pro sylva ista obtinenda persolvunt populo romano pretium certum, in singulas fere arbores; et qui lucus antea sacer Musis erat, ac in earum honorem frequentabatur, nunc iis velut ejectis, Judæos ibi stipem corrogantes a prætereuntibus, dominos et incolas habet. Ego igitur et, quem deducebam, Umbricius, in vallem Ægeriæ sacram devenimus, et cavernas a nativis et veris multum abhorrentes, iisque multo deteriores. Quanto facilius agnosceretur, ac jucundius coleretur numen, quod istis fontibus præsidet, si herba virens lymphas amœno margine ambiret, et si non inducta marmora simplicis tophi nativum decus violarent!

21. Tunc Umbricius in hoc loco ejus modi fere sermonem habuit: « Quum viris honestas artes exercentibus nihil jam sit loci Romæ, nec ullum sui laboris fructum sperare possint; res vero mea familiaris hodie angustior est quam heri, et eadem licet exigua, cras aliquid tamen deperdet; constitui recipere me in eam civitatem, ubi Dæda-

Dum nova canities, dum prima et recta senectus,
Dum superest Lachesi, quod torqueat, et pedibus me
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo.
« Cedamus patria : vivant Artorius istic
Et Catulus; maneant, qui nigrum in candida vertunt,
Quîs facile est ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et præbere caput domina venale sub hasta.
Quondam hi cornicines, et municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ
Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi
Quem libet occidunt populariter : inde reversi
Conducunt foricas; et cur non omnia? quum sint,
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.

lus alas fessus deposuit, dum incipiunt recenter canescere capilli, dum viridis, necdum incurva mihi senectus est, et adhuc Lachesis habet aliquid mei staminis volvendum, ipseque pedibus belle nitor, et carere baculo mea dextra potest.

29. « Patria sane discedamus : in ea vivant Artorius et Catulus vilissimi homines : ibi commorentur, qui nigra pro candidis, prava pro rectis habent : qui lucrum vile sectantur ex re qualibet, nec dubitant in se recipere certo pretio ædificia reficienda, vel locanda; purganda flumina; faciendos, vel reparandos portus; sordes e cloacis eluendas; ad rogum efferenda cadavera; et venales servos auctione facta publice dominis ementibus proponendos. Olim isti patulas fauces locabant in municipiis ad inflandas ibi buccinas; et noti vulgo erant in municipiorum arena, scilicet amphitheatro, ubi edebantur ludi gladiatorii, in quibus assidue navabant operam : nunc eadem ipsimet edunt spectacula suis impensis, et populi captantes gratiam, ad ejusdem nutum inversa, ut fit, manu significatum, tollunt e medio, quemcumque libuerit; iidem ab edendis ludis digressi latrinas purgandas conducunt; et omnia quidem conducunt, nihil sordidum respuentes, dum lucrum inde proveniat. Nec mirum, quum sint ex eo genere hominum, quos ex infimo loco ad summum evehit fortuna, quoties jocari, et mortales voluit deridere.

« Quid Romæ faciam? Mentiri nescio : librum,
Si malus est, nequeo laudare et poscere; motus
Astrorum ignoro; funus promittere patris
Nec volo, nec possum; ranarum viscera nunquam
Inspexi : ferri ad nuptam, quæ mittit adulter,
Quæ mandat, norunt alii; me nemo ministro
Fur erit; atque ideo nulli comes exeo, tamquam
Mancus, et exstinctæ corpus non utile dextræ.
Quis nunc diligitur, nisi conscius, et cui fervens
Æstuat occultis animus semperque tacendis?
Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te secreti fecit honesti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accusare potest : tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum,
Ut somno careas, ponendaque præmia sumas

41. « Quid artis est, aut negotii, in quo me exerceam, si Romæ sim? Artem mentiendi non calleo; non is sum, qui librum illepide scriptum ornare laudibus possim, aut exscribendum poscere : peritus astrologiæ non sum : mortem patris filio eam expetenti vaticinando polliceri nequeo, nec si queam, velim. Rubetarum exta non consideravi, ut ex iis venenum conficerem. Sint alii, per me licet, qui sciant ferre ad feminam conjugio illigatam adulteri munera et mandata : furibus numquam operam meam et ministerium locabo : eam ob rem solus et incomitatus Roma discedo, perinde ac si mancus essem, et corpus manibus præcisis inutile. Quis nunc alicui carus est, nisi qui arcanorum ejus scelerum conscius est, quique torquetur anxius, et animo ferventi, æstuat propter secreta, quæ ipsi commissa sunt, æterno tegenda silentio. Nullo beneficio se tibi obligatum credit, nec ullo te vicissim ille obstringet, qui te honesti arcani conscium esse voluerit, quippe nihil admodum metuens, ne illud prodas. Verres hunc impense diliget, a quo, quum libuerit, potest in jus vocari. Tu vero, si sapis, ne proposito quidem omni auro, quod arenis suis mixtum in mare devolvit umbra arborum obscurus Tagus, cupies divitum et potentium arcana cognoscere, quorum conscientia tibi somnos adimat : neque munera

Tristis, et a magno semper timearis amico.
« Quæ nunc divitibus gens acceptissima nostris,
Et quos præcipue fugiam, properabo fateri,
Nec pudor obstabit. Non possum ferre, Quirites,
Græcam urbem : quamvis quota portio fæcis Achææ?
Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, et mores, et cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, et ad Circum jussas prostare puellas.
Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.
« Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis,
Esquilias, dictumque petunt a vimine collem,

accipies, quæ, serius ocius, cum vita relinquenda, te nunc tristem efficiant metu insidiarum ab amico timente ne arcanum retegas.

« 58. Ego vero dicam breviter quinam homines a Romanis locupletibus præcipuo habeantur in honore ac pretio, et propter quos præsertim Roma discedam, nec pudore, quominus vera dicam, deterrebor. O Quirites! urbem Græculis refertam, ac totam pæne Græcam, pati nequeo : quanquam fallor, qui Græculis plenam esse Romam dixerim; illi homines despicatissimi minima sunt pars exterorum, qui Romam quotidie confluunt. Jamdudum Orontes videtur undas suas Tiberi admiscuisse, et Romam invexisse Syrorum sermonem, mores, tibicines obliquis chordis uti solitos, cum usitatis in Syria tympanis, et meretrices quæ ad circum stare jubentur, quæstum de corpore facientes. Huc ite, vos, Romani, quos non pudet, barbaras meretrices picturatis indutas mitris adamare!

67. « Nec tu, Romule, indigne fers, tuos illos Romanos agrestes, et deliciarum olim istarum rudes, vestimenta gestare Græcorum palæstrica, et appensa e collis ceromate delibutis, præmia victoriæ quam in istis exercitationibus ludicris reportarunt, ostentare; interim dum Græci longe consultiores, alius profectus Sicyone, alius Amydone, hic ex Andro insulâ, ille ab urbe Samo, aut Trallibus, Alabandisve, Romam veniunt, ad Esquilias, et collem a vimine

Viscera magnarum domuum dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promptus, et Isæo torrentior. Ede, quid illum
Esse putes? quem vis hominem, secum attulit ad nos;
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schœnobates, medicus, magus: omnia novit:
Græculus esuriens in cælum, jusseris, ibit.
Ad summam, non Maurus erat, neque Sarmata, nec Thrax,
Qui sumpsit pennas, mediis sed natus Athenis.

« Horum ego non fugiam conchylia? Me prior ille
Signabit? fultusque toro meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna et cottana vento?
Usque adeo nihil est, quod nostra infantia cælum
Hausit Aventinum bacca nutrita Sabina?
Quid, quod adulandi gens prudentissima laudat

nominatum viminalem, atque in clarissimas et ditissimas familias se insinuant, ut earum pars interior, et quasi viscera, tandemque postea domini sint. Unum aliquem ex illis inspice; videbis hominem ingenii peracris, projectæ audaciæ, sermonis expediti, ac volubilis, cui certare priscus ille Isæus, torrentis in morem verba devolvens, nequeat. Age, quid hominis illum esse, aut cujus artis peritum arbitraris? Unus omnium instar est; omnes omnium artium professores in se complexos habet, et secum Romæ devexit. Grammaticus est, rhetor, geometra, pictor, unctor, augur, funambulus, medicus et magus: verbo dicam, inops et famelicus Græculus, nihil nescit, nihil non potest; in ipsum, si jubebis, cælum evolabit. Et vero ille Dædalus, qui, aptatis sibi pennis, iter avibus solis pervium invenit, non erat ortus in Mauritania, non in Sarmatia, aut Thracia; sed ipsis Athenis, in urbe totius Græciæ primaria.

81. « Ego hujusmodi homines purpura, instar principum, indutos non fugiam? Patiar, ut mecum ad obsignandum testamentum vocati, priore loco signum apponant suum? Vile mancipium, cum prunis et ficubus una eademque navi Romam deportatum, accumbet mecum ad mensam in toro elegantiore et nobiliore? Nihilne tandem est, ac pro nihilo habendum, quod Romæ nati, quod sub italico cælo, et cibis italicis innutriti sumus? Præter illas autem,

Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul a tellure tenentis?
Miratur vocem angustam, qua deterius nec
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.
Hæc eadem licet et nobis laudare : sed illis
Creditur. An melior, quum Thaida sustinet, aut quum
Uxorem comœdus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo? mulier nempe ipsa videtur,
Non persona loqui : vacua et plana omnia dicas
Infra ventriculum, et tenui distantia rima.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hæmo.
Natio comæda est. Rides? meliore cachinno
Concutitur : flet, si lacrymas conspexit amici,

quas modo memoravi, Græcorum artes, iidem sunt ad omnem adulationem solertissimi. Amicum licet imperitum, tanquam eloquentissimum laudabunt; licet ore deformem, pulcherrimum appellabunt; macrum et procero ac imbecilli collo, cum Herculis cervice Antæum procul a tellure attollentis comparabunt. Mirantur vocem amici, licet stridula sit et exilis, eaque deterior, quam edit gallus gallinaceus, quum subigendo suam gallinam admordet. Neque inter nos non reperiuntur etiam adulatores, qui ad hunc modum bene multa in amicis laudent; sed, spretis nobis, Græci placent, Græci audiuntur. Huc accedit, quod histriones præstantissimi sunt. Ecquis comœdiarum actor suas melius partes sustinet, quum Thaïdis in theatro, quum matronæ, quum Doridis nullo palliolo exornatæ personam agit, quam quilibet Græculus? Nam, non personatus vir loqui videtur, sed mulier ipsa; jurares etiam ipsi nihil esse virilis infra ventriculum; sed omnia vacua et plana, necnon et tenui rima divisa, ut sunt pudenda mulieribus. Fac in eamdem scenam illum prodire cum celeberrimis Romanis actoribus, Antiocho, Stratocle, Demetrio, delicato Hæmo; omnium spectatorum plausus et admirationem unus præ istis auferet. Tota Græcorum gens ad comœdiam et histrioniam est facta et nata : si rideas, erumpunt in majores cachinnos : si lacrymatur, fundunt ipsi lacrymas ubertim, licet nullo

Nec dolet : igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit endromiden : si dixeris, æstuo, sudat.
« Non sumus ergo pares : melior, qui semper et omni
Nocte dieque potest alienum sumere vultum,
A facie jactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.
Præterea sanctum nihil est, et ab inguine tutum;
Non matrona laris, non filia virgo, neque ipse
Sponsus levis adhuc, non filius ante pudicus.
Horum si nihil est, aviam resupinat amici.
Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.
« Et quoniam cœpit Græcorum mentio, transi
Gymnasia, atque audi facinus majoris abollæ.
Stoicus occidit Baream, delator amicum,

dolore vero tangantur : si per hiemem foculum poscas leniendo frigori, continuo vestem villosam, quasi algeant, induunt : si te æstuare dixeris, ipsi se totos sudare dejerant.

104. « Fateor, longe sumus illis impares ; eadem præstare non possumus ; vincunt qui omni et loco et tempore, noctu, interdiu, alienos vultus fingere et exprimere norunt : manus suas osculari, et ab ore suo quasi ad mittenda oscula amico frequenter extendere ; paratus laudare amicum, si bene ructavit, si recte minxit, si aureum vas (*la chaise percée*) resonantem crepitum dedit e fundo ad anum amici cacantis et pedentis inverso. Præterea nihil est sanctum et securum a libidine Græcorum inguinis ; nec materfamilias, nec virgo filia, nec sponsus adhuc imberbis, nec ad hanc usque diem castus filius. Tandem, si nullum horum inveniant, quem corrumpere possint, aviam ipsam amici, quantumlibet vetulam, resupinant, et ei stuprum inferunt ; scire volunt familiæ arcana, ut timeantur, velut eorum conscii.

114. « Et quoniam cœpimus de Græcis dicere, omittamus leviora flagitia, quæ solent ab eorum nonnullis tanquam tironibus et in hac scelerum palæstra nondum exercitatissimis admitti. En dignum Græco emerito, et quasi majus pallium merito, facinus : Publius Egnatius, philosophus Stoicus, educatus in ea urbe quam Cidnus

Discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.
Non est Romano cuiquam locus hic, ubi regnat
Protogenes aliquis, vel Diphilus, aut Erimarchus,
Qui gentis vitio nunquam partitur amicum,
Solus habet: nam quum facilem stillavit in aurem
Exiguum de naturæ patriæque veneno,
Limine submoveor; perierunt tempora longi
Servitii: nusquam minor est jactura clientis.
Quod porro officio, ne nobis blandiar, aut quod
Pauperis hic meritum, si curet nocte togatus
Currere, quum Prætor lictorem impellat, et ire
Præcipitem jubeat, dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam et Modiam collega salutet?
Divitis hic servi claudit latus ingenuorum

præterfluit, ad quem Pegasus olim delapsus unam e talaribus pennis amisit; Stoicus, inquam, iste, senex perfidus, falso testimonio Baream Soranum amicum suum, qui ipso præceptore usus erat, oppressit. Nihil est homini Romano loci in ea domo, in qua dominatur aliquis Protogenes, aut Diphilus, aut Erimarchus, qui (est ea Græcorum omnium indoles et vitium), nunquam admittit socium in amicitia patroni divitis; ea frui vult solus. Hujus in aures credulas, ubi semel nonnihil demisit de calumniis et criminationibus, quas artes ut virus ab indole et a patria acceptum hausit, pellor ædibus; periit memoria obsequii, aut servitutis potius molestissimæ, in qua multos annos consumpsi: nusquam gentium in levioris damni loco ponitur clientis jactura, quam Romæ. Quanquam (nolo enim civium tenuiorum quorum e numero sum, officia erga potentiores nimium venditare) quid est admodum, in quo de patronis bene meriti pauperes esse videantur, etsi de nocte surgant, ac togam induere festinent, ad eos mane salutandos, quum ipsi prætores urgeant lictores suos, ac jubeant accelerare, ad salutem summo mane dicendam divitibus viduis, quibus nulli sunt liberi, et quas jamdiu experrectas esse ac vigilare audiunt, ne quispiam ipsorum collega Albinam et Modiam prior salutet? Quum ingenuorum filii nonnulli comitentur per urbem, honoris caussa, et ipsorum

Filius : alter enim, quantum in legione Tribuni
Accipiunt, donat Calvinæ vel Catienæ,
Ut semel atque iterum super illam palpitet : at tu,
Quum tibi vestiti facies scorti placet, hæres,
Et dubitas alta Chionen deducere sella.
« Da testem Romæ tam sanctum, quam fuit hospes
Numinis Idæi : procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam :
Protenus ad censum; de moribus ultima fiet
Quæstio : quot pascit servos? quot possidet agri
Jugera? quam multa magnaque paropside cœnat?
Quantum qnisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet et fidei. Jures licet et Samothracum,
Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper

lateri *exteriori* adhærentes, locupletem patronum, olim servum, et vile mancipium : scilicet redacti ad egestatem, et exhausti opibus, quas novi isti divites profundunt in meretrices Calvinam et Catienam, quibus largiuntur tantum pecuniæ, quantum tribunis militaribus pro stipendio dari solet : et illud quidem, ut super has meretrices, semel atque iterum palpitent, obscæna agendo. At tu, qui pauper es, quum tibi placet vultus togatæ vulgarisque meretricis, hæres dubius, nec audes deducere eam ex alta sella, qua prostat ante fornicis limen, quia paucis obolis cares, quibus ei satisfacias.

137. « Fac esse aliquem Romæ testem æque pium et probum, ac Scipionem illum Nasicam, qui matrem Deorum e Phrygia deportatam hospitio excepit : prodeat in jus, testimonii dicendi caussa, Numa Pompilius, vel Lucius Metellus, qui ex æde Vestæ subito incendio correpta Palladium subduxit ac servavit, statim quæretur quis sit illius census, quot alat domi servos, quam multa magnaque prædia possideat, quam lautus et magnificus sit obsoniorum apparatus ad illius mensam. Ultimo demum loco de illius probitate ac moribus aliquis percontabitur. *Quantas quisque opes habet*, quantum nummorum in arca servat, *tantum illi creditur*. Quamvis pauper aliquid affirmet juratus per deos veteres Trojanorum e Samothracia olim arcessitos, et peculiares deos Romanorum, falsum tamen jurare existimatur, neque fulmina perti-

Creditur, atque Deos, Dîs ignoscentibus ipsis.
« Quid, quod materiam præbet caussasque jocorum
Omnibus hic idem, si fœda et scissa lacerna,
Si toga sordidula est, et rupta calceus alter
Pelle patet; vel si consuto vulnere crassum
Atque recens linum ostendit non una cicatrix?
Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit. Exeat, inquit,
Si pudor est, et de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit, et sedeant hic
Lenonum pueri, quocumque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque lanistæ.
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.
Quis gener hic placuit censu minor, atque puellæ
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur heres?
Quando in consilio est Ædilibus? agmine facto

mescere, ac ipsos etiam spernere Deos, idque bona ipsorum venia.

147. « Huc accedit, quod idem propositum videtur esse omnibus ad ludibrium et jocos, si lacernam gerat obsoletam, aut laceram, si togam parum comptam, si alterum e calceis hiante corio pertusum, aut, quum illud calceamenti quasi vulnus sanatum est consuendo, si pingui ac recenti lino male resarcitum declarant cicatrices variis in locis. Hoc unum est videlicet miseræ paupertatis vel maximum incommodum, quod homines ridiculos faciat. Audis illum qui suas singulis in theatro sedes assignat, quibus verbis pauperem equitem ejiciat? Facessat, inquit, et, si quo pudore tangitur, in sedilibus equitum ne considat, qui non habet censum a lege constitutum. In istis primis ordinibus spectent lenonum filii, quocumque sint in lupanari geniti : in iisdem applaudat filius præconis alicujus, sedens inter lautos et elegantes retiarii liberos, aut liberos alicujus gladiatorum magistri. Sic nempe visum Othoni vanissimo, qui spectatores alios ab aliis secrevit, quum antea promiscue spectaremus. Quem generum parentes eligunt, qui minores quam puella fortunas habeat, et ipsi supellectile (*le trousseau*) impar sit? Quis pauperem testamento heredem instituit? Quandonam in consilium

Debuerant olim tenues migrasse Quirites.
Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi; sed Romæ durior illis
Conatus : magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres, et frugi cœnula magno.
Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negavit
Translatus subito ad Marsos, mensamque Sabellam,
Contentusque illic veneto duroque cucullo.
« Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus. Ipsa dierum
Festorum herboso colitur si quando theatro
Majestas, tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, quum personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans;
Æquales habitus illic, similesque videbis

ab Ædilibus admittitur? Fecisset sapienter ac probe Romana plebs, quum, divitum impotentiam fugiens, unum in agmen collecta, olim urbe cessit, si, nunquam Romam reditura, in alias terras demigrasset. Quibus exigua res familiaris est, licet eximiis dotibus præditi sint, illi e tenebris et humilitate vulgi ad honorum lucem et hominum famam ægre assurgunt : idque, illis conantibus Romæ, quam alibi uspiam, difficilius est : magno enim pretio constat domus conductitia, eaque angusta et inornata; magno servi alendi; magno mensa, quantumvis sit frugalis et jejuna. Adde quod turpe putant uti vasis fictilibus. Quod probrosum tamen esse non censuit ille Curius ab Roma repente ad bellum Marsis et Samnitibus inferendum vocatus, quorum in regione parce ac duriter vescebatur, et caput tegebat cucullo cærulei coloris et crassi fili.

171. « Profecto, si verum fateri volumus, minoribus impensis quam Romæ, vivitur in magna Italiæ parte, ubi nemo toga induitur, nisi quum obita morte ad rogum effertur. Quod si ad celebrandos paulo magnificentius dies festos, exstruitur aliquando theatrum e cespite, in quo aliqua obsoleta fabula cum vetustis cantilenis, recurrente demum anno, exhibetur ex editiore loco, personæque larvis pallidis et rictu diducto hiantibus inductæ, metum puerulis agrestibus in matrum gremio sedentibus incutiunt, tunc eadem induti veste omnes

Orchestram et populum : clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.
Hic ultra vires habitus nitor : hic aliquid plus,
Quam satis est, interdum aliena sumitur arca.
Commune id vitium est : hic vivimus ambitiosa
Paupertate omnes. Quid te moror? omnia Romæ
Cum pretio. Quid das, ut Cossum aliquando salutes?
Ut te respiciat clauso Veiento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati;
Plena domus libis venalibus : accipe, et istud
Fermentum tibi habe : præstare tributa clientes
Cogimur, et cultis augere peculia servis.
« Quis timet, aut timuit gelida Præneste ruinam,
Aut positis nemorosa inter juga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?

spectant; neque ullum inter primores oppidi et plebem ipsam discrimen videas : solis Ædilibus pro insigni ornatu, et honoris sui munerisque nota, sunt tunicæ albæ. At Romæ lautior vulgo et splendidior est vestis, quam cujusque fortunæ ferant. Ad immodicos illos sumptus faciendos contrahitur sæpius æs alienum; commune illud vitium est omnibus : hic omnes sunt ambitiose pauperes, dum, in quaque conditione, plus videri velint, quam reipsa sunt. Quid plura? Nihil Romæ sine pecunia sumptibusque magnis fit. Vis admitti ad Cossum salutandum, quid eam ob rem dabis? Quid ut Vejentonem videas, qui te compressis labiis tantum respiciet, non alloquetur, aut vicissim salutabit? Est qui barbam primam servi carioris, est qui capillos ejusdem tonderi jubeat; statim clientes eam in domum comportant placentas et liba, quæ ille servus deinde vendat. Ita, quod merito bilem tibi et stomachum moveat, cogimur miseri clientes patronorum servis elegantioribus tributa quodammodo pendere, et eorum augere loculos ac marsupia.

190. « Quid quod in aliis Italiæ urbibus multo commodius habitatur ac tutius, quam Romæ. Quis unquam timuit, ne ruerent ædes in urbe Prænestina gelidos inter colles sita? aut Volsiniis in jugo montis quem vestiunt sylvæ collocatis? aut Gabiis, quorum incolæ dolo et insidiis Tarquinii fuerunt olim propter simplicitatem decepti? aut

Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui : nam sic labentibus obstat
Villicus, et, veteris rimæ quum texit hiatum,
Securos pendente jubet dormire ruina.
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus. Jam poscit aquam, jam frivola transfert
Ucalegon; tabulata tibi jam tertia fumant :
Tu nescis : nam si gradibus trepidatur ab imis,
Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbæ.
« Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex,
Ornamentum abaci, nec non et parvulus infra
Cantharus, et recubans sub eodem marmore Chiron;
Jamque vetus Græcos servabat cista libellos,
Et divina opici rodebant carmina mures.

Tibure, quod in clivo est exstructum? Nos in urbe domos habitamus levibus fulcris maxima sui parte sustentatas : quas si opposito tigno firmavit villicus, ne penitus corruant; si earum hiantes pridem rimas et vitia obduxit levi aliquo tectorio, satis hoc esse putat ad nostram securitatem, nosque dormire in utramque aurem jubet, quamvis ruinæ periculum præsentissimum impendeat. Præstat illic vivere, ubi nulla incendia timeantur, quæ tam gravem et justum pauperibus metum ac damnum afferunt Romæ : ubi, si ardet domus aliqua, quum ipse ædium dominus, aut vicini trepidantes aquam poscunt, ac supellectilem alio transferunt, sensim pervenit ad tertiam contignationem flamma, ignaro ac nesciente te inquilino paupere, quia in summa et remotissima ædium parte degis, prope tegulas quibus solis a pluvia defenderis, et nidulos, ubi teneræ columbæ ova deponunt : ignis ab imis scalis occœpit, in te desinet.

203. « Codrus nihil supellectilis habebat præter lectulum, eumque sua uxore Procula breviorem, sex vascula, quibus ornatus erat ejus abacus e ligno vili confectus, infra quem cantharus visebatur, et statua Chironis sub eodem vili abaco jacentis. Detrita vetustate arcula custodiebat Græcos quosdam libellos, in quibus carmina divinitus scripta indocti, ut Opica gens est, mures arrodebant. Hæc omnia nullius profecto pretii, ac nihil potius erant; nemo id

Nil habuit Codrus : quis enim negat? et tamen illud
Perdidit infelix totum nihil : ultimus autem
Ærumnæ cumulus, quod nudum, et frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio tectoque juvabit.
Si magna Asturii cecidit domus, horrida mater;
Pullati proceres; differt vadimonia Prætor;
Tunc gemimus casus Urbis; tunc odimus ignem.
Ardet adhuc, et jam occurrit, qui marmora donet,
Conferat impensas : hic nuda et candida signa;
Hic aliquid præclarum Euphranoris et Polycleti;
Hæc Asianorum vetera ornamenta Deorum;
Hic libros dabit, et forulos, mediamque Minervam,
Hic modium argenti : meliora ac plura reponit
Persicus orborum lautissimus, et merito jam
Suspectus, tamquam ipse suas incenderit ædes.
« Si potes avelli Circensibus, optima Soræ,

negat : hoc tamen nihil incendio totum miser amisit, accedetque ad miseriæ cumulum, quod eum egentem et panis frustula corrogantem nemo recreabit dato cibo, nemo hospitio, vel mensa accipiet. Si Asturici superba domus collapsa est, matronæ dolorem vultu squalido vestibusque præ se ferunt : primores urbis nigro colore vestiuntur, ut in publico luctu; prætor caussas dicta die judicandas in aliud tempus rejicit. Tunc deploramus varios urbis populosæ casus, et ignem ac incendia detestamur. Nondum domus Asturii tota deflagravit; ecce adest, qui marmor ad eam reficiendam donet; qui sumptus se facturum spondeat; alius statuas e puro et candido marmore; alius opus aliquod eximium ab Euphranore, aut Polycleto confectum, quod erat inter prisca ornamenta deorum in Asia coli solitorum; alius libros et loculos ubi reponantur, ac Minervæ signum a vertice ad umbilicum expressum ad ornandam bibliothecam; alius denique plenum argento modium largietur. Sic meliorem et uberiorem domum instaurat Persicus ille Asturius, fitque orborum locupletissimus; adeo ut suspicari possis ipsum suis ædibus ignem consulto injecisse!

223. « Si a ludis Circensibus abstrahi et iis carere potes, non majori pretio emes pulcherrimam domum, ac propriam perpetuo jure

Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
Hortulus hic, puteusque brevis, nec reste movendus,
In tenues plantas facili diffunditur haustu.
Vive bidentis amans, et culti villicus horti,
Unde epulum possis centum dare Pythagoreis.
Est aliquid, quocumque loco, quocumque recessu,
Unius sese dominum fecisse lacertæ.
« Plurimus hic æger moritur vigilando : sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus, et hærens
Ardenti stomacho : nam quæ meritoria somnum
Admittant? magnis opibus dormitur in Urbe :
Inde caput morbi. Rhedarum transitus arcto
Vicorum in flexu, et stantis convicia mandræ
Eripient somnum Druso, vitulisque marinis.
Si vocat officium, turba cedente, vehetur

possidebis in urbe Sora, aut Fabrateria, aut Frusinone, quam quo conducis Romæ in unum duntaxat annum aliquem tenebricosum angulum. Ibi aderit hortulus, domui adjunctus, et puteus non altus, ex quo sine fune et manu ipsa haurire aquam poteris, eaque facile horti plantas irrigare. Quid porro jucundius rusticana illa vita, quæ sarculo et bidente rastro gaudet, ubi licet hortum colere, cujus ex oleribus parare possis convivium centum discipulis Pythagoræ? Operæ pretium est dominium sibi vel unius lacertæ acquirere, quocumque demum in loco, quamlibet deserto et ignoto degas.

232. « Ad ea quæ dixi urbis incommoda, hoc etiam accedit, quod in ea frequentes ægri diuturna vigilia exstinguuntur. Eorum quippe morbi e cibis indigestis, neque coctis somno, ac stomachum acriter accensum prægravantibus oriuntur. Quibus enim in sedibus mercede locatis, et diversoriis publicis, capere somnum placide licet? Nemini dormire, nisi divitibus, Romæ concessum est. Hæc origo morborum, hic fons : rhedæ prætereuntes per vicorum angustas ambages, et voces inconditæ ac maledicta quibus aurigas lacessit mulio, cum suo jumentorum grege coactus subsistere, donec evolvant se rhedæ, adiment somnos vel ipsi Druso, ac marinis vitulis.

Dives, et ingenti curret super ora Liburno,
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus:
Namque facit somnum clausa lectica fenestra.
Ante tamen veniet: nobis properantibus obstat
Unda prior: magno populus premit agmine lumbos,
Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter; at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto; planta mox undique magna
Calcor, et in digito clavus mihi militis hæret.
« Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivæ: sequitur sua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quas recto vertice portat
Servulus infelix, et cursu ventilat ignem.
Scinduntur tunicæ sartæ: modo longa coruscat

Si dives domo prodit, officii alicujus caussa, a proceris e Liburnia servis gestabitur in lectica supra capita civium, qui viam ipsi patentem dabunt, ac cedent. Ipse in lectica compositus leget quidpiam inter eundum, aut scribet, vel etiam dormiet: quippe lectica somnum arcessit, si ejus fenestræ claudantur; et quamvis ea lento motu progredi soleat, prius tamen, quam nos, perveniet eumdem in locum dives; quia dum in vico transeuntibus referto festinamus, multitudo, velut unda reciproco fluctu æstuans, si anterior est, nos moratur; si posterior, premit urgetque: alius me cubito percutit, alius rigido assere: hic trabe ferit caput; ille ingenti amphora. Luto infecta sordent mihi crura, pedem pede calcat miles indutus caliga, quæ ferreis clavis undique inhorrescit, quorum unus hæret mihi in pedis digito.

249. « Intelligis hoc fumo et pulvere, quem vides, ut opus fervet, quum sportulam clientes domum reportant? Centenos licebit aliquando numerare, quos singulos culinaria sua supellex sequitur? Vix ipse Corbulo par esset portandis tot ingentibus vasis capiti impositis, quot erecta cervice gestat miserum mancipium, a quo currente ignis ventilatur in foculo quem gestat. Ipsius interim vestes paullo ante domi ab eodem consutæ et refectæ, properanti per vicum curribus impeditum scinduntur, dum imposita grandi vehi-

Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plaustra vehunt; nutant altæ, populoque minantur.
Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat
Axis, et eversum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
Invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver,
More animæ. Domus interea secura patellas
Jam lavat, et bucca foculum excitat, et sonat unctis
Striglibus, et pleno componit lintea gutto.
Hæc inter pueros varie properantur : at ille
Jam sedet in ripa, tetrumque novicius horret
Porthmea; nec sperat cœnosi gurgitis alnum
Infelix; nec habet, quem porrigat, ore trientem.
« Respice nunc alia, ac diversa pericula noctis:
Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa et curta fenestris

culo abiegna trabes inter turbam emicat, aut pinea alio curru vecta vacillat sublimis, et cohorrescenti circum populo imminens. Si quando enim contingit, ut plaustrum aliquod ejusmodi marmore, quod e Liguria extrahimus, onustum subvertatur, et lapidum veluti montem effundat in circumstantem multitudinem, ita obteruntur corpora, ut nihil ex iis restare plus videatur, quam ex anima ipsa, quæ avolavit ac nusquam apparet; nec membra dignoscere, nec ossa colligere quisquam possit. Interim familia, hunc ignorans casum, vasa escaria lavat, sportulam et dapes quas ferebat servus exspectans; et ore anhelo focum accendit, ungit detergitque sonantes strigiles, guttum oleo implet, lintea præparat; sic omnia ad cœnam necessaria propere famuli expediunt : interim servus infelix, obtritus plaustro, jam est in Stygis ripa, et Charontis ante non visi vultum informem perhorrescit : quumque careat triente, quem illi pro vectura solvat, spem nullam transmittendæ, in ejus cymba ex alno facta, cœnosæ Stygis habet.

268. « Atque hæc quidem pericula et incommoda sunt in urbe metuenda interdiu : jam quæ noctu pertimescenda sunt expende. Contemplare in quantam altitudinem attollantur domorum fastigia, e quibus in capita prætereuntium decidunt tegulæ, aut vasa fictilia,

Vasa cadunt; quanto percussum pondere signent
Et lædant silicem. Possis ignavus haberi,
Et subiti casus improvidus, ad cœnam si
Intestatus eas: adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te prætereunte, fenestræ!
Ergo optes, votumque feras miserabile tecum,
Ut sint contentæ patulas defundere pelves.
« Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidæ, cubat in faciem, mox deinde supinus.
Ergo non aliter poterit dormire? Quibusdam
Somnum rixa facit: sed quamvis improbus annis,
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, et comitum longissimus ordo,
Multum præterea flammarum, et ahenea lampas.
Me, quem luna solet deducere, vel breve lumen

quæ, quum fracta et mutilata corruunt, vide ut ipso pondere silices, quibus viæ sunt stratæ, notent ac vulnerent! Non immerito quispiam parum prudentem te credat, neque satis prospicientem repentinos vitæ casus, si vesperi vocatus ad cœnam domo prodeas non condito testamento: adeo tam multæ tibi mortes impendent, quam multæ sunt in vicis, per quos habes iter, fenestræ, unde cives nondum cubantes possint in tuum caput testam, aut aliud aliquid ejus generis dejicere. Restat igitur hoc unum optandum tibi, ut contenti sint pelvim aliquam ingentem aqua plenam in te desuper effundere.

278. « Ebrius aliquis et protervus, si post nocturnam comessationem neminem male verberibus mulctavit, noctem insomnem patitur, nec magis dormire potest, quam Achilles, Patroclum interfectum mærens; modo pronus, modo supinus cubat: ergone ille somnum capere non poterit, antequam verberibus aliquem contuderit? Haudquaquam: sunt qui ejusmodi concertationibus somnos arcessant; sed licet mentis parum sit compos, quippe juvenis ferox, et vino æstuans, vitat illos tamen, ac præterit, quos purpurea vestis, et comitum multitudo, et faces lampadesque aheneæ vitandos esse admonent: me vero, qui ad lunæ lucem ingredior, aut exiguæ candelæ, cujus parce et minutatim ellychnium impendo, despicit,

Candelæ, cujus dispenso et tempero filum,
Contemnit. Miseræ cognosce procœmia rixæ,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
Stat contra, starique jubet; parere necesse est.
Nam quid agas, quum te furiosus cogat, et idem
Fortior? Unde venis? exclamat: cujus aceto,
Cujus conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor, et elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi respondes? Aut dic, aut accipe calcem.
Ede, ubi consistas, in qua te quæro proseucha?
Dicere si tentes aliquid, tacitusve recedas,
Tantumdem est; feriunt pariter: vadimonia deinde
Irati faciunt. Libertas pauperis hæc est:
Pulsatus rogat, et pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.
« Nec tamen hæc tantum metuas: nam, qui spoliet te,
Non deerit, clausis domibus postquam omnis ubique
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.

ac impune invadit. Operæ pretium est cognoscere principia tristis ejusmodi concertationis, si concertatio tamen appellari potest, in qua unus tantum ferit, alter tantum feritur. Igitur eunti mihi obstat, ac consistere me jubet; obtemperandum, velim, nolim. Quid enim agas, cogente furioso, eodemque fortiori? Statim exclamat, ac sciscitatur, unde venis? quicum acetarium, aut conchem comedisti, qua tibi venter tantum tumet? ad cujus sutoris mensam accubuisti, ubi sectili porro, et aqua incocti vervecis capite saginatus es? Siles? aut loquere, aut calcibus vapula, furcifer. Narra ubi habites, in qua te Judæorum synagoga requiram? Hæc ille. Si contra hiscere coneris aliquid, aut nihil prolocutus abscedas, perinde est, nihilo secius verberant; tum ira efferati vadimonium tibi denuntiant. Ita demum libere abire permittitur pauper; post multa verbera supplex veniam ac pacem orat, pugnisque contusus obsecrat, ut sibi concedatur, amissis dentibus in hac miserabili rixa non paucis, discedere, ac vitam retinere.

302. « Neque hæc tamen duntaxat nocturna pericula metuenda sunt: timor alius instat a furibus, qui tuis inhiant spoliis, postquam

Interdum et ferro subitus grassator agit rem,
Armato quoties tutæ custode tenentur
Et Pomptina palus, et Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes, tamquam ad vivaria, currunt.
Qua fornace graves, qua non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marræ et sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam sub regibus atque tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam!
« His alias poteram, et plures subnectere caussas:
Sed jumenta vocant, et sol inclinat : eundum est.
Nam mihi commota jam dudum mulio virga
Adnuit. Ergo vale nostri memor, et, quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,

tabernæ omnes clausæ, et ferreis catenis munitæ fuerunt. Nec desunt aliquando repentini grassatores qui gladiis in miseros sæviant, quum paludes Pomptinæ, et sylva Gallinaria multo milite custodiuntur; quo fit, ut inde exclusi latrones Romam advolent, tanquam ad vivarium quoddam, in quo paratam prædam ac facilem inveniant. Quæ fornax, quænam incus occupata non est in catenis fabricandis? Illarum tanta est multitudo, ut ferri maxima copia consumatur in vinculis conficiendis; meritoque sit timendum, ne non suppetat ad vomeres, marras et sarcula conficienda. Quis non prædicat beatos majorum nostrorum avos, et fortunata illa Romæ tempora, quum reges ac tribuni rerum potirentur, unusque sceleratis continendis carcer urbe tota sufficeret?

315. « Me vero ista potissimum impulerunt, ut Roma demigrarem, quibus alia plurima possem addere; sed, ut absolvam, monent equi ac muli sarcinis nostris onusti; tum sol in occasum vergit, utque in viam nos demus, significat virga ter agitata mulio. Vale igitur, mi Juvenalis, neque mei te ulla capiat oblivio; immo quoties, Roma relicta, patriam tuam Aquinum petes, virium reficiendarum, et captandæ liberioris auræ caussa, fac me quoque arcessas ab urbe Cumana, quo jam pergo, ut Aquini tecum Cereris Helvinæ, aut Dianæ, quam Aquinates colitis, sacra celebrem. Avelli me ab loco

Me quoque ad Helvinam Cererem, vestramque Dianam
Convelle a Cumis. Satirarum ego, ni pudet illas,
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.»

gratissimo patiar, et in frigidiorem vestram urbem abduci, ut operam tibi navem ad scribendas satiras, si me adjutorem, hominem imperitum, non recusas. Illic tibi ad expugnanda ævi nostri vitia, instar expediti et ocreati militis, subserviam, ac succenturiatus adero.»

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM TERTIAM.

Notæ 1. *Quamvis confusus*, perturbatus, commotus, tristis sum. Conf. Wernsdorf. Poet. Lat. Min. tom. IV, pag. 696. — *Amici*, Umbricii, de quo vid. ad v. 21. — *Veteris*, quod jacturam doloremque auget.

Variæ lectiones. 2. *Sedem ponere Cumis*, 24.

Not. 2. *Cumæ*, urbs Campaniæ, unde *Sibylla Cumæa*, cujus ibi antrum fuit, seu *μαντεῖον*: confer Virgil. Æn. VI, 1 seq., et ibi Heyn. — *Vacuis*, infrequentibus et quietis, vel otiosis, respectu Romæ, urbis celeberrimæ ac turbulentæ: confer. X, 102; Virgilius, Georg. lib. II, 225; Horatius, Epist. I, 7, 45; et I, 2, 81 seq. — *Unum civem donare*, addere, *Sibyllæ*, Cumis. Confer Plaut. Pers. IV, 3, 6.

Var. 3. *Destinat*, 26, quod arridere potest.

Not. 4. Laudatur consilium amici, quod amœnissimum petiit locum. — Cumæ sunt quasi *janua Baiarum*, quæ Baias euntes excipiat atque emittat; hoc est, Baias proficiscentibus Roma per Cumas iter est. Confer ad VIII, 160. *Baias* autem Romani æstivo tempore, tam voluptatis, quam valetudinis aquis calidis firmandæ caussa petebant. — *Gratum litus amœni secessus*, nam et Cumæ et Baiæ sitæ in ora maritima, et amœnissima regione Campaniæ, ubi ditiores Romani passim non in continenti tantum, sed in ipso quoque mari, prospectus ac frigoris gratia, villas exstruxerant.

Var. 5. *Prochyten* forte scribendum. *Prochitam*, 17, 19, 20, 26, ut plerumque *i* pro *y* in MSS. *Prochyte* dicta *ἀπὸ τοῦ προχύσιν* (vid. Serv. Virgil. Æneid. IX, 715), vel, si Straboni, V, p. 247, al. 379, et Plin. III, 6, fides habenda, *quia profusa ab Ænaria erat*, hoc est, terræ motu avulsa, et in altum velut projecta. — *Suburæ*, 17, 19—22, a m. sec. 24, 56, 57, 60, 65, 68, 69, 70, 74, 75, 76. *Suburræ* alii, etiam Hennin. qui tamen *Subura* edidit infra, 10, 156, et 11, 51, 141. De orthographia et origine vocis, quæ et *Sucura* scribitur, unde dicta tribus *Suburana* (ita legitur in Inscr. v. e. Gruter. p. 104, n. 6, et p. 293, n. 3.), vel *Sucusana* et *Succusana*, vid. Quintilian. I, 7, 28; Adleri *Beschr. den Stadt Rom.* p. 118, et Schweigh. ad Appian. B. civ. I, 58.

Varro Ling. Lat. IV, 8 : « Sacræ, inquit, viæ pars hæc sola vulgo nota, quæ est a foro eunti proximo clivo. Eidem regioni attributa Subura, quod sub muro terreo Carinarum. In ea est Argeorum sacellum sextum. Subura Junius scribit ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe : cui testimonium potest esse, quod *subest* ei loco, qui terreus *murus* vocatur. Sed ego a pago potius *Succusano* dictum puto *Succusam*. Nunc scribitur litera s, non c, pagus Sucusanus, quod succurrit Carineis. » Festus, verb. *Subura :* « Verrius a pago Succusano (vicino ei Urbis regioni) dictam ait, itaque appellatam et regionem Urbis, et tribum a stativo præsidio, quod solitum sit *succurrere* Esquiliis, infestantibus eam partem Urbis Gabinis, indicioque esse, quod adhuc ea tribus per c literam, non s scribatur. »

Not. 5. Quod si vero amicus meus vel ad locum minus amœnum migrasset, non damnarem ejus consilium : ego certe in deserta insula mallem, quam Romæ commorari. Pro Roma exquisite ponitur *Subura*, vicus regionis secundæ, ad radices Cœlii montis, frequentissimus atque infamis, ubi fures et scorta habitare, et cibaria aliæque res vendi solebant (v. *Adlers Beschreib. von Rom.* pag. 145, seq. et Bottigeri Sabina, pag. 82, ed. pr.), unde *clamosa Subura* dicitur Martiali, XII, 18, 2 [1]. — *Prochyte* (hod. Procita) insula, in sinu Cumano, seu Baiano, Cumis et Miseno promontorio objecta [2]. Eam *asperam* vocavit Stat. Silv. II, 2, 76, ut *sterili locatas colle Pithecusas*, Ovidius, Metam. XIV, 89, ubi tamen Inarime, seu potius Ænaria (hod. Ischia), et Prochyte a Pithecusis distinguuntur, si lectio sana est, quas geographi vulgo confundunt.

Var. 6. *Et tam solum*, 25, 46, 48, 49, 57, 59—61, 63—67.

Anal. 6—9. Quis enim locus est tam *miser*, inamœnus ac tristis, vel *solus*, hoc est, solitarius ac desertus ab incolis (de quo vid. Drak. et nos ad Silium, III, 419), ut non Romæ eum præferas, vel ibi malis esse, quam in hac urbe, ubi *assidue* varia pericula *horreas*, metuas necesse est, quod multo *deterius* censendum, quam quod in locis desertis habites? Frequentissima fuisse Romæ et *incendia* et *ruinas* ædificiorum, quæque utriusque rei caussæ fuerint, docent Seneca, Controv. IX, 2 : « Tanta, inquit ille, altitudo ædificiorum est, tantæ viarum angustiæ, ut neque adversus ignem præsidium, neque a ruinis ullum in ullam partem effugium sit. » Vid. quoque Lipsius ad Tacitum, Annal. XV, 43, et *Heuback* in Comm. de politia Roman. § 17, et 45.

Not. 8. *Urbis sævæ*, in qua tot sunt, quæ nos terrent, pericula; Grang.

Not. 9. Facete inter summa Urbis pericula atque incommoda recense-

[1] Conf. infra X, 156; XI, 51, 141; Martial. VI, 66, 2; VII, 30, 12; X, 94, 5; Pers. V, 32, et Burmann. Anthol. lat. II, 41, pag. 514.

[2] Vid. Heyn. in not. et Exc. II ad Virg. Æneid. IX, 715; Burmann. ad Valer. Flacc. II, 24, et nos ad Sil. VIII, 540.

tur importuna malorum poetarum recitatio, quasi ea non minus misera sit, ac metuenda, præcipue *mense Augusto*, quo enecantur auditores et flagrantissimo æstu, et recitatione poetarum, quorum et numerus, et studium scribendi recitandique est tantum, ut eo quoque anni tempore, quo plerique a negotiis se subtrahunt, miseros homines vel precibus, vel auctoritate ac præmiis ad audiendum alliciant. Confer ad I, 1 seq.

Var. 10. *Cum* pro *dum*, 25—27, 46—48, 50, 54—59, 61—69, 71—74. — *Reda* recte scriptum in quibusdam libris et scriptis et editis, ut in optimis aliorum scriptorum exemplaribus, unde illud pro vulg. *rheda* substitui. Vid. Comment.

Not. 10. *Tota domus*, familia et supellex Umbricii. — *Una reda*, quo tenuitas supellectilis denotatur. — *Reda* vehiculum, quo utebantur itinera facientes (*charriot*), et quod quatuor habebat rotas, ut *cisium* (*cabriolet*) duas. Vox celtica et saxon. (Germ. *reiten*, Angl. *to ride*), ut *carruca* matronarum; unde *reda* scribendum, non *rheda*. Vid. Var. Lect. Quintil. I, 5, 57, et 69; Scheffer. de Re veh. II, 18, pag. 237 seq.; et Bottigeri Sabina, pag. 315, ed. pr.

Not. 11. *Substitit*, Umbricius, cum poeta, pedibus redam prægressus, moratur, exspectans currum, et extremum contemplaturus varias ac sæpius a se visitatas partes urbis, quam nunc relinquit, ut solent, qui aliquo emigrant. — *Veteres arcus*. Forte aquæductuum. Ita et Hein. qui conferri jubet Burmannum ad Petron. cap. 44. Quidam intelligunt *arcus* tergeminorum Horatiorum, quibus tamen non arcus, sed pila, γωνιαία στυλὶς, exstructa (de qua vid. Liv. I, 26, et Dionys. III, 21); alii *arcus* Romuli, qui lateritii primum, et postea marmorei fuerunt, quam sententiam propter epitheton *veteres* cæteris præferrem, modo constaret, hos arcus ad portam Capenam fuisse. — *Capenam* portam, per quam Capuam itur, ad viam Appiam, unde etiam *Appia* dicebatur, hodie *porta di S. Sebastiano*. — *Madidam*, quia supra eam aquæductus est, quem nunc appellant *Arcum stillantem*; veter. Schol. Alii portam rectius ita dictam putant a fontibus, qui ibi erant, unde et *Fontinalis* vocabatur, de quo vid. Festus, et Livius, XXXV, 10, extr. Confer Martial. III, 47, 1, seq.: *Capena grandi porta qua pluit gutta*, etc.; et X, 35, 13, 14: *Egeriæ jocos udo Numæ sub antro*.

Var. 12. *Hic, ubi nocturna Numa constertebat amica* (hoc est cum ea dormiebat) conj. Dorleans. Ego potius vulgatam nunc mutavi distinctionem: *Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam; Hic, ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ. Nunc sacri ..... supellex. Omnis enim ..... Camenis. In vallem*, etc. Nam lucus hic, qui v. 12 seq. describitur, a *Capena* porta aliquantum aberat, et jungenda verba *Hic, ubi nocturnæ .... in vallem Egeriæ descendimus. Hic* δεικτικῶς dictum, et apte (*hic, ubi*); nisi narratio forte nimis abrupta videri potest, et legendum *Hinc* progressi Umbricius et ego *in vallem Egeriæ descendimus, ubi nocturnæ*, etc.

Not. 12 seq. Lucus erat in valle Aricina, Dianæ sacer, et *Camenis* a *Numa* sacratus, quem medium ex opaco specu *fons* perenni rigabat aqua, et ubi rex ille simulabat sibi cum Dea *Egeria* (v. 17) congressus *nocturnos* esse; unde hoc loco *nocturnæ amicæ*[1]. — *Hic, ubi*, etc. Vid. Var. Lect. — *Constituebat amicæ* horam tempusque congressus concubitusque: haud dubie enim poeta his verbis significat, Egeriam non nympham, vel musam, sed *amicam*, hoc est, pellicem Numæ fuisse, quod etiam illis temporibus fama vulgaverat. *Constituere* dicuntur, qui de aliqua re paciscuntur, inter quos de ea convenit. Venuste hoc loco de *nocturna amica*[2]. Similiter *ad constitutum* (scilicet locum, vel tempus) *venire* dixerunt Varro, Re rust. II, 5, et Hyginus, fab. 148.

Not. 13. *Nemus*, lucus Camenarum, in quo *fons* et *delubra*, a Numa iis sacrata. De æde vid. Plutarchum, in Numa; de *fonte* Camenarum idem et Livius, I, 21; Ovidius, Fast. III, 263 seq., et Lipsius, Synt. de Vesta, cap. 10. — *Sacri*, ut omnes fontes, fluvii, aquæ, propter *numen aquæ*, infra, versu 19: vid. Spanheim. ad Callimachi Hymn. in Apoll. v. 112. Numa lucum præterea, campumque, quem fons irrigat, Camenis consecraverat, et ὕδωρ ἱερὸν ἀπέδειξε ταῖς Ἑστίαις παρθένοις, ὅπως λαμβάνουσαι καθημέραν ἀγνίζωσι καὶ ῥαίνωσι τὸ ἀνάκλορον, teste Plutarcho, in Numa, pag. 68. Confer Lipsii l. l.

Not. 14—16. Judæis primum Claudii, deinde Domitiani temporibus Roma pulsis (quæ tamen urbs paullo post iis abundabat, de quo vid. VI, 542 seqq. *Walch* in Comment. nov. Soc. Gott. class. philolog. tom. III, pag. 8 seq., et *de Bynkershoek*, de Cultu religionis peregrinæ apud veteres Romanos, Opp. tom. I, p. 341), locatus erat lucus, Camenis olim sacer (unde hæ διὸς ejectæ dicuntur), ita ut quotannis *mercedem*, pretium locationis, seu tributum, *penderent*, quod acerbissime exactum a Domitiano dicit Suetonius, Domit. 12, ubi vid. interpretes. Hinc poeta perstringit avaritiam Imperatorum, qui quum loca religiosa profanarent, et ex iis facerent lucrum, tum tributa a pauperrimis quoque hominibus exigerent, qui nihil haberent præter *cophinum fœnumque*, et mane ex luco in Urbem *mendicatum* vaticinatumque venirent, similes hodiernis Ægyptiis et Bohemis, seu Zigeunis: « Ordinis res est, ut Ægyptius Pharao incedat cum diademate, Israelita cum cophino. » Sidonius, Epist. VII, 6. Confer infra ad v. 296; VI, 542 seq. et Burmannum, de Vectig. pop. Rom. cap. 2, pag. 15, ubi non male ab aliis hæc referri dicit ad Judæos, sacra et προσευχὰς in sylvis et sub arboribus peragentes, adeoque ad opima templorum vectigalia,

[1] Vid. Liv. I, 19, et 21; Dionys. II, 60 seq.; Plutarch. in Numa; Ovid. Fast. III, 261 seq., et Metamorphos. XV, 482—491, 547 seq.; Lactant. Inst. div. I, 22; Salmas. de Mod. usur. cap. 15.

[2] Cf. VI, 487; Gronov. Obss. I, 1, p. 14 seq., et Passerat. ad Prop. IV, 9.

quibus sacrificia sacerdotesque aluerint; unde VI, 544, *magna sacerdos arboris*. — *Cophinus*, *κόφινος*, canistrum, corbis, omneque vas vimineum. Judæi, itinera facientes per gentilium aut Samaritanorum terras, quod jam alii notarunt, cophinis secum ferebant et quisquilias suas, et edulia, ne gentilium cibis polluerentur[1]. — *Fœnum*, quo jumenta sua alebant Judæi, vel potius durum cubile, quo in sylvis pernoctantes utebantur: unde VI, 542, *fœno relicto* Romam venire dicuntur mendicandi vaticinandique caussa. Hæc omnia de Christianis intelligenda proposuit *Achaintre*: primis enim temporibus apud auctores, Christiani pro Judæis promiscue habentur. Ed.

Var. 15. *Solvere jussa est*, 21, 22, 24, ex interpr.

Var. 16. *Camœnis* scribunt alii, nescio quare, quum origo vocis prorsus nos lateat, et nostra scriptura majori nitatur auctoritate vett. librorum, quibus tamen parum in his fidendum est, quia diphthongos non exprimunt.

Not. 16. *Omnis arbor*, idem quod *sylva*, hoc est, omnes Judæi in sylva vel luco Camenarum habitantes. Malim tamen versum 15 referre ad verbum *locantur*, et versum 16 ad illa, *quorum cophinus fœnumque supellex*. Tum sensus est: Populus romanus vel imperatores tam avari sunt, ut quævis loca, etiam sacra, locent, vel ex *omni arbore*, ex omnibus, etiam levissimis rebus, lucrum capiant, et tributa exigant *a sylva*, hoc est, a Judæis, in sylva seu luco Camenarum habitantibus; Judæi autem, quibus lucus est locatus, tam pauperes sunt, ut mendicare cogantur.

Var. 17. *Atque speluncas*, 22, ut succurratur forte metro, quod ita potius laborat.

Not. 17. *Descendimus* Umbricius et ego. — *Speluncas*, antra (*Grotten*), *dissimiles veris*, naturalibus ac simplicibus, ut mox *ingenuum tophum*.

Var. 18. *Quanto præsentius esset Numen aquæ* recte, puto, emend. N. Heins. ad Ovid. Metam. XIII, 757, et jam ante eum Grang. ad hunc loc. ubi monet, antiquitatem sub Numa deos credidisse *præsentiores*, hoc est, magis propitios, quum nihil natura passa fuisset ab arte. Vulgatam lectionem eodem sensu cepit Britann. cujus nota est hæc: « *Quanto præstantius esset*, id est, excellentius, et proinde præsentius, si in natura sua mansisset, et non marmore incrustatum esset; ut ostendat, Deos rebus humanis non capi, sed bona sinceraque hominum voluntate gaudere; unde ait Seneca ad Lucil. *Cogita, Deos, quum propitii essent, fictiles fuisse*. » Ceterum deos propitios ac faventes poetis dici *præsentes*, nota res est. Quamdiu enim speciem divinæ naturæ ad humanam accommodavit antiquitas, omnem fere vim ejus ac potestatem a præsentia deorum pendere credidit. Confer. Cerda et Heyn. ad Virgil. Eclog. I, 42; Georg. I, 10.

[1] Conf. Interpret. Matth. XIV, 20; 19; Luc. IX, 17; Joh. VI, 13: omnes XVI, 7—10; Marc. VI, 43; VIII, hunc sensum confirmant. Ed.

et Æneid. IX, 404. — *Quanto præstantius* (purius suavisque) *esset Flumen aquæ* emendat Wakef. ad Lucret. I, 231.

Not. 18 seq. Vid. ad XI, 116. — *Quanto præstantius esset numen aquæ*, hoc est, fons sacer, ut supra versu 13. Confer tamen Var. Lect.

Var. 19. *Cluderet*, ἀρχαϊκῶς, 17, 19, 20, 22, 26, 27, 48, 54—56, 61, 63, 64, 70, 74, 75, 82. Confer ad Sil. VI, 451; XV, 655, et sup. ad II, 36, infra ad v. 131; VII, 26, intpp. Cic. Nat. Div. II, 39; Heins. ad Valer. Flacc. I, 34.

Not. 19, 20. Confer Ovidium, Metam. III, 157—162. — *Viridi*, gramineo, *margine*, ut olim, non, ut nunc, muro marmoreo.

Not. 20. *Nec ingenuum*, naturalem, αὐτοφυῆ, non opere aut arte factum atque expolitum, *tophum* (qui lapis ex aquis calci mixtis ac destillantibus oritur, mirasque sæpe figuras effingit) *marmora*, arte posita, *violarent*, dedecorarent : nam ars naturam, et adscititius color nativum φθείρει, corrumpit; unde μαλλον ἐλέφαντος φοίνικι, dixit Homerus, Iliad. IV, 141, et hinc *ebur ostro violare* Virgilio, Æneid. XII, 67, ubi vid. Heyn.;

Aretinæ violant crystallina testæ,

Mart. I, 54, 6; *nullo violatus Jupiter auro*, infra XI, 116, ubi vid. notam.

Var. 21. *Tum*, 22. — *Umbritius*, 13, 21, 23, 27, 45—47, 49, 56, 61—64, 68, 69. Sed Ὀμβρίκιος dicitur Plut. in Galba.

Not. 21. *Hic tunc Umbricius* hæc mihi dixit. *Umbricius haruspicum in nostro ævo peritissimus*, apud Plinium, X, 6. Confer Tacit. Histor. I, 27, et Plutarch. in Galba, tom. I, pag. 1064.

Not. 21—25. Imitatione Plauti, Mercat. V, 1, 7 seq. Grangæus. Hæc et magnam hujus satiræ partem gallice reddidit *Boileau*, sat. 1, v. 25 :

« Puisqu'en ce lieu, jadis aux Muses si commode,
« Le mérite et l'esprit ne sont plus à la mode;
« Qu'un poète, dit-il, s'y voit maudit de Dieu,
« Et qu'ici la vertu n'a plus ni feu, ni lieu,
« Allons du moins chercher.... »

et seqq. Ed.

Not. 23. *Res* familiaris proborum hominum *hodie minor est, here quam fuit :* nam artes laboresque honesti Romæ neque in honore ac pretio sunt, neque commoda ac præmia consequuntur. — *Here*, ἀρχαϊκῶς, et metri caussa pro *heri*.[1]

Var. 24. *Deterit*, 21, a m. pr. — *Ergo* pro *illuc*, 26.

Not. 24. *Deteret*, minuet, imminuet. Proprie res familiaris deteritur, non deterit.

[1] Vid. Priscian. pag. 1011; Charis. Inst. Gramm. pag. 180, ed. Putsch. et *Spalding* ad Quintilian. Institut. Orat. lib. I, cap. 4, § 8.

Not. 25. *Ire illuc, ubi Dædalus exuit alas*; hoc est, Cumas. Confer ad Sil. XII, 89 seq. et Heyn. ad Virgilium, Æneid. VI, 14—19.

Var. 26. *Recta et prima*, 22.

Not. *Nova canities* est ejus, cui capillus canescere incipit.

Donec virenti canities abest
Morosa....

Horat. Od. I, 9, 17. — *Recta senectus* est ejus, qui erectus adhuc vadere potest, necdum incurvus est, qui *pedibus se portat suis, nullo*, etc.

Not. 27. Quamdiu vitæ quid mihi superest, et per fata licet.

Dum res, et ætas, et sorórum
Fila trium patiuntur atra,

Horat. Od. II, 3, 15, 16.[1] — *Superest*, scilicet filum, et quidem hoc loco vitæ. Quod sic expressit *Boileau :*

« Tandis que, libre encor, malgré les destinées,
« Mon corps n'est point courbé sous le faix des années,
« Qu'on ne voit point mes pas sous l'âge chanceler,
« Et qu'il reste à la Parque encor de quoi filer. »

Quæ quidem carmina reprehendit *Condillac*, *Art d'écrire*, c. 3. Cujusquidem reprehensionem, licet minime approbem, tamen transcribam, quia ad Juvenalis quoque carmina pertinet : « Voilà trois périphrases pour « dire, *tandis que je ne suis pas vieux*. La première est bonne, parce qu'elle « fait image : la seconde est une peinture plus faible : la troisième ne peint « rien, et n'est pas même exacte : car on peut être vieux, quoiqu'il reste « à la Parque de quoi filer. D'ailleurs *qu'on ne voit point mes pas chanceler*, « est un tour lâche; il eut été mieux de dire *que je ne chancèle pas*. Enfin *sous « l'âge* est une faible répétition de *sous le faix des années*. » Ed. — *Torquere*, ut et *versare*, de fuso et de ipso stamine ac filo, pro nere. Confer. Heynius ad Tibull. II, 1, 64.

Var. 29. *Patriæ*, 15. — *Vivat*, 13, 27, 47, 48, 54, 58, et quatuor Codd. Paris. — *Arturius* forte rectius, 10, 14—16, 19, 21, 26, 27, 55—48, 50, 54, 59—64, 68, 69, 71, 72, 73. *Artarius*, 22. *Arctorius*, 49. *Arcturius*, 17, 20, 23, 24, 65. *Archturius*, 13. — *Ast hic*, 14.

Not. 29. *Cedamus*, excedam, discedam, ut supra, II, 131. — *Artorius et Catulus*, ignobiles et sordidi, ac malis artibus viventes homines, qui ex sordidis rebus divites sunt facti; veter. Schol. Tales homines nunc Romæ gratiosi sunt et felices. Eodem sensu et loquendi formula noster *Boileau :*

« Que George vive ici, puisque George y sait vivre. » Ed.

[1] Notus est versus, *Clotho fert fusum, Lachesis rotat, Atropos occat*, vel *Clotho colum gestat, Lachesis net et Atropos occat*. Conf. loc. præclarus Catull. LXI, Epithalam. Pel. et Thet. v. 312 seq.

VAR. 30. *Catuli*, 21, a m. sec. — *Nigra*, MS. Scriverii. — *Vertant*, 14.

NOT. 30. *Nigra in candida*, falsa in vera, vitia in virtutes *vertunt* : confer. Ovidius, Metam. XI, 313—315.

VAR. 31. *Quis* pro *Queis* scripsi. Vid. Drak. ad Sil. I, 14; Broukhus. ad Prop. II, 10, 47, et interpp.; Virg. Æneid. I, 95. — *Ædes*, 26, et ita legendum, si grammaticis fides habenda, qui docent, *ædem* constanter dici templum ædificiumve sacratum aut inauguratum; *ædes* vero domum privatam. Iis adstipulantur Gesner. in Thes., et Bentl. ad Horat. Epist. II, 2, 90 (qui magno eruditionis apparatu hoc discrimen tuentur, quod etiam observavit poeta noster VII, 37, et 40); nec non Ruhnken. ad Vellei. I, 11, et Hein. qui monet, *ædem* hoc loco etiam de templo accipi posse, et in num. sing. proprie cellam dici, et, quia deorum templa primum una tantum cella constiterint, huc translatam esse significationem. Illius tamen discriminis non semper rationem fuisse habitam, ne a scriptoribus quidem seculi Augustei, contendunt Jani et Mitscherl. ad Horat., I, 30, 4.

NOT. 31 seq. Designantur homines sordidæ olim conditionis, qui redempturis auxerunt patrimonia, Liv. lib. XXIII, 48, vel alia quacumque via ad tantas opes provecti sunt, ut nunc publicani aut certe redemptores esse possint. — *Conducere*, hoc loco idem quod redimere, cui *locare* opponitur. Romæ non modo pleraque, quæ publico, sed et multa, quæ privato sumptu perficiebantur, opera et ædificia, vel exstruenda, vel resarcienda *locari*, hoc est, redemptori minimum poscenti addici solebant, et quidem illa fere a censoribus ædilibusque, hæc a privatis hominibus; *conduci* vero vel *redimi* ab iis, qui ea curanda suscipiebant, et *redemptores*, *conductores*, *mancipes* (*entrepreneurs*) vocabantur. Publicani, homines ditissimi, qui plerumque equites erant, publica vectigalia, scripturam, decimas et portorium, redimebant; unde scripturarii, seu pecuarii, et decumani dicebantur : sed iidem quoque sæpe redemptores erant ædificii alicujus, aut operis publici, licet eos nullo modo hic intelligendos voluerit *Achaintre*. Ob id ipsum quod divites erant, operum conducendorum (*entreprises au rabais*) provincia ipsis committebatur. ED. — *Quis*, quibus, *facile est* propter divitias, astutiam, blanditias et dona. — *Conducere ædem* vel sacram, vel publicam, vel etiam privatam, scilicet faciendam, exstruendam, vel reficiendam, ut *portus* et *flumina*, scilicet purganda. Censores sarta exigebant tecta, et opera locata probabant. — *Flúmina*, alveos fluminum, inprim. Tiberis, purgandos : nisi hæc vox spectat ad piscationem, vel æs piscatorium, de quo vid. Festum. Sic et lacus a censoribus locari solebant propter piscationem, qui fructus eorum est. Vid. Burmannum, de Vectigalibus populi Romani, cap. 1, pag. 10. — *Portus* faciendos, vel reficiendos, vel purgandos : nisi capere malis de *portorio*, vectigali, quod ex portubus Italiæ et provinciarum exigebatur pro invehendis atque evehendis mercibus, quodque proprie *vectigal* appellabatur. Vid. Burmann. loc. laud., cap. 5; Cicer. in Verr. Action. II, 2, 70, 74; III, 7.

Nor. 32. *Siccandam eluviem conducere*, hoc est, cloacas, quarum cura olim ad censores, et postea, sub imperatoribus, ad curatores, pertinebat, purgandas et reficiendas redimere. Vide Burmannum, loco laudato, cap. 11, pag. 198. — Verba *portandum ad busta cadaver* recte referuntur ad redemptores funerum (*designatores*, *libitinarios*), qui in templo Libitinæ apparatum exsequiarum vendebant: de quibus vid. Kirchmannum, de Funeribus Romanorum, I, 9, pag. 58 seq.

Var. 33. *Dominis* suspicari possis. Sed doctior est vulgata lectio.

Nor. 33. Hunc versum multi referunt ad *capita* servorum, quæ venalia exposuerint Artorius et Catulus: quæ negotiatio venalitiaria admodum quæstuosa erat. Quum vero de hominibus ditioribus, qui vectigalia redemerint, hoc loco sermo sit, crediderim his verbis non ipsos mangones, seu venalitiarios designari, sed redemptores *vectigalis rerum venalium*, quod exigebatur pro rebus, quæ in foro (non quæ alibi), vel sub *hasta*, publice posita, venales erant, quo præcipue pertinebant mancipia, seu servi, qui proprie *venales* seu *venalitii* vocabantur, et coemebantur a venalitiariis, ut iterum eos venderent. Augustus quum pecunia egeret ad bella, et nocturnos vigiles alendos, vectigal *quinquagesimæ mancipiorum venalium* instituit, teste Dione Cassio, LV, extr. Quinta et vicesima mancipiorum venalium, cujus Tacitus, Annalium, XIII, 31, mentionem facit, postea, Caligulæ forte temporibus, exacta videtur[1]. — *Caput* hoc loco vel proprie dicitur, vel, ut passim, de hominis statu, libertatis ac civitatis jure, atque adeo vita. — *Hasta*, in foro posita, signum auctionis publicæ (forte etiam privatæ, de quo vid. Dukerum ad Florum, pag. 346); unde *sub hasta vendere* ac *venire*, *ad hastam locare*, *subhastare*, etc. *Præbere caput venale sub hasta*, ut, quod Hein. monet, *principum sub civili hasta capita venalia*, apud Senecam, de Ira, I, 2. *Hasta domina*, vid. Heinsium ad Ovidii Epistolas Heroides, III, 100, et Wagneri Observationes catalogo lectionum hiemalium, Marburg. ann. 1815, præmissæ, pag. 4, 5, ubi hæc leguntur: « Auctio semper erat venditio publica, quæ hasta posita per præconem fiebat, ita ut res ei subjectæ plurimum licitantibus a magistratu addicerentur. Hæc addictio quum non nisi *imperii*, quo magistratus ille ornatus erat, vi fieret, Tibullus, II, 4, 54, dixit: *ite sub imperium sub titulumque*, *Lares*, bona paterna, auctionis lege vendenda. Hasta autem quum in auctionibus poneretur, eique venumdanda subjicerentur, propterea quod ipsa, quoties Romæ pars aliqua imperii aut jurisdictionis, adeo et potestatis summæ, exerceretur, signi adhiberetur loco, a Juvenale *domina* appellatur. Confer Sigonium, de antiquo Jure populi

[1] Vid. Burmann. loc. laud. cap. 5, pag. 68—76; Lips. et Ernesti in not. et Excurs. ad Tacitum, l. c. Tom. IV, nost. Edit. p. 513; Cujacii Observationes, VI, 28; Fabretti Inscriptiones, cap. 1, pag. 36. Ed.

Romani, tom. I, lib. I, cap. 11, pag. 149 (Jus auctionis earum rerum fuit, quæ publice per præconem sub hasta præsente, et addicente magistratu venderentur: in auctionibus enim ei, qui plurimum auget, res addicitur; et quoniam ex auctione illa *dominium* sibi justum in eam rem comparant, hinc etiam *auctoritas* jus auctione quæsitum dicitur, et *auctor* is appellatur, a quo quis auctoritatem, id est, jus dominii in quampiam rem accepit), et tom. II, lib. 1, cap. 7, pag. 419.»

VAR. 34. *Ii* pro *hi*, 22. *Hic*, 64, idque conj. Britan. ut sensus sit: cornicines fuere et Romæ et in municipiis. Male!

ANAL. 34—36. Homines illi, qui *quondam* fuerant *cornicines* in ludis scenicis vel theatris (non in muneribus gladiatoriis vel amphitheatris), et *perpetui comites municipalis arenæ*, operam locantes gladiatoribus, et ne Romæ quidem, sed in municipiis, *notæque per oppida buccæ*, phonasci citharœdorum (vid. Marmora Arundelii, n. III), vel municipales vilesque causidici (ut XI, 34), vel potius præcones, qui buccas inflare solent..... hi itaque sordidi homines, et peregrini malis artibus nunc Romæ tantas collegerunt opes, ut etiam munera edant. Confer Ferrarii Elect. II, 26, et Henninium ad hunc locum.

VAR. 36. *Vulgus*, 1, 2, in intersticio, 4, 17, 22, 48, 54, 55, 70, 75, 76, 82, et VII Codd. Paris. iique optimi, Alex., Mazarin. a p. m.; Thuan. I, II; Fauch., Colbert. et alii. Vetus scholion est: « Ab his populus occiditur, quos ante populus jubebat occidi.» Immo *vulgus* scilicet gladiatorum, hoc est omnes gladiatores sine discrimine. Sed hæc quoque ratio dura est; nec munerarius, sed populus, pollice verso occidit vel occidi jubet gladiatores. *Vulgi*, 2, 3, 5, 10, 11, 14, 15, 16, 19—21, 23—27, 45—47, 49, 50, 56—69, 71—74, 81, et XXX Codd. Paris. Confer Comment.

NOT. 36. *Munera* magnis sumptibus olim a magistratibus, postea a principibus, et denique ab omnibus, etiam privatis et vilissimis, qui tum utebantur insignibus magistratuum (ut a sutore et fullone apud Martial. III, 16, et 59), *edebantur*, ut ita gratiam populi captarent, et viam sibi munirent ad honores. Insania variis sensim senatusconsultis legibusque coercebatur[1]. — *Munera edunt* vocabula propria de spectaculis gladiatoriis (ut *ludos facere* seu *dare* de scenicis); unde *munerator*, *munerarius*, *editor*, *editio*. — Populus si victum gladiatorem occidi vellet, *pollicem vertebat* seu *convertebat* (ut hoc loco, et apud Prudentium adversus Symmachum, II, 1097), si servari, *pollicem premebat*. (Vid. Plinium, XXVIII, 2, et Horatii Epistolas, I, 18, 66.) Confer Lipsii Saturnal. I, 7, et II, 22. Versus pollex etiam *infestus* dicitur Quintiliano, XI, 3, 119, et Apuleio Metamorphos. II, pag. 124, 3, editione Elmenh. (confer *Wernsdorf*, Poetæ minores,

[1] Vid. Suetonium, Cæsar. 10; Dionem, LIV; Tacitum, Annalium, IV, 63; XIII, 49; Lipsii Saturnalia, I, 9, et 12.

tom. III, pag. 230) : nam *infastus* est in aliquem vel aliquid directus, id petens (vid. ad Livium, I, 13), et *pollex vertebatur*, hoc est, dirigebatur in pectus, quo indicabatur, ni fallor, illud gladio transfigendum esse; non, ut alii putant, in altum tollebatur, quod non bene *verti* dicitur, vel sub veste recondebatur, quæ Heinsii ad Silium, VIII, sententia est, vel denique comprimebatur, reliquis digitis erectis, quod contendebat Plathnerus. — *Verso pollice vulgi*, eo postulante, *quemlibet occidunt*, occidi patiuntur et jubent, vel occidendos curant (vid. infra ad versum 116) : nisi invidiose tribuitur munerariis, quod spectatoribus proprium, vel qui muneris effectus est cujusque rei auctores illi sunt. — *Populariter*, studio gratiæ populi captandæ : nam *popularis* dicitur studiosus populi, qui ejus gratiam affectat. Alii exponunt, cum applausu populi, eoque favente; alii, ejus delectandi caussa. Vox proprie spectat ad editionem muneris, qua populi favor captabatur; sed hoc loco invidiose etiam ad effectum ejus, cædes scilicet hominum transfertur. Similis locus est apud Prudentium adversus Symmachum, II, 1095 seq. de virgine Vestali, munus edente :

> Et quoties victor ferrum jugulo inserit, illa
> Delicias ait esse suas, pectusque jacentis
> Virgo modesta jubet converso pollice rumpi.

Var. 37. *Quem libet*, 2, 3, 5, 10, 11, 14—17, 19—21, 23, 24, 26, 27, 45—50, 54, 55, 57, 59—69, 71—74, 77, 81. *Quum* vel *Cum libet*, 1, 25, 56, 58, 70, 75, 76, 82. *Quidlibet*, 22.

Anal. 37, 38. Vulgo hæc ita exponunt : *inde*, a muneribus et amphitheatro, *reversi* domum, et immensis spectaculorum sumptibus exhausti, non amplius honesta ac majora vectigalia *conducunt*, redimunt (vid. ad VI, 597), sed sordida ac minora, ut *foricarum*, aliaque his similia, quæ avari imperatores commenti sunt (verbi caussa, quæ fimo equino et urinæ imposuit Vespasianus; de quo vid. interpretes Suet. Vespas. cap. 23) : ex munerariis fiunt foricarii. Sed aptior est Achaintrii interpretatio : « Eo sordidi et viles et avidi lucri istiusmodi homines, ut *reversi* a spectaculis magno sumptu a se editis de latrinis etiam curandis cum ædilibus tractare non erubescant, nihil vile ac sordidum respuentes, dummodo lucrum inde proveniat. » Non enim sermo est de hominibus, qui propter impensas in munera factas ad inopiam rediguntur, sed qui ea edunt, ut viam ita sibi ad gratiam populi summosque honores muniant, et qui omnia soli conducere possint, *quum sint*, *quales*, etc., hoc est, quum ditissimi sint. *Foricæ* sunt latrinæ publicæ, in quibus prætereuntes alvum exonerare poterant, et quæ vilibus locabantur hominibus, qui inde *foricarii* dicebantur, et vectigal exigebant ab his, qui subita necessitudine deprehensi ventris ibi onus deponere cogebantur. [1]

[1] De *foricariis*, vid. Paulum leg. 17, § *Fiscus*; Dig. de Usuris; Cujacii Observationes, XXII, 24, 33, 34; Burmann. de Vectigalibus populi romani,

Not. 40. Fortuna (ut et dii), si indignos *ex humili* loco seu fastigio *extollit*, et dignos deprimit, deinde vero hos extollit, et illos iterum deprimit, unde *improba*, VI, 605, dicitur *ludibrium casus edere* (Liv. XXX, 30), vel *jocari* ac *ludere*, hoc est, pro ludibrio habere homines, eos quasi ludum jocumque facere[1]. Lucianus in Nigrino, cap. 20: Ἔνεστι δὲ καὶ τῶν τῆς τύχης ἀγαθῶν καταφρονεῖν, ὁρῶντα, ὥσπερ ἐν σκηνῇ καὶ πολυπροσώπῳ δράματι, τὸν μὲν ἐξ οἰκέτου δεσπότην προϊόντα, τὸν δ' ἀντὶ πλουσίου πένητα, τὸν δὲ σατράπην ἐκ πένητος ἢ βασιλέα. Τοῦτο γάρ τοι καὶ τὸ δεινότατόν ἐστιν, ὅτι, καίτοι μαρτυρουμένης τῆς τύχης παίζειν τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα καὶ ὁμολογούσης μηδὲν αὐτῶν εἶναι βέβαιον.... ὅμως μεστοὶ περιΐασι πάντες οὐ γιγνομένων ἐλπίδων. Hoc παίγνιον τύχης passim memoratur. Confer VI, 608; VII, 197, 198, et præter eos, quos laudavi, *Boissonade* ad Philostrat. H. pag. 476; ad Eunap. pag. 216, et ad Manassem, pag. 413, 414. Ed.

Not. 41. Hunc locum imitatus quoque est nostras *Boileau*, sat. 1:

« Mais, moi, vivre à Paris! Eh! qu'y voudrais-je faire?
« Je ne sais ni tromper, ni feindre, ni mentir;
« Et, quand je le pourrais, je n'y puis consentir. » Ed.

Not. 42. Nescio ita adulari, ut, qui nunc mos hominum est, malum librum, qui recitatur, *laudem*, et *poscam* regendum aut transcribendum. Hæc enim olim edendorum divulgandorumque librorum ratio erat, ut recitarentur amicis, et ab his describerentur.

Anal. 43, 44. Ignoro astrologiam seu mathesin, quæ ars hodie in tanto pretio est, cuique et viri et mulieres deditæ sunt. Conf. ad VI, 553—571, et XIV, 248 seq. — *Promittere*, voce propria de sortilegis, qui omnia promittunt, nil præstant, ut apud Virgilium, Æneid. IV, 487. Grang. Sic et *spondere*, VI, 548, ubi vid. notam, *promittere funus*, mortem (ut VI, 565, et al.), *patris* vivacis, qui diutius vivit, quam filius perditus ac dissolutus optat. Confer. ad VI, 565 seq. et XIV, 248 seq; Casaubonus ad Persium, II, 10 seq.; *Gierig* ad Ovidii Metamorphos. I, 148, et verba Luciani in Hermotimo, cap. 6: ὑπὲρ τῶν εἴκοσιν ἐτῶν, ὅτι βιώσῃ τοσαῦτα, πότερον ὁ διδάσκαλός σου καθυπέσχετο, οὐ μόνον σοφὸς, ἀλλὰ καὶ μαντικὸς ὢν ἢ χρησμολόγος τις, ἢ ὅσοι τὰς Χαλδαίων μεθόδους ἐπίστανται; φασὶ γοῦν εἰδέναι τὰ τοιαῦτα. — *Ranarum*, rubetarum, *viscera nunquam inspexi*, ut scilicet venenum ex iis pararem; hoc est, veneficas artes non polleo, ut hodie multi. Confer ad I, 70. Verba *viscera inspexi* non ad vaticinationem spectant, sed facete iis usus est poeta; nam loquitur hoc loco Umbricius

cap. 11, p. 199; Casaubon. ad Suetonii Vespasianum, 23; Salmas. de Usuris, cap. 18.

[1] Confer infra VI; 608, VII, 197, 198; Mitscherl. ad Horatii Od. I, 35, 1 seq.; III, 29, 49 seq.; Jacobs ad Anthologiam græcam, vol. II, P. III, p. 47, et 256; interpretes Plinii Epist. IV, 11, Tom. I, pag. 223 nost. Edit.; Barthium ad Statii Thebaid. III, 179, et ad Claudianum in Eutropium, I, 23 seq. Ed.

haruspex, qui proprie *viscera* seu exsta *inspicere* dicitur; de quo vid. Heinsium ad Ovidii Metamorphoseon, XV, 577. — De ranis Plinius: « Ex ranæ rubetæ visceribus, id est, lingua, osciculo, liene, corde mira fieri posse constat; sunt enim plurimis medicaminibus referta. » Ed.

Var. 44. *In viscera*, 24, 45.

Var. 45. *Misit*, 19.

Not. 45. *Quæ mittit*, literas et dona. *Quæ mandat* nuptæ dicenda, occulta consilia, etc.

Var. 46. *Mandant*, 26, 74. — *Norint*, 48, 61—63, 66—69, 71, 72, 73, forte rectius. — *Magistro*, 13.

Var. 47. *Comes hæreo*, 26.

Not. 47. *Fur*, vel proprie hoc loco dicitur, vel in genere pro homine nequam ac scelesto. Adulterum, seu alienæ uxoris corruptorem intelligebant Grangæus et Britannicus, quia *furtum* ac *res furtivæ* eo sensu dicuntur. — *Ideo*, quoniam nefariæ artes, quæ nunc vigent, mihi et ignotæ sunt et displicent, *nulli comes exeo*, nemo me sibi comitem sociumque jungit.

Var. 48. *Exstincta*, 48. *Exstincta corpus non utile dextræ* præstiterit. *Existens corpus* legit Honorius Augustod. Præf. ad lib. IV de Philosophia mundi.

Not. 48. Homines scelesti me repudiant et spernunt, tanquam eum, qui sibi inutilis ad operam præstandam, et nullius vel pretii sit, vel ingenii ad artes, quas tractant. — *Corpus*, truncus. — *Exstinctæ*, emortuæ.

Var. 49. *Semper* pro *fervens*, 26.

Not. 49. *Conscius*, scelerum occultorum. *Consciius* etiam absolute dicitur socius alicujus et adjutor in rebus gerendis.

Vis fieri dives, Bithynice, conscius esto,

Martial VI, 50. — *Cui æstuat animus*, agitatur, torquetur *occulto* metu et anxia hæsitatione, quia dubius est, taceatne secreta consilia, an proferat. Præclare de curis ac sollicitudine hominis scelerum sibi alienorum conscii. — *Semper tacendis*, flagitiis, quæ numquam divulganda, quæque omni tempore probro sunt ac dedecori. Nam honesta etiam possunt esse arcana, quæ aliquamdiu tacenda sunt.

Var. 50. *Vitiis* pro *animus*, 22, ex glossa.

Var. 51. *Conferat*, 12.

Var. 52. *Qui te participem*, 22.

Not. 51, 52. Comparant Martialem, VI, 50. — *Nil conferet*, scilicet præmii tibi, ut contra ii, quorum scelera tibi nota sunt, ne commissa enuncies.

Var. 53. *In tempore*, 45.

Not. 53. Carus et acceptus erit scelerato viro, qualis *Verres* fuit, qui nefaria ejus consilia ac facinora noverit, quique adeo quovis tempore, quo vult, eum accusare potest: quin munera ab eo accipiet, ut taceat. Confer Taciti Annales, VI, 4, et interpretes Ammiani Marcell. XXVIII, 6, 20.

Anal. 54—57. Sapiens ne amplissimorum quidem *præmiorum* summique lucri spem sibi oblatam *tanti* faciet, ut scelestorum alicujus consiliorum secretorumque particeps fiat, et idcirco semper *tristis* sit, hoc est, sollicitudine et curis angatur, quibus ne per *somnum* quidem vacuus sit animus, quoniam perpetuo verendum est, ne arcana divulgentur, et ipse quoque supplicium solvat, vel adeo *ab amico magno*, potente vel divite (vid. ad I, 33; et VI, 313), qui conscios *timet*, occidatur.

Not. 55. *Tagus* (hodie *Tajo* seu *Tejo*), fluvius Hispaniæ, χρυσορρόας, qui *in mare* Atlanticum influit, adeoque *aurum volvit*, et in quo etiam nunc non *arenæ* quidem, sed nummi tamen et globuli *aurei*, aliorumque metallorum partes reperiuntur. — *Opaci*, umbrosi, umbris arborum obscuri. Confer Martialem, I, 50, 16, qui ipse Hispanus fuit.

Var. 56. *Ut careas somno*, 22. — *Horrendaque præmia* conj. Schrader.

Not. 56. *Præmia* ponenda, quæ ab amico proponenda, constituenda (ut Gr. τιθέναι ἄεθλα), promittenda sunt, ut ad societatem sceleris cum eo coeundam te pelliciat, ut apud Virgilium, Æneid. V, 292,

Invitat pretiis animos, et præmia ponit;

et 486; nisi malis exponere cum aliis: deponenda, hoc est, abjicienda, spernenda, recusanda, non sumenda; nam cum *sumere* jungitur, eique opponitur. Quæ postea cogaris ei reddere; Britann. Quæ serius ociusve, certe cum vita, relinquere cogaris; *Achaintre. Heinecke* hæc adnotavit: « Quocumque modo verba accipias, ridicula hercle sententia prodit: maxima præmia ne te commoveant, ut præmia accipias. Hæc tam absurda evitabis, si *præmia ponenda* mecum explices: præmia, quæ magnus amicus conscio dat, ut aliis proponat ad scelus aliquod perficiendum. » Quæ si excidissent mihi, iterum dixisset: cave tibi ab hac interpretatione contorta. Neque absurda sunt, quæ alii his verbis exprimi putant.

Var. 57. *Tenearis*, 24. *Metuaris*, 11. *Verearis*, 21.

Var. 58. *Quæ non — nostris?* 27, 46, 47, 48, 54, 58.

Not. 58. *Acceptissima*, gratissima. — *Gens*, scilicet Græca.

Not. 60. *Nec pudor obstabit*, etsi ne sine pudore quidem de hoc hominum genere loqui, et quale sit dicere possim. — *Quirites*, cives Romani, quo nomine poeta non tam usus est more eorum, qui in orationibus ad populum habendis eum ita alloquuntur, quam quia *Græcis*, hoc loco, vel potius Romanis, Græcorum ritu viventibus, opponuntur. — *Græcam urbem*, Romam, quæ Græcorum nunc lingua, moribus, gustu, luxuria, cultu, deliciis, ludis vitiisque corrupta est, et a prisca virtute degeneravit, cujus cives

sunt molles et effeminati. Sic *Græca* et *Græcula* passim per contemptum dici, et *Romanis* opponi solent, ut forte *Graia Saguntos*, Silius, l. III, 178 (ubi vid. Drakenburgium), certe *Graia munimina*, vel *tecta*, *quæ Graia manus defendit*, et *Graiæ urbes*, Silius, XII, 41, 49, 69. Confer Meursii Auctarium Philologicum, c. 7; Burmannum ad Petronii Satyricon, 46, p. 229 seq.; Bottigeri Sabinam, p. 286, 311 seq. edit. primæ; Lucianum, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, § 17, et Kœnig. ad Persium, VI, 38, ubi hæc ejus nota est: «Communis querela erat omnium Romanorum, apud quos antiqua simplicitas adhuc in pretio erat, jam ab iis temporibus, quæ Ciceronis ætatem præcesserant, disciplinam Romanam Græcarum doctrinarum subtilitate, morumque pravitate et mollitia fuisse corruptam. Ex hoc quasi fonte manavit etiam odium in istam gentem, quæ devicta jam victoris superbiæ despectui erat. Quo odio nonnulli ita inflammati erant, ut literas quoque et sapientiæ studium, quippe a Græcis ortum, respuerent et contemnerent. Vid. Juvenalem, III, 60 seq.; VI, 16, 185 seq. 291 seq.; XV, 110 seq. ex quibus locis apparebit etiam, quantopere omnia Romæ composita fuerint ad Græcorum instituta.» Cum descriptione vero morum ingeniique Græcorum, v. 58—125, confer Ciceronis orationem pro Flacco, cujus major fere pars ad perfidiam eorum levitatemque probandam spectat.

Var. 61. *Achææ*, 23, 24, 25, 45—50, 54, 57—69, 71—73, 77. *Achivæ*, 10, 11, 15, 16, 19, 20, 21, 26. *Achæi*, 14, 17, 22, 55, 56, 70, 74—76, 82—84, et duo Codd. Paris. quod recte probarunt Schrader et alii. Confer Comment. *Quamvis quota portio fæcis Achææ Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes* interpungebat H. Vales. hoc sensu: quamvis Syri Antiochenses, qui parva Græcorum sunt portio, jam pridem Romam civibus et vitiis suis impleverint.

Anal. 61—85. Neque tamen id satis est, vel maxime dolendum, quod *Achæi*, Græci, Romam migraverint; hæc enim est minima *portio*, pars, *fæcis*, vilissimorum turpissimorumque hominum: *jam pridem* huc ex Asia *confluxere* etiam Syri, aliique exteri et nullius frugis homines, qui novis artibus deliciisque opes nanciscuntur. Confer VI, 295; VII, 14 seq.; VIII, 198 seq.; Martial., III, 4; V, 57; Suetonium, Vespas. cap. 19. — *Syrus in Tiberim defluxit Orontes*, præclare pro, Syri, Orontem fluvium Syriæ accolentes, cum vitiis suis Romam, ad Tiberim sitam, confluxerunt. Conf. Bottigeri Sabina, pag. 446, qui huc refert verba Athenæi, I, 17 (I, 36, tom. I, pag. 75, editionis Schweigh.): ὅλα τὰ ἔθνη ἀθρόως αὐτόθι (Romæ) συνῴκισται, ὡς τὸ Καππαδοκῶν, καὶ Σύρων (ita legit pro, Σκυθῶν), καὶ Ποντικῶν, καὶ ἄλλων πλείονων. Similis imago in sacris literis reperitur, Esai. VIII, 6, 7 (ubi vid. Lowth.), et apud Claudianum in Eutropio, I, 434 (*Scribat*, scilicet nomen Eutropii consulis in fastis, *Halys*, *famæ scribat contemptor Orontes*, etc.): ubi fluvii etiam, ut hoc loco, memorati pro regionibus suis, Phrygia et Syria, earumque incolis.

Conf. ad XV, 110. Ad delicias potissimum Antiochenas hoc loco respici, quam urbem *Orontes* alluat, cujusque luxum incredibilem eleganter perstringat Julianus Imperator in Misopog. ut et Herodian. II, 7, 15, non male suspicabatur Henninius. Potest tamen et universe ad luxuriam peregrinam, ex Asia primum in Urbem a Cn. Manlio invectam, referri, de quo vid. locum classicum Livii XXXIX, 6, quem Juvenalis etiam in seq. versibus expressit. Syri aliique orientis populi luxu et lascivia infames erant. Conf. VIII, 158, 159.

Var. 62. *Nam*, 16. — *In Tiberim Syrus*, 11, 20, 21, 26, 27, 45—58, 50, 54—60, 64, 65, et IX, MSS. Paris. sed *Syrius* emend. Britan. ut metro consuleret. *Tyberim* multi, et *Tibrim*, 21. *Thybrim* suspicarer, quæ doctior vocis forma est, ex Græc. Θύμβρις et Θύβρις, si in epico poeta versarer aut lyrico.

Var. 63. *Tubicine*, 23.

Not. 63. *Cum tibicine*, cum tibiis, tam obliquis, πλαγιαύλοις, quam rectis, *chordas obliquas*, sambuca, lyras, citharas, etc. Verbis *cum tibicine chordas obliquas* πλαγίαυλον, seu obliquam tibiam, quæ, si eam inflent tibicines, efficiat, ut ipsis quoque *obliquum* sit caput, manifeste designari, et *chordas*, seu *fides* non de cithara semper, aut lyra, aliisque id genus ἐγχόρδοις, vel ἔμπνοις instrumentis, sed de *tibiis* etiam dici, viceque versa *citharas* accipi pro *tibiis*, et αὐλισμὸν pro κιθαρῳδίᾳ apud Lucret. IV, 587, 588. Platonem et alios, contendebat Vossius in Observationibus ad Catullum, p. m. 166 et 167. Copiose atque erudite contra eum disputavit Spanhemius ad Callimachum, Hymn. in Del. versu 253, ubi præter alia hæc reperies verba: « Notæ abunde *obliquæ* veterum *tibiæ*, seu plagiauli, ac præterea Phœnicum, seu Syrorum, qui confundi a Romanis et Græcis etiam scriptoribus solent, tibiæ, γίγγροι, aut γίγγραι. ac *Sarranæ*, vel *Serranæ*, hoc est, Tyriæ, dictæ. Sed utrumque musici instrumenti genus tam ἔγχορδον, quam ἐμπνευστὸν, tanquam a voluptariis Syris in Urbem illatum, hoc loco tangi, ut ab Horatio Epodon, IX, 5, ubi de utriusque concentu agitur, probabile fit ex eo, quod *obliqua tibia*, seu *plagiaulus*, haud aliter ac recta etiam tibia, Phrygum inventum olim habitum, ac inde tibicinæ vulgo *Phrygiæ* et *Berecyntiæ* appellatæ; quodque pleraque illa ἔγχορδα, vel ἔμπνοα, veterum organa peregrina fuere, ex illo tractu, Syriæ nempe ac Phœniciæ, unde et barbara iis indita nomina, verb. caussa, *nabla, barbitos, magadis, psalterium, sambuca, cithara* (כנור). Insigniter huc facit Livii locus XXXIX, 6, ubi, *luxuriæ*, ait *peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est;* omissaque ibi omni tibiarum aut tibicinum mentione, *tum psaltriæ sambucistriæque et convivialia ludionum oblectamenta addita epulis.* Sambucum vero trigonale fuit, et cum inæqualibus nervis, seu chordis; obliqua etiam ipsa lyræ, seu citharæ, aliorumque id genus ἐγχόρδων intrumentorum latera et cornua, πήχεις, κέρατα, Polluc. pag. 187. » Conf. Spanhemius ad Callimachum, Hymn. in Dianam, vers. 243—246, et Bottiger. in Wielandi Attico Museo, t. I, Fasc. 2, p. 345 seq.

Nor. 64. *Tympanum*, τύμπανον, seu τύμπανος, Hebræis תֹּף, Arabibus طبل, Turcis *Diff*, Barbaris *Tarr*, Hispanis *Aduſe*, lignum excavatum, corioque obductum, quod manibus, a virginibus plerumque, pulsabatur, et nonnunquam in laterum incisuris hinc illinc crepitacula ænea habebat, quæ in axiculo inter se collisa tinnitu suo suaviter temperabant complosæ membranæ boatum; instrumentum musicum, in Oriente frequentissimum (unde hoc loco *gentilia*), et inde in Hispaniam translatum, quod in festis potissimum, vel lætis diebus ac tripudiis, non vero in bellis, adhibebatur, variique generis ac formæ erat: verbi caussa, illud, quo in sacris Cybeles et Bacchi utebantur, ad cribri similitudinem effictum, de quo vid. Isidor. Orig. III, 21, et Monumenta antiqua. Inde intelligitur, hæc tympana non plane respondisse iis instrumentis, quæ Germanis hodie *Pauken* et *Trommeln*, Gallis *tambourins* et *tambours* dicuntur. [1]

Nor. 65. Quidam hoc loco interpretantur de prostibulis scenicis, quæ theatrum, immo scenam et proscenium obsidebant; vid. Lipsius, Elect. I, 1. Plathnerus vero non male de ambubaiis Syriis, peregrinis scortis; vid. Sueton. in Nerone, 27, et Horatium, Sat. I, 2, 1: sed rectius alii de meretricibus Submœnianis, ad Mœnianum (alii Mænianum) ædificium in *Circo prostantibus* [2]. — *Prostare*, vid. ad VI, 123.

Nor. 66. *Ite*, in malam rem! Conf. ad VI, 306. — *Barbara lupa*, Syra meretrix, cum *mitra* Phrygia, fascia capitis et redimiculis, *picta* acu. [3]

Var. 67. *Trechedipna*, 1, 28, 69, 70, 74—77, 81, 82. *Rechedipna*, 14—17, 20, 49, 61—63, 66, 67, 71—73, et XXXIV Codd. Paris. (quod mihi pæne videtur incredibile) unde recepit Ach. cujus nota est: « Quid sibi velit illa vox *rechedipna*, et unde veniat, me nescire ingenue fateor; sed ex vett. glossis colligere licet, eam significare vestimentum in gymnasiis usitatum et peregrinum.

[1] Conf. Lucret. II, 618; Joseph. Antiq. Jud. VII, 12, § 3; Suid. voc. τύμπανον; *Montfaucon*, *Antiq. expl.* tom. III, p. 346, ac *Suppl.* tom. III, p. 197; et qui tam descriptiones tympanorum, quam figuras æri incisas exhibent, *Shaw's Travels*, pag. 269; *Russel's Natural History of Aleppo*, pag. 94, 95, tab. 14; *Niebuhrs Reisebeschreib.* t. I, pag. 180, 181, tab. 26, 27; tom. II, pag. 84, 173; Antiquit. Herculan. tom. II, tab. 20.

[2] Conf. Isidor. XVIII, 42; Martial. I, 35, 6; III, 82, 2; XI, 62, 2; XII, 32, 22; interpretes Suetonii in Calig. 18; Ascon. ad Cic. in Cæcil. 16; et de his scortis ex Syria advectis Propert. II, 23, 21, qui dicit: *quas Euphrates, et quas misit Orontes.*

[3] Vid. ad II, 84; Heyn. ad Virgil. Æneid. IV, 216; IX, 616; idem et Scalig. ad Virgil. Cop. vs. 1; Gierig. ad Ovidii Metamorphos. XIV, 654; Wernsdorf. Poet. min. t. II, p. 292; Μήτρᾳ μὲν ἀναδεδεμένος τὴν κόμην, et τῇ μήτρᾳ τοὺς βοστρύχους ἀναλελημμένος, apud Lucianum, Dialog. Deor. XVIII, tom. I, p. 247, et t. II, pag. 206, editionis Reitz. — *Inque orbem teretis mitra redeunte capillum Strinxerat, et viridas*, etc. apud Claudianum, XX, 185.

Ita ordo et sensus : sumit *rechedipna*, vestimenta palæstrica, et fert collo *niceteria*, signa infamis suæ victoriæ. » *Recedimna*, 46, 48. *Recidimna*, 27, 47, 54, 55, 57, 58, prob. Calder. Alii alia, minus probabilia. *Chirodita* male conj. Sabin. ex Gellio.

Not. 67. Magna vis in apostrophe ad *Quirinum*, Romulum, ut supra, II, 128, ad Martem. — *Rusticus ille tuus*, populus, civis, rustico antea operi intentus. Conf. ad II, 127, et VIII, 275. — *Trechedipna* vulgo exponunt vestimenta parasitica, quibus indutus ad salutandum aliquis, cœnam, vel sportulam promeriturus, vel ad ipsam *cœnam cucurrerit*, a τρέχω et δίπνον : nam poeta, de Græcis loquutus, Græca affectat verba, ut mox plura. Vetus scholiast. est : « *Trechedipna*, vestimenta parasitica, ut caligulas Graias currentium ad cœnam ; vel *Rechedipna* est ipse, qui cœnam facit. » Parasitus quidem τριχίδιπνος dicitur (quam vocem haud incommode *cœnipetam* reddi posse monet Reines. Var. Lection. lib. III, p. 366), verbi caussa, apud Athenæum, I, 4 ; VI, 9 (editionis Schweigh. I, 6, et VI, 41) ; Plutarchum in Sympos. VIII, 6, et Alciphr. Epist. III, 4, ubi inde factum nomen proprie parasiti famelici, quoniam festinanter ad cœnam accurrere solet : neque obstat, quod vs. seq. palæstræ mentio fit, aliudque mollitiei genus notatur. Vestes tamen vel calceos parasiticos τριχίδιπνα usquam appellari haud memini, et de cultu peregrino hoc loco agitur. Vestes innui peculiaribus familiarum coloribus distinctas, Gallice *livrées* (*thoraca viridem*, infra V, 153), quo signo cogniti convivæ ad cœnas cucurrerent, suspicabatur Rutgers. Var. Lect. VI, 13. Vossius autem in Lex. et de Vit. serm. I, 33 ; Scalig. de Emendat. Temp. lib. V, et Rigalt. ad hunc locum, hieronicas, de publico cœnantes ἐν τῷ παραστάδι, et ad eas epulas currentes, ut hora cœnæ alias alium præterverteret in occupando loco καταλύσεως, proprie τριχιδίπνους vocatos esse ; τριχίδιπνα vero vel τροχάδας, *niceteria* eorum, id est, victoriæ præmia, quæ *collo* gestaverint, ut hoc symbolo agniti admitterentur ad σήμειον δημοτικὴν ἐν τῷ πρυτανείῳ, quæ hieronicis in omni agone sacro communis fuerit. Non minius argutæ sunt explicationes Ferrarii de Re Vest. III, 12 ; et Turnebi Adv. III, 17. Henninius existimabat, *trechedipna* in scholiis veteribus ad *galliculas* (ita enim legendum pro *caligulas*) *Graias*, hoc est, calceamenta pastorum (nam ita in Gloss. MS. apud Carolum *du Fresne*, teste Scriverio, exponuntur, ut τροχάδες in gloss. vulg.), et quidem rectissime trahi, ut adeo indignetur satiricus, etiam rusticos Graio more jam calceari, fastidito patrio.

Not. 68. Poeta perstringit insanum artium gymnasticarum studium, ex Græcia Romam translatum, ut Horatius, Epist. II, 1, 32, 33, et Plinius, XXXV, 12. Vile autem et infame apud Romanos veteres et adhuc rusticos certamen agonicum et gladiatorium exercitium ; Ach. vid. ad II, 143. — *Niceteria*, victoriæ signum, quod pro magnæ laudis insigni parasito gestabatur, alios edacitate superanti ; Omnibonus ab Ach. laudatus, qui etiam pro *trechedipna* legendum putabat *richidimna*, sudarium,

quo parasiti sudantes in cœnaculo, quum vino ciboque replentur, abstergantur, sic dictum a Græco *rictis*, sudarium. *Niceteria*, νικητήρια, præmia victoriæ, et insignia pugilum. *Collum ceromaticum*, ceromate unctum. *Ceroma*, κήρωμα, unguentum athletarum, ex oleo, cera certisque terræ partibus confectum. Vid. Plinium, XXVIII, 4, sive 13; XXXV, 12, 13; Spanhemium ad Callimachum, Hymn. in Pall. vs. 25, et 29.

Var. 69, 70. In 22, ita coaluere: *Hic alta Sitione, ast hic trallibus aut alabandis.* Confer ad II, 24.

Not. 69. Græci (nam ad hos oratio redit) ex omnibus Græciæ partibus ac locis Romam confluunt, et alienis pecuniis locupletantur. Conf. ad VII, 14 seq. — *Sicyon*, urbs Achaiæ antiquissima in Peloponneso, ἐπὶ λόφου ἱδρυμένη, teste Strabone, VIII, pag. 587, unde hoc loco *alta*[1]. — *Amydon*, oppidum Pæoniæ, partis Macedoniæ, notum etiam ex Homer. Iliad. β, 849. — *Andros*, insula in mari Ægæo e Cycladibus. — *Samos*, insula in mari Icario. — *Tralles*, oppidum Ioniæ, secundum Strabonem, pag. 648, vel Cariæ, secundum Plinium, V, 29, et Ptolem. vel Lydiæ, de quo vid. Wesseling. ad Hierocl. pag. 659. — *Alabanda*, urbs Cariæ ditissima, cujus cives luxuria diffluebant.[2]

Var. 70. De hiatu hoc loco vid. ad I, 151, et cf. loc. sim. Virg. Æn. I, 16.

Var. 71. *Esquilias* optimi libri, ut et meliores Livii, Plinii, Ovidii, Cicer. et al. *Exquilias*, 23—25, 45, 56, 57, 59; 60, 65, 72: rectius, si mons ita dictus est ab *excubiis*, quas Romulus, Tatio, Sabinorum regi, diffisus, ibi habuit. Vid. Ovid. Fast. III, 245, ibique interp. *Æsquiliis*, 27, 46—50, 58, 61—64, 66—68, 71, 73. Sic et variant Græci. Ἠσκυλίνος λόφος et Ἠσκυλίνη πύλη apud Strab. V, p. 234. Ἔσκυλ. et Ἰσκυλ. apud Dionys. Halic. Αἰσκυλ. Plut. in Sulla, p. 457; D. Hinc *Esquyliæ* saltem dicendæ.

Not. 71. *Esquiliæ* mons et *Viminalis collis* pro tota Urbe ponuntur, et quintam ejus regionem complectebantur, quæ omnium erat amplissima, et latissime patebat. — *Collem a vimine dictum*, a sylva viminum, vel viminetis, ubi et ara Jovi Viminio consecrata; Fest et Varr. L. L. IV, 8.

Not. 72. *Viscera magnarum domuum*, Græci *ingenio* et artibus suis in secreta intimamque familiarum ditissimarum familiaritatem se insinuantes, et ita *domini futuri* in ædibus alienis, dum omnia vivis dominis legitimis arbitrio eorum permittuntur, vel adeo, his mortuis, jure hereditario iis obveniunt. *Viscera*, ut *venæ* ac *medullæ*, interior alicujus rei pars. *Viscera*

---

[1] Id nemo interpretum notavit, et plerique Sicyonem hoc loco dicunt esse insulam in mari Ægæo contra Epidaurum, quam *altam* esse et eminentem doceat Plinius, nescio quo loco. Equidem de tali insula nusquam apud auctores legere aliquid memini.

[2] Vid. Strabo, pag. 658, 660; Plinius, V, 29 et 30; Cicero, de Natura Deorum, III, 15, 19; *Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, L. T. IX, pag. 114 seq.

etiam sensu bono de amicissimo apud Marium Victorem in Wernsdorf. Poet. Lat. Min. tom. III, pag. 104, adhiberi dicit Hein.

Not. 73. *Ingenium* eorum est *velox*, acutum, solers et promptum ad omnia, quæ opus sunt, celeriter invenienda; ut contra *ingenium tardum* dicitur. Conf. Ovidii Metamorph. VIII, 255. — *Audacia perdita*, ἀπόνοια in Theoph. Char. VI, ubi vid. Casaubonem ad principium capitis.

Not. 74. Duo exstiterunt *Isæi*, præstantissimi rhetores, unus Demosthenis præceptor, qui Chalcide Athenas migraverat; vid. Quintilianus, XII, 10, et Philostr.; alter Assyrius, quem Suidas Romæ sub Hadriano viguisse, et plurima scripsisse tradit, cujusque facultatem, copiam atque ubertatem pleniore ore laudat Plinius, Epist. II, 3. Vox *Isæo* hoc loco adjectiv. ponitur. — *Torrentior*, concitatior, uberior, *sermo*, ut X, 9, 128; Quintiliano, III, 8, § 60; Plinio, XXVI, 3, et alibi *flumen* ac *torrens dicendi copia* dicitur ubertas, ac vis ingenii, vel orationis, quæ torrenti, vel rapido amni comparatur:

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή,

Homerus in Iliad. α, 249: *Largus et exudans ingenii fons*, X, 119. Conf. Horatius, Od. IV, 2, 5—8, ubi vid. interpretes.

Not. 74, 75. *Ede*, dic (ut infra vs. 296, et passim), *quid illum*, Græculum, Græcos Romæ nunc viventes, *esse putes?* quales censeas eos esse homines? Conf. Var. Lect. ad I, 74, et XI, 33; Heins. ad Ovidii Epist. Her. XII, 31. — *Hominem, quem vis, secum attulit ad nos*, Græci, qui huc confluxere, tam astuti sunt atque versuti ad omnia, ut nulla sit ars, quam non profiteantur: sunt enim grammatici, rhetores, etc., et erunt, quidquid velis. — Simile quiddam invenies apud nostratem *J.-B. Rousseau*, lib. III, epigrammat. 29. Ed.

Var. 75. *Quemvis* vulgo una voce scribitur. — *Tulit*, 19.

Var. 76. *Geometra*, 24, 26, et quidam MSS. Paris. *Geometer*, 11, 13, 15, 16, 19, 20, 27, 31 b., 32, 45, 47, 54, 58, et XVI Codd. Paris. Duæ syll. priores voc. *geometres* (γεωμέτρης) per synæresin seu συνίζησιν in unam contrahendæ. Confer ad Sil. II, 553; III, 16, 495, al.

Not. 76. *Aliptes*, ἀλείπτης, seu *unctor*, vel servus dicitur, qui dominum, et minister balnearius, qui lavantes, postquam sudarunt, in balneo, et quidem in elæothesio, seu ἀλειπτηρίῳ (ut VI, 422), vel, ut hoc loco, is, qui athletas in gymnasiis ungebat, quique præterea eos in arte gymnastica instituere (ut Melesias apud Pindar. Olympic. VIII), diætæ, vel victus eorum curam agere, unguentisque et perfrictionibus corporis morbos sanare solebat, unde et ἰατραλείπτης vocabatur[1]. Possis etiam intelli-

[1] Vid. Faber Agonist. II, 5; Potteri Archæol. Gr. tom. II, pag. 655; tom. III. pag. 577, 581 seq., vers. germ.; Senec. Epist. 56.

gere medicum ocularium, qui lippos ungebat, et oculis illinebat collyria, quos Galli vocant *charlatans*.

Not. 77. *Schœnobates*, σχοινοβάτης, funambulus.

Var. 78. *Esuriens cœlum si jusseris*, 47, 55. *Esuriens in cœlum si jusseris*, 45, 54.

Not. 78. Præclare de hominibus, qui omnia se posse profitentur, inprimis si *esuriunt*, si fame premuntur, quæ ingenia studiaque excitat, et omnes reddit dociles ad omnia; unde Persius, Prolog. vs. 8 seq. dixit:

> Quis expedivit psittaco suum χαῖρε,
> Picasque docuit verba nostra conari?
> Magister artis ingenique largitor
> Venter, negatas artifex sequi voces;

et Chrysost. in orat. IV, ad Antiochum: Ἡ πενία εἰς σπουδὴν ἀναγει καὶ πεπλανημένην ἔξω καὶ περὶ πολλὰ τὴν διάνοιαν κεχυνῖαν πρὸς ἑαυτὴν ἐπιστρέφει. Conf. infra ad VII, 53 seq. — *Græculus* (per contemptum, vid. supra ad vs. 61) *esuriens*, ut apud Gall. Epigr. II, 9, in Wernsdorf. Poet. Min. tom. III, pag. 197; ibid. pag. 257, in carmine Sulpic. Luperci, vs. 22:

> Hoc cælo jubeas ut petat, inde petet.

— *In cœlum*, si *jusseris*, *ibit*, volabit (conf. Horatius, Od. I, 3, 38, ibique Mitscherl.), hoc est, se iterum profitebitur (actus pro conatu, ut passim; vid. ad Silium, I, 14; XI, 551), Dædali exemplo, qui Græcus fuit, *mediis*, ipsis, *Athenis natus*, filius vel nepos Metionis, qui Erechthei, regis Atheniensium, filius fuit: vid. Apollodorum, III, 14, 8; Diodor. IV, 76 et 78, al. Sed viderunt jam alii, poetam hoc loco ludere in ambiguo, nec tam Dædalum volatumque ejus fabulosum (de quo vid. supra ad I, 54) tangere, quam Græculum, modo constaret, hunc Græcum et Atheniensem fuisse, qui Dædalum, imitaturus Neronis tempore *pennas sumpsit*, sed, ut Icarus, primo statim conatu decidit. Vid. Suetonius, in Nerone, 12; et Martialis de Spectaculis, VIII.[1]

Var. 79. *Nec Sarmata*, 27, 46, 48, 49, 61—63, 68, 71—74, 77.

Not. 79. *Ad summam*, ut *in summa* et *in universum*, breviter, ut paucis multa dicam, artifices, qualis Dædalus fuit, non nisi Athenis, in Græcia, nascuntur.

Var. 80. *Pennas sumpsit*, 21. *Pinnas*, 8 a m. pr. — *Achivis*, 8 a m. sec.

Var. 81. *Concilia* conj. non nemo teste Plathnero. *Convivia* malebat Schra-

---

[1] Hunc Sinonem magum fuisse, vereor ut multis persuaserint Grang. et Claver. — Si plura de hac re disputata desideres, vide Ittigium in dissertatione *sur les hérésiarques des temps apostoliques*. Ed.

der, et mox *Cœnabit* pro *Signabit*. Sed quis sibi persuadeat, hæc ita a librariis corrupta esse?

Not. 81. Nonne ego Roma profugiam, ubi non sine indignatione videre possum Græculos illos tam divites factos ac superbos, vel nobiles, ut *conchyliatis*, hoc est, purpureis vestibus, conchyliorum liquore infectis, utantur? Conf. infra ad VIII, 101, et Plinium, VIII, 1.

Var. 82. *Signavit*, 14, 22, a m. pr. *Signa dabit* (hoc est, imperabit modum bibendi, rex seu magister bibendi erit) conj. Plathner, quoniam hoc loco de convivio agatur. Sed sermo quoque est de aliis rebus. — *Recumbit*, 14, 16, 26.

Not. 82. Hæc summa cum indignatione dicta. Huic Græculo principatum concedam? Ille primarium obtinebit locum, et *me prior*, prius, *signabit* tabulas nuptiales, testamenti, etc. — *Fultus* capite (ut apud Propert. III, 6, al. 7, 50), vel potius cubito, ut ἐρεί δειν ἀγκῶνι. — *Recumbet toro*, in lecto tricliniari. — *Meliore*, aulæis ditioribus strato, aut pluma delicatiore farto, aut potius digniore, scilicet in medio lecto, qui locus honestior erat; Grang.

Var. 83. *Cottana*, 3, 23, a m. pr. 24, et quinque Codd. Paris. iique optimi, ut et legitur apud Plin. XIII, 5, seu 10; Athen. III, 88; IX, 34, et Hesych. quos sequutus sum. Confer Comm. *Cottana*, 26, 70, et quidam Codd. Paris. *Cotana*, 11. *Coctana*, 2, 5, 10, 19—22, 23, a m. sec. 25, 27, 46—48, 50, 54, 56—59, 64, 65, 81, et plerique Codd. Paris. *Coctona*, 14, 15, 17, a m. sec. 49, 55, 61—63, 65—74, 77, 82.

Not. 83. Græculus ille, vel Syrus, qui Romam venit e Syria eo *vento*, eaque navi, qua *pruna* et *cottana* sunt advecta, ut rerum vilium mercator, vel potius ipse venalis, ut

.... Mistus Phariis venalis mercibus infans,

apud Statium, Silvarum lib. II, 1, 73. — *Pruna* Damascena, quæ cum *cottanis* etiam junxere Plinius, XIII, 5, seu 10; XV, 13, seu 12; et Martialis, VII, 52, 7. — *Cottana*, parvarum ficuum genus e Syria[1]. Bochartus, Geograph. Sacr. II, 6, p. m. 805, *cottana* dicta putabat ab hebr. קטון, *parvus*. Hesych. Κόττανα, εἶδος σύκων μικρῶν. Cf. Var. Lect.

Not. 84, 85. Loquitur Romanus et generosæ indignationis plenus. Tam parum itaque nobis prodest, neque ullum dignitatis principatum nobis dat, quod *cœlum Aventinum*, aerem Romanum, *hausimus*, hoc est, Romæ et nati sumus et nutriti? *hausit cœlum*, ut apud Virgil. Æneid. X, 899. — *Bacca Sabina*, fructibus patriis Italicisque, ut contra *pruna* et *cottana* Syra. *Bacca*, hoc loco, pro olivis, quibus abundabat ager Sabinus.

[1] Vid. Plin. XIII, 5, seu 10; Casaub. et Schweigh. ad Athen. III, 32, pag. 119, B; et IX, 8, pag. 385, A; Barth. ad Stat. Silv. IV, 9, 28. *Cottana parva*, dixit Martial. IV, 89, 6; VII, 52, 7; XIII, 28.

Conf. Virgil. Æneid. VII, 711; Silius, III, 596; Martial. IV, 4, 10.

Var. 85. *Aventinum* pro vulg. *Aventini* recepi ex 10, 21, 22, 23, a m. pr. e MS. Cantabr. quem laudavit Wakef. ad Lucret. II, 1038, et ex quibusdam Codd. Paris. — *Baca* pro *bacca* recepi ex 17, 21, 22, 63, 68, prob. N. Heins. ad Sil. III, 596; VIII, 134; XV, 535, quibus locis Drakenb. monet, utroque modo scribi posse, non deesse tamen, qui ita distinguant, ut *bacca* sit fructus arboris, *baca* vero gemma seu unio. Utrumque in antiquiss. Codd. MSS. plerumque *baca* dicitur, ut *belua*, *anulus*, et al. nam literæ non geminari solebant a vett. Romanis. Confer ad IV, 121. Origo tamen vocis ignota est.

Anal. 86 seq. Juvenes comparent de adulatoribus Horat. Art. Poet. 428 seq.; Terentium Eunuch. II, 2; III, 1; Ammiani Epigr. XXV, in Brunck. Anal. tom. II, pag. 389 (cui conf. infra vs. 100 seq. Ovid. Art. Am. II, 200 seq., et Plaut. Amphitr. III, 3, 4 seq.; Theophrast. Charact. V: περὶ κολακείας; Athen. VI, 5—18 (26—80); Plut. de Discrimine amici et adulatoris, et Lucian. passim.

Not. 87. *Collum longum*, infirmitatis et *invaliditatis* signum, ut *breve* roboris. In palæstrita procerius collum (*pectorosa cervicis repandæ ostentatio*, Plin. XIV, 22) desiderabatur maximè; Grang. Athletis mos erat in gymnasiis cervicem dilatare; Brit. Conf. Martial. XIV, 48; Hercules μορφὰν βραχὺς, ψυχὰν δ' ἄκαμπτος, etc. Pind. Isthm. IV, 83.

Not. 88. *Herculis*, *Antæum procul a tellure*, matre sua, cujus tactu novas vires colligebat, *tenentis* et elidentis brachiorum lacertorumque vi; de qua lucta vid. Lucan. IV, 590—655; Apollod. II, 5, ibique Heyn.

Var. 90, 91. Vid. infra ad h. loc.

Anal. 90, 91.

> Miratur vocem angustam, qua deterius nec
> Ille sonat, (a) quo mordetur gallina marito.

Sententia horum verborum non obscura quidem, sed parum commode expressa videtur; etsi interpretes tantum non omnes difficultatem eorum vel non senserunt, vel callide dissimularunt. Libri tamen non variant, nisi quod *deterior* legitur in 15, et 24; *maritus* in 16. *Illa* et *quemordetur* in vet. Cod. Claverii; unde hic legendum putabat: *qua deterius nec Illa sonat*, *quæ*, vel *quum mordetur gallina* a *marito*. Quæ lectio rationi et veritati convenire videtur et Ill. Jacobosio, et novissimo Juvenalis editori *Achaintre*. Enimvero sonum exsilem, stridulum raucumque non gallina edit, quum mordetur, sed gallus gallinaceus, postquam iniit eam et momordit. Bredenkamp. in Syntagmate Opusc. scholast. (*Magazin für öffentliche Schulen und Schullehrer*, vol. I, P. II, pag. 439, 440) corrigit: *Illa*, scilicet vox, *qua mordetur gallina* a *marito*, vel *qua deterior nec Ille sonus*, *quo*, etc. Idem *mordetur* dictum accipit pro *objurgatur*, quia sonus galli, si gallinas increpare videatur, ingratissimus sit et singularis. Sed verbum *mordere*, si de gallis adhibetur, proprio videtur sensu capiendum. Equidem suspicor, vel *quo* positum esse pro *a quo*, ut XII, 44: *lances* a *Par-*

thenio factas, vel pro eo substituendum *cui*, et *quo*, vel *cui marito* doctius dictum pro *ille marius*, *a quo mordetur gallina*; quemadmodum apud Horatium, Sat. I, 10, 16 :

Illi, scripta quibus comœdia prisca viris est,

et apud Sil. I, 280 :

Haud alium vidit tellus, cui ponere finem
Non posset mors una viro....

Hanc conjecturam interpretationemque ceteris præferendam, sed sanum esse locum censet Hein., quum plura inveniantur exempla ablativi omissa præpositione, verbi caussa apud Horatium, Od. I, 6, 1 : « Scriberis Vario..... alite ; » Auson. Epig. I, 16 : « Celebraris vate superbo ; » Tacit. Annal. III, 3 : « Tiberio et Augusto cohibitam ; » Mel. III, 6 : « Erythia, quam Geryone habitatam accepimus ; » et in aliis aliorum locis, laudatis a Cort. ad Sall. Bell. Jug. cap. 15, et 21 ; ab Oudend. et Ruhnk. ad Suet. Cæs. cap. 19. Idem vero infra ad XII, 44, monet, in verbis *lances Parthenio factas*, dativum esse *Parthenio*, et constructionem, vel tironibus notissimam, *Parthenium* autem nomen cælatoris nobis ignoti. Quidquid vero ex his placuerit, sententia est eadem, quam interpretes fere omnes in hoc loco inesse putarunt : *Miratur vocem angustam*, exsilem vel raucam, quæ non minus ingrata est, quam vox galli, gallinam mordentis, hoc est, postquam momordit gallinam ; tum enim ultra vires urgere solet vocem, acriusque intendere. Bene hoc loco comparatur locus Quintil. Instit. XI, 3 : « Vox ultra vires urgenda non est : nam et suffocata sæpe, et majore nisu minus clara est, et interim elisa in illum sonum erumpit, cui Græci κλωγμὸν nomen a gallorum (et graculorum) immaturo cantu dederunt. » Plathner hæc adnotavit : « Abstrusius quid poetam notasse, fidentissime tibi præsto. Notum est, Cybeles sacerdotes *Gallos* vocari. Erat autem hoc hominum genus lascivum, et tantum non in ipsis templis muliebria patiebatur. Sed plerique etiam testiculos ponebant bilibres (vid. infra VI, 371 seq.), et lascivæ mulieres eorum concubitu maxime delectabantur, quod non gignebant ; vid. infra VI, 366 seq. Alterutrum noster tetigit, tetigit tamen ; nam priori modo satirice *gallinam* vocat Gallum ; posteriori vero, quod magis videtur, *gallina* erit adultera, quæ cum Cybelico solebat. Nam et Gallis istis vox exilis (vid. supra II, 111) ; porro et *mordendi* verbum sic aptissimum ; notæ quippe amantium blandientes morsiunculæ ex Prop. IV, 3, 25 ; 5, 39, et Ovid. Amor. I, 898. » Conf. interpretes Horatii Od. I, 13, 12. Vereor tamen, ne poetæ sic obtrudantur, quæ ipsi non in mentem venere ; etsi ingeniosa certa hæc videbuntur iis, quibus lubet, in talibus ingenio indulgere. — *Vocem angustam*, ut *vocis acutæ molities*, apud Claudian. XVIII, 340. — *Marito*. Sic Virgilio Eclog. VII, 7, *vir gregis* ; Horatio, Od. I, 17, 7, *olens maritus* caper dicitur, post Theocritum, cui est, VIII, 49, τὸν αἰγῶν ἀνήρ. Ed.

Var. 92. *Illi* emend. Schrader. quod non necesse est : nam *genus*, v. 86, est nomen collect., et cur numeri permutatio nos offendat ? *sed illis Creditur*,

an melior quum Thaida sustinet, etc. in omnibus fere libris interpungitur. At vid. Comment.

Not. 92. *Illis*, Græcis tantum, non nobis *creditur*, fides habetur. Comparant Suet. Ner. cap. 22 extr.

Var. 93. *Hic melior* conj. Schrader. — *At quum*, 47, 58. *An quum*, 25, 45, 46, 49, 50, 54—57, 60, 64, 65. Non male.

Not. 93 seq. Neque mirum est, illis fidem haberi, quum omnes quasi formas induere, et quascumque velis partes agere exacte possint. Non tantum egregii adulatores sunt, sed et histriones. Num quisquam Græcis *melior* est *comœdus*, quum alienam personam, et partes, vel mulierum, *sustinent?* — *Thaida*, meretricem. Nomen in Terentii aliorumque comœdiis passim obvium.

Var. 94. *Agat*, 47, 58. Plathner et, quem is laudat, Aug. Buchnerus non intelligebant, cur Doris *nullo* palliolo culta dicatur, quum tamen Græcula notetur, Græcisque propria fuerint pallia. Hinc ille pro *nullo* conj. *molli*, hoc est, Coo; hic vero *pullo*, quod pulla vestis propria servis, et Doris sit ancillæ nomen, quale servis a patria detur. Sed vid. Comment.

Not. 94. *Uxorem*, matronam. — *Dorida nullo cultam palliolo*, scortum nudum; non dea marina, Oceani filia, nympharum more nuda. Doricæ et Spartanæ puellæ φαινομηρίδες, et veste pellucida utebantur, in primis quum saltarent vel exercerentur, unde et Δωριάζειν, pro παραφαίνειν καὶ παραγυμνοῦν πολὺ τοῦ σώματος τὰς γυναῖκας σημαίνει. Vid. Eustath. ad Homer. Iliad. XIV, 170; et Hesych.

Var. 95. *Namque* pro *nempe*, 46, 49. — *Ipse* pro *ipsa*, 16, 60, 65.

Not. 95. *Palliolo* caput obnubebant meretrices (Martial, IX, 33, 1; XI, 28, 8), molles et ægroti: atqui Græculus in scena, ne palliolo quidem tectus, coram tot spectatoribus meretricem pudore prostituto scientissime agit.[1]

Var. 96. *Vacua omnia planaque dicas*, 45, 46.

Not. 96, 97. *Persona*, πρόσωπον, larva, facies ficta histrionis; vel vir personatus, histrio, qui personas fert, gerit, tuetur. — Jurares, omnia, etiam pudenda, illis muliebria, non virilia, esse; tam bene mulierum partes agunt. — *Rima*, cunni; σχίσμα, Polluc. lib. II, pag. 126; conf. Macrob VII, 16.

Var. 97. *Et* abest ab 46, 49.

Var. 98. *Nec tantum*, 16, et ita conj. Schrader. — *Ille*, 61. Videtur potius legendum *illinc*. Vid. Comm.

[1] Vid. Ferrar. de Re vest. II, 4, 23; Salmas. ad Vopisci Aurelian. cap. 45, Heins. ad Ovid. Art. Amor. I, 734; et intpp. Suet. Claud. 2.

Not. 98 seq. *Nec tamen mirabiles* tantum *erunt* præstantissimi histriones, e Græcia oriundi, *illic*, in arte fallendi et decipiendi; Ach. Hæc utique est sententia poetæ: sed ita omnino legendum videtur *illine*, hinc, ob hanc artem histrionum. Minus aptum est *illic*, sive exponas: in Græcia, patria sua; sive, Romæ. Illud *tamen* neque mutandum videtur, neque dictum pro *tandem*, quod contendit Hein. qui conferri jubet Ruhnkenium ad Rutil. Lup. I, 14; Passerat. et Broukh. ad Prop. II, 1, 76: *natio* enim tota Græcorum *est comœda*, a natura ad artem histrionicam aptissima est, eo ingenio nata. — *Demetrius* et *Stratocles* clarissimi histriones, notissimi ex Quintiliano, Instit. XI, 3. De *Hæmo* conf. infra VI, 198.

Var. 99. *Hemo*, 20. *Hœmo*, 19, 45, 61—63, 66, 67, 70, 74. *Œmo*, 49, 56, 57, 72. *Emo*, 58, 60, 65. Confer ad VI, 198.

Var. 100. *Meliore cachinno* in MS. Cantabr. verissime atque longe elegantissime legi, et vulgatum *majore cachinno* ex glossemate procul dubio ortum esse, monuit Wakef. ad Lucret. I, 918, et V, 706.

Not. 100—103. Festiva imago adulatoris, qui se totum fingit ad arbitrium ingeniumque amici, eique placere studet. Ut indicet, quantopere magni amici jocos salesque probet, non contentus ridenti arridere. in effusiorem risum solvitur. Conf. ad vs. 86 seq.; Terent. Eun. II, 2, 18; Plutarch. de Discr. amici et adulat.: Σὺ μὲν γέγελας, ἐγὼ δ' ἐξεδύησεν γέλωτι; et Theophrast. Charact. II: σκώψαντι πικρῶς (vel ψυχρῶς) ἐπιγελάσαι, τό τε ἱμάτιον ὧσαι εἰς τὸ στόμα, ὡς δὴ οὐ δυνάμενος κατασχεῖν τὸν γέλωτα, ad quæ verba vid. Casaubonem. — *Cachinno concutitur*, vid. Wakef. ad Lucret. I, 918, et V, 706. — *Nec dolet* re vera, sed dolorem fingit, ut omnia. — *Brumæ*, hyemis. — *Endromis*, vestis Gallica, crassior et villosa, qua potissimum utebantur in gymnasiis post cursum aliasque corporis exercitationes, ne calefacti frigescerent. Ἐνδρομίδες tamen Græcis non vestimenta dicebantur, sed calceamenta, quibus cursores utebantur in certamine. [1]

Var. 101. *Aspexit*, 43, 63—65, 68, 69, 74.

Var. 103. *Endromeden*, 22. Suspicabar olim *Endromiden* pro vulg. *Endromidem*, et nunc recepi cum Ach. qui hanc scripturam invenit in sex Codd. Paris. et quidem optimis, Alexandr., Put., Mazarin., et aliis.

Not. 104. *Pares* Græco moribus venustis, artibus et ingenio, vel potius hoc loco gratia divitum; unde et *melior*, qui magis placet hominibus, magis amatur et colitur.

Var. 105. *Aliena sumere vultum A facie* emend. Markland.

Not. 106. *Manus a facie*, ab ore, quo eas osculatus est, *jactare* et por-

[1] Confer supra ad VI, 246; Martialem, IV, 19, et XIV, 126; Spanhemium ad Callimachum Hymn. in Dian. vs. 16.

rigere, hoc est, jacere oscula, quod adulationis venerationisque signum est, ut *pariter geminas tendere in ora manus*, apud Martial. X, 10, 10; vid. ad IV, 118. Interpretes hæc male exponunt. — *Laudare*, ad laudandum, *paratus*, vel laudare solitus, εἰωθώς, ut VI, 16, 207; IX, 7, 49; XII, 106; XIII, 108, et passim alibi: nam hæc loquendi formula poetæ nostro familiaris est.

VAR. 107. *Recte*, 24, 26. *Bene minxit*, 45. *Lectum minxit* corrig. Janus Parrhas. Epist. 36, et C. Vales. ex Horat. Sat. I, 3, 90. Verum ibi de ebrio agitur.

NOT. 107. *Si bene ructavit.* Hæc Juvenalis verba imitatus esse videtur *Molière*, in fabula inscripta *Tartuffe*, act. I, sc. 2 :

« Et, s'il vient à roter, il lui dit : Dieu vous aide! » ED.

VAR. 108. *In verso*, 45. — *Ærea*, 16.

NOT. 108. Si *trullam*, pateram profundiorem, ebibit, ita ut *fundum inverterit*, et epoto toto vino labris sugens crepuerit, strepitumque dederit. Ita Turneb. Advers. X, 26. Conf. Alciati Parerg. Jur. VI, 3, ubi monet, his verbis bibacitatem divitis exprimi trullam exhaurientis, et labellorum crepitu id testantis. Alii hoc loco agi putant de ludicro cottaborum (κοτ-τάβου), quo id, quod a potu reliquum erat in poculo (ἀγκύλῃ), ita in altum jaciebatur, ut in æreas caderet phialas, et strepitus (λάβαξ) ederetur [1]. — *Trullam auream* quidam de calice, e manu divitis cadente, sonumque dante, explicabant, teste Schol. vet. rectius vero hic et alii de lasano, seu sella familiarica, in quam *fundus invertatur*, sordes alvi cum *crepitu* ventris immittantur, vel de ipso divitum ventre *crepitum* edente, *fundo inverso*, hoc est, ore ejus, seu ano ima spectante; metaphora petita a vase, quod fundum inversum habeat, quum os spectet ima, sed ad fundum sublimia. Omnia saltem bene ita cohærent : Græcus quavis occasione laudat amicum, si vel bene ructavit, minxit, pepedit. Firmatur etiam hæc interpretatio verbis simillimis Diodori Sinopensis, apud Athen. VI, 9 (36), pag. 239 :

Εἶθ' ὕστερον τὸν Ἡρακλέα μιμούμενοι
Τῶν εὐτόκων τινές, παρασίτους ἑλόμενοι
Τρέφειν, παρικάλουν οὐχὶ τοὺς χαριεστάτους
Ἐκλεγομένους, τοὺς δὲ κολακεύειν δυναμένους
Καὶ πάνθ' ὑπαινεῖν. οἷς ὑπειδὴ προσερύγοι,
Ῥαφανίδα καὶ σκορδὸν σίλουρον καταφαγών,
Ἰὰ καὶ ῥόδ' ἔφασκεν αὐτὸν ἠρισηκέναι.
Ἐὰν δ' ἀποπάρδῃ μεγά τινος κατακείμενος,

[1] Vid. Potteri Archæol. Gr. II, 4, 20; Pollux, IV, 19, et inpr. Athen. lib. XI, 22, 58, 75, et lib. XV, 2—7, pag. 666 seq.

Τούτῳ προσάγων τὴν ῥῖνα δῆτ' αὐτῷ φράσω,
Πόθεν τὸ θυμίαμα τοῦτο λαμβάνεις;

De parasitis autem et adulatoribus prolixe agit Athen. VI, 5—18 (26—80).

ANAL. 109 seq. *Nihil sanctum* et venerabile *est* Græcis ac Romanis. — *Inguine*, libidine. — *Laris*, domus, *matrona*, materfamilias. — *Levis*, λεῖος, proprie politus, non asper tactu; hinc tener, mollis, imberbis.

VAR. 110. *Nec ipse*, 22, 45.

VAR. 111. *Adhuc lævis*, 14. *Adhuc levis*, 17. *Levis*, 17, 27, 56. *Lævis*, al. Sed vid. ad II, 12.

VAR. 112. *Ast* pro *est*, 49. — *Aulam*, 1, et edd. recentt. 10, 11, 13—17, 19—27, 45—50, 54—60, 62—69, 71—74, 77; XXXV Codd. Paris. et antiquiss. MS. Memmii teste, ac prob. C. Valesio; quod magnopere torsit interpretes. Britannicus exponebat: *aulam*, omnia quæ in domo sunt, *resupinat*, evolvit et evertit, scrutans secreta domus ac domini; C. Valesius: domum evertit, omnia susque deque vertit, pervertit, perturbat, ut apud Accium in Antigona: « Quid agis? perturbas rem omnem ac resupinas, soror. » Curio *aulam* pro *olla* dictam putabat, quemadmodum *Aulularia* Plauti nomen acceperit ab Euclionis *aula*, hoc est, olla argenti plena et defossa, ut sensus sit: ollam pecuniæ plenam ac defossam evacuat et vertit. Nota Ach. est: « vel *aviam* servandum, vel, si *aulam* reposueris, quiddam obscœnius adhuc inesse sub his verbis fatearis necesse est: nam et de salacitate Græculi quæstio est, et verbum *resupinat* satis indicat quid sit intelligendum. »

NOT. 112. Si tales non adsunt homines in domo amici ditioris, nec quisquam alius reperitur, cui stuprum inferre possit, *avias*, seu vetulas *resupinat*, hoc est, cum iis concumbit. Conf. VI, 126, et VIII, 176.

VAR. 113. Hic versus Rigaltio collocandus videbatur post v. 115. Sed aptissimus, ni fallor, est loco, quem obtinet, et menti poetæ. *Esse volunt* malebat Schrader.

NOT. 113. Cum mulieribus, quæ in domo sunt, etiam vetulis, rem habent Græci, et quocumque modo in earum familiaritatem se insinuant, ut ita resciscant secreta domini, et propterea ab eo timeantur. Conf. ad vs. 49 seq.

VAR. 114. *Sed*, 22. — *Quando cœpit*, 46, 48, 49, 56, 57, 59, 60, 65.

NOT. 114, 115. *Transi* silentio res inhonestas minoris momenti, omitte nunc vulgus Græcorum et *gymnasia*, artes exercitationesque eorum, de quibus supra dixi (conf. ad vs. 68); nisi malis cum aliis interpretari, *transi* cogitationibus quasi tuis a plebe ad *gymnasia*, hoc est, ad philosophos Græcorum, in gymnasiis disputare solitos. — *Atque audi facinus*, scelus, *abollæ*, philosophi Græci, Egnatii. — Proverbium, inquit vetus Scholiastes, quasi majoris togæ, id est, sceleris potioris. — *Abolla* sagum militum, vel lacerna ac toga aliorum, inprimis philosophorum. — *Majoris*,

quia philosophica erat fusior, longior, amplior, major, instar pallii; vel *abolla major* dicitur pro philosophis sanctiorem vitam professis, pro Stoicis, quorum secta erat rigidissima : « Egnatius, teste Tacit. Annal. XVI, 32, auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat, habitu et ore ad exprimendum imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus, subdolus, avaritiam ac libidinem occultans. »[1]

Anal. 116 seq. Designatur non Heliodorus Stoicus, qui Licinium Silanum, non Baream, detulit (vid. ad I, 33), sed P. Egnatius Celer, Stoicus, qui *Baream* Soranum, exemplar virtutis (vid. Tacit. Ann. XVI, 21), et præterea *amicum* suum ac *discipulum* (utrumque ad augendam rei indignitatem valet), falso testimonio circumventum (ut filiam ejus delatione; vid. ad VI, 552), *occidit*, hoc est, perfecit, ut damnaretur occideturque, quo sensu etiam *damnare* et *condemnare* passim dicitur caussa et auctor damnationis, inprimis accusator. Conf. ad vs. 37; VI, 481; ad Livium, VII, 16, 5; ad Tacit. Annal. III, 36; IV, 66, et Hist. IV, 40, et 45; Ernesti clav. Cic. et ad Suet. Tib. cap. 8. Ita etiam *pignerat*, VII, 73; *vendit*, VII, 135; *punire*, XVI, 13. et al. Historia ipsa notissima ex Tacit. Annal. XVI, 32 seq., et Hist. IV, 10, 40.

Var. 118. *Penna*, 10, 11, 17, 19—29, 45—50, 54—69, 71—74, 77. Nil interest. Confer ad IV, 149, et inprim. 14, 76.

Not. 117, 118. Nonnulli, et ipse vetus Schol. hæc referunt ad Tarson, Ciliciæ urbem, ad Cydnum fluvium sitam, cujus conditor fuerit Perseus, qui nomen indiderit ἀπὸ τοῦ ταρσοῦ, quia ipsi sive Pegaso ibi una ex talaribus pennis exciderit, aut Pegasus ibi plantam pedis, ταρσὸν, fregerit, aut Bellerophon ex eo delapsus sit, quum cælum ascenderet; alii ad Cretam; alii ad Thebas Bœotiæ et Heliconem, in quo Pegasus terram scalpendo fontem eduxerit Hippocrenen; alii denique ad Corinthum, cujus urbis insigne fuerit Pegasus, et ubi primum Bellerophon eum prehenderit. Possis etiam de alio, nescio quo, loco cogitare, ubi *penna caballi Gorgonei delapsa sit*, hoc est, Pegasus, equus alatus, devolaverit. Quod liceat, non habemus, quia ignoramus, quæ Egnatii fuerit patria. Dio Nicæus eum Berytium facit. Quod si verum est, poeta forte ad mythum nobis ignotum respexit. *Caballi Gorgonei*, Pegasi, equi alati, e sanguine Medusæ Gorgonis, e Neptuno gravidæ, nati, quum Perseus vel Minerva caput ejus recidisset. Mythum de Pegaso docte illustrarunt Heyn. ad Apollod. II, 3, 2; 4, 2; Herrmann. Mythol. tom. I, et III; inprimis Lenz. in N. T. Mercur. 1796, tom. II, pag. 263 seq. — *Caballus*, καβάλλης, proprie quidem jumentum dossuarium, aut pistrinense (quare poetam vocabulo inhone-

[1] Conf. Ferrar. de Re Vest. II, 12; Elect. II, 9, et Analect. cap. 8; quibus locis etiam bene refutavit explicationes Salmas. de mod. usur. c. 2, 3; et Voss. in Etymol. pag. 2. Vid. notas Taciti, p. 559, t. II, Edit. nost. Ed.

stiori usum esse suspicantur nonnulli, ut fabulam derideret, vel quia Græcos oderit, nominatim Corinthios), sed deinde quodvis equorum genus. Conf. X, 60; Pers. Prolog. 1, et Auson. Epist. IV, 8.

Not. 119. Conf. vs. 21, 22.

Var. 120. *Erimarchus*, 23, et antiquiss. Codd. Paris. unde illud recepi præeunte Ach. *Erimachus*, 21. *Erimacus*, 17. *Erymanthus*, 24, 74. *Erimanthus*, 10, 15. 26, 27, 46—48, 55, 59—63, 66—69, 71—73, 77. *Erimantus*, 19, 20, 22, 25, 50, 54, 56—58, 64, 65. *Hermarcus*, *Hermarchus*, *Herimarchus*, *Herimantus*, *Helimachus* et *Climanthus* alii.

Not. 120. Nomina adulatorum Græcorum, ut vulgo putant, ficta. Cf. Var. Lect. — *Protogenes* tamen temporibus Caligulæ crudelissimus delator fuit. Vid. Dio, LIX.

Var. 122. *Nam tum*, 26. — *Stillabit*, 14.

Not. 121, 122. Græci artibus suis alios omnes a gratia excludunt patronorum, et soli in ea esse volunt, ut soli fructum inde percipiant. — *Habet*, possidet; amantium verbum, ut apud Virg. Ecl. I, 31; III, 107; et ἔχω Λαΐδα, οὐκ ἔχομαι, apud Laert. quæ verba vertit Cicero ad Div. IX, 16: *habeo, non habeor a Laide;* Grang. — *Stillavit in aurem*, ut apud Horatium, Epist. I, 8, 16, vel insusurravit in aures. Conf. Heinsius ad Ovid. Epist. Heroid. III, 23. — *In aurem facilem*, amici et patroni, qui facile credit mala, quæ calumniator Græcus de aliis refert. Conf. ad V, 107.

Not. 123. *Venenum*, calumnia; vid. Barth. ad Stat. Theb. I, 171. — *Venenum naturæ patriæque*, calumnia, vitium Græcis naturaliter quasi insitum atque innatum: nisi Erimarchus forte Afer fuit, et hæc eo sensu dicta sunt, quo

> Tollite Massylas fraudes, removete bilingues
> Insidias, et verba soli spirantia virus,

(solum Africæ venenatum innuit) apud Claudianum, XV, 285.

Not. 124. *Limine*, domo patroni, vel ut I, 96. — *Servitii*, propter multa ac molesta clientum officia. Cliens vetus fidusque cedit novo. — Mire cum hoc loco congruunt verba nostratis *Molière*, in Amphitryone, act. I, sc. 1:

> « Vingt ans d'assidu service
> « N'en obtiennent rien pour nous:
> « Le moindre petit caprice
> « Nous attire leur courroux. » Ed.

— *Nusquam*, quam Romæ. — *Minor est*, minus curatur et æstimatur, levior ducitur; adeo Romanos obsident adulatores Græculi! Ed.

Var. 125. *Numquam*, 14, 77.

Var. 127. *Curret*, *currit*, *currat*, al.

Var. 129. *Dudum jubeat*, 19, 20.

VAR. 130. *Nec* quidam libri. — *Alpinam*, 20. — *Aut Modiam*, 17, 19, 20, 46, 48, 49, 57, 61—63, 66—69, 71—74.

NOT. 126—130. Conf. ad I, 95 seq., 100 seq. — *Quod officium*, quale, et quam onerosum, salutandi, deducendi, occurrendi, etc. Conf. ad II, 132. — *Meritum*, præmium. — *Ne nobis blandiar*, ut verum dicam; gallice, *à ne nous point flatter*. — *Curat togatus*, pauper clions (vid. ad. I, 96), *nocte currere*, summo mane salutatum ire, ac sportulas petere; quod et *Prætor* facit. *Currere* cogitur, ne Prætor sportulam ei præripiat. Cf. ad I, 96 seq.; Martial. III, 36; IV, 8; X, 82. Possit etiam hoc loco *togatus* esse amicus, qui non ipse patronum salutat, sed salutaturum *Prætorem* comitatur vel sectatur, antesambulo, *togatus ante pedes*, VII, 142. Conf. Martial. II, 18; III, 7, et X, 74, 1 seq. — *Togatus*, quia civis est Romanus: nam sine toga foras ire indecorum videbatur; Ach. — *Albina* et *Modia* matronæ *orbæ* ac divites, quas et *Prætor* salutat, ut sportulas petat, et simul forte hereditatem captet. — *Collega*, alius prætor, sportularum competitor.

VAR. 131. *Claudet*, 49, 58. *Claudat*, 45. *Cludit*, al. Confer sup. ad v. 16.

NOT. 131. *Hic*, Romæ, *filius ingenuorum*, ingenuus, *claudit latus servi*, libertini (qui nuper servus fuerat, et serviles nondum mores exuit; unde etiam nunc *servus* salse dicitur), *divitis*; ad ejus est latus, eum comitatur; qualis comes hinc *latus* dicitur Martial. II, 46, 8; et VI, 68, 4; vel potius, ad sinistram, lævus, loco inhonestiore incedit, quo sensu *latus alicujus claudere*, vel *tegere*, *latus alicui dare*, et *exteriorem esse* passim dicitur. Conf. Horatius, Sat. II, 5, 17, 18; et Lipsius, Elect. II, 2.

NOT. 132 seq. *Alter*, non filius ingenui luxuriosus, sed *servus dives*. Sententia hoc loco, et ratio, a poeta allata, hæc est: nam ille servus dives est, ingenuus vero pauper. Hanc notionem, more suo et poetarum, non generaliter, sed specialiter expressit. — *Tribunorum* militum salaria velut proverbii loco pro magna pecuniæ summa ponuntur etiam apud Plinium, XXXIV, 3. Eorum stipendium a temporibus Domitiani, qui novem aureis, quos gregarius miles habebat, tres addidit, et sic omnia auxit stipendia, XLVIII aurei erant: nam quod pedes accipiebat (XII aurei), id duplex centurioni, triplex equiti, quadruplex tribuno dabatur[1]. — Nummi autem aurei (*le sou d'or, taillé 45 à la livre de 12 onces*) pondus erat 7 gramm. 4525 $\frac{12}{25}$ (1 *gros* 67 *à* 68 *grains*): valor, 19 fr. Ita XII nummi aurei peditis stipendium æquant 234 fr. $\frac{3}{8}$, et XLVIII tribuni 937 $\frac{1}{2}$. *Achaintre*. — *Calvina* et *Catiena* nobiles meretrices. Illius forte mentio fit apud Tacit. Annal. XII, 4, 8; ubi vid. Lips. Conf. *Gonzalez* ad Petron. pag. 34.

[1] Conf. Lipsius, de Milit. Rom. V, 16; et inpr. J. Fr. Gronovius, de Sestert. III, 2, pag. 129; ubi refutavit Meursius, de Luxu, cap. 8; Dalec. ad Plinii locum citatum, et Salmas. de Mod. Usur. cap. 6.

VAR. 134. *Illa*, 15. — *Ac tu*, 19.

NOT. 134. *Palpitet;* hac voce sensus flagrantis obscenitatis et frequens libidinis anhelitus exprimitur. ED. — *At tu*, ingenue, qui pauper es.

VAR. 135. *Bene* pro *tibi*, 22.

NOT. 135. *Scortum vestitum*, scilicet, bene, nitide, venuste; nisi malis togatum, more meretricum (vid. ad I, 96, et II, 70); nam toga proprie *vestis* dicitur. Ita Ferrar. Elect. II, 8, ubi et recte, ut in Scholiis vett., versus 136 ita explicatur : Meretrices in *alta sella* sedebant, ut accedentes scortatores venalem mercem attentius considerarent, ac membra omnia curiosius perlustrarent, sicut servi etiam venales in catasta prostabant; nam licet togatæ essent, pellucebant nihilominus, Cois indutæ : et tale tamen scortum diobolare non audebat pauper, ex *alta sella* deducere, quod paucis obolis careret. Conf. Seneca, de Benef. I, 9; Plaut. Pœn. I, 2, 54—58, et Horat. Sat. I, 2, 101 seq. Idem Ferrarius et vet. Schol. ab illa meretricum *sella* denominatos putabant *sellarios, sellularios, sellariolas popinas* et *sellarias,* de quibus vid. Tacit. Annal. VI, 1; Martial. V, 71, 3; et Suet. Tib. cap. 43, ad quæ loca conf. Intpp. *Sella* servorum cervicibus elata ab hoc loco aliena est. — *Chione*, nota e Martiali, I, 35, 93; III, 30, 34, 83, 87, 97; XI, 61, et al.

VAR. 136. *Chionen* recepi pro *Chionem* ex 56, 60, 61, 65, 70, 74. *Chyonem*, 24. *Clionem*, 21. *Cionem*, 22. — *Cella* pro *sella* conj. Farnab. et Pignor. de Serv. p. 137, 281, coll. infra VI, 122, idque expressit Bahrdt. Sed *cellæ* meretricum non *altæ* esse, neque hæ *deduci* inde solebant. *Arcta sella* vel *cella*, quippe quæ magis deceat scorta sordida ac famelica, emend. Chimentellus, de Honore bisellii, cap. 24, p. 122. At vid. Comment.

NOT. 137 seq. De contemptu pauperum queritur, quibus, vel sanctissimis, nulla fides Romæ haberetur; Ach. — *Dare*, verbum forense, ut *dare testes, judices, cognitorem, litem, judicium, cognitionem*, etc. — *Hospes numinis Idæi*, P. Cornelius Scipio Nasica, qui, a senatu vir optimus de toto populo Romano judicatus, simulacrum et sacra Matris Deum, e Phrygia advecta, hospitio excepit (ut olim Abinadab et Obed Edom arcam fœderis, oraculum signumque præsentiæ divinæ, 1 Sam. VII, 1; 2 Sam. XI, 10 seq.), et deinde templum deæ conditum consecravit. Conf. Liv. XXIX, 14; XXXV, 10; et Plinius, VII, 34. — *Numa* rex, vir justissimus, idemque religiosissimus, instructus disciplina tetrica ac tristi veterum Sabinorum; quod vel tironibus notum e Livio, I, 18.

VAR. 139. *Tepidam*, 45, et ita corrig. Jac. Nic. Loensis Miscell. Epiphyll. IX, 2, languidum substituens verbum acuto ac satirico.

NOT. 139. Intell. L. Cæcilius Metellus cos. A. U. DII et DVI, dictator, magist. equitum, et pontifex maximus, qui, quum Palladium ex incendio ædis Vestæ raperet, oculos amisit, unde VI, 265, *cæcus* dici-

tur[1]. *Trepida* fingitur Minerva templo ardente, propter periculum et suum, et Rom. imperii, cujus pignus erat *Palladium*, de quo vid. *Creuzer's Symbolik*, tom. II, pag. 314.

Var. 140. *Protenus* scripsi pro *Protinus*. Vid. ad XII, 102, et Heyn. ad Virgil. Eclog. I, 13; Georg. IV, 1, et Æneid. III, 416; V, 485; IX, 337.

Not. 140. *Protenus ad censum*, oratio flectitur, confestim quæritur, quantas possideat opes? Conf. Cicero, Offic. II, 20, extr. — *De moribus ultima fiet quæstio*, conf. Horat. Epist. I, 1, 53 seq.

Var. 141. *Quot servos pascit*. 11, 13.

Not. 141. Primæ quæstiones sunt, *quot pascit servos*, etc. Divitiæ etiam ex numero servorum æstimabantur. *Pascit*, alit, ut VII, 76, 93; IX, 67, 136; XII, 28. *Paropsis*, παροψίς, vas, in quo obsonia apponuntur, patina, lanx. Conf. Var. Lect.

Var. 142. *Magna multaque*, 24. — *Parapside* vel *parabside*, 2, 3, 5, 10. 11, 12, 14—17, a m. pr. 21—23, 25, 33, 34, 47, 54, 55, 58, et XXXI Codd. Paris. prob. Lubino, Turnebo et Schradero. « *Parapsis* quadrangulum et quadrilaterum vas, id est, paribus absidis, » Isidor. in Orig. Conser Hesych. et *du Fresne* Glossar. lat. barb. tom. II, pag. 151.

Not. 143, 144. Comparant Horatium, Sat. I, 1, 62; Ovidium, Fast. I, 217, 218, et al. Lucilius a vet. Schol. laudatus:

> Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est,
> Tantum habeas, tantum ipse sies, tantique habearis;

quæ verba Horatius, loco citato, ante oculos habuisse videtur.

Var. 144. *Juret*, 15, 24. Ita legendum esse indubie, putabat H. Vales.

Anal. 144 seq. Pauperi, etiam juranti, nulla fides habetur. — *Jures aras*, hoc est, per aras, quas jurantes tangebant (vid. ad XIV, 219), et hoc pro: per Deos, *Samothracum et nostrorum*, hoc est, deos, et peregrinos, et Romanos; ut ὄμνυμι τοὺς θεούς[2]. *Samothracum aras*, hoc est, per eorum *deos Cabiros*, seu *magnos*.[3]

Var. 145. *Flumina*, 13, 21, a m. pr. 22, a m. pr.

---

[1] Vid. Plinius, VII; Livius, Epitom. XIX; Ovid. Fast. VI, 437 seq.; Seneca, Controv. l. IV, c. 2; Valerius Maximus, I, 5.

[2] Vid. Drak. et nos ad Silium, VIII, 105; Broukhus et Heyn. ad Tibull. IV, 13, 15.

[3] De Samothracibus et Cabiris, vid. Macrob. Sat. l. III, c. 4; *Bergsträsseri Realwörterbuch*, etc. vid. *Cabiri*, Heyn. in Exc. IX, ad Virgil. Æneid. lib. II; Hermann. Mythol. tom. III, pag. 159—176; *Creuzer's Symbolik*, tom. II, pag. 14, 28, 285—335, 348, 489; IV, 374 seq., et *Schelling über die Gottheiten von Samothrace*, *Tüb.* 1815.

Not. 145, 146. Pauper, quem fames urget, cujusque præsens malum futuri metum vincit, ad perjuria pronior esse, et hinc deos eorumque iram ac pœnas minus timere creditur divitibus : Dii quoque ipsi facilius ignoscere putantur, quod necessitate magis, quam improbitate peccaverit. Bahrdt hanc poetæ mentem fuisse putabat : Dii non curant injuriam, a mendicis ultimæque sortis hominibus sibi illatam ; sed divite pejerante, ambitio eorum et ira movetur : hinc pauperes pejerare creduntur, nec deos timere.

Var. 147. *Materiem*, 21. — *Caussamque*, 21, 22.

Var. 149. *Si rupta*, 26. — *Calceus alter* vel *alte* conj. Schrader.

Var. 150. *Patet : si consuto de vulnere*, 21.

Var. 151. *Aut*, 46, 48.

Not. 148 seq. Casaub. ad Theophr. Char. XIX, 3 : « Veteribus, inquit, in foro honeste vestiri moris erat, domi quod satis esset : aliud enim homini, aliud humanitati satis esse censebant, ut ait Varro. Conf. Seneca, Epist. 93 ; Suetonius in Aug. 73 ; Plutarchus in Sulla. Qui igitur fœde vestiti in publicum prodirent, odio erant et irrisui. » — *Hic idem* pauper, *si fœda..... pelle patet :* comparant Martialem, I, 104, 5, 6, et Horatium, Sat. I, 3, 31, 32. — *Calceus*, vid. ad VII, 192, *vulnere*, ruptura, rima, fissura, ut apud Valer. Flacc. 480, ubi vid. Burmann. — *Cicatrix*, sartura.

Not. 152, 153. Comparant XI, 2, 3 ; Plaut. Stich. I, 3, 20 seq. ; Horat. Od. III, 24, 42, 43, et quæ Crates comicus apud Stob. tit. πενίας ψόγος dixit :

Οὐκ ἔστι πενίας οὐδὲν ἀθλιώτερον
Ἐν τῷ βίῳ σύμπτωμα· καὶ γὰρ ἂν φύσει
Σπουδαῖος ᾖς, πένης δὲ, κατάγελως ἔσῃ.

Conf. Wetsten. ad Matth. 5, 3, et infra V, 157, 158.

Not. 153 seq. Conf. Martial. V, 26, al. 25, de Chærestrato. Homines ad inopiam redacti etiam publice irrisui sunt, et de loco honestiore, quem olim occupaverant, nunc dejiciuntur. — *Inquit*, scilicet designator, qui in ludis spectaculisque ordinis curam agit, et cuivis suum designat locum. Sed dura est ellipsis talis subjecti, et vel legendum *inquis*, *inquitis*, *inquiunt*, quo tamen sensu non fere adhibetur, nisi quum aliquid ex adverso nobis objici fingimus ; vid. ad X, 291.

Not. 154—159. Conf. omnino infra ad XIV, 323—326. — *Exeat* e quatuordecim. — *Pulvino equestri :* Caligula primus senatoribus, ne nudis asseribus insiderent, pulvillos substerni jussit ; idque postea equitibus etiam concessum videtur. Conf. Lips. de Amphith. cap. 13. — *Cujus res* familiaris *non sufficit legi*, non tanta est, quanta debet esse equitum, secundum legem theatralem Roscii *Othonis*, de qua vid. ad XIV, 323 seq. — Nemo equitum gradum obtinere poterat, nisi qui CCCC H. S. censeretur. Ed. — *Lenonum pueri, præconis filius*, et *juvenes lanistæ hic*, in qua-

tuordecim gradibus *sedeant*, quia censum habent equestrem, vel artibus suis, quæ quæstuosæ erant, vel alio quocumque modo, verbi caussa, connubiis malisque artibus, paratum. — *Præconum* itaque filii eodem jure, quo lenonum et gladiatorum, censentur. Conf. ad VII, 6. — *Fornices* cellæ fornicatæ, seu concameratæ ac subterraneæ, quas scorta inhabitare solebant. Conf. XI, 171; Horat. Sat. I, 2, 30.

VAR. 157. *Plaudet*, 15. — *Intra*, 19, 20.

NOT. 157. *Nitidi*, unguentis delibuti vel lauti, et idem quod mox *culti*: nam dives est. — *Plaudat*, exquisite pro, sedeat. Applaudi solebat et histrionibus, et imperatoribus, aliisque viris apud populum gratiosis, quum theatra ingrediebantur; vid. intpp. Horat. Od. I, 20, 3, 4.

VAR. 158. *Juvenemque*, 12, 17, 20, 23, 45.

NOT. 158. *Pinnirapus*, gladiator, qui, cum Samnite compositus, ejus *pinnas*, hoc est cristas, *rapit*. Varro: « Pinnas insigniti milites in galeis habere solent, et in gladiatoribus Samnites. » Conf. Lips. Saturn. II, 11, et Turneb. Advers. III, 8.

VAR. 159. *Sic placitum*, 24.

NOT. 159. *Vano* cum vi et indignatione dictum; qui in hac lege ferenda non mores virtutesque hominum, sed opes tantum et divitias, res vanas atque inutiles, respexit.

VAR. 160. *Plaudit*, 22. — *Census*, 19.

NOT. 160. Rectius Themistocles: *Malo virum sine pecunia, quam pecuniam sine viro;* Ach.

NOT. 161. *Sarcinulæ*, supellex, vel idem quod *census*, bona, quæ quis possidet, opes, facultates. Doti, vet. Schol. At melius, quod Galli dicunt *le trousseau*, quod æque nuptæ et sponsæ convenit; Ach.

VAR. 162. *Concilio*, 22.

NOT. 162. *In consilio esse*, vel *adesse* dicuntur, et inde *consilium* quoque vocantur judices, assessores magistratus, qui privato vel publico judicio præest, eosque in consilium advocat, adhibet. — *Ædilibus*, vel infimis judicibus magistratibusve. *Ædiles* fuisse præter Cereales, a Julio Cæsare institutos, curules et plebeios, vel tironibus notum est: sed quæ his illisque propria fuerint munera, minus constat. — Eodem fere sensu Ovid. Amor. III, 8, 55:

Curia pauperibus clausa est; dat census honores. ED.

VAR. 163. *Tenues olim*, 11.

NOT. 163. Gravis sententia: *tenues Quirites*, pauperes Romani, *olim*, anno urbis 261, quum ære alieno obruti, et a patriciis vexati in Sacrum montem secessissent (quod notissimum e Liv. II, 32, 33; III, 50—52),

debuerant agmine facto, omnes simul (conf. ad X, 218), *migrasse*, prorsus deseruisse Urbem, neque unquam rediisse, quia exinde semper contemptu laborarunt, atque oppressi sunt.

Not. 164. *Haud facile* ullibi *emergunt*, quasi ex fluctibus, quibus obruuntur, vel ex luto vilitatis, ut ἐξαναδῦναι, hoc est, ex inopia et humilitate, atque ad honores ascendunt pauperes, *quorum virtutibus obstat res* familiaris *angusta*, exigua, tenuis; ut apud Lucret. II, 13: *ad summas emergere opes*, et apud Silium, XIII, 773:

.... Pigra extulit arctis
Haud umquam sese virtus....

Var. 165. *Ipsis*, 19, 20.

Not. 165, 166. *Romæ durior*, difficilior, quam alibi, *conatus* emergendi, ubi omnia *magno* pretio constant.

Not. 167 seq. Similis sententia orationisque color est infra XII, 162—173, qui locus est conferendus.

Var. 168. *Camillus* pro *negavit*, 21, a m. pr. *negabit* emendat. Grang., Ferrar. Elect. II, 9, et Schrader, ut hæc verba generaliter intelligantur. Sed eam ob causam non sollicitanda lectio vulgata. Vid. Comment. *Negabis* conj. H. Vales. Non male!

Not. 168. *Fictilibus* vasis *cœnare pudet* hodie Romanos, qui ad Macedonica usque tempora iis usi erant; de quo vid. Athen. VI, 3 (15), p. 229. — *Quod turpe* esse *negavit*, hoc est, negare solet (ἀορίστως), scil. videns, hæc ingenio horum hominum, morumque simplicitati consentanea esse. Nonnulli verba hæc ad P. Cornelium Scipionem, plerique vero ad Curium Dentatum (conf. ad II, 3), referunt; sed præstat ea universe dicta accipere.

Not. 169. Conf. ad XIV, 180.

Var. 170. *Contentus*, 15. — *Contectusque* ..... *cucullo* malebat Schrader. Multum præstat emendatio H. Valesii *Contentusque illic Veneto duroque culullo*. Hanc recepi; sed *veneto* reposui pro *Veneto*. Vid. Comm.

Not. 170. Vulgo legitur: *Veneto* vel *veneto* (cærulei coloris) *duroque*, crassioris villi, denso, vili, villoso, *cucullo*, hoc est, humerorum capitisque tegmine (*capuchon*) quo imber frigusque arcebatur, et quo non viri tantum, sed mulieres quoque, neque servi solum, sed, quod vel ex hoc loco intelligitur, ingenui etiam utebantur, inprimis noctu, vagantes per tabernas et lupanaria, ne cognoscerentur. Conf. VI, 118, 330; VIII, 145; XVI, 13, not. 6; Ferrar. Re Vest. III, 23; IV, 20, et 21; intpp. Martial. V, 14, 6; X, 76, 8, et XIV, 139, ubi vocantur *cuculli Liburnici* et *lacernæ callainæ*, cærulei coloris, ut *callais* gemma, de qua vid. Plin. XXXVII, 10, 56. Sed *cucullus* hoc loco parum aptus, ubi de cœnis et *fictilibus* poculis agitur; aptissimus autem *culullus*, quod jam monuit H. Valesius, qui ingeniose emendavit *Veneto duroque culullo*. Enimvero *culullos*,

quod ille putabat, *Venetos* dici, quoniam in Venetia provincia fieri, et inde in ceteras Italiæ regiones importari consueverint, vix credidèrim. Pocula quidem fictilia a regione, ubi parari solebant, passim denominantur, verbi caussa, *Aretina*, *Surrentina*, *Saguntina*, *Cumana*, aliaque, at nusquam, quantum memini, *Veneta*. Hinc substitui *veneto duroque culullo*, hoc est, luteo et fictili poculo ansato. *Culullus* (forte *culeolus*, culeus parvus) grandius poculum ansatum, initio fictile, postea et aureum; vid. intpp. Horat. Od. I, 31, 11; et Art. Poet. 434 : *veneto*, ex luto, seu argilla facto; unde *veneto*, cæruleo (al. *Veneto*), *luto*, dixit Martial. III, 72 (al. 74), 4; *Saguntino cymbia*, et *pocula ficta luto*, idem VIII, 6, 2; XIV, 108, 2 :

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto,

Tibull. I, 1, 40.

Var. 171. *Est* non exstat in 15, et 23.

Anal. 171 seq. In *parte magna Italiæ* non *ultra vires nitor habitus*, ut Romæ, vid. 180 seq. Nova Romæ deserendæ caussa. In municipiis vix togam, nedum pictam vel purpuream, induebant, contenti tunica. Conf. vers. 179; Martial. IV, 66, 3; Plin. Epist. VII, 3; Lips. Epist. Quæst. l. I, c. 5.

Var. 172. *Sumpsit*, 13. *Subit*, 22, a m. pr.

Not. 172. In Italia *mortui* toga, ut in Græcia pallio, operiebantur, et quidem censores purpurea, magistratus summi prætexta, cives honestiores candida, viliores alba, eaque vili et trita. Conf. Cuper. Obss. II, 9, extr. Ælian. V. H. VI; intpp. Martial. IX, 58, 8; Artemidor. II, 3, et Lips. Elect. I, 6.[1]

Var. 173. *Aliquando*, 15.

Not. 173. *Theatro herboso*, non ligneo, vel lapideo, sed e viridi cespite, servata simplicitate antiqua. Cf. Ovid. Art. Am. I, 103 seq. Prop. IV, 1; et Virg. Æn. V, 286 seq.; ubi confer Heyne. Ferrarius monet Elect. II, 9, nihil vetare, quin et accipere possimus de vero *theatro*, sed propter infrequentiam ludorum *herbescente* : dici enim *si quando*, hoc est, raro.

Not. 174 seq. *Tandem*, anno vertente, quia ludi anniversarii; Grang.

[1] Casaub. ad Athen. X, pag. 414; et Pers. VI, 33, hæc eo spectare dicit, quod et Græcis et Latinis, utpote καλῶν ἐπιθυμίαν studiosissimis, id moris fuerit, ut mortui in quam honestissima veste, et comptiores efferrentur, quam vixissent, ideoque a Juvenale æque ac Persio tangi dementiam avarorum, qui, quùm sordide vixerint, efferri splendide, et toga, quam vivi nunquam induerint, in funere demum ornari cupiant, adeoque ambitionem suam extendant ultra mortem. Conf. Horat. Epist. I, 5, 13 seq.

— *Ad pulpita*, in scenam; conf. ad XIV, 257. — *Exodia*, ἐξόδια, carmina risum moventia (*Nachspiele*), quæ fine fabulæ, Atellanæ potissimum, ut εἰσόδια, initio, et ἔμβολα, medio, cani solebant. Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut, quidquid lacrymarum atque tristitiæ coegissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret: cujus et Lucilius meminit: « Principio exitus dignus exodiumque sequetur, » vet. Schol.[1] — *Notum*, non novum, sed sæpius recantatum; quod non minus priscæ rudique simplicitati convenit. — *Exodium* etiam de exodiario accipi potest.

Not. 175, 176. Poeta adunco naso suspendit speciem non minus ridiculam, quam horribilem *personarum*, seu larvarum (nam *persona*, προσωπεῖον, ficta facies, qua histriones olim utebantur), inter quas in fabulis, præsertim Atellanis, circumferebantur etiam manduci, seu μορμολυκεῖα, magnis malis lateque *hiantia*, scilicet ore immodice patente deformia, et clare crepitantia dentibus. Σῆμα κιχηνὸς πάμμεγα ὡς καπιόμενος τοὺς διαβάς, Lucian. περὶ ὀρχήσ. cap. 27[2]. — *Pallentis*, forte, quia *peruncti fœcibus ora*, ut utar verbis Horatii Art. Poet. v. 277, qui est locus classicus de veteri comœdia.

Var. 177. *Similemque*, 11, 15, 23—25, 45—50, 54—69, 71—74, et IX, Codd. Paris.

Not. 177. *Illic*, in multis Italiæ oppidis. — *Similem*, habitu.

Not. 178 seq. *Orchestram*, hoc est, decuriones, seu senatores, et *populum*, plebem. — *Clari velamen honoris*, Ædilium habitus, *tunicæ albæ*, quales vulgo omnibus erant, sed eo forte discrimine, ut Ædilium tunicæ essent candidæ, vel recens lotæ. Conf. Lips. Elect. I, 13, et Ferrar. Re Vest. III, 10. — *Ædilis*, magistratus municipalis, et in quibusdam municipiis coloniisque vel unicus, vel *summus*. Conf. Cicero, ad Divers. XIII, 11; et Everh. Otto de Ædil. col. et municip.

Not. 180 seq. Conf. ad VII, 138. *Hic*, Romæ. — *Ultra vires*, opes, facultates.

Var. 181. *Aliena interdum*, 10.

Not. 181. *Sumitur* habitus, vestitus *aliena arca*, ære alieno, mutuato; vel ex cista aliena, hoc est, vestis ipsa mutuata, conducta, ut VI, 352.

Not. 182. *Ambitiosa paupertas* est ejus, qui, quum pauper sit, dives vult videri, et majores facit impensas, quam facultates patiuntur: qualis

---

[1] Conf. inf. VI, 71; Salmas. ad Hist. August. pag. 384, et tom. II, p. 529; Vales. ad Amm. Marcell. lib. XXVIII, c. 4, 33; Curtius, *Anmerk. zur Dichtk. des Aristot.* pag. 177 seq.; et Liv. VII, 2, vol. II, pag. 340 Edit. nost. Ed.

[2] Conf. Scaliger ad Plaut. Rud. II, 6, 51; Barth. ad Claudian. in Eutrop. I, 124. Ruhnken. Epist. crit. II, p. 26, et Bœttiger. de Personis scen.

paupertas describitur, VI, 352 seq. Casaub. ad Theophrast. Charact. XXI, pr. hanc esse ait *μικροφιλοτιμίαν* eorum, qui cupiant quidem laudem posse mereri alia ratione, sed, quia inopes sint, et ils præsidiis destituantur, quæ ad consequendos honores veros desiderentur, qua possint ratione tentent innotescere, etc. Conf. ad VII, 50.

Not. 183. *Omnia Romæ cum pretio*, magna impensa fiunt, magno constant et comparantur.

Not. 184, 185. Qui ad nobiles viros admitti cupit, ab eo domesticis illorum ac servis munera sunt danda. Conf. Horat. Sat. I, 9, 57, et Lucian. *περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων*, cap. 10 : *ὑπὸ θυρωρῷ κακῷ συρίζονται καὶ ἀνομαλλήτοις Λιβυκῷ ταττόμενον καὶ μισθὸν τιλοῦντα τῆς μιᾶμης τοῦ ἐνέματος*, et cap. 37, 38. — *Quid das*, quantum servis dare cogeris? — *Ut te respiciat clauso labello*, ut te nutu tantum, non sermone, seu colloquio dignetur; quo superbia hominis significatur. Comparant Martialem, X, 10, 5; Suetonium, Ner. 37, extr.; et Senecam, de Brevit. vitæ, cap. 1. — De Fabricio *Veientone*, conf. infra ad IV, 113.

Var. 185. *Recipiat*, 26. *Conspiciat*, 19. — *Cluso*, 17. Conf. ad II, 36, et III, 19.

Var. 186. *Amanti*, 11. Male. Sed forte reponendum *amatus*, ut sensus sit: si vel *ille* servus, seu puer *amatus*, domino dilectus, *barbam*, vel *hic crinem* ponit; *plena domus libis*, multa a clientibus munera mittuntur servis, ut scilicet eorum, et per illos dominorum gratiam sibi concilient. Vulgata lectio expeditu difficilior, majorque hoc loco vis inest, si plures servi ejusdem domus variisque occasionibus captandi sunt domi.

Not. 186. Si *ille*, patronus, dives, *amati* servi sui et catamiti *barbam metit*, metendam curat (vid. ad VI, 481), *hic*, alius, *crinem* ejus *deponit*, capillum tondendum curat; Hein. et Ach. *Ille* et *hic*, scilicet cliens; Lubin. et Prat. quos per incuriam sequutus eram. Cf. tamen Var. Lect.

Var. 187. *Libris*, 9 (sed addita glossa *panibus*), 14, 17, a m. pr. 73, 81, et X Codd. Paris. *Libis venalibus* (hoc est, quæ a servis venduntur, peculium inde sibi comparaturis), 7—17, 19—27, 45—50, 54—74, 77. *Libis geniabus* (ut IV, 66, et X, 334), 75, 76, 82. Non male! Sed illud servis aptius videtur, et communis fere omnium librorum lectio est, quam librariis deberi vix crediderim. — *Illud*, 10—17, 19—25, 27, 45—47, 49, 50, 54—58, 60, 61, 63, 65—67, 74, 81.

Not. 187. Festus erat dies apud Romanos, quo prima filiifamilias *barba*, seu lanugo, ut apud Græcos, quo *crihis* (cirrus, *μαλλὸς*, *οὐλλος*) tonderi, et tonsa deo alicui tamquam *ἀνάθημα* consecrari solebat[1]: unde

[1] De *barba* vid. intpp. Petron. c. 29, 104, et 107; Martial. I, 32; IX, 17 et 18; Sueton. Ner. 12; Lips. not. et Exeurs. ad Tacit. Annal. XIV, 15, de

quidam eo sensu verbum *deponere* (scilicet in templo, ἀναθεῖναι), hoc loco accipiunt. Eodem die a clientibus *liba* aliaque munera dabantur. Conf. Lips. ad Tac. Annal. XIV, 15. Ceterum ex hoc loco constat, tum, quod de *crine* modo dixi, etiam Romæ in usu fuisse, tum honorem, filiisfamilias præstitum, servis quoque, qui dominis fuerint in deliciis, habitum et ab his, et a clientibus, patronorum gratiam demerituris. Hinc et Martialis, IX, 17, 1 seq. dixit:

> Consilium formæ speculum dulcesque capillos
> Pergameo posuit dona sacrata deo
> Ille puer tota domino gratissimus aula.

— *Libis*, placentis (πλακοῦς ἐκ γάλακτος, ἦρίαν τε καὶ μέλιτος, ὃν Ῥωμαῖοι λίβον καλοῦσι, Athen. III, 36, seu 100, pag. 126), quæ priscis hominibus pro panibus, et (ut *puls*, XIV, 171, et XVI, 39) tum cibi, tum munera sacrificiaque simplissima erant, adeoque diis libari in omnibus sacris, et mitti afferrique solebant diebus festis lætisque, inprimis die natali. Conf. Broukh. ad Tibull. II, 2, 8. — *Venalibus*, vid. Var. Lect.

Not. 187. *Accipe*, audi, disce, *et istud fermentum*, hanc iræ caussam, *tibi habe: præstare*, etc. Conf. Var. Lect.

Var. 188. *Præstant*, 10, 12—14, 17, 19, 21—25, 27, 45—48, 50, 54, 55, 57—67, 72, 73, et Codd. Paris. tantum non omnes; unde hoc recepit Ach. *Præstantque*, 23, a m. sec. *Et præstant*, 15.

Not. 188. *Fermentum*, farinam fervefacit, attollit, tandemque rumpit, et tam acorem, quam tumorem habet; unde vox illa transfertur ad animi affectus, præcipue iram, quæ et tumorem, et acerrimum motum ebullientis sanguinis excitat.[1]

Not. 189. *Peculium*, pecunia ac bona, quæ servus colligit permissu domini. — *Cultis*, ut vs. 186, *amati*.

Anal. 190—222. Nova Urbis relinquendæ caussa, a frequenti sedium ruina et incendiis petita:

> .... Hic nimium casus in Urbe frequens,

Martial. III, 52, 2. Caussas memoravit Heubach. de Politia Rom. Gott. 1791, § 46 seq. — *Præneste*, urbs Latii, celebris Fortunæ templo, oraculo ac sortibus, haud procul Roma, in monte amœno sita, teste Strabon. V,

---

soma, quam ἴφηβοι, saltem Græcorum, a parentibus ad tribules adducti tondere, et deo alicui, plerumque Herculi, Apollinive Pythio, consecrare solebant, et de hoc festo (τὰ εἰνεστήρια), vid. Casaub. ad Theophr. Char. XXI, pr. (ubi conf. Fischer in indice vocab. ἀπογενέσια), Pollux, III, 52; Schweigh. ad Athen. XI, 88, pr. Salmasius, de Coma, p. 532.

[1] Conf. ad l. I, c. 45; Intpp. Plaut. Merc. V, 3, 3; Cas. II, 5, 17; et Aulul. III, 4, 9; Casaubon. ad Pers. I, 24.

pag. 365 (unde hoc loco *gelida*, ut *frigidum*, Horat. Od. III, 4, 22, et *altum*, Virg. Æneid. VII, 682), hodie *Palestrina*, in vallem deducta. — *Vols'nii*, seu Vulsinii (nunc *Bolsena*), Etruriæ oppidum in summo lacu Volsiniensi situm, quod totum fulmine concrematum est. Vid. Plin. II, 52, 53. — *Gabii*, urbs Latii, inter Romam et Prænestе, Sex. Tarquinii dolo capta (vid. Livium, I, 53, 54), unde hoc loco *simplicibus;* etsi vet. Schol. explicat: non ornatis. — *Tibur* (hodie *Tivoli*), oppidum Latii, in acclivi *arcis*, hoc est, montis, seu collis (nam *urx*, ut gr. ἄκρα et ἄκρος, poetis proprie quidquid altum est, adeoque mons et collis, vel ejus vertex, deinde quod in colle et editis locis positum est, inpr. ἀκρόπολις, et hinc simpliciter urbs dicitur), latere conditum, unde hoc loco *proni*, et *supinum*, apud Horat. Od. III, 4, 23. Conf. ad Sil. IV, 187.

Var. 192. *Parvi Tiburis*, 16.

Var. 193. *Incolimus*, 22.

Not. 193. *Tibicen*, fulcra, adminicula ædificiorum. Festus: « Dici ita existimantur *tibicines* a similitudine tibiis canentium, qui ut canentes sustinent, ita illi ædificia, hoc est, eorum tecta. » Vet. Schol. explicat: tibicinatam, tanquam tibicina, id est, gracili materia.

Var. 194. *Si*, 61, 63, 66, 67, 74.

Var. 195. *Cum texit* ex 14, 17, ad marg. 20, 22, 27, 45, 49, nunc recepi pro vulg. *contexit*, quia sic et oratio et sententia fit concinnior. Ita legendum et ipse jam dudum suspicatus sum, et existimarunt H. Vales. aliique, etiam Hein. qui tamen aliis locis tali orationis forma non offenditur. Ex Codd. Paris. nihil notatum esse ab Ach. mireris.

Not. 194, 195. Sic, fulciens ædes tenui tibicine, appositis tibicinibus levissimis, exsilibus fulcris atque columellis, *labentibus*, ruentibus, aut certe mox lapsuris, casuris, ruinam minantibus ædificiis, *obstat*, subvenit, lapsum et ruinam ædium prohibet, *Villicus*, etc. *Villicus*, proprie dicitur, qui villæ, et deinde, qui aliis quoque rebus est præfectus, verbi caussa, *villicus ærarii*, *hortorum*, *aquæ:* sed hoc loco *villicus* est, vel dominus, eo modo ædes reparans, quo villicus rustica ædificia, contentus obducere vel obstruere rimas parietumque vitia, ut sumptibus parcat; vel præfectus Urbi, qui et infra IV, 77, satirice ita dicitur, et forte sub Imperatoribus aliquam ædium privatorum curam gessit; vel Ædiles, qui certe hanc curam rei publicæ et Papiniani temporibus habuere: nam qui ante Papinianum, et post Augustum eam habuerit, non satis constat. Cf. Ferrar. Elect. II, 9. Nota Ach. est: « Ego malim intelligi subrusticum murorum structorem (*un maçon de village*), cui dominus resarciendæ domus labentis curam mandat, ne nimios sumptus faciat. » *Sic* hoc loco ut ὕσλως, pro *negligenter*, *languide*, dictum putat Hein. Conf. Passerat. et Broukh. ad Propert. I, 3, 34; Scholiast. ad Sophocl. Ajac. 1198 (Οὔλως ἀντὶ τοῦ, ὡς ἔτυχε); intpp. Horat. Od. II, 11, 14; et Evang. Johan. IV, 6. Sed vulgaris quoque vocis significatio huic loco convenit.

Var. 196. *Securus*, 27, 47, 48, 57, 59, 60, 65. — *Dormire jubet pendente ruina*, 11, 14, 24.

Not. 196. *Jubet dormire securos*, eos, qui in ædibus habitant, vel inquilinos ædium privatarum insularumque, quasi sarta tecta sint, *ruina pendente*, impendente.

Var. 197. *Multa incendia, multi Nocte metus*, non male emend. Schrader, ut de Roma sermo sit, ad quam verba et præcedd. et seqq. spectant. Refragatur Hein. qui hæc adnotavit: « Vulgata multis nominibus præferenda. Dicit Umbricius, domicilium quærendum esse, ubi nulla incendia metuenda, nulla pericula noctis. Jam adjiciendum erat: hic Romæ talia semper metuenda; sed ea omittit poeta, qui brevitatem amat, et statim pergit: *Jam poscit aquam*, etc., quasi quum maxime incendium videret. »

Not. 197. *Vivendum est illic*, Gabiis, Volsiniis, Præneste, Tibure, aliisve oppidulis. Cf. vs. 190 seq. 223, 224, sed et hujus loci Var. Lect.

Var. 198. *Aquas*, 24.

Not. 198. *Poscit aquam*, quia domus ardet. Grangæus, coll. Quintil. Declam. XII, hæc verba refert ad ritum antiquum, quo aqua incendio inclamari publice solebat. — *Jam frivola*, res, sarcinas et vasa viliora, *transfert*, postquam res majoris pretii jam servavit.

Not. 199. *Ucalegon*, is, cujus ædes ardent. Poeta hoc nomen petiit e Virgil. Æneid. II, 312, ubi vid. Heyne. — Hanc nocturnorum incendiorum descriptionem non prætermisit *Boileau*; et ipse quoque ad Æneidem respexit; Sat. 6, vs. 107 seq.

« Car le feu, dont la flamme en ondes se déploie,
« Fait de notre quartier une seconde Troie,
« Où maint Grec affamé, maint avide Argien,
« Au travers des charbons va piller le Troyen.
« Enfin, sous mille crocs la maison abîmée
« Entraîne aussi le feu, qui se perd en fumée. »

Hæc, etsi brevis, poetica admodum et numeris omnibus absoluta descriptio Virgilianam pariter elegantiam, et vim Juvenalis satiricam exhibet. Ed.

Not. 199—201. Si domus ardet, dominus vel frivola quævis prius exinde transfert, quam de periculo imminente inquilinos pauperes, quibus summa ædium tabulata locavit, certiores faciat, vel iis subveniat. — *Tabulata tertia*, cœnaculum, ὑπερῷον, summa pars ædium, in qua pauperes habitant; conf. ad VII, 118, et X, 18; Horat. Epist. I, 1, 91; Plaut. Amphitrion. III, 1, 3, et Sueton. Vitell. cap. 7. — *Tibi*, in perniciem tuam.

Not. 200. *Ab imis gradibus*, tabulatis. — *Trepidatur*, vox præcipitem eorum actionem, qui restinguendo, vel evitando student incendio, apprime depingens; Ach.

Not. 201. *Ultimus ardebit*, postremo ardebit cœnaculum summum, quod pauper conduxit sub tegulis.

Var. 202. *Pluviis*, 24.

Not. 202. Poeta forte respexit ad originem ac vim voc. ὑπερῷον, quod quidam compositum putant ex ὑπὲρ et ᾠόν, ut sit quasi locus, in quo columbæ *ova* sua ponant. — *Columbæ molles*, quæ et teneræ sunt et lascivæ.

Anal. 203—222. Pauperi bonis suis exuto nemo est qui subveniat; sed divitem, eadem calamitate afflictum, omnes fere juvant. Conf. Martialis, V, 82, ad Æmilianum.

Var. 203. *Cordo*, 49. Vid. ad I, 2.

Not. 203. *Codro*, pauperi cuidam; vid. ad I, 2. — *Lectus Procula minor*, uxore brevior. Grangæus suspicabatur, poetam respexisse ad proverbium græcum: ὁ Κλομένης τῆς κλίνης ὑπερέχει, *Cleomenes cubile superat*, hoc est, tam pauper est, ut ne lectum quidem sibi æqualem comparare possit: quem verborum sensum non perspexit Erasm. Prov. LII, Chil. V, Cent. VII.

Not. 204. *Abacus*, mensa marmorea, quæ et *Delphica*, *ministerium* ac *repositorium* vocabatur, et in qua tam ad usum, quam magnificentiam exponebantur vasa aurea et argentea, inprimis potoria, hoc loco, *sex urceoli*, seu vasa potoria, quæ non pretiosiora, quam ipse *abacus*, quem ornant, censenda sunt. [1]

Var. 205. *Et recubans sub eo de marmore Chiron*, emend. C. Vales. ut *sub eo*, scilicet cantharo, dictum sit pro in eo, aut in pede ejus marmoreo, in quo Chiron jaceat sopitus vino, ut in altero apud Plin. XXXIII, 12, satyrum in phiala gravatum somno collocavisse verius quam cælasse dictus sit Stratonicus. *Echinus* pro *Chiron* conj. Manso, cujus nota est: « Pauperi Italo abacum marmoreum lubenter concedimus, non item marmoream statuam; inter vasa etiam, quæ, cœnæ et cœnantibus inservientia, supra mensam collocantur, et infra, sive medios inter urceolos et cantharos, marmorea Chironis effigies locum suum tueri vix potest; et semihomo centaureus muneri officioque imposito parum convenit. Noster ante oculos habuit Horat. Sat. I, 6, 116 seq. *Echinus* autem fuit vas aliquod, sive figlinum, sive æneum, ignobilius, et a similitudine cum animali marino ejusdem nominis dictum. Conf. Cruq^m ejusque Schol. ad Horat. l. l. et Alberti ad Hesych. voc. ἐχῖνοι. » Sed verbum *recubare* vasi non satis convenire, vocesque *echinus* et *Chiron* nimis differre videntur.

Not. 205. *Cantharus*, poculum capax et ansatum, ex quo vinum in

[1] Conf. Harduin. ad Plin. XXVIII, 2; XXXIII, 11; XXXIV, 3; XXXVII, 2; Intpp. Horat. Sat. I, 6, 116, 117; Ernesti clav. Cic.; Cujac. Obss. X, 3; et Salmas. ad Jus Att. et Rom. c. 23 pag. 450 seq. 486 seq.

urceolos, minora pocula, diffundebatur. — *Sub eodem marmore*, sub mensa marmorea, et ex eadem materia, *Chiron*, trapezophorus, statua, seu columna, vel pes mensam sustinens, et effigiem Chironis centauri referens. — *Marmore*, vulgo ironice dictum, et de argilla capiendum putant, quia Codrus pauperrimus fuerit. Marmoreos tamen abacos Romæ vulgares, et ditioribus mensas potius citreas cum eburneis fulcris fuisse, observat Ferrar. Elect. II, 9. Conf. ad XI, 122 seq., sed et hoc loco Var. Lect.

VAR. 207. *Opiti*, 21. *Apici*, auctor vet. Glossar. bilinguis, ab H. Stephano editi : *Apicus*, ὀπικιστής, ὡς Ἰουβενάλιος. *Epici* (id est, Homeri), conj. Is. Voss. Conf. Burm. et Anthol. tom. I, pag. 357.

NOT. 207. *Divina carmina* ἱερονικῶς dici existimant de Theseide Codri, de qua vid. ad I, 2. Sed possunt etiam proprie carmina præclara *Græcorum* poetarum significari. Sic *dia poemata* dixit Persius, I, 31. — *Opici*, vel *Opsci* et *Osci*, prisca Ausonum gens, quæ cis et ultra Lirim, in Latio et Campania, habitabat. « Eam postea inter Romanos receptam barbara sua lingua, dissonisque moribus multa de prisca illa et præclara rei publicæ disciplina in pejus innovasse, verisimile putat Dionys. Halycarn. I, 89. » Manso [1]. Hinc facete mures *Opicos* dici, quasi barbaros et Græcæ linguæ ignaros, rudes, imperitos ac simplices, recte monent viri docti. Conf. ad VI, 455; intpp. Gellii, II, 21; XI, 16; XIII, 9, et Plin. XXIX, 1, quibus locis Apollinarem Sidonium, Epist. VII, 3 : « Turbida et præceps et *opica* translatio, » adjecit Manso. [2]

VAR. 208. *Cordus*, 8, a m. sec., et 49. Vid. I, 2. — *Neget*, 11. Non male.

NOT. 208. *Nil habuit Codrus*, ut ἴσχειν οὐδὲν, et οὐκ ἴσχειν, scilicet χρήματα, seu οὐσίαν, et latine *habere aliquid*, aut *nihil;* vid. interpret. Matth. XIII, 12; et Schleusneri Lex. N. T. voc. ἴσχω, n. 15. — Quædam ex his imitatus est *Boileau*, sat. 1, vers. 97 seq. ED.

VAR. 209. *Nil*, 61—63, 68, 71—74.

VAR. 210. *Ac* pro *et*, 10, 12, 23, 45. — *Frustra*, 10, 12, 17, a m. pr. 19, 20, 21, a m. pr. 22, a m. pr. 24, 44—47, 49, 64, 65, 68, 69, 74, et XXXIII Codd. Paris. unde restituit Ach. Vetus scholion est : « *frustra*, sine

[1] Conf. Strabo, V, pag. 242, C; et Heye Excurs. VIII ad Virgil. Æneid. VII, 730.

[2] Scholiast. vetus : « Qui fœdam vocem habent, vel qui imperite loquuntur, ὀπίζουσι. » Alii ut Lipsius, Epist. Quæst. V, 6 : Opicos existimant turpes dici ac fœdos a lingendo, vel liguriendo, quoniam Oscis frequens rerum turpium usus (vid. Festus, voc. *Oscus*), unde *Eunus Syriscus inquinum liguritor Opicus magister*, apud Auson. Epigramm. CXX (CXXVIII), 2; idem Auson. dixit *exesas tineis opicasque evolvere chartas*, de Profess. XXIII, 3.

caussa; aut *frusta*, id est, panem.» Posterius unice verum, illud ab hoc loco alienum est, certe languet: nam eum *frustra* rogare, quem nemo juvat, per se intelligitur. Conf. Martial. XI, 28, 3, et III, 40, ubi vid. Rader.

Var. 211. *Juvabat*, 16, 19, 25, 27, 56, 57, 59, 66.

Var. 212. *Asturici*, 2, 4, 75—82. *Arturici*, 21, a m. pr. 22, a m. sec. *Asturii*, 15, 16, 23, 45, 55, 65, quod nunc recepi suadente Manso. *Asturi*, 14, 17, 19, 20. *Astari*, 74. *Arturii*, 3, et ita conj. Farnab. coll. vers. 29. *Arcturii*, 5, 50. *Arturi*, 26, 46, 48, 56, 58—60, 64, 65, 70. *Arcturi*, 25, 27, 28, 47. *Arthuri*, 24. *Archturi*, 13 *Acturi*, 10. *Astyrii*, 49, 54, 57, 61—63, 67—69, 71, 73. *Assyrii*, 72. *Osturici*, 22, a m. pr. *Ostorii*, suspicabatur Pulman. et noti sunt e Tacito P. Ostorius Scapula, M. filius ejus, et Ostorius Sabinus. Sed talia in ambiguo relinquenda.

Not. 212. *Asturii*, divitis ac nobilis viri: nomen fictum. Conf. Var. Lect. — *Horrida*, inornata, inculta, *mater* est, hoc est, tum matronæ sordidæ sunt, ac squalidæ, ut in publico luctu.

Not. 213. *Pullati proceres*, patres equitesque vestes mutant, et togas *pullas*, fuscas, seu nigricantes squalore, induunt, quod in publico luctu et calamitate fit. Conf. Lipsius ad Tacit. Annal. II, 82. Color *pullus* est ferrugineus, nec purpureus, nec ater, sed inter utrumque medius, violaceus, aut pavonaceus, cujus coloris vestibus honoratiores olim, ut nunc reges quidam, in luctu utebantur, etsi atris quoque induti erant; Voss. ad Catull. pag. 168, 169, 218. Conf. Kirchman. de Fun. IV, 2. — *Differt vadimonia Prætor*, justicium edicitur, ut in luctu publico; vid. Lips. et Kirchm. locis laudatis; Fabri Semestr. II, 10.

Var. 214. *Geminus*, 15, 16, 45—48, al. — *Urbis casus*, 46, 47, 50. — *Ignes*, 24.

Not. 214. *Tunc gemimus casus Urbis*, quasi hac calamitate tota urbs, non unus homo affligeretur. — *Tunc odimus ignem*, exsecramur: nam odium iramque in caussas malorum, etiam inanimas, sensuque vacuas, evomere solemus. Lugentes, ut notat Schol. vetus, focum in domo sua fieri non patiebantur: quare Grangæus non *ignem* incendii, sed cujuslibet foci intelligebat.

Anal. 215—222. Vividis imaginibus coloribusque adumbratur summum studium, quo amici divitibus opitulantur. *Collatum est decies*, Martial. III, 52, 3.

Var. 215. *Etiam*, 14. — *Jamque* pro *et jam*, 22, a m. sec. — *Currit*, 45. *Accurret*, 16. *Occurrit*, 10, 12, 21—27, 46—50, 55, 57—60, 63—69, et omnes Codd. Paris. unde nunc revocavi cum Ach. *Occurrere*, ut φθάνειν et ἀπαντᾷν, seu καταντᾷν τινὶ, vel εἰς, ἐπί et πρός τι, significat venire, advenire et occurrere, vel in tempore, vel subito et inexspectato. Vid. ad Liv. XXI, 61, pr.; Ern. ad Suet. Calig. 39; Græv. et Oudend. ad Suet. Calig. 26. *Accurrit*,

rel. Codd. et edd. quod passim substituerunt librarii, vim verbi *occurrere* ignorantes. — *Donat*, 12, 45. *Domet*, 47, 50.

Not. 215. *Ardet adhuc* domus ditioris nobilisque viri. — *Occurrit*, vid. Var. Lect. — *Donet marmora, et conferat impensas* ad novas ædes exstruendas.

Not. 216. *Signa nuda*, verbi caussa, Achillea, quæ opponuntur velatis, palliatis, togatis, paludatis, loricatis, chlamydatis. Conf. Plinius, XXXIV, 5, seu 10. *Signa candida*, e candido marmore.

Not. 217. *Aliquid præclarum*, aliquam imaginem, vel statuam, mira arte effictam. — *Euphranor*, statuarius et pictor celeberrimus Olymp. CIV: vid. Plin. XXXIV, 8; XXXV, 11; et Quintil. XII, 10. — De *Polycleto*, vid. ad VIII, 103.

Var. 218. *Hæc Asianorum*, 1, 8, 11, quorum magna est auctoritas. Ita significantur simulacra deorum, aliaque templorum ornamenta, et quidem *vetera*, variis temporibus ex Asia Romam deportata. *Hic* suspicari possis pro *Hæc*: sed utriusque sexus studium et opera designari videtur. *Fetasianorum*, 17. *Phecasianorum*, 23, a m. pr. *Fecasianorum*, 8, a m. sec. 14—16, 19, 22, 45. *Fœcasianorum*, vetust. Voss. Leid. vet. Oxon. et Schol. ined. teste Burm. ad Anthol. lat. tom. I, pag. 608. *Phœcasianorum*, 10, 20, 23, a m. sec. 24, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 77. *Phœcasianorum*, 81, prob. Hein. idque revocavit Ach. qui in omnibus Codd. Paris. *phœcasianorum*, vel *fecasianorum*, exstare dicit. Hos putant esse deos Græcorum *phœcasiis* indutos; unde forsan *Phœcasiatorum* rectius scriberetur. Φαικάσιον rustici Attici-que calceamenti genus, a quo et *Phœcasii* dicti sacerdotes Atheniensium et Alexandrinorum. Conf. Hesych. h. v. Polluc. VII, 22; Appian. B. Civ. V, 11, et 76; Plut. vit. Anton. pag. 930; Petron. 67, et 82 (*in exercitu vestro phœcasiati milites ambulant*); Sen. ep. 113, et de Benef. VII, 21; Heins. ad Ovid. A. A. III, 271; Turneb. Advers. X, 7, et 27; Balduin. de Calc. cap. 19.

Not. 219. *Forulos*, capsulas, armaria, in quibus libri aliæque res reponuntur. — *Minerva*, sapientiæ symbolum, artiumque præses, cujus statuæ, vel imagines in bibliothecis reponi solebant. *Minervam mediam*, hoc est, statuam Minervæ, non in medio reponendam, sed diuturnitate temporis jam imminutam ac mutilatam (ut *dimidius*, VIII, 4, 5; XV, 5), vel potius dimidiatam, a vertice ad umbilicum, seu humeros usque effictam, quales statuæ proprie *imagines*, nonnunquam et *thoraces*, Græcis προτομαί, German. *Büsten* et *Brustbilder*, ut contra integræ *statuæ iconicæ*, vel *similares*, Græce ἀγάλματα εἰκονικά, ἰσομέτρητα, German. *Statüen in Lebensgrösse* dicuntur.

Var. 220. *Modulum* (hoc est, modum) *argenti*, conj. Plathner. coll. v. 310. Horat. Sat. II, 6, 1, et Epist. I, 7, 98. — *Ac* pro *et* recepi ex 10, 17, 20—25, 27, 45—50, 54—69, 71—73. — *Reponet*, 10. *Reportat*, malebat Schrader.

Not. 220. *Reponit*, in locum eorum, quæ incendio periere, substituit.

Var. 221. *Ut* pro *et*, conj. Lindenbrog.

Not. 221. *Persicus*, divitis, cujus ædes conflagrarunt, nomen fictum, eo quod Persæ divites; vetus Scholiast. Reliqui intpp. designari putant Fabium Persicum, de quo vid. ad VIII, 14: « Enimvero est noster *Persicus* unus idemque cum *Asturio*, vs. 212, desumpto agnomine a gente, unde ipse aut majores ejus originem duxerant: quod nisi quemque rei ratio, totiusque orationis nexus doceret, docere debuissent, saltem potuissent « Asianorum ornamenta Deorum, » quæ homini *Asiatico* gnavi strenuique amici, sed lucri cupidi, et orbitatis bene memores, ad incendii damna reparanda ultro, vs. 218, offerunt; » Manso. Persicus plura recipit, quia et *orbus* est, sine liberis, et *ditissimus*: duæ rationes cur ei plus adulentur heredipetæ; Ach.

Var. 222. *Incenderet*, 14—16, 19, 48.

Not. 222. Conf. similis locus Martialis, III, 52:

.... Rogo; non potes ipse videri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

Not. 223 seq. *Si potes avelli*, carere, *Circensibus* ludis. *Avelli*, δεινῶς, quasi vi, violentia. Præclare et σαρκαστικῶς de insano ludorum studio, de summis voluptatibus ac deliciis Urbis: nam Romani his ludis maxime delectabantur. Cf. VI, 87; VIII, 118; X, 80, 81; XI, 53, et 193 seq.; XIV, 262 seq.; Plin. Epist. IX, 6. — *Sora*, *Fabrateria* et *Frusino* urbes Latii, quas etiam conjunxit Silius, VIII, 394—398. — *Tenebras*, domum tenebrosam, ut apud Martialem, II, 14, 12.

Var. 224. *Paretur*, 12, 17, 21, a m. pr. 22.

Not. 226. *Hortulus hic*, in his oppidis tibi est, vel potius una cum ædibus *paratur* eodem pretio. — *Puteus brevis*, non altus, vel profundus, *nec reste movendus*, unde aqua non fune, sed manu potest hauriri.

Var. 227. *Teneras plantas*, 24. — *Diffunditur* pro *defunditur* restitui, ex 14, 15, 16, 21, 22, 27, 56, 61, 63, 65, 74. Ita quoque legendum conj. Schrader.

Not. 227. *In tenues*, et hinc rigandas *plantas diffunditur*, aqua ejus late et ubivis dispergitur.

Not. 228. *Vive*, sis ibi, *amans bidentis*, ovium, vel potius rastri, hoc est, rei rusticæ, agriculturæ intentus. Conf. Heins. ad Ovid. Amor. I, 13, 15. Bene Barhrdt: *Da lebe froh bei deiner Hacke.*

Var. 229. *Epulas*, 26. *Cibum possis*, 20. — *Pythagoræis*, vulgo scribunt. Sed Gr. Πυθαγόρειος dicitur.

Not. 229. Cujus horti fructibus centum alere possis homines. — *Pythagorei* oleribus, herbis leguminibusque plerisque vescebantur: at quibus-

dam leguminibus (fabis, lathyro, erebintho), animaliumque carne abstinebant, ob frugalitatem et *μετεμψύχωσιν*.[1]

Not. 230. *Est aliquid*, hoc est, magnum, eximium quid, ut apud Ovid. Trist. lib. I, 2, 53, 55; Græce *ἐστί τι*. Conf. Var. Lection. supra ad Sat. I, v. 74.

Not. 231. Vox *lacertæ* admodum torsit interpretes. Britannicus eam accepit de vermiculo, hoc est, re vel levissima; Firm. *Didot* in editione Ach. de humili et parva casa, quale est lacertæ latibulum, gallice, *un trou de lézard;* Schol. vetus, Farnabius, Grangæus et alii de agello, aut hortulo quam minimo, ubi vix unica lacerta latitare possit, ac discurrere, ut soleat. Horum sententiæ favet Martial. XI, 19, 10, 11:

....Rus,
In quo nec cucumis jacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit.

Nonnulli *lacertæ* pro *lacerti* dictum, vel hoc reponendum censent, ut tantum designetur agri, quantum est spatium brachii inter scapulæ et cubiti ossa; quemadmodum nos dicere solemus *ein Fuss Landes*, vel *eine Hand voll Erde;* gallice, *un pouce de terre*. Bahrdt ita *παραφράζει*: dominum tanti, quantum lacertus, vel brachium sanum firmumque colere valeat. Heinsius ad Ovidii Fastos, XII, 578, omnino *lacerti* legendum putabat, coll. infra XIV, 293; Arnob. lib. III, ubi Neptunus *mænarum et piscium dominus* vocatur; et Martialis, XII, 59, 8, quem versum sic emendabat:

Hinc mænæ dominus pediculosæ,

hoc est, pisciculi marini, non magni pretii (ut *lacertus*, de quo vid. Comment. infra ad XIV, 131), et sale condiri soliti in vasis, seu orcis (ut *lacerti*, apuæ, scombri, siluri, pelamides, gerres, cordillæ); quo vescebantur ut plurimum mendicabula hominum pediculosa. Heinsii emendationem probavit Schraderus. Alii vero suspicantur, pro *lacertæ*, vel *latebræ*, vel *lacernæ* substituendum esse. Posterius hoc sensu capiebat H. Valesius: lacernatum semper esse posse libere, non semper togatum ac toga, longa veste, impeditum, ut Romæ. Nihil horum mihi satisfacit, et crediderim potius, Juvenalem scripsisse *tabernæ*, hoc est, casæ (quo sensu *tabernas pauperum* et *obscuras* dixit Horat. Od. I, 4, 20, et Art. poet. vs. 229), et

[1] Conf. infra ad XV, 173, 174; Gell. IV, 11 (ubi vid. intpp.); Athenæus, IV, 17; VII, 16; X, 5; Plin. XVIII, 12; XXIII, 7; Plutarchus, Sympos. VIII, 8; Laert. lib. VIII; vir doctus in Miscell. Obss. crit. vol. VI, tom. II, pag. 417—451 (ubi de Pythagoræ symbolo, *κυάμων ἀπέχεσθαι*, disputat, putatque, *κυάμους* non fabas fuisse, sed ova, quasi *κύησιν*, feturam conceptumque animalium, propter verba Plut. Sympos. lib. II, quæst. 3: *διαφέρειν μηδὲν τὸ ἐσθίειν ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι τοῖς τίκτουσι τὰ ἀπὸ ζώοις*); *Creuzers Symbolik*, tom. I, pag. 126; tom. IV, pag. 291.

quocumque non pro *quovis*, sed pro *qualicumque* posuisse. Quidquid vero legas, sententia hujus loci est : præstat alio quocumque loco agellum et hortulum, vel res tenues ac nullius fere pretii, quam Romæ multas ædes ingentesque opes possidere.

Var. 232. *Ipsis* pro *illum*, 29. *Ipsum*, 10, 12—17, 19—24, 26, 45.

Not. 232. *Hic*, Romæ. — *Vigilando*, quia ob perpetuos nocte dieque strepitus nemo defessum corpus somno reficere potest; plurimique homines inde ægroti, consumptis viribus, pereunt. *Boileau*, Sat. VI, 2 :

« Est-ce donc pour veiller qu'on se couche à Paris? » Ed.

Var. 233. *Langorem*, 22, 45—50, 60, 63, 64. — *Adhærens*, 16.

Not. 233. *Languorem*, morbum. — *Cibus imperfectus*, haud concoctus, vel potius non satis ac bene coctus, crudus, adeoque non facilis ad concoquendum.

Var. 234. *Namque et meritoria*, 15. *Nam quem* (id est, qualem) *meritoria somnum Admittunt*, malebat H. Vales.

Not. 234. Conf. Martialis, XII, 57. — *Meritoria* dicuntur, quæcumque mercede locantur, hoc loco forte non diversoria, ξενοδοχία, ut putant, sed cubicula (ut apud Papin. Dig. XXXII, 1, 91, et Ulpian. Dig. VII, 1, 13), vel *tertia* illa *tabulata*, a pauperibus conducta, de quibus vid. ad vs. 199. Nam de pauperibus hoc loco agi, qui Romæ dormire nequeant, probabile fit ex Martialis loco laudato, et verbis, quæ sequuntur : *magnis opibus dormitur in Urbe*, hoc est, Romæ magni paratur domus, quæ cubicula habeat remota a strepitu, qui in vicis est. Loquitur etiam hoc loco Umbricius, pauper et Urbe discedens, ubi aliquamdiu habitaverat, et ubi non tot fuere diversoria, ut pauci habitare ibi potuerint, quorum somnum non interruperit illorum strepitus. Hinc etiam haud innui crediderim lupanaria, aut, quod alii suspicantur, tabernas vel officinas ærariorum, nummulariorum, pistorum, malleatorum, etc., qui eas mercede conduxerint, aut in illis diurna nocturnaque opera meriti sint victum, et continuo strepitu somnum vicinorum interruperint. Manso hæc adnotavit : « *Meritoria* omnino (!) sunt ξενοδοχία, quæ recte *somnum non admittere*, et *vigilando ægros occidere* dicuntur, quum omnis generis homines, qui hospite et hospitii beneficio in urbe carerent, ad ea deverterent et confluerent; eoque sensu Valerius Maxim. I, 7, extern. 10, dixit *in tabernam meritoriam devertere*, et Ulpianus, Dig. VII, 1, 13, *meritoria facere*. » — Hæc verbo expressit *Boileau*, Sat. VI, 116 :

« Ce n'est qu'à prix d'argent qu'on dort en cette ville. »

Multa quoque romani poetæ nostras ille satiricus sibi vindicavit, quorum præcipua indicare satis habebo : cetera si desideret lector, ipsius satiram VI perlegat. Ed.

Var. 236. *Redarum*. Vid. ad vers. 10. — *Arto*, 13, a m. sec. 21, 22, ut

in optimis quibusque exemplaribus scriptorum Rom. Vid. Harles. ad Cellar. Orthogr. pag. 180; Stoeber. ad Manil. pag. 525; Drak. ad Sil. VI, 194, et VII, 280, ubi laudat Pier. ad Virgil. Æneid. I, 293; II, 146; Broukhus. ad Tibull. I, 5, 53; Gron. ad Sen. OEd. 277, et al. Rectius tamen *areto* scribi crediderim ab *arcere*, hoc est, continere, *coercere*, contrahere, concludere.

Not. 236. *Caput*, origo, prima ac præcipua caussa. — *Redarum transitus*, fragor et strepitus curruum, clamor aurigarum, concurrentium hominum simul ac redarum confusio, *areto vicorum in flexu;* nam erant certe veteris Romæ vici angusti et parum directi, quod ex Livio, lib. V, extr. patet; Ach. Conf. Tacit. Annal. XV, 38, 43; Flor. I, 13; Diodor. XIV, 116, et Donati Roma vet. I, 25. — *Redarum* (vid. ad III, 10) quoque *transitus* et occursus difficilis, quia *mandræ*, hoc est, jumenta, vel plaustra, in unum coacta, vias, inprimis *in flexibus* earum, occupant et claudunt, ut *transiri* non possit; unde *convicia stantis mandræ*, hoc est, quæ mulio, vel redarius dicit aliis redariis et mandræ suæ stanti, nec ulterius progredienti, quoniam aliæ mandræ in arctis obliquisque vicis obviam veniunt. — *Mandra*, μάνδρα, spelunca, stabulum, caula, ovile (vid. Schol. ad Theocrit. IV, 61); sed hoc loco, et simili Martialis, V, 23, 7, jumenta, vel carri, et hinc quoque aurigæ, seu equisones.

Var. 237. *Vicorum inflexu*, quidam libri, prob. H. Vales. qui monet, *inflexum vicorum* esse Gallice *le détour d'une rue*.

Var. 238. *Eriperent*, 24. *Eripiant*, 60, 65. Neutrum spernendum. *Eripiunt*, 10, 14, 15, 23, 25, 27, 45—50, 54—59, 62, 64—69, 71—74. Ita et X Codd. Paris., sed totidem et quidem optimi habent *eripient*, quidam *eripiunt*, alii *eriperent*. — *Somnos urso*, 45, a m. sec. 50, 64. Cæterum vide notam sequentem.

Not. 238. *Druso* est lectio omnium fere librorum. Quæ si vera est, Juvenalis respexisse videtur ad somnolentiam Tib. Claudii Drusi Cæsaris, de qua vide Suet. Claud. cap. 5 et 8. Recte tamen monuerunt jam viri docti, non bene *Drusum* jungi cum *vitulis marinis*, hoc est, phocis, et ingeniose conjecerunt *somnum urso*, vel rectius *somnos urso*, quod etiam legitur in 45 a manu sec. 50, et 64. Notum est, ursos esse somnolentos, et per hiemem potissimum in lustris suis delitescere, indulgentes somno, et nihil comedentes. Vid. Aristoteles, Hist. Animal. VIII, 22; et auctor libri de mirab. auscult. p. 1155. Prægnantes etiam ursæ, ut verbis Plinii VIII, 36, seu 54, utar, « primis diebus bis septenis jam gravi somno premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant : tunc mirum in modum veterno pinguescunt, etc. » Conf. Aristotelis locus laudatus, et Solin. cap. 26. Idem Plinius, lib. IX, 13, seu 15, docet, *nullum animal graviore somno premi* phocis (conf. Oppian. Hal. I, 408, et intpp. Virg. Georg. IV, 432), iisque *vitulorum* nomen inditum esse, quod *ipsis in sono* (non *somno*) *mugitus sit; ἀφίησι δὲ ὁμοίαν φωνὴν βοΐ*, Aristot. Histor. Anim. VI, 11; unde et Gallis *veaux de mer* dicuntur.

Quæ quum ita sint, mens poetæ ita hoc loco capienda videtur : strepitus curruum aurigarumque tantus est, ut vel animalia somniculosa expergefacere queat. Eam non percepit Grævius, qui hæc adnotavit : « Qui vitulis marinis Romæ possit somnus excuti, dicant, qui eos dormientes viderunt, aut Romæ, aut usquam terrarum. Locum mendosum esse nemo non videt. Legendum autem videtur *Drusus vetulisque maritis;* nam senes sunt somnolenti : quamvis alia possit ratio dari, cur vetuli mariti, qui juvenculas duxerunt, somno alto sopiti jaceant. » H. Valesii nota est : « Lego *Eripiunt* (omnem omnino tota nocte) *somnum Druso,* homini delicati somni, *vetulisque maritis,* anibus, aut certe senibus, quorum somnus deterior et interruptus. » Jacobs emendat *vitulisve,* quia hoc Drusum, somnolentum hominem, vitulis marinis exæquet, non, ut *vitulisque,* in uno loco quasi conjungat; quod ineptum ei videtur.

Not. 239. *Officium,* negotium, vel honos, qui alicui habetur salutando, deducendo, occurrendo, etc. — *Vocat,* aliquo ire jubet divitem, ut nos dicimus, *ein Geschäft ruft mich;* gallice, *une affaire m'appelle.* — *Vehetur* lectica, vel sella.

Not. 240. *Liburno,* servo e Liburnia, ut IV, 75, et VI, 477. Hoc est, humeris ejus cervicibusque; vel lectica, ab eo gestata. *Ingenti Liburno,* ut *longorum cervice Syrorum,* VI, 351 ; nam ut sublimiores ferrentur Romani, servos eligebant tam grandes et erectos, tum robustos, quales erant Liburni ; unde *horridus Liburnus* apud Martial. I, 50, 35. Conf. Lips. Elect. I, 19, et Bottigeri Sabina p. 438, 458, ed. pr. — *Curret super ora,* quo sensu Plinius dixit Paneg. cap. 24 : « Illos humeri cervicesque servorum super ora nostra vehunt » ; et Seneca : « Quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit. »

Var. 241. *Aut abit, aut leget,* 16. *Scribet aut leget,* 21. *Vel scribet,* 27, 45—50, 54—59, 61, 62, 64, 66. — *Aut dormiet,* 17, 22, 24.

Not. 241. *Obiter* hoc loco proprie ob iter, hoc est, in itinere, dum vehitur ; vel παρίοντας, ἐν παρόδῳ, ἐν παροδοῖς (Gallice *en passant*), ut VI, 481. — *Intus,* in lectica. Conf. Heins. ad Ovid. Ep. Heroid. XXI, 19.

Not. 242. Fenestræ, quæ in lectica undique clausa ad prospectum erant, velo, sive linteo tegebantur, quod et dimoveri et adduci poterat. Conf. supra ad I, 65, et Lips. loco laudato.

Var. 243. *Veniat,* 17. *Venit et,* 22.

Not. 243. *Ante,* prius quam nos pauperes, *tamen,* etiamsi legit ac dormit, *veniet,* quo volet.

Var. 244. *Populus magno,* 16, 20. — *Populi,* 17.

Not. 244. *Unda,* multitudo populi, ut apud Virg. Georg. II, 462, et Sil. IV, 159, ubi vide Drak. et nos. — *Unda prior,* multitudo clientum, qui officii caussa patronum deducunt, et lecticam præcedunt, quibus opponitur, *populus, qui sequitur* lecticam.

Var. 245. *Premit hic cubito*, 22.

Not. 245. *Assere*, ligno, pertica, amite oblongo ac prominente, quo lectica sustinetur. Conf. ad I, 65, et Gonsal. ad Petron. p. m. 103.

Var. 246. *Et hic*, 23, 24, 45. — *Lignum capiti*, 13, 17, 21, 22, 26, 29, 45. — *Capiti lignum*, 20.

Not. 246. *Metreta, ὁ μετρητής*, mensura liquidorum Attica, cadus, vel amphora [1] — *Boileau*, Sat. VI, vs. 31, seqq. hunc locum ita expressit:

« En quelqu'endroit que j'aille, il faut fendre la presse
« D'un peuple d'importuns, qui fourmillent sans cesse.
« L'un me heurte d'un ais, dont je suis tout froissé;
« Je vois d'un autre coup mon chapeau renversé. » En.

Not. 247. *Pinguia* sunt, fiunt, opplentur *luto crura* mea. — *Planta magna*, ut XVI, 14, *grandes suræ* militis.

Var. 248. *Mihi clavus*, 45.

Not. 248. *Clavus*, caligis infixus, et inde *caligaris* dictus. [2] — *In digito* pedis.

Var. 249. *Jaculetur sportula*, 15.

Not. 249 seq. Alia hominum multitudo describitur, qua pauperes in vicis premuntur et conculcantur. — *Nonne vides δικτιῶς* dicitur. — *Sportula* hoc loco non centum quadrantes, sed cœna, cibaria, *δείπνον ἐν σπυρίδι*. Conf. ad I, 95 seq. — *Quanto fumo celebretur sportula*, quanto hominum confluxu et studio petatur sportula, quod ex fumo intelligitur, quem vides.

Not. 250. *Convivæ*, qui acceperunt sportulam, et domum redeunt: hos *sequitur sua quemque culina*, hoc est, servus capite ferens sportulam, seu cibaria, foculo vel calefactorio imposita, ne in reditu intepescant, aut frigescant. Hinc Martial. XII, 32, 14:

Focum ferentis suberat amphoræ cervix,

et Sen. Epist. 79, al, 78: « Tumultus est coquorum, ipsos cum opsoniis focos transferentium: hoc enim jam luxuria commenta est, ne quis intepescat cibus, ne quid palato jam guloso (al. calloso) parum ferveat, cœnam culina prosequitur. »

Var. 251. *Turres* pro *tot res*, 26.

Not. 251. *Corbulo*, hoc est, vir tam robustus ac validus, quam Corbulo

[1] Conf. Isidor. Orig. XIV, 25, et *Eisenschmidt*, de Ponder. et Mensur. pag. 80.

[2] Vid. ad XVI, 25; Harduin. ad Plin. IX, 18; XXII, 22; XXXIV, 19; Isidor. XVI, 20; Alciat. lib. IV, ff. de V. S. Turneb. Adv. IV, 7; Nigronius de Caliga, cap. 4; Leunclav. ad Dion. pag. 152; et Casaubonus ad Suetonium, pag. 160.

fuit. Schol. vetus : « Alii dicunt athletam illius temporis fortem Corbulonem fuisse ; alii genus navis. » Alii Domitium Corbulonem, ducem Claudii ac Neronis fortissimum, et corpore ingentem ; vide Tacitum in Ann. XIII, 8.

Var. 252. *Quot* pro *quas* recipiendum forte ex 50, 64, 73, 74, 77.

Not. 253. *Ventilat in cursu ignem* illum opsoniis subjectum (de quo modo ad vs. 250), ne exstinguatur. *Scinduntur* in turba hominum *tunicæ sartæ*, quales servis ac pauperibus esse solent.

Var. 254. *Sartæ tunicæ*, 20.

Not. 254 seq. Aliud impedimenti periculique genus *a longo vehiculorum ordine*, quo, ut verbis Senecæ, Ep. 90, utar, « pinus aut abies defertur vicis intrementibus. » Heubach in Comm. de Politia Roman. Goett. 1791, § 16 : « Quod si hominum, inquit, multitudinem, civitatem, in qua turba per latissima itinera sine intermissione defluens elidebatur, et pericula cogites, quæ inde a vehiculis et plaustris, quibus non facile cedere posses, prætereuntibus imminerent, nullus miraberis, etiam huic malo esse provisum. Huc quidem spectat legis antiquæ fragmentum (a Mettario in lucem emissum 1738 ; post biennium vero a Conrado in Parergis egregie illustratum, et a Mazocchio inde ab Tabb. Heracl. repetitum), qua cautum, « ne quis plostrum interdiu post solem ortum, neve ante horam decimam diei duceret, nisi ædium sacrarum ædificandarum, operisve publici faciundi, vel sacrorum publicorum, ludorum triumphorumque caussa. » Hora diei decima plaustra in urbe duci lex ideo permisit, quia, quum a negotiis jam cessarent Romani, et post lavationem cœnam sumerent, parcius tum per vias commeantibus a plaustris obviis non adeo timendum erat. Legem vero istam Juvenalis tempore fuisse obliteratam, ex his Umbricii querelis licet colligere. Quare Hadrianus teste Spartiano, cap. 22, denuo prohibuit, vehicula cum ingentibus sarcinis Urbem ingredi, quod jam Trajanum fecisse ex Plinii Paneg. cap. 51, discimus. » — Grangæus hoc loco imitationem Horat. Epist. II, 2, 72 seq. et Sat. I, 6, 42, 43, deprehendisse sibi videbatur. — *Coruscat*, ultro citroque movetur, tremit, nutat. — *Sarraco*, plaustro. Utrumque conjunxit etiam Vitruv. X, 1. Conf. Var. Lect. — *Nutant altæ, populoque minantur*, verba Virg. Æn. II, 628, 629. *Boileau*, Sat. VI, vs. 43 :

« Là, sur une charrette, une poutre branlante
« Vient, menaçant de loin la foule, qu'elle augmente. » Ed.

Var. 255. *Sarrago*, 26, 45. *Sartago*, 24. *Saraco*, 19. *Serraco*, 2, 17, 21, 74, ut et ap. Sidon. ep. IV, 18, et infra V, 23, in plerisque membranis et edd., etiam Hennin. in qua tamen hoc loco *Sarraco* exstat, quæ scriptura firmatur auctoritate Serv. ad Virg. Æneid. I, 164, librorumque fere omnium (etiam Paris.) hoc loco et apud Vitruv. X, 1, extr. ; Quintil. VIII, 3, 21 ; Capitol. in Antonin. Philos. c. 13, et Non. 3, n. 35. Glossæ : *sarracum*, ἅμαξα.

Origo tamen vocis incerta. *Soracum* ubique scribendum putabant Grang. ad hunc locum et Meurs. exercit. crit. P. II, cap. 5, pag. 117, 118, quibus favere videntur Festus et Hesychius. Ille monet, *soracum* dici, *quo ornamenta portentur scenicorum*, etc., hic vero, Σώρακον, ἀγγεῖον, εἰς ὃ σῦκα ἐμβάλλεται ἢ ξυλοκαυθήλια. Sed *sarracum* vehiculi potius genus, et altera syll. voc. σώρακον brevis est, ut τοῦ *soracum*, apud Plaut. Pers. III, 1, 64. — *Veiente* pro *veniente* legendum videbatur Autumno et aliis. — *At quæ altera*, 83. — *Pinus*, 24.

Var. 256. *Micant* pro *nutant*, 16. — *Alte*, 46, 49, 50, 60, 65, 81. Doctius *altæ*, scilicet *abies* et *pinus*.

Not. 257. *Saxa Ligustica*, marmor, quo omnis Alpium maritimarum tractus, totumque litus Ligusticum, præcipue vero Luna, urbs Etruriæ, ejusque portus, litori Ligustico adjacens, abundabat. Vide Strabonem lib. V, p. 153, al. 222, al. 339; Plinium, XXXVI, 6 et 18; Intpp. Sil. VIII, 480; Suet. Ner. 50, et Gronov. Diatr. Stat. cap. 10. — *Agmina*, hominum turbam. — *Montem* pro ingenti saxo, e montibus exciso, dixit poeta, augendi phantasmatis gratia, ut Virg. Æneid. XII, 687, et Stat. Theb. I, 145, ubi marmor, ut hoc loco, *mons* vocatur.

Var. 258. *Fundit*, 16, 19, 22.

Not. 260. Corpora tam minutatim concisa *obteruntur*, ut non magis fere conspiciantur, quam *anima*, et prorsus evanescant, vel oculorum aciem fugiant.

Var. 261. *Morte*, 29, et MS. Cantabrig. quod longe exquisitius videbatur Wakef. ad Lucret. III, 1102. Sed vellem adjunxisset causam et interpretationem.

Not. 261 seq. Lepido commento rem imaginemque exornat poeta, fingens, servum, qui sportulam petierit (vide supra vs. 250 seq.), tali plaustro vel saxo obtritum periisse, et conservos, hujus calamitatis ignaros, ejusque adventum exspectantes, cœnam balneumque parasse domino, sportulam cum servo petenti. — *Secura*, non sollicita de morte servi, ignorans eum plaustri casu periisse. — *Domus*, ut *familia*, servi.

Not. 262. *Bucca*, buccarum halitu, *foculum excitat*, ignem accendit. Conf. Heins. ad Ovid. Fast. V, 507.

Var. 263. *Strigilibus*, 2, 3, 5, 10, 14—17, 19—24, 54, 55, 74, 77, et multi Codd. Paris. Putant esse proceleusmaticum, et quatuor syllabas breves respondere duabus longis, seu spondeo: nam prima syll voc. *strigilis* corripitur, v. c. a Pers. V, 126; Horat. Sat. II, 7, 110; Plaut. Stich. I, 3, 77, et al. *Striglibus et pleno*, 21, 22, 49 (in qua tamen ed. *Strigibus* vitiose scriptum), 70, quod recepi, ut metro consulatur. *Strigilibus, pleno componit*, 11, 25, 26, 27, 45—48, 50, 56—69, 71—73, 82. *Strigilibus, pleno et*, ed. Bipont. Conf. Turneb. Advers. X, 27.

Not. 263. Balneum paratur, quo ante cœnam utebantur veteres. — *Strigilis*, ξύστρα, ξυστρὶς, instrumentum balneare et unctorium, quo corpus radi vel defricari, et oleum sudorque *destringi* seu detergi solebat post unctionem et balnei usum.[1] — *Unctis*, unguento delibutis, ut minus læderent, suavemque spargerent odorem. — *Sonat*, apposite : erant enim strigiles aureæ, argenteæ, æneæ, licet ditiores spongiis purpureis uterentur strigilum loco; Grang. — *Lintea* vela, quibus corpus madidum siccabatur. — *Guttus*, vas unguentarium, *guttatim* oleum fundens (vide Varr. L. L. IV, 26), λήκυθος, ampulla, μυροθήκιον, ἐλαιοφόρον. Oleo odorifero, vel unguentis non lintea illa, ut quidam putant, sed corpora lota, linteisque jam siccata perfundebantur in unctuario, seu elæothesio, ἀλειπτηρίῳ.

Not. 264. *Pueros*, servos. *Ille* servus, plaustro saxove obtritus.

Var. 265. *Novitius*, 27, 60, 65, et sic voces tantum non omnes, in *itius* exeuntes, v. c. *tribunitius*, *ædilitius*, *adventitius*, *gentilitius*, etc., scribi jubent Scaliger et alii, qui eas a *novitate*, *ædilitate*, *gentilitate*, *adventitare* deducunt. Sed nummi et lapides, maxime capitolini, in illis semper *icius* exhibent, quod probarunt Priscianus et Manutius; et ad pleraque hujusmodi vocabula; v. c. *latericius*, *ficticius*, *patricius*, *emissicius*, etc. non transferenda est illa ratio.

Not. 265. *Sedet in ripa* Stygis, cupiens transmitti a Charonte, et cymbam ejus exspectans (conf. Virg. Æneid. VI, 313, seq. et Prop. II, 27, 13 seq.), vel tristis, quia non transmittitur : nam inhumatus est, de quo vide Virgilium, loco laudato, vs. 325 seq. Hanc tamen caussam, etsi præcipua est, prætermittit poeta satiricus, nisi latet in verbis :

....Horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum
Infelix; ....

utque fabulas poetarum ὡς ἐν παρόδῳ rideat, affert aliam, et quidem lepidam, quia *ore non habet trientem*, *quem porrigat*, det Charonti, tanquam naulum (ναῦλον, seu ναῦλος) : nam hunc in finem tricus, vel quadrans, vel obolus in os inseri solebat mortuis;[2] os autem infelicis servi ita obtritum erat plaustri ruina, ut triens, vel quadrans, vel obolus ei non posset inseri, et hinc Charon fingitur recusare, quo minus eum trajiciat. — *Novicius*, imperitus, rudis inferni moris, vel qui nunc de-

[1] Vid. intpp. Petron. 91, et *Eschenbach* Dissert. de unctionibus, cap. 3, p. 478 seq. Figuras strigilis exhibent idem pag. 483, Pignorius de servis, Mercurialis art. gymn. I, 36, aliique; graphicam vero descriptionem Apul. Flor. II, pag. 346, 27, ed. Elm.

[2] Vid. Diodor. II, 5 (qui hujus ritus originem memorat); Prop. IV, 11, 7; Lucian. Dial. mort. 9 (ubi vid. Hemsterhus. tom. I, pag. 422); Pollux, IX, 5; Hesychius in vocab. δανάκη, et Suidas in vocabulo πορθμήϊον et πορθμεῖον.

mum Charontem vidit, et novissime in inferos venit locos. — *Porthmea*, πορθμία, portitorem, vectorem, Charontem, qui umbras rate trajicit. Conf. Heyne ad Virg. Æneid. VI, 320, et Wernsdorf Poetar. minor. t. III, p. 41. — *Tetrum*, qualis exhibetur a Virgilio, Æn. VI, 298 seq. Seneca, Hercul. Fur. 764 seq. et aliis:

στυγνὸν ἀεὶ πορθμῆα καμόντων

dixit Theocrit. XVII, 49. — *Cœnosi gurgitis*, fluvii, Stygis; conf. Virg. Æneid. VI, 296 et 416; ubi vide Heyne Excurs. IX, et Miscell. Obss. crit. vol. V, t. III, pag. 4 seq. — *Alnum*, Charontis cymbam, navem, ex alno factam, ut apud Virg. Georg. I, 136; II, 451.

Not. 267. Ut apud Lucianum, Cataplus cap. 28 : οὐδὲ τὸν ὀβολὸν ἔχων τὰ πορθμεῖα καταβαλεῖν. Servum venisse ad Stygem inhumatum, et hinc trientem ori ejus non potuisse inseri monet ill. C. *de Haugwitz*. Sed conf. vs. 259—261.

Var. 268. *Aspice*, 15. — *Mortis* pro *noctis*, 22, a m. pr.

Var. 269. *Spatium est tectis*, 11. *Tectis spatium*, 23.

Not. 269 seq. Reputa, quæso, quam altæ sint ædes Romæ. Quæ quo altiores sunt, eo majus est periculum a testis, quæ ex iis decidunt, vel dejiciuntur, potissimum noctu. *Quod spatium* sit a *tectis sublimibus* ad terram: nam, ut scribit Vitruvius, « quum areæ complanatæ recipere non possent tantam multitudinem ad habitandam in Urbe, ad auxilium coacti sunt Romani ad altitudinem ædium devenire »; Ach. — *Curta*, mutilata, aut fracta; quam vocem multis exemplis illustravit Heins. ad Ovid. Fast. II, 645.

Var. 271. *Cadant*, 14, 16, 17, 23, 25, 46—48, 56—60, 65, et XII Codd. Paris. unde nunc recepi, et majorem distinct. posui post *ferit*, suadente Manso, ut non duplex, sed triplex innuatur *periculum*, quod noctu domo exeuntibus Romæ instet. Vulgo legitur *cadunt*, et in aliquot MSS. Paris. *cadent*. — *Perculsum*, 17, a m. pr. — *Pondere findant*, conj. Schrader.

Var. 272. *Posses*, 23. — *Possisque*, 25, 27, 46—50, 54—60, 64, 65. — *Ignarus*, 21, 26.

Not. 272. *Ignavus*, socors, tui negligens, incautus, imprudens.

Not. 274. *Tot fata*, tot mortis pericula tibi imminent.

Not. 275. *Fenestræ vigiles*, hoc est, conclavium, in quibus homines adhuc vigilant; ut fere *vigiles lucernæ* apud Hor. Od. III, 8, 14. Cf. infra ad VIII, 158. — *Feras tecum*, ut apud Quintil. Decl. III, p. 38.

Var. 277. *Diffundere*, 2, 3, 10, 12, 14, 16, 19, 20, 24, 45. — *Effundere*, 5, 11, 15, 23, 25, 27, 46—48, 50, 56—69, 71—73, 83, 84, prob. Schradero. *Defundere*, XII Codd. Paris. iique optimi (in aliis *diffundere* et *effundere*); quod præstat. Conf. Turneb. Advers. X, 27.

Not. 277. *Ut sint contentæ* fenestræ, hoc est, homines, qui e fenestris

aliquid *defundunt*, deorsum fundunt, dejiciunt. — *Pelves*, hoc est, lotium et stercus, vel sordes, quæ in matulis sunt. *Optes*, ut hæc potius defundantur, quam ipsa vasa, vel duræ gravesque testæ; ut urina potius et excrementis inquineris, quam ipsis vasis testisque dejectis occidaris.

VAR. 278. *Quia nullum* malebat Lubinus.

ANAL. 278—301. Aliud describitur periculum pauperibus impendens a juvenibus ebriis ac petulantibus, qui comissari (κωμάζειν), hoc est, post compotationem nocturnam per Urbis vicos vagari, et non modo cum tædis et symphonia, vel ad amici cujusdam, vel ad puellarum domos ire, januamque pulsare aut effringere, sed etiam invalidum quemque obviorum vexare et corripere, redeuntes a cœna verberare, ac repugnantibus vulnera infligere solebant; quod de Nerone et Othone, quos poeta forte respexit, referunt Sueton. Ner. 26, et Oth. 2; Tac. Ann. XIII, 55; Plin. XIII, 22, seu 43, extr. Dio et Xiphilin. — Huic hominum generi plane hæc verba conveniunt:

« Depuis plus d'une semaine,
« Je n'ai trouvé personne à qui rompre les os;
« La vigueur de mon bras se perd dans le repos:
« Et je cherche quelque dos
« Pour me remettre en haleine. »

Molière, *Amphytr.*, act. I, sc. 2. ED. — *Dat pœnas*, adeo discruciatur indignaturque, si nemo ei obviam veniat, quem cædere possit, ut ne somnum quidem capiat. Summa juventutis protervia morumque corruptela graviter describitur.

VAR. 279. *Noctem et patitur*, 20.

NOT. 279, 280. Non magis dormire potest, quam *Pelides*, hoc est, Achilles, *amici*, Patrocli, mortem *lugens*,

Ἄλλοτ' ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενος, ἄλλοτι δ' αὖτε
Ὕπτιος, ἄλλοτε δὲ πρηνής, τότε δ' ὀρθὸς ἀνασταίς,

Hom. Iliad. ω, 10, 11, quem locum poeta noster expressit. Cf. Seneca de Tranq. Anim. cap. 2, et Jacobs ad Anthol. Gr. tom. II, p. I, p. 379.

VAR. 281. Interrog. notam primus posuit Grang. At versus forte spurius est. Vid. Comm.

NOT. 281. *Ergo non aliter poterit dormire?* verba poetæ, interrumpentis sermonem Umbricii, qui respondet: *Quibusdam somnum rixa facit*, etc. Judice *Achaintre* hæc sunt verba Umbricii ipsius se interrogantis et respondentis. Sed. Hein. non male suspicatur, versum 281 a Juvenalis manu non esse profectum, quoniam et absurda sit hoc loco talis interrogatio poetæ, qui in tota satira a vs. 20 ne verbum quidem proferat, nec nisi Umbricium docentem querentemque audiat, et Noster, si fortasse *dormierit* ipse inter sermonem Umbricii, et subito excitatus somno hæc dixisse

censeatur, tam insulse sæpius interrogare potuerit, et *potest* scribendum fuisset pro *poterit*.

Var. 282. *Improbus armis*, 13.

Not. 282. *Improbus*, audax, *annis*, propter robur juvenile. Conf. Heyne ad Virgil. Æneid. XI, 512.

Var. 283. *Vino fervens*, 24. — *Lana*, 21, a m. sec. 22, 45. *Lan.* al. Sed Gr. χλαῖνα dicitur.

Not. 283. *Cavet hunc*, etc., cavet, ne lædat eum, *quem*, etc., parcit ditiori, potenti ac valido, nec nisi inopem atque infirmum ludibrio habet et vexat. — *Coccina*, seu coccinea, hoc est, purpurea, ut *endromis Tyria*, VI, 246, ubi vide notam *Læna*, pallium apertum ac breve, ut Gr. χλαῖνα, chlamydi aut lacernæ simile, idque villosum, crassum et arcendo frigori adhibitum, togæque superinjectum : in ipsis conviviis usitatum, et quidem hieme, ut æstate syntheses, quum depositis togis sola vestis cœnatoria non sufficeret; Ferrar. de Re Vest. II, 13; IV, 2, 11 et 19. Conf. Pers. I, 32, ibique Kœnig. Hinc satiram hanc hyeme scriptam esse, aut Umbricium hieme Roma migrasse suspicabatur Hennin., sed Hein. dicit : « Nihil vidi insulsius. Si *læna* cum vi quadam dictum putas, nil significat, nisi hæc flagitia præcipue hieme facta esse, ubi noctes longæ et tenebræ hujusmodi scelerum copiam fecere. Neque tamen hoc pro certo affirmare ausim. De hac petulantia juvenum vid. Pedo Albin. in obit. Mæcen. 29, ibique *Wernsdorf.* »

Var. 285. *Ac* pro *et*, 17. *Atque*, 15, 25, 27, 46—48, 50, 54—69, 71—73, ut metro consulatur. Sed vox *aenea* est quadrisyllaba. Male *enea*, 2, 5, et *ahenea*, 49. Conf. ad VIII, 86; XIII, 115, XV, 81; Gell. II, 3; Drak. ad Sil. V, 606; VII, 642; interpret. Horat. Od. I, 33, 11, et Virgil. Georg. I, 296, et Æneid. II, 470. *Aerea*, 23.

Not. 284, 285. *Comitum longissimus ordo*, ut apud Lucian., περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων; cap. 10 : φιλοπόνως ἕπεσθαι, μᾶλλον δὲ ἡγεῖσθαι, ὑπὸ τῶν εἰκότων προαθούμενον καὶ ὥσπερ τινὰ πομπὴν ἀναπληροῦντα. — *Multum flammarum et lampadum*, multitudo servorum, faces et candelabra præferentium. *Aenea lampas*, ut *aenea candelabra* apud Cic. Verr. IV, 26, ex ære Corinthio, de quo vid. Plinius XXXIV, 2, ex quo loco quidam collegisse videntur, eam tribunis præferri solitam.

Var. 286. *Et* pro *vel*, 14, 15, 46—49, 54, 55. *Aut*, 17.

Not. 287. Mos pauperum et parcorum apte notatus, et graphice expressus. *Candelæ*, cujus papyrum, vel funiculum, temporibus partior, ut duret; *dispenso*, dispono, tempero, ne aut citius ardeat, aut exstinguatur; vet. Schol. Bene poeta expressit ridiculam pauperis industriam in parsimonia rerum : solent enim pauperes digitis extendere candelam, quasi non plus sit arsurum, quam ipsi digitis extenderint; Britan. Πρὸς ἀκαυρόν τι

καὶ μικρόστομον λυχνίδιον καὶ διψαλέον θρυαλλίδιον ἐπαγρυπνεῖν dixit Lucianus in Timone, cap. 14.

Var. 288. *Cognoscit*, 15. *Cognoscere*, 45, *Cognosco*, 16. *Cognoscas*, 21, 46—48, 58. *Cognoscite*, 23. *Vim noscite*, 23, a m. sec. — *Præmia* (eventum et effectum), 11, a m. sec. 14, 16, 17, 19, 20, 22, in marg. 23, a m. pr. 24, 26, 47, 48, 64, 66, 71—73, et multi Codd. Paris. prob. Bahrdt. *Prælia*, 11, non improb. Schurzfl. ut græca sit positio. Sed neuter percepit mentem poetæ. *Præmia*, 60, 65.

Not. 288. seq. Audi nunc, quænam sint *proœmia*, hoc est, quodnam sit initium *rixæ*, *si rixa* vocanda *est*, ubi alius cædit, et *ego tantum vapulo*, cædor (nam *rixa* proprie est inter altercantes atque utrimque pugnantes); principium ejus est, *stat* ille *contra* me in gradu (ut pugnantes solent, et gladiatores), meque stare jubet, etc. Conf. huic loco V, 26 seq.; XV, 51 seq. et inprimis verba similia Alexidis, de Ebriis apud. Athen. X, 5 (17), pag. 421:

Τοῦ κακῶς λέγειν γὰρ ἀρχὴ γίνετ'· ἂν δ' εἴπῃς ἅπαξ,
Εὐθὺς ἀντήκουσας· ἤδη λειδορεῖσθαι λείπεται.
Εἶτα τύπτεσθαι δέδεικται καὶ παροινεῖν· ταῦτα γὰρ
Κατὰ φύσιν πέφυκεν οὕτως, καὶ τι μάντεως ἔδει;

Proœmium proprie præludium citharœdorum (a πρὸ, ante, et οἴμη, seu οἶμος, moduli canticorum), deinde exordium oratorum, et hinc principium, initium cujusque rei. Προοίμια præludia hymnorum in sacris; apud Athenæum III, pag. 100, prima fercula mensæ imposita; in Luciani Somnio, cap. 3: δάκρυά μοι τὰ προοίμια τῆς τέχνης, lacrimæ initium artis, doli.

Var. 291. *Cogit*, 11.

Not. 291. Ad hoc recte monet Hesiod. Ἔργ. 210, 211:

Ἄφρων δ' ὅσγ' ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν·
Νίκης τε στέρεται, πρός τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.

Achaint.

Not. 292, seq. Insultat pauperi, quasi vilissimis alicubi cibis onusto atque referto. — *Aceto*, vino acido ac vapido. — *Conchis*, fabæ genus, cibus vilis et pauperum.[1] — *Tumes* apposite dictum, quia conches ventrem inflant. Conf. Heins. ad Ovid. Medicam. Fac. vs. 70. — *Sutor* pro quovis homine sordido et infimo, ut *cerdo* IV, 153, et VIII, 182, ubi vide not. — *Sectile porrum*; conf. ad XIV, 133. — *Vervecis labra*, caput vervecinum, quod in Apophoretis inter cetera munera mittebatur pauperibus; Britan. coll. Martial. XIV, 211.

[1] Conf. infra ad Sat. XIV, vs. 131, et Martial. lib. V, 40; lib. VII, 77; lib. XIII, 7; et Casaubonus ad Athenæum IV, 15, pag. 159, f.

VAR. 293. *Concha*, 14, 15, 19, 23, 26, 45, 46, 61—63, 66, 67. *Conca*, 16, 17, 20, 22. *Comca*, 21. *Cocche*, 24.

NOT. 295. *Accipe calcem*, ictum calcis; ἀτίμως λακτιζόμενος, in Luciani Timone, cap. 17. Calceis aliquem cædere, summam injuriam fuisse, monet Barth. Adv. XLII, 3. Idem non tantum turpe, quod immundi, sed grave etiam et molestum, quod clavis confixi erant calcei; Grang.

NOT. 296. *Ede*, dic, ut supra vs. 74. — *Ubi consistas*, quo loco mendicandi caussa, et mendicorum more stare soleas. Consistere apud Plaut. Curc. IV, 1, et al. dici eos, qui multum morentur in aliquo loco, in quo *quæri* possint, et facile inveniri ab omnibus, quibus iis conventis opus sit, docet Dukerus ad Liv. Epit. LXV. *Proseucha*, προσευχή, proprie preces, metonym. locus, conventibus sacris precibusque ad Deum fundendis destinatus, special. ædificium, seu delubrum, quod a Judæis extra oppida illa, in quibus synagoga non erat, ad fluvium, vel mare, vel in lucis montibusve exstrui, et, ut legis in eo interpretationes audirent, vel sacra ac preces statas bene loti ter singulis diebus facerent, frequentari solebat, *oratorium*, προσευκτήριον, בֵּית תְּפִלָּה.[1] Manso hæc adnotavit: « Consentiunt omnes, *proseucham* locum esse religiosis Judæorum precibus et conventibus destinatum; quid vero hic poeta intelligat, quove sensu vocem acceperit, dubitatur. Lubinus et Prat. putant, improprie, significari locum aliquem, sive pontem, sive crepidinem, sive tabernam, quo confluere solebant mendici stipem προσευχόμενοι, orantes; Turnebus, mendicos, quod domicilia non haberent, interdum occupasse proseuchas, in iisque cubuisse, ideoque *proseuches* nomen in contemptum abiisse; Henninius, sensum verborum esse: an tu e vilibus Judæis es, qui, relictis suis proseuchis, mendicatum in Urbem veniunt? Sed nodum, ni fallor, solvunt vss. 13 seq. et vetus Schol. ad IV, 117, unde discimus, vixisse, et proseuchas, seu delubra sua habuisse Judæos extra Urbem, inprimis in Egeriæ valle, ante portam Capenam, ibique et in contermina via Appia iter facientibus mendicando molestos fuisse. Quæ si quis tenet, statim vel me non monente videbit, interrogare petulantissimum juvenem, an forte inciderit in mendicum, qui inter Judæorum proseuchas circumvagetur, et quasi societatem cum abjectissima gente ineat; satis contumeliose, si quis civem natalibus splendidum, meritisque conspicuum cogitet. »

VAR. 297. *Seu* pro *si*, conj. Schrader.

---

[1] Conf. Philo, de Legibus Mos. tom. II, pag. 268; et *Mangey* ad hunc locum; Joseph. Antiquit. Jud. XIV, 10, 23, et de Vita sua, c. 54; Intpp. Luc. VI, 12; et Act. Apost. XVI, 13; *le Moyne* ad Varia Sacra, pag. 71; Vitringa, de Synag. vet. pag. 119, 217 1109; Vales. ad Euseb. H. E., p. 27; Barth. Advers. II, 21; Voss. ad Catull. p. 313; Turneb. Advers. I, 19 et 23; Scalig. de Emendat. Temp. in not. ad Fragm. et Schleusneri Lex. in Nov. T.

Var. 298. *Pariter feriunt*, 25, 27, 46—49, 54—60, 64—67.

Not. 298. *Pariter*, non minus si respondeas, quam si taceas. — *Vadimonia irati faciunt*, clamant adeo, se a te cæsos, injuriaque affectos esse, et litem tibi intendunt; proprie, jubent te datis vadibus, seu sponsoribus polliceri, te ad diem certam ad agendum de ea re, caussamque dicendam in jus aditurum. [1] — Hinc apud Gallos illud proverbium : *les battus paient l'amende*. Ed.

Var. 299. *Iratos*, saltem *faciant*, malebat Schrader.

Not. 299. *Libertas* hoc loco *ἐξουσιῶς* dicitur.

Var. 300. *Conscissus*, 16. *Contusus*, 26, 48.

Not. 300. *Adorat*, supplex rogat.

Not. 301. Beneficii loco habent pauperes, quod non omnes iis excutiuntur dentes.

Var. 302. *Hoc*, 10, 21, 25, 46, 48, 49, 56, 59—63, 65, 67, 73, 74. — *Metuas tantum*, 14. *Metues*, 26. — *Spoliat*, 16, 23, 26, 46, 47, 49, 54, 55, 57, 58.

Not. 304. *Catenatæ*, catenis firmatæ adversus fures et expilatores, vel petulantes, qui tabernas noctu effringere solebant, ut ipse Nero; Farn. coll. Suet. Ner. 26, et Tac. Ann. XIII, 25. — *Clausis domibus, postquam siluit tabernæ compago*, hoc est, taberna; nocte intempesta, qua opifices jam *silent*, quiescunt, a labore cessant. — De nocturno latronum impetu et sceleribus plurima dixit *Boileau*, inter quæ ex hoc Juvenalis loco multa translata invenies :

« Car, sitôt que du soir les ombres pacifiques
« D'un double cadenas font fermer les boutiques,
. . . . . .
« Les voleurs à l'instant s'emparent de la ville :
« Le bois le plus funeste et le moins fréquenté
« Est, au prix de Paris, un lieu de sûreté. »

Plura ibi congerere non nostri propositi est; quæ tamen collegimus, satis valebunt, ut comprobatum sit poetam gallicum cum romano sæpe sæpius haud infelicibus signis colluctatum fuisse. Ed.

Not. 305. *Grassatorum* multitudo et in Italia, et Romæ erat. Cf. Suet. Aug. cap. 32 et 43, ubi vide Casaubon. Sensus est : grassatores ex locis latrocinio aptis, custodiis ibi dispositis, pulsi Romam confluunt.

Var. 307. *Promptina*, 20. *Pontina*, 10, 11, 14—16, 19, 21—25, 27,

[1] De *vadimoniis*, vid. Salmas. mod. usur. cap. 16, et Budæus ad Pand. p. m. 40 seq.

45—50, 54—69, 71—74, 77, et plurimi Codd. Paris. *Pomptina*, 17, 70, 75, 76, 81, 82, Cod. Put. et tres alii Paris. unde recepit Ach.

Not. 307. Campi et *paludes Pomtinæ* (hodie *Paludi Pontine*) inter Nymphæum et Ufentem fluv. ab Astura ab Terracinam, quæ, si Festo in *Pontina tribu* fides habenda, a Pontia urbe (unde hoc loco legendum esset *Pontina*, ut τὰ Πόντινα ἕλη apud Dionem Cassium XLIV, pag. 242; XLV, pag. 274), vel potius, ut alii putant, ab agro Pometino, aut Suessa Pometia, vicino Volscorum oppido (Græce Πομέτια, seu Πομέντια, et τὸ Πομέντιον, seu Πομεντῖνον πεδίον, verbi caussa, apud Strab. V, p. 159, 161, unde contr. *Pomtia*, et propter euphoniam, quæ tamen nulla est, a quibusdam *Pomptia*, vel *Pomptina palus* scribitur, de quo vide ad Silium VIII, 377, et Casaub. ad Suet. Cæsar. 44), nomen accepere, olimque obtinuere locum XXIII oppidorum (vide Plinium III, 5); sed postea crevere in dies ex aquis, quæ ex montibus in planitiem confluunt, aeremque pestiferis inficiunt vaporibus, qui vel Romæ sentiuntur. Ingentes sumptus, a Corn. Cethego Cos. anno Urbis DXC (Liv. Epit. 46), a Julio Cæsare (Suet. 44), Augusto (Horat. Art. Poet. 65), Trajano (Dio Cass.), Theodorico (Cassiodor. Var. Epist. II, 32 et 33), nostroque ævo a Papis Sixto V (ducta fossa *fiume Sixto*) et Pio VI in paludes siccandas impensi, nondum operi perficiendo suffecere. Vide *Adlers Nachr. von den Pontinischen Sümpfen.* — *Gallinaria pinus* non illa *villa ad Gallinas*, vel nemus Cæsarum, quod loco juxta Tiberim celebri, grassatoribusque parum apto, ad nonum ab Urbe lapidem, erat (vide Harduin. ad Plin. XV, 30; Casaub. et Ernesti ad Suet. Octav. 43, et Galb. 1); sed Gallinaria silva, inter Vulturni ac Literni ostia, id Campania et sinu Cumano, adeoque in eodem tractu, quo *Pomtina palus*, ὕλη ἄνυδρος καὶ ἀμμώδης, ἣν Γαλλιναρίαν ὕλην καλοῦσι, Strab. V, pag. 168, al. 243. Conf. Cicero ad Diversos IX, 23, et Merula Cosmograph. p. II, lib. IV, c. 8.

Var. 308. *Homines* pro *omnes*, 11.

Not. 308. *Vivarium*, receptaculum ferarum, avium pisciumque, qui in eo aluntur et saginantur; unde tam parata, quam opima præda designari videtur. Conf. infra ad IV, 51; Macrob. Saturn. III, 13; et Horat. Epist. I, 1, 79.

Not. 309 seq. In omni *fornace graves catenæ* conficiuntur, quibus grassatores constringantur; sed horum tanta est multitudo, ut illæ omnibus constringendis non sufficiant. *Maximus modus*, maxima copia *ferri in vinculis* fabricandis consumitur, *ut timeas*, ne desit mox ferrum, unde rustica fiant instrumenta. — *Marra*, genus ligonis; quæ vox Gallis etiam, Italis et Hispanis hodie in usu est. Μαῤῥόν, ἐργαλεῖον σιδηροῦν, Hesych.[1]

[1] Conf. Colum. X, 72, 89; Plin. XVII, 11; XVIII, 16, et inf. XV, 167.

Var. 310, 311. *Maximus in vinclis ferri modus est: timeas nunc, Vomer deficiat; ne marræ et sarcula desint*, e MS. Cantabrig. reponendum putabat Wakef. ad Lucret. III, 255, non dubitans, quin pulchra hæc constructionis varietas scribis imposuerit.

Var. 311. *Ac*, 15. *Ut*, 16.

Var. 312. *Pravorum atavos* (hominum nunc male viventium majores), aliquot libri, nescio qui, teste ac prob. Barbrdt. Recte, opinor. — *Dicis*, 14.

Not. 312 seq. Poeta præclare sæculi sui infelicitatem et corruptelam morum comparatione priscorum temporum declarat, ut XIII, 34 seq. et al. — Verbis *proavorum atavos* remotissima designantur tempora. Cf. tamen Var. Lect.

Not. 313. *Sub Tribunis*, temporibus liberæ reipublicæ, quibus summa fuit Tribunorum plebis potestas; unde et Augustus ceterique Imperatores tribunitiam receperunt potestatem, quæ summi imperii vim significationemque habebat, quod vel ex eo intelligitur, quod in numis aliisque monumentis publicis anni tribunitiæ potestatis, tanquam anni imperii, numerantur.

Not. 314. *Contentam*, quia pauci erant malefici, *uno carcere* publico, ab Anco Marcio ad terrorem increscentis audaciæ in media urbe ad forum ædificato, cujus firmissima pars, a Servio Tullio adjecta, ab eo *Tullianum* dicebatur[1]. Sed jam alius carcer ab App. Claudio decemviro in IX regione Urbis, prope theatrum Marcelli, aliique postea ab aliis exstructi carceres et lautumiæ.[2]

Not. 315. *Causas*, cur Roma discedam. Inde a vs. 21, Umbricius varias poetæ attulerat causas.

Var. 316. *Declinat*, 21. *Includit*, 22.

Not. 316. *Jumenta vocant* me, muli, jam longius progressi, me monent, ut sequar.

Var. 317. *Jam*, 19, 20. — *Jam dudum commota*, 22. *Commotam*..... *virgam*, 11.

Not. 317. *Commota mulio virga adnuit*, confer ad VIII, 153.

Var. 318. *Innuit*, 20—22, 25, 45, 46, 48—50, 55—57, 59—69, 71—74, 77, 81, et quidam Codd. Paris.; sed plurimi habent *annuit*. — *Vade*, 17, a m. pr. — *Mei* pro *nostri*, 22.

Var. 319. *Reddit*, 14, 16, 25.

[1] Vid. Liv. I, 33; Lips. ad Tacit. Annal. IV, 29; Corte ad Sallust. Bell. Catil. cap. 55.

[2] Conf. Liv. lib. III, cap. 57; Plin. lib. VII, cap. 36; intpp. Vellei. I, 9; Gotting. *Anzeigen*, 1790, pl. 186; *Heubach* Comm. de Politia Roman. Gott. 1791, p. 17.

Var. 320. *Elvinam*, 17, 19, 20, 21, 23—27, 45—48, 50, 55—58, 60—69, 71—73. *Elivam*, 22. *Eleusinam*, 7. Recte forsan, modo præpos. *ad* ante *Cererem* inseratur. — *Veramque*, 19.

Not. 319 seq. Quoties Urbis tædio Aquinum secesseris, *properans refici*, recreari cupiens, *a Cumis*, quo nunc migro (vide supra vs. 2 seq.), *me converte*, illuc, quo secessisti, arcesse. Conf. Var. Lect. — *Aquino tuo*, patriæ tuæ, Latii novi oppido : vide ad Silium VIII, 403. — *Cererem* et *Dianam*, deas Aquini præ ceteris cultas, et hoc loco pro ipsa urbe positas. — *Helvinam*, seu *Elvinam* putant *Cererem* dictam, vel ab *eluendo*, hoc est, lavando, quod sacris hujus deæ initiandi lavarentur; vel ab *helvino*, seu helvo et helvolo, hoc est, flavo spicarum colore; vel ab *Helvino*, seu *Elvino* fonte prope Aquinum, quem adhuc ab incolis ita appellari, et juxta quem etiam nunc quædam templorum vestigia conspici, nescio qua fide, docet Britan. Vetus Schol. hanc epitheti caussam originemque tradit : « Namque apud Aquinum colunt numina earum Dearum, quas colunt in Galliis. » Videtur itaque eam deduxisse ab *Helviis*, seu *Helvis*, populo gallico, de quo vid. Cæsar. Bello Gallico VII, 7, 75, et Bello Civili I, 35; Plinius, III, 4; XIV, 3. Conf. Var. Lect.

Var. 321. *Convelle*, 10, 11, 14—17, 19—25, 27, 45—50, 64—69 71—74, 77, forte rectius et majore cum vi : me invitum quasi avelle a loco illo gratissimo.

Var. 322. *Auditor*, 2, 21, 75—77. *Audax Hesperios*, conj. Turneb. Advers. XXVII, 31; et *satirarum*, *ni pudet*, *illuc Auditor veniam*, Plathner.

Not. 321, 322. Hennin. ita ad h. l. commentatur : « Minatur Umbricius, gravissimi supercilii homo, et se satiras scripturum, et alludit ad originem earumdem, Sibylla relicta ad Helvinæ Cereris *saturam lancem* et *saltantes Satyros*, dicteria salsa per jocum et seria jactantes ea libatione, se comitem Juvenali additurus. » — *Ni pudet illàs*, aut potius te ipsum mei, seu auxilii mei. — *In agros* Aquini *gelidos*, propter flumina, sylvas et colles. Cumis contra thermæ salubres, et, ut in tota Campania, tepida aeris temperatio. — *Caligatus*, ut vulgo putant, velut audax miles et acer vitiorum hostis. *Bahrdt* : multis symbolis instructus, et quasi armatus, ut nos dicimus, *wohl gestiefelt*. Gallice, *tout botté*; vel potius, quum caliga pro ipsa militia sæpe sumatur, dicam lubenter, *armé de pied en cap*. Ed.

SATIRÆ QUARTÆ

ARGUMENTUM.

Crispini hic lacerat vitam ventremque Neronis,
Ut reges avidos carpat, regumque sodales.

IN CRISPINUM. — IN INGLUVIEM. — IN DOMITIANUM VINDICTÆ POST EXSILIUM. CATALOGUS AMICORUM DOMITIANI. DE CONVIVIO DOMITIANI. — DE RHOMBO PISCE. — DE PISCIS MAGNITUDINE.

Juvenalis iterum invehitur in Crispinum Ægyptium, qui e servo factus Eques Romanus libidinibus omnibusque vitiis se inquinabat, et tanta diffluebat luxuria, ut mullum sex millibus HS. emisset, v. 1—27. Inde occasionem sumit, *Calvi Neronis*, hoc est, Domitiani insectandi, et consilium patrum super rhombo, portentosæ magnitudinis pisce coquendo habitum lepide multisque salibus admixtis describit, v. 28—149. Piscis enim ille prope villam Albanam in mari Hadriatico captus erat, et metu delatorum a piscatore dono datus tyranno, qui, quæcumque pretiosa, etiam in mari, invenirentur, tanquam res fisci, sibi vindicabat, v. 34—71. Sed deerat patina satis magna, ut integrum caperet piscem. Hinc ad Imperatorem vocantur Patres foris stantes, qui, ne justo longiore mora Cæsaris iram provocent, propere trepideque accurrunt, et de re gravissima sententiam dicere jubentur, utrum scilicet piscis ille integer coquendus sit et apponendus, an in partes concisus, v. 72—112. Eorum dissertissimi sunt Catullus Messallinus, cæcus, et Fabricius Veiento, prudens adulator, v. 113—118. Ille omnium maxime magnitudinem rhombi, quem ne videt quidem, miratur et prædicat, v. 119—122. Hic, numine quasi afflatus, ex eo, quod bellua sit peregrina, et spinæ, vel pinnæ, telorum instar, in tergo horreant, felix omen belli cum rege aliquo gerendi, clarique triumphi capit, v. 123—129. Quæstione deinde illa ab Imperatore proposita, diuque disceptata, vincit tandem sententia Montani, hominis ventriosi, gulæque delicatæ, qui integrum piscem coquendum, patinamque magnitudine ei æqualem a figulis propere effingendam, hos vero in posterum comitatui Cæsaris adjungendos censuerat, v. 130—143. Tum dimittitur Senatus, quem Imperator approperare jusserat, tanquam de re gravissima ad eum relaturus, v. 144—149.

Quas nugas poeta dicit Principe quidem indignas esse, et ridiculas, at magis tamen Domitiano condonandas fuisse, quam immanem crudelitatem, qua factum sit, ut, quum ignava nobilitate exstincta in infimam sævierit plebem, justam morte pependerit pœnam, v. 150—154.

SATIRÆ QUARTÆ

ANALYSIS.

Maxima hujus satiræ pars, v. 28—149, continet narrationem tot facetiis salibusque a principio ad finem sparsis conditam, et tanta contextam arte, ut Juvenalis in hoc satiricæ poeseos genere ingenium Horatii, qui in eo princeps est, assequutus fere videatur. Quid facetius invocatione Musarum, tanquam in re gravi et honorifica, qua salutantur, *puellarum* appellatione? v. 34 seq. Quid festivius descriptione illa Patrum amicorumque Imperatoris, in primis *Pegasi*, villici Urbis, non Præfecti, rapta abolla properantis, v. 75 seq. *Crispi*, senis ingenii mitis, et dissimulatione tuti in aula tyranni, v. 81 seq. *Rubrii*, qui reus est offensæ veteris atque tacendæ, et improbissimus, v. 104 seq. *ventris Montani*, abdomine tardi, cujus lepida vincit sententia, v. 107 et 131 seq. *Crispini*, matutino sudantis amomo, quantum vix redolent duo funera, v. 108, 109, *Fusci*, marmorea meditantis prælia villa, v. 112, *Catulli* cæci, qui numquam visæ flagrat amore puellæ; et in lævam conversus, maxime admiratur rhombum, dextra illi jacentem, v. 113—122, *Veientonis*, qui divino quasi spiritu inflatus vaticinatur? v. 123 seq. Quanta adumbrantur arte, et quam acerbo sale perstringuntur insana luxuria et *Crispini*, v. 1—27, 108, 109, et *Domitiani*, omnes universi terrarum orbis delicias sibi vindicantis, v. 28 seq. 45 seq. 136 seq. delatorum improbitas, v. 47 seq. et 110, Imperatoris sævitia et nugæ, v. 73—103, et 150 seq. servile ingenium et adulatio scita hominum tam infimo quam summo loco natorum? 65—71, 75—94, 119—129. — Satiram hanc post Domitiani mortem scriptam esse, ex v. 153 et 154 intelligitur; sed quo anno, non liquet.

SATIRA QUARTA.

Ecce iterum Crispinus; et est mihi sæpe vocandus
Ad partes, monstrum nulla virtute redemptum
A vitiis, æger, solaque libidine fortis:
Delicias viduæ tantum aspernatur adulter.
Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget
Porticibus? quanta nemorum vectetur in umbra?
Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes?
Nemo malus felix; minime corruptor, et idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.
Sed nunc de factis levioribus: et tamen alter

SATIRÆ QUARTÆ INTERPRETATIO.

1. Ecce rursum Crispinus tanquam in scenam prodit: et vero in hoc satiricum theatrum non semel erit producendus, in quo suas partes agat: homo monstri similis ob turpissima et immanissima flagitia, quibus ita mancipatus est, ut nulla virtus eum ab hac deterrima servitute in libertatem vindicarit: qui licet variis morbis debilitatus sit, fortis tamen duntaxat et strenuus est, quum indulget libidini; nec scortator tantum est, sed adulter; aspernatur voluptates venereas cum viduis; et eas cum aliorum conjugibus, ut quæ magis nefandæ sint, sectatur.

5. Quid igitur illi prodest, quod equos plurimos ac mulos vexet fatigetque, dum illis gestatur, aut in exstructis magnifice porticibus, aut in umbrosis sylvarum spatiis? quod hortos complures, quod magnificas domos, ac latifundia emerit in ipsa urbe prope ipsum forum? Neminem improbum felicem recte dixeris; minime omnium vero alienæ pudicitiæ corruptorem, et incesto contaminatum, qui nuper Vestalem virginem temeravit, quæ ob id scelus humo defodienda viva fuit.

11. Sed nunc agam et querar de levioribus Crispini facinoribus, quæ tamen si quis alius admisisset, debitas pœnas, censoris arbitrio,

Si fecisset idem, caderet sub judice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio Seioque, decebat
Crispinum. Quid agas, quum dira et fœdior omni
Crimine persona est? Mullum sex millibus emit,
Æquantem sane paribus sestertia libris,
Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Præcipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.
Est ratio ulterior, magnæ si misit amicæ,
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.
Nil tale exspectes : emit sibi. Multa videmus,
Quæ miser et frugi non fecit Apicius. Hoc tu
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro?
Hoc pretio squamæ? Potuit fortasse minoris
Piscator, quam piscis, emi. Provincia tanti

daret. Quod enim Titio, Seioque, viris optimis, vitio gravissimo vertebatur, hoc pulchrum Crispino et decorum erat. Quo se vertat scriptor, aut quod primum ultimumve crimen insectetur in eo, qui omni flagitio tetrior ac turpior est? Ecce novum illius facinus; emptus ab eo mullus fuit sex millibus nummum, totidem pendens libras, quot erant ipsa, quibus emptus est, sestertia, ut narrant, qui res magnas majores facere dicendo solent. Dicerem callide factum et prudenter fuisse a Crispino, si piscem tanti emisset, ad captandam ipso munere benevolentiam orbi cujuspiam et opulenti senis, ut primus in ejus testamento heres scriberetur. Esset alia quoque ratio potior, si eumdem piscem nobili ac diviti amicæ misisset, quæ in ampla et clausa latis specularibus lectica per urbem gestatur.

22. Nihil ejusmodi ab illo sperandum est : ille sibi soli mercatus est, et suæ unius gulæ rationem habuit. Hæc illa sunt edita nostris temporibus inauditæ prodigalitatis et luxus exempla, quæ ab ipso prodita non fuerunt Apicio, qui, si cum Crispino componatur, pæne parcus ac frugalis habebitur. Tune hoc ausus es, o Crispine? tu vilissimum Ægypti mancipium, in qua confectis e papyro vestibus, ut unus e vulgo, induebaris; eo provecta est ingluvies tua, ut squamas hoc immani pretio comparares : fortasse licuisset mercari

Vendit agros; sed majores Appulia vendit.
Quales tunc epulas ipsum glutisse putemus
Endoperatorem, quum tot sestertia, partem
Exiguam, et modicæ sumptam de margine cœnæ,
Purpureus magni ructarit scurra Palati,
Jam princeps equitum, magna qui voce solebat
Vendere municipes fricta de merce siluros?
Incipe, Calliope, licet et considere : non est
Cantandum; res vera agitur. Narrate, puellæ
Pierides : prosit mihi, vos dixisse puellas!
Quum jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni;
Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Implevitque sinus : neque enim minor hæserat illis,

piscatorem ipsum inferiori pretio quam piscem : tali pretio ingentes agri venduntur in remotis provinciis, atque adeo amplissimi in ipsa Apulia. Quos tunc ab imperatore sumptus fuisse factos in convivia, quales epulas ab ipso devoratas censemus, quum piscem tot sestertiis emptum, modicam portionem exigui convivii, et sumptam de privatæ mensæ marginibus comederet, atque ita deglutiret, ut ructus ederet, aulicus, parasitus, ac potius scurra, jam equitum magister, olim vilis institor, qui contenta voce siluros pisciculos in Ægypto sua natos singillatim divendere solitus erat, postquam sibi mercedulam pro labore aliis præstito pepigisset?

34. Huc ades, o Calliope; fas hic immorari paulo diutius; neque vero fictum aliquod carmen tibi est recitandum, sed res vere gesta. Illam, quæso, memorate, Musæ, eruditæ virgines; favete mihi narranti, vel eam ob caussam quod vos virgines honestissimo nomine appellaverim.

37. Quum postremus Cæsarum e Flavia gente orbem dira crudelitate laceraret jam semimortuum, ac Roma servitute premeretur sub immanissimo imperatore, qui, Neroni cetera similis, hoc uno dispar erat, quod calvus esset, rhombus piscis admirandæ magnitudinis in retia piscatoris incidit, in mari Adriatico, ante fanum Veneris, quæ Anconæ Doricæ colitur; ac rete totum complevit : quippe

Quos operit glacies Mæotica, ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad ostia Ponti
Desidia tardos, et longo frigore pingues.
Destinat hoc monstrum cymbæ linique magister
Pontifici summo. Quis enim proponere talem
Aut emere auderet, quum plena et littora multo
Delatore forent? Dispersi protenus algæ
Inquisitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem,
Depastumque diu vivaria Cæsaris; inde
Elapsum, veterem ad dominum debere reverti.
Si quid Palfurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuum pulchrumque est æquore toto,
Res fisci est, ubicumque natat. Donabitur ergo,
Ne pereat. Jam letifero cedente pruinis
Auctumno, jam quartanam sperantibus ægris,
Stridebat deformis hyems, prædamque recentem

nihil mole concedebat illis, qui, dum in palude Mœotide gelu constricta delitescentes pinguescunt, eadem verno sole dissoluta, otio longo tardi, et hieme diuturna saginati transeunt et effunduntur in illud fretum, quo tanquam ostio Mœotis cum Ponto Euxino conjungitur. Piscator, seu dominus naviculæ et retis linei hunc piscem monstri similem destinat summi pontificis mensæ; quis enim auderet venalem ejusmodi mercem palam exponere, aut emere, quum vel ipsa littora plurimis delatoribus abundarent? Statim illi riparum indagatores ubique diffusi litem piscatori misero intenderent, nec dubitarent affirmare piscem ejusmodi educatum diu fuisse in imperatoris vivariis; ex iis effugisse, atque adeo priori domino essè restituendum. Si qua fides adhibetur Palfurio et Armillato, quidquid universo in mari præclarum et eximium natat, quocumque in loco reperiatur, debetur imperatori, et ad principis fiscum pertinet. Ne igitur invito piscatori, sine ullo fructu, piscis eripiatur, et omnino pereat, donabit illum imperatori, ut meritum saltem habeat muneris, et mercedis aliquid fortasse obtineat. Jam inhorrescebat hyems, exeunte autumno, et suum brumæ locum vicesque concedente, quum ægroti quartanam febrim spe-

et tua servatum consume in secula Rhombum.

Servabat : tamen hic properat, velut urgeat Auster.
Utque lacus suberant, ubi, quamquam diruta, servat
Ignem Trojanum, et Vestam colit Alba minorem,
Obstitit intranti miratrix turba parumper.
Ut cessit, facili patuerunt cardine valvæ.
Exclusi spectant admissa opsonia Patres.
Itur ad Atridem. Tum Picens, « Accipe, dixit,
Privatis majora focis : genialis agatur
Iste dies, propera stomachum laxare saginis,
Et tua servatum consume in sæcula rhombum.
Ipse capi voluit : » quid apertius? et tamen illi
Surgebant cristæ. Nihil est, quod credere de se
Non possit, quum laudatur Dîs æqua potestas.
Sed deerat pisci patinæ mensura. Vocantur

rare incipiunt : eo frigore piscis recens captus servari diu poterat; piscator tamen festinat ire ad imperatorem, perinde ac si calidior ventus a meridie flaret.

60. Postquam ventum est ad lacus positos prope Albam, qua in civitate, licet fere destructa, servatur, more a Trojanis inducto, ignis perpetuus, et minori quam in urbe Roma templo, Vesta colitur; multitudo admirantium ingredientem paulisper detinuit : quæ ubi submota est, per patentes illico fores imperatorii cubiculi admissus est piscator, jussis consistere ad valvas proceribus, exclusis et spectantibus admissum illustrem rhombum. Pergitur ad romanum Atridem : quem ubi conspexit piscator e Piceno oriundus : « Sume, inquit, dapes pretiosiores, quam ut hominis privati culinæ conveniant; hic dies genio totus celebretur tuo : confestim stomachum pinguibus cibis exonera, ut opimo pisci pateat totus : rhombo vescere, quem Superi tuo seculo servaverunt. Ultro ipse capi voluit, quasi sciens et gaudens se ad tuos pedes deferendum. » Quid adulatione tam putida clarius? plaudebat ipse sibi tamen imperator, et ineptis laudibus intumescebat. Adeo quaslibet avide admittunt laudes, ac de se quidlibet dicentibus credunt, qui parem Superis potestatem sunt adepti!

72. Atenim nulla erat patina satis ampla, ut in ea coqui et apponi tam vastus piscis posset. Itaque cogitur concilium; primores

Ergo in consilium proceres, quos oderat ille;
In quorum facie miseræ magnæque sedebat
Pallor amicitiæ. Primus, clamante Liburno,
Currite! jam sedit! rapta properabat abolla
Pegasus, attonitæ positus modo villicus Urbi.
Anne aliud tunc præfecti? quorum optimus, atque
Interpres legum sanctissimus, omnia quamquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Justitia. Venit et Crispi jucunda senectus,
Cujus erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. Maria, ac terras, populosque regenti
Quis comes utilior, si clade et peste sub illa
Sævitiam damnare, et honestum afferre liceret
Consilium? Sed quid violentius aure tyranni,
Cum quo de pluviis, aut æstibus, aut nimboso
Vere loquuturi fatum pendebat amici?

civitatis arcessuntur; qui quum infensum haberent Domitianum, ipso vultu anxio et pallido satis indicabant, quam misera esset tam sævi principis amicitia. Dum singulos festinare præco jubet, urgetque his verbis, « Advolate, jam consedit Cæsar »; primus abolla propere indutus celerabat gradum Pegasus, non ita pridem urbi trepidæ villicus a Domitiano præpositus : quid enim aliud tunc erant præfecti urbis, quam villici? inter quos sane Pegasus probitate præstabat, idemque legum et juris interpres erat integerrimus, licet arbitraretur in illa temporum acerbitate et sævitia mollem ac velut inermem justitiam in administranda republica esse adhibendam. Adfuit etiam Crispus comis ac festivus senex, cujus placiti et quieti mores erant, nec absimilis eloquentia, suavis indoles, et ad clementiam nata; nemo ut aulicus imperatori orbem universum gubernanti utiliora suggerere posset consilia, si fuisset honesto cuiquam consilio locus, et immanitatem arguere libere licuisset, imperante Domitiano, quem orbis perniciem et pestem jure dixeris: quo tyranno quis unquam exstitit crudelior, si quid parum gratum ad ejus aures accideret? Cum quo si amicus colloqueretur de imbribus, vel de nimiis æstibus, aut vernæ tempestatis nimbis, ex hoc uno sermone vita ipsius, aut mors pendebat: id quum intelligeret

Ille igitur numquam direxit brachia contra
Torrentem, nec civis erat, qui libera posset
Verba animi proferre, et vitam impendere vero.
Sic multas hyemes atque octogesima vidit
Solstitia: his armis illa quoque tutus in aula,
Proximus ejusdem properabat Acilius ævi
Cum juvene indigno, quem mors tam sæva maneret,
Et domini gladiis tam festinata: sed olim
Prodigio par est in nobilitate senectus;
Unde fit, ut malim fraterculus esse gigantis.
Profuit ergo nihil misero, quod cominus ursos
Figebat Numidas, Albana nudus arena
Venator. Quis enim jam non intelligat artes
Patricias? quis priscum illud miretur acumen,
Brute, tuum? Facile est barbato imponere regi.

Crispus, cavit sedulo ne contra flumen adversum rectus navigaret; ac bene ille quidem et sapienter. Quis enim tunc civis audebat, quod sentiret, eloqui, ac vitæ discrimen, ut verum diceret, adire? Hac arte Crispus ætatem ad octoginta usque annos produxit. His etiam armis, vel artibus, in ista aula sævitiæ plenissima, salvum et incolumem se præstitit Acilius, qui post Crispum proxime festinabat, totidem natus annos, comitante filio, adolescente ornatissimo, ac digno sane qui mitiori morte defungeretur, quam quæ ipsi aliquanto post a Domitiano fuit irrogata, jam tunc vero destinata fuit: sed jampridem monstri simile quiddam est homo nobilis et senex; eamque ob caussam Terræ filius, et minimus Gigantum frater esse multo maluerim, quam inter nobiles ac Deorum pueros numerari. Nihil igitur infelix juvenis ad evitandam imperatoris immanitatem et odium profecit, quod, ut ejus benevolentiam captaret, adversus Libycos ursos nudo corpore venator depugnaret in Albano amphitheatro. Quis enim ignorat, quam variis artibus nobiles effugere crudelitatem Domitiani, et in ejus gratiam irrepere conarentur? Nemo jam admiratur Bruti solertiam, qui Tarquinium decepit simulatione stultitiæ: obsoletæ sunt fraudes ejusmodi, et idoneæ tantum ad fucum faciendum priscis illis, qui barbam adhuc alebant, regibus, quorum simplicitas cum nostrorum calliditate comparanda non est.

Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensæ veteris reus atque tacendæ,
Et tamen improbior satiram scribente cinædo.
Montani quoque venter adest abdomine tardus,
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera; sævior illo
Pompeius tenui jugulos aperire susurro,
Et, qui vulturibus servabat viscera Dacis,
Fuscus, marmorea meditatus prælia villa,
Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
Qui numquam visæ flagrabat amore puellæ,
Grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum!
Cæcus adulator, dirusque a ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaque devexæ jactaret basia redæ.
Nemo magis rhombum stupuit : nam plurima dixit

104. Nec minus pallido, quam illi nobiles, vultu, quamvis plebeius, accurrebat Rubrius, nempe criminis olim admissi, et silentio premendi, pœnas merito timens; et tamen multo pejor cinædo, qui contra cinædos satiram scribebat. Adest ipse quoque Montanus, vix abdomen amplum et bene fartum trahens; et Crispinus unguenta olens, quibus mane fuerat delibutus, quantum condiendis duobus cadaveribus satis esset. Adest etiam Pompeius Rufus, Crispino crudelior ad homines delationibus in Cæsaris aurem instillatis jugulandos; nec non Cornelius Fuscus, qui in bello contra Dacos postmodum occidendus erat, opima vulturum præda, licet artem bellicam in villa ornatissima per otium umbratili meditatione didicisset. Adest cum prudenti Veientone Catullus, qui multis exitium solebat afferre, qui virginum nunquam aspectarum cupidine ardebat : monstrum immane, ac nostris etiam temporibus, quibus omnia portenta scelerum vulgaria sunt, admirandum! Homo propter pestiferas adulationes infamis, utroque captus oculo, qui dirus imperatorii furoris administer evaserat, quum antea esset mendicus, quales in pontium crepidinibus solent considere, ac dignus qui stipem a rhedis clivum Aricinum prætereuntibus rogitaret, et blanda oscula curribus rapide descendentibus manu

In lævam conversus; at illi dextra jacebat
Bellua. Sic pugnas Cilicis laudabat, et ictus,
Et pegma, et pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Veiento; sed, ut fanaticus, œstro
Percussus, Bellona, tuo divinat, et, « ingens
Omen habes, inquit, magni clarique triumphi:
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus : peregrina est bellua : cernis
Erectas in terga sudes? » Hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret et annos.
« Quidnam igitur censes? conciditur? Absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait : testa alta paretur,
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ subitusque Prometheus.
Argillam atque rotam citius properate; sed ex hoc

suppliciter protensa jactaret. Unus præ ceteris rhombum miratus est, quem a dextra parte positum, ipse ad sinistram se convertens, mirifice laudabat. Haud aliter certantem Cilicem illum celeberrimum gladiatorem laudibus ad cælum efferebat, vulneraque ab illo adversariis inflicta, et pegmata, et pueros ex iis ad vela, quibus theatrum superne tegebatur, sublatos prædicabat.

123. Nihilo segnior est Fabricius Veiento in laudando pisce; quin, tanquam fanaticus aliquis Bellonæ stimulis agitatus, hariolatur, et, « Hæc bellua tibi, o imperator, inquit, insignem aliquem triumphum portendit. Rex aliquis a te capietur, aut e solio Britanniæ deturbabitur Arviragus; idque ex eo conjici facile potest, quod hæc bellua ex aliqua longinqua regione advecta sit : vides ut tergum illi squamis erectis ac pinnis inhorrescat? » Nihil restabat quod iis adderet Veiento, nisi ut patriam rhombi, et quot esset annos natus, exponeret.

130. « Quid igitur faciendum de isto pisce censes, subjicit imperator? num in frusta comminuetur? » Cui Montanus, « Noli, inquit, illum hac afficere ignominia : fabricetur ingens vas fictile, quod latera in orbem tanquam muros tenues vastosque protendat : sed adhibendus est ad exstruendam ejusmodi patinam solers et diligens, nihil Prometheo veteri cedens, figulus. Agite; parentur confestim argilla et rota, et deinceps figuli tuis, Cæsar, in castris

Tempore jam, Cæsar, figuli tua castra sequantur. »
  Vicit digna viro sententia. Noverat ille
Luxuriam imperii veterem, noctesque Neronis
Jam medias, aliamque famem, quum pulmo Falerno
Arderet. Nulli major fuit usus edendi
Tempestate mea. Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu;
Et semel adspecti litus dicebat echini.
  Surgitur, et misso proceres exire jubentur
Consilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, et festinare coactos,
Tamquam de Cattis aliquid, torvisque Sygambris
Dicturus, tamquam et diversis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola pinna.

præsto semper adsint, ut, si quid ejusmodi contingat, statim accingant se ad opus, et patinam fingant cujuslibet piscis capiendi capacem. »

136. Itum est solemni more in hanc sententiam, auctore suo dignam, quæ vicit : sciebat ille quibus delectarentur ferculis, atque quam fœdis comessationibus indulgerent superiores imperatores; ac præcipue Nero, qui, epulas a medio die ad mediam usque noctem protrahens, famem renovare callebat, quum jam stomachus exquisito vino, scilicet Falerno, hauriendo defatigatus arderet. Unus omnium Montanus ævo meo in opsoniorum arte fuit exercitatissimus ac peritissimus : primo e morsu detegebat, ubi nata essent ostrea, num Circeis, num ad Lucrini lacus rupes, aut Britannico in mari, ad Rutupias Cantiorum : satis erat illi echinum vidisse, ut intelligeret, quo in littore captus fuisset.

144. Consurgitur : ac proceres, soluto concilio, dimittuntur, quos præclarus imperator in Albanam arcem trepidos atque attonitos evocaverat, et festinare jusserat, quasi cum iis deliberaturus de negotio aliquo graviore cum Cattis vel Sygambris, torva et ferocissima Germanorum gente, transigendo; aut quasi de clade aliqua per epistolas e variis orbis partibus propere missas fuisset admonitus, et in proximi periculi metum adductus.

Atque utinam his potius nugis tota ille dedisset
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit Urbi
Illustresque animas impune, et vindice nullo!
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat : hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

150. Utinam vero his ludicris deliberationibus merisque nugis consumpsisset omnes annos, quibus tam diram exercuit carnificinam, et viris nobilissimis urbem, nullo ulciscente, spoliavit! Sed interfectus est, quum sævire in plebem et in cerdones cœpit : exitio illi fuit ignobilis vulgi furor, postquam nobilissimorum Lamiarum sanguine manus impias impune inquinasset.

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM QUARTAM.

VARIÆ LECTIONES. 1. *Adest* (quasi in scena), pro *et est*, 2, 3, 5—7, 10, 11, 15, 16, 19—22, 25—28, 56—60, 65, et permulti Codd. Paris. *Adest et est*, 45. Nostra lectio est doctior.

NOTÆ. 1. *Ecce* et *en* de re tum mira, tum subita et improvisa. Cf. Ernesti clav. Cic. Abruptum exordium, ut Sat. I, 1. *Ecce Crispinus*, scilicet adest, vel *Crispinus iterum et sæpe mihi vocandus est in partes*. Cf. Hor. Sat. I, 4, 13, 14. — *Iterum Crispinus*, quoniam ejus mentio facta sup. Sat. I, 26 seq. ubi vide notam. — *Est mihi*, a me, *sæpe vocandus ad partes* operis mei, et in scenam quasi producendus, sumpta metaphora, quod alii jam monuere, a comœdiis et scena, ubi histriones primas, secundas, tertias partes agunt. Sic et *Hernicos ad partes paratos* dixit Livius, III, 10.

VAR. 2. *In partes*, 14. — *Nulla monstrum*, 10, concinnius.

NOT. 2. *Redemptum*, captivi aut servi instar, *a vitiis*, ab eorum potestate, *nulla virtute*, tanquam pretio : nisi malis, qui ne ulla quidem virtute vitia redimit, hoc est, compensat, ut apud Senec. excerpt. controv. 4, extr.

VAR. 3. *Ægræ solaque libidine fortes Deliciæ, viduas*, etc. 8.

NOT. 3. *Æger*, infirmus, enervatus, debilis et animo, et corpore. — *Sola libidine fortis*, ut apud Senec. Controv. I, p. 62 : « Isti vulsi, atque expoliti, et nusquam, nisi in libidine, viri. »

VAR. 4. *Vetulæ* forte leg. pro *viduæ*, ut sententia h. l. sit : omnes sectatur mulieres, exceptis tantum vetulis. — *Spernatur*, 1, 8, 56, 70, 75, 76, 82, nec non quidam Codd. Paris., et in his Put. Vera forte lectio, et mutata, quod non alius eo verbo usus est. Sed deponens esse potest, ab activo *spernere* deductum : et quot sunt ἅπαξ λεγόμενα.

NOT. 4. *Delicias viduæ*, amorem viduarum, *adspernatur tantum*, solas sectatur nuptas; H. Vales. forte et Grang., qui monet, viduas universe dici, quæ sint sine marito, adeoque et quæ nunquam nupserint. Plerique, quibus Hein. adstipulatur, exponunt ita : voluptatis gratia mœchatur, non lucri. Conferunt I, 39, et Martial. XI, 88, 3, quibus locis de vetulis, non

viduis, sermo est. — *Tantum adulter* est, non etiam scortator : majoris autem licentiæ viduæ; Plathner. coll. VI, 141. Nihil horum satisfacit. Conf. Var. Lect.

Not. 5 seq. Quid refert, quam dives sit, quum nemo malus sit felix. — *Quantis jumenta fatiget porticibus*, exquisite pro, quam amplas habeat porticus. Romani aut voluptatis, aut valetudinis caussa gestari amabant, et in immensis *porticibus* gestationibusve æstivo pluvioque tempore, vel gestabantur a servis, vel jumentis essedo junctis vehebantur.[1] *Jumenta fatiget* ex Virg. Æn. I, 316, sumptum putabat Grang. Augusti temporibus Romæ plusquam 45 porticus publicæ numerabantur, quarum præcipuæ Palatina, Apollinis, Pompeii, Liviæ, Octaviæ, Agrippæ erant. Hic luxus a publico ad privatos decucurrerat. Ed.

Not. 6. *Nemorum*, hoc est, viridarii in impluvio consiti[2] et hortorum : nam Romani *hortorum nomine in ipsa Urbe delicias, agros* (*jugera*, vs. 7) *villasque possident*. Plin. XXIX, 4.

Not. 7. *Jugera*, hortos, aut spatia in suburbio; vet. Schol. Sic *forum* pro urbe dictum; quod paucis arridebit. Heineckius hæc adnotavit : « Tu mecum distingue in hunc modum : *Jugera quot vicina, foro quas emerit ædes. Jugera vicina* sunt agri, aut horti in vicinia Romæ, *ædes* vero *in foro*, id est, foro imminentes, magni æstimatas esse ex Tacit. Ann. III, 9, et Histor. III, 70, colligi potest. » Sed hoc Taciti verbis innui, et poetam *ædes foro* pro *ædibus in foro*, has vero pro *ædibus foro imminentibus* dixisse, non facile erit, cui persuadeatur. — Hæc semper fuit et erit divitum ambitio, ut, quidquid magni pretii est, illud inprimis emant. Itaque Romæ ii ante alios suspiciebantur qui circa forum possidebant palatia, porticus, hortosque ingentes, ubi nemora, villæ et vivaria includebantur. Nemo non de Pompeii, Luculli, Mæcenatisque hortis audiit. Quamquam non eo apud nos processerit luxuria, in urbe tamen ruris delicias reperire est.

« Paris est pour un riche un pays de Cocagne :
« Sans sortir de la ville, il trouve la campagne;
« Il peut, dans son jardin tout peuplé d'arbres verts,
« Receler le printems au milieu des hivers,
« Et, foulant le parfum de ses plantes fleuries,
« Aller entretenir ses douces rêveries. »

Boileau, Sat. VI, vs. 119. Ed.

Var. 8. *Hymenis corruptor* malebat Schegk. *Mimæ corruptor* suo periculo legi jubebat Scoppa Veris: 4, 10. Neutrum multis arridebit.

Not. 8 seq. *Nemo malus felix*, scelerum sibi conscius. — *Minime* felix

[1] Conf. infra Satir. VII, 178, 179; Martialis, lib. I, 13, 8; lib. V, 21, 8; Plin. Epist. lib. II, 17; lib. V, 6, 17; Celsus, de Re Med. II, 15, et Lipsius, Epist. Cent. III; Miscellan. Epist. XI.

[2] Vid. Heynius ad Tibull. III, 3, 15; Mitscherl. ad Horat. Od. III, 10, 5, 6; Plin. et Lips. locis citatis.

est *corruptor*, stuprator, vel qui alios ad nequitiam perlicit. — *Incestus*, qui stuprum nefarium, legibus moribusque contrarium, et a diis iratis puniendum, infert cognatis, Vestalibus et ingenuis. — *Vittata sacerdos*, virgo Vestalis, cujus caput vittis redimitum. [1] — *Nuper*, vid. ad vs. 12.

Not. 10. Virgo Vestalis, incesti convicta, ex instituto Numæ, vel potius Tarquinii Prisci, Pontificum judicio damnata, in campo scelerato viva defodiebatur. [2]

Var. 11. *Tunc*, 63, 67, 68, 71—74. — *At tamen*, 22.

Not. 11. *Sed nunc* scil. loquimur, seu querimur *de factis levioribus* Crispini, cujus alia sunt scelera multo graviora ac turpiora.

Var. 12. *Vindice*, 26.

Not. 12. *Caderet*, litem perderet, damnaretur. Sic *fabula* et *causa*, vel homo *in judicio cadere*, et contra *stare* dicuntur. *Sub judice cadere*, ut *sub judice dicere*, VII, 13; *sub quo crimine cecidit*, X, 69; *nullo sub teste hoc canebat*, XV, 26. — *Sub judice morum*, censore, vel, quo titulo Cæsares utebantur, præfecto morum. Poeta respexit ad acerbam Domitiani censuram et damnationem Corneliæ, de qua vid. Suet. Dom. 8, et Plin. Epist. IV, 11. Simul iniqua ejus correctio morum taxatur, cui vel pulchrum in Crispino, homine ipsi gratissimo, visum sit, quod in aliis gravissimo dignum supplicio. Præterea Domitianus ipse fratris filiam incesto polluerat, de quo vide ad II, 29 seq. Qui vero Vestalem vitiaverat, virgis in comitio ad necem cædebatur; vide Sueton. Domit. 8; Liv. XXII, 57; Lips. de Vestal. cap. 13.

Var. 13. *Serioque*, 9, 10, 14—17, 19—21, 45, 49, 54, 56, 57, 59—63, 65, 67—69, 71—73, et XXXIII Codd. Paris. quod non temere rejiciendum videbatur Pithœo. Sed gens *Seia* notissima est, non *Seria*. *Seroque*, 22. *Selioque*, 55.

Not. 13, 14. Notatur stultitia hominum, qui vulgo e censu ac dignitate mores metiuntur, et honesta vel laudabilia esse putant in divitibus, quæ turpia ipsis videntur per se, et in pauperibus. Conf. VIII, 182; XI, 1 seq. et 174 seq. *Titio Seioque;* nomina ex officina Jurisconsultorum petita, ut videre est in *l. Titius et Seius D. de heredibus*, et passim in Jure Civili; Grang.

Var. 14. *Ferior*, 45.

Not. 14. Hæc verba, ni fallor, pendent a vs. 11, *Nunc de factis levioribus* sc. agimus: *quid* vero *agas*, facias, vel dicas, etc.

---

[1] Conf. Ovid. Fast. III, 30; VI, 457 seq. vol. VI, nostræ Editionis: Lips. de Vesta et Vestal. cap. 12. Ed.

[2] Conf. Dionysius II, 65; VIII, 90; Plut. in Num. p. m. 67, et Quæst. Rom. 95; Lips. de Vesta, cap. 13.

Var. 15. *Mulum*, 45, 56, 59, 62, 68, 71—73. Vid. ad 5, 92.

Not. 15. *Mullus* genus piscis (*Seebarbe, Rothbart*, Gallice *surmulet*), quod Romanis in deliciis, et tanto pretiosius, quanto majus fuit[1]: gratiores etiam mulli barbati; vide ad VI, 40. — Hunc piscem inprimis appetebant Romani, quem etiam e remotissimis maribus abstractum magni emebant. Ed.

Var. 16. *Insane* (insano pretio) conj. Grævius, frigere putans τὸ *sane*, quod tamen longe venustius est, et h. l. jungendum verbo *æquare*, non *emere*, aut *vendere*.

Not. 15, 16. Pretium hujus mulli fuere *sex millia* numorum, sive sex sestertia, et totidem, hoc est, sex libras pependit. Cf. Gronov. de Sestert. III, 6, p. 161, seq. *Sane* eleganter, et εἰρωνικῶς adhibetur, ut Græc. δή, vel δήπου, et Germ. *fürwahr*, *in der That*, *traun*. Conf. Burm. ad Phæd. III, 15, 12. Poeta loquitur de re dubia ac fabulosa; quo etiam spectant verba *ut perhibent*, etc.

Not. 17. *Qui de magnis majora loquuntur*, qui rem verbis adaugent. Notantur fabulatores et rumigeruli.

Var. 18. *In* pro *si*, 14, 15, 17, 20, 22, et XXV Codd. Paris. *Si in*, 21; *qui in*, 45; *si munere tanto*, rel., et X MSS. Paris.

Anal. 18—21. Faceta et illis temporibus accommodata observatio: Non reprehenderem Crispini luxuriam, si *artifex*, callido consilio, mullum tanti emptum dono misisset *seni orbo*, aut *magnæ*, hoc est, illustri locupletique *amicæ*, ut hereditatem, certe gratiam eorum, captaret.

Not. 19. seq. *Præcipuam ceram*, præc. partem hereditatis, *in tabulis* ceratis testamenti consignatæ: vel *præcipua cera* est prima tabula, in qua primi heredes, et quidem in secundo ejus versu scribuntur, ut in secunda secundi, et s. p. Conf. intpp. Hor. Sat. II, 5, 53, 54; Sueton. Cæs. 83; Ner. 17, et al. — *Ulterior*, alia.

Var. 21. *Luso latis specularibus auro* emend. Schrader.

Not. 21. *Antrum clausum*, sella, vel lectica *clausa*, seu tecta. Conf. ad I, 65. — *Specularia* fenestræ e lapide speculari.[2]

---

[1] Conf. infra V, 92 seq. Martial. II, 43, 11; VII, 77; XIII, 79; Varr. Re Rust. III, 17; Schweig. ad Athen. IV, 13, et VII, 125—127. *Binas libras ponderis raro exsuperat*, teste Plin. IX, 17, seu 30. Sed de graviori quorumdam mullorum pondere, ac pretio eorum vid. idem Plinius, IX, 17 et 18, seu 31; Horat. Sat. II, 2, 34; Martial. III, 45, 5; X, 31; XI, 51, 9; Senec. Epist. 95; Macrob. Saturn. II, 12; Suet. Tib. 34; Tertull. de Pallio, p. 119, et ad eum Salmas. pp. 453, 454.

[2] *Specular* (ut verba Wernsdorf. in Poet. lat. min. tom. VI, pag. 542, mea faciam) est quadra lapidis specularis in tenues crustas secti, quam fenestris insertam cœnationibus, cubiculis, lecticis et pomariis hortorum,

Not. 22. *Multa videmus* Crispinum fecisse.

Var. 23. *Apitius*, 21, 23, 60, 65. — *O tu*, 22.

Not. 23. De tribus *Apiciis*, hominibus opulentis, prodigis, gulæque magistris (unde *Apicius* de quovis guloso infra XI, 3, et *Apicia*, seu *Apiciana condimenta*, *coctura*, *uva*, *placentæ*, etc.), quorum primus anno Urb. cond. 649, alter sub Tiberio, tertius sub Trajano vixit, quibus tamen longe posterior fuisse creditur auctor libelli de *opsoniis et condimentis*, seu *de arte coquinaria*, multi passim egerunt.[1] — *Miser et frugi* homo εἰρωνικῶς, et si Crispino comparetur.

Not. 23 seq. *Hoc tu*, *Crispine*, scil. fecisti, tu, qui olim servus fuisti!

Var. 24—27. Vid. notas sequentes.

Not. 24. *Crispinus* Ægyptius, et servus quondam. Conf. ad I, 26 seq. — *Papyrus* (ἡ πάπυρος) *patria*, Ægyptia, ex qua Ægyptii « chartas præparant, et navigia texunt, ut e libro vela tegetesque, nec non et vestem, etiam stragulam ac funes, » Plin. lib. XIII, 11, seu 22, 23.[2] — *Succinctus papyro*, πλέγματι papyraceo, loco fibulæ: nam servi Pelusiaco linteo, seu tunica linea induti, alteque ad genua *succincti* ministrabant, et tunicæ eorum non fibula, sed nodo quodam supra collum vel humeros religari solebant. Similis est locus Anacr. IV, 4 seq. qui forte Juvenalis oculis vel menti obversabatur,

Ὁ δ' Ἔρως, χιτῶνα δήσας
Ὑπὲρ αὐχένος παπύρῳ,
Μέθυ μοι διακονείτω.

Conf. ibi intpp. et vide infra ad VIII, 162; Horat. Serm. II, 8, 10; intpp. Phædri II, 5, et Bottigeri Sabina p. 283, 300, 301, ed. pr. — *Succinctus*: nam piscatores juncis cinguntur, quibus etiam suspendunt pisces; Omnibon. — Markland. in Epist. Crit. p. 152, hunc locum sic distinguit et emendat:

....Multa videmus,
Quæ miser et frugi non fecit Apicius: hæc tu
Succinctus Pharia quondam, Crispine, papyro?
Hoc pretium squamæ?....

tum luce et calore solis perfundendis, tum ab aere et hieme defendendis, adhibebant; vide ad I, 65; Martial. VIII, 14, 3; Senec. Epist. 86, p. 367, ed. Gronov. et Nat. Quæst. IV, 13, p. 762; Intpp. Plin. Hist. N. XXXVI, 22, seu 45; 26, seu 67; Plin. Epist, II, 17; Lips. ad Sen. Epist. XC, et de Provid. cap. 4.

[1] Vid. C. Vales. not. ad Juven. XI, 3; Lips. ad Tac. Ann. IV, 1; Casaub. ad Lamprid. p. 333; idem et Schweig. ad loc. class. Athen. I, 6 (12), p. 7; Fabric. Biblioth. Lat. lib. II, cap. 25; Contaren. Var. Lect. c. 27; Harduin. ad Plin. VIII, 51, seu 77; IX, 17, seu 30; X, 48; intpp. Mart. II, 69; III, 22, et Sen. ad Helv. 10.

[2] Vid. Harduin. ad Plin. loc. laud. et Guilandini Commentar. coll. Scalig. Animadverss. et Salmas. ad Vopisci Firmum, cap. 3.

Adjecit has rationes : « Vox *Pharia* valentior videtur ad excitandam invidiam et odium adversus Crispinum, utpote Ægyptium, quam illa altera *patria* ; et, quod summum est, si *patria* retineas, non exinde colligere potes, cujus regionis fuerit Crispinus : *patria* enim *papyrus* non necessario *Ægyptiam papyrum* denotat, quonlam in aliis etiam regionibus nascebatur papyrus. » Sed contra eum jam ita disputavit Schrader in Observatt. p. 19 : « Papyrus Ægyptia adeo nobilis erat, ut Nilus amnis papyrifer appellaretur, et Niliaca papyrus ab omnibus celebraretur ; vide Muncker. ad Fulgent. I, p. 19. » *Succinctus* igitur *patria papyro* notat et designat Ægyptium : sed contra *succinctus Pharia papyro* non necessario significat Ægyptium, quoniam sic succingi poterat alienigena. Deinde constabat inter omnes, Crispinum esse Ægyptium : sufficiebat ergo *patria*. Denique receptæ lectioni firmissimum præsidium est in vs. 32, ubi poeta similiter siluros Crispini *municipes* vocat. Conf. Salmas. ad Solin. p. 939. »

Nor. 25. *Hoc pretio squamæ* (scil. emuntur, hoc est, tanto pretio piscis scil. a te *emitur*, vel emptus est, quod verbum mox sequitur, omittiturque in affectu), 1, 61—63, 68—73, 75, 76, 82. *Hoc pretium squamæ* (hoc est, tantum pretium est, seu ponis mullo, vel mulli, piscis squamosi, a te empti), 7, 10, 11, 14—17, 19—27, 29, 45—50, 54—60, 64—67, 74, 83, 84, et omnes Codd. Paris. prob. Schrad. Sed piscem potius *squamas*, quam *squamam* dici crediderim. Neque tamen placet duplex illa ellipsis : *hoc tu facis? hoc pretio squamæ* emuntur? Suspicor poetam scripsisse : *hoc pretio squamas* scil. emisti? — Similiter Plin. IX, 17, sen 31 : « Asinius Celer e Consularibus, hoc pisce (mullo) prodigus, Caio principe unum mercatus octo millibus nummum : quæ reputatio aufert transversum animum ad contemplationem eorum, qui in conquestione luxus, coquos emi singulos pluris quam equos, quiritabant : at nunc coci triumphorum pretiis parantur, et coquorum pisces. »

Nor. 27. Ferrarius, in Elect. I, 18, *majoris* legit contra metri leges, et hunc locum ita interpretatur : « *Apulia* hic non est regionis nomen, sed mulieris prædivitis orbæ, quæ donatos a captatoribus pisces carius vendebat : duos enim hic de more perstringit Juvenalis, *Crispinum*, qui millibus sex (id est, CL coronatis) mullum emerat, et *Apuliam*, quæ hamata heredipetarum munera, inter quæ jure mulli tunc fuere pretiosissimi, majoris vendebat. Conf. infra VI, 39, 40, et inpr. V, 97, 98, ubi de *Aurelia* sermo est, quod nomen et hoc loco fidentius ponerem, si codex manu exaratus ad manus esset, ut sit : *sed majoris Aurelia vendit.* » Sic etiam multi interpretes *Apuliam* putarunt mulieris nomen esse apud Horat. Od. III, 4, 10, ubi vide Bentl. — Rectius mentem Juvenalis percepisse videtur Henninius, qui hæc notavit : « Justa indignatione exagitat agri pretio piscem emptum, quum sex millibus extra Italiam in provinciis ager emi potuerit, immo quum et in ipsa Italia, in fertili illa Apulia (cf. ad IX, 55), *majores agri* quam in provinciis venirent eopse pretio : oblique vero taxat Romanos, qui usque adeo ab antiqua frugalitate desciverint, ut sus-

que deque habita agri colendi ratione præ nimio gulæ luxu *piscem* potius emerent, cujus singulas libras, si modo adulatoria vanitate de magnis majora non fuerint dicta, venientibus etiam in ponderis rationem *squamis*, et interaneorum rejectaneis, singulis millibus pensarent, quam ut eo pretio agrum sibi compararent. Conf. Colum. Præf. ad librum de Re Rust. Obiter etiam vellicat superbum illud delicatorum nepotum patrii soli fastidium, qui non dubitabant pluris emere agros in *provinciis*, quam ut *majores* fertilioresque eodem pretio in ipsa Italia, in fertili illa *Apulia*, sibi compararent. Legendum ergo sensu plano et obvio :

....Provincia tanti
Vendit agros; et majores Appulia vendit.

Tangit etiam obiter Appulorum gulam, cui ut obsequerentur, agros suos viliori pretio vendebant. Τὸ *sed* a librariis est ex finali litera *τον agros* præcedentis, et monachorum scriptura *set*, ut sexcenties in vett. MSS. et sæpius ad Martial. monuit Scriverius : aut si quis τὸ *sed* tolerare velit : nostram sententiam admittat saltem. « *Prædia Appula* laudantur etiam infra IX, 55, ubi conf. Comm. — Prateus tamen et alii non male suspicantur minoris quam alibi venisse agros Apuliæ, quod magna ejus pars, quam poeta respexerit, montibus aspera fuerit, ac sterilis (vid. Horat. Sat. I, 5, 77 seq. et Senec. Epist. 87 et 91, ubi hæc leguntur : « Agri suburbani tantum possidet, quantum invidiose in desertis Apuliæ possideret »), vel quod Apulia infestetur Atabulo vento, qui plantas frigore adurat, de quo vide Horat. loc. laud. Senec. Nat. Quæst. V, 17; Plin. XVII, 24; Gell. II, 22; Alex. ab Alex. III, 22; H. Valesii nota est : « Si Juvenalis ita scripsisset, necessario addidisset, haud dubie mensuram agri venalis, verb. græc. bina aut trina jugera, ut sensus constaret. Scripsit igitur : *Vendit apros, sed* multo *majores* mullo isto, et provinciæ suæ nomine commendatiores *Apulia vendit.* » Ceterum scripturam *Appulia* pro *Apulia* revocavi e 60—63, 65, ne metrum laboraret : nam primam syllabam vocis *Apulia* brevem esse, intelligitur ex Horat. Od. III, 24, 4, et al. Neque tamen eamdem ob causam auctore Schurzfl. emendandum : *et majores terra Appula vendit;* nam secunda quidem syllab. *τοῦ Apulus*, seu *Appulus* corripitur a poetis, sed *τοῦ Apulia* et *Apulicus* semper producitur, verb. caussa ab Horatio in Od. III, 24, 4, in Epod. III, 16, et in Sat. I, 5, 77.

Var. 28. *Nunc*, 17, 22, 45, ut conj. Schrader. Non male! — *Inglutisse*, 10. — *Putemus* pro *putamus* recepi ex 25, 46, 48, 56, 59—61, 63, 65—67, 74.

Not. 28. Quam lautas fuisse putemus epulas Domitiani, *quum scurra* ejus ac parasitus deglutiverit *tot sestertia*, hoc est, mullum sex millibus sestertiorum emptum (cf. vs. 15, 16)? — *Glutisse*, et mox *ructarit* egregie de hominibus gulosis, qui ita se cibis ingurgitant, ut ructent. *Endoperatorem* ἀρχαϊκῶς et facete pro *Imperatorem* (vide Var. Lect.), ex Ennii Lucretiique imitatione, et quoniam epica poesis recentiorem scripturam respuit.

Var. 29. *Endoperatorem*, 11, 74, quod restitui h. l. et 10, 138, pro vulg. *Induperatorem* : nam veteres Romani *endo* (Gr. ἔνδον), non *indu*, aut *inde* (quæ librarii in medio ævo substituere), pro *in* dicebant. Vid. Festus voc. *endostruere, endoitio, endoplorato* et *endo procinctu ;* Gifan. Ind. Lucret. voc. *endo ;* Cic. legg. 2, 8, pr Gell. 5, 19, 20, 1. Enn. ap. Non. 4, n. 385, ap. Cic. Div. 1, 48, et ap. Macrob. Sat. VI, 1. Salmas. de Mod. usur. p. 819.

Not. 29. *Tot sestertia*, ferculum, tot sestertiis emptum, et tamen non nisi *exiguam cœnæ partem*, si cum cœna Cæsarea conferatur, vel potius *cœnæ*, qualis Crispini esse solet, ac tum fuit : *sumptam de margine cœnæ*, ferculum minus, in margine ; non majus, in media mensa convivis appositum. — Hic locus ad imperatorem nullo modo referri posse mihi videtur ; et ita intelligo : quæ fuerint domini epulæ, quum ejus scurra absumpserit tot sestertia uno ferculo, quod quidem erat pars exigua cœnæ, et illius tamen modicæ ! emerat enim *sibi* mullum Crispinus ; itaque cœna non erat solemnis ; nec plures venerant convivæ. Qui alium sensum sequuntur, vim satiricam non perspiciunt ; quippe poeta quo magis in scurræ mensam invehetur, eo plura de Domitiani gula putanda faciet. Ed.

Var. 31. *Ructaret*, 10—12, 14, 21—25, 27, 48, 54, 56—61, 63, 65—67, 74, 77, et XXX fere Codd. Paris. Pro *magni Palati* (h. e. aulæ Cæsareæ, vel Imperatoris) etiam *magni palati* (i. e. gutturis, seu voracitatis immensæ) non male legi posse, jam monuit Hennin.

Not. 31. Conf. ad I, 26—29. — *Scurra* aulicus per contemptum vocatur Crispinus. — *Magni palatii*, vide Var. Lect.

Var. 32. *Qui magna*, 14. *Et magna qui*, 15. — *Voce siluros vendere.... solebat*, 22.

Var. 33. *Facta de merce*, 9, 70. Reliqui, quos consului, codices, et scripti, et editi, exhibent inepte *fracta de merce*, quod vetus Schol., Lubinus et Autumnus interpretantur fracto vase ; Farnab. e fracto vase, vel ex aliena merce subreptos ; Britan. quos minutatim vendebat more vilissimi cetarii ; Grang. quos pretio vili, aut nihilo sibi comparaverat a piscium mercatoribus, qui per viam aliquos casu, aut alia ratione fregerant ; Gronov. siluros chartaceo cucullo involutos, qui ruptus erat. In aliis MSS., nescio quibus, *pacta, faria, farta* et *fracta* legi monent viri docti ; et Salmas. in Exerc. Plin. pro *faria* bene conj. *Pharia*, hoc est, Ægyptia. Hæc lectio aptissima (vid. ad XIII, 85, et supra ad v. 24 ; et Stat. Silv. II, 1, 73, ubi *Pharias* quoque *merces* memorari monet Hein.), et ex ea ortæ videri possunt aberrationes *farta, facta, fracta, pacta ;* neque langnet, quia hic sensus jam inest vocis *municipes ;* nam talia sæpe adjiciunt poetæ, ut obscura illustrentur : librarii vero *f* pro *ph*, inpr. in nominibus propriis, substituere solent. Henninius *pacta mercede* edidit ex emend. Græevii, ut *de* transpositum sit a librariis, et Crispinus mercedulam sibi olim pepigerit pro opera aliis præstita in vendendis siluris. Marshall reposuit *pacta de merce*, idque eodem accepit sensu, qui tamen durius ita expressus est.

Pacta cum merce malebat Schrader. *Fracta mercede* edidit Achaint. et exposuit : mutilata, adeoque minima, vilissimo pretio. Idem dicit, hanc lectionem revocatam esse e Codd. Paris. fere omnibus. Sed quovis pignore contendere ausim, in omnibus illis, ut in nostris, saltem in longe plurimis *de merce* legi, non *mercede*. Vir doctus in Ephem. Hal. (Allgem. Lit. Zeit. ann. 1814, pl. 223, p. 235) malebat *facta mercede*, vel *parta de merce*. Sed Manso, una tantum litera vulgatæ scripturæ mutata, ingeniose legit *fricta de merce*, quæ conjectura ceteris præstare videtur, et a nobis nunc recepta est. Vid. Comm. seq.

Nor. 32, 33. Crispinus ex *ἰχθυοπώλης* Eques factus. — *Princeps Equitum*, non Magister Equitum, ut vet. Schol. et alii interpretantur, neque princeps juventutis, hoc est, Cæsar (*πρόμαχος τῆς ἱππάδος* apud Dion. in Exc. p. 104), ut Spanhem. de Pr. et Usu Num. Diss. VIII, p. 664, 665, putabat (nam de Crispino, non Domitiano, h. l. sermo est), sed qui inter Equites præcipuum obtinuit locum propter divitias et gratiam Domitiani; vel relatus inter *equites illustres*, de quibus vide ad VII, 89; X, 95, et ad Tacit. Annal. II, 59, et XI, 4. — *Magna voce*, more eorum, qui merces venumdandas per vicos euntes exclamant. Conf. Sen. Epist. 56. — *Siluri* pisces Nili, nullius pretii, quos inopes in Ægypto venditant; Vet. Schol. Conf. ad XIV, 132. — *Municipes*, ejusdem municipii et patriæ, Ægyptios, ut nos dicimus : *seine Landesleute;* vide ad vs. 24, et ad XIV, 271. Alii intelligunt pisces, qui propter vilitatem non Romæ, sed in *municipiis* venduntur. — *Fricta de merce* edidi ex emend. cl. Manso, cujus nota est : « Pisces fricti, Apicius inquit I, 11, ut diu durent, eodem momento, quo friguntur et levantur, aceto calido perfunduntur; » et Listerus ad hunc loc. « Pisces, scribit, ex frictione multo citius et firmius densantur, quam carnes, ob summam illorum sanguinis teneritudinem. Si itaque huic eorum coitioni naturali accedat etiam aceti calidi superfusi vis, ex duplici constrictione diutius conservari possint. Hæc autem piscium frictorum conditura etiam apud nos in usu est, et *ad maritimum modum* (Italis *marinare;* unde Germ. *marinirte Fische*) appellatur. » Intelliguntur itaque nostro versu omnis generis pisces, quos mercatores, modo ab Apicio commemorato, in ipsa Ægypto condiendos, et inter Nilotica illa salsamenta, quæ Diodorus, I, 36; Lucianus, tom. III, p. 249, ed. Reitzii, aliique laudant, Romam navibus transvehendos curarent. Quorum in numero *siluros* hic præ omnibus dictos videmus. Fuere enim siluri non solum frequentissimi in Nilo, sed etiam pretii tam vilis, ut non nisi ab inopibus, qualem Crispinum servum fuisse e vs. 24 scimus, et venderentur, et emerentur. Est noster silurus *Scheilan* Niloticus, pinna dorsali secunda adiposa (vide *Blochs Naturgesch. der Fische Deutschlands*, tom. I, p. 247), piscis longitudine XII, ad summum XV digitorum, nobis *der Langbart.* » — Si cui non placeat lectio illa, quam a Cl. *Ruperti* recepimus, per me nulla erit mora quin veterem Schol. sequatur, et malit *fracta de merce;* et sic erit sensus : vendebat siluros, mercem fractam, id est, in partes divisam (gallice *en détail*); per vias et compita ibat clamans, velut apud nos

mulieres istæ (*marchandes de marée*), quæ marinas merces canistris vimineis et corio obductis circumferunt. Ed.

Var. 34. *Libet*, 20, 23, 24. — *Hic* pro *et*, 10, 11, 14—17, 19—25, 27, 45—50, 54—69, 74—73, 77. — *Consistere*, 11, 19, 24, 45. — Non male, si junxeris has lectiones : *libet hic consistere*, hoc est, aliquamdiu subsistere, immorari placet in re tam memorabili et honorifica imperatori, quæ non leviter obiterque tractanda est. Sed exquisitior videtur nostra lectio. Vid. Comm.

Var. 35. *Parete, puellæ*, 22, in marg. Nimis imperiose!

Not. 34—36. Faceta Musarum invocatio in re ridicula et vili, tanquam gravi, seria ac difficili, ut apud Homer. Batrach. vs. 1 seq., et Horat. Sat. I, 5, 51 seq. quos recentiores poetæ imitati sunt. Ita omnes poetas, qui carminum suorum exordiis Musas invocent, easque canere jubeant, vanitatis argui monet Rigalt. — *Calliope* pro omnibus Musis, quia princeps earum est, προφερεστάτη ἀπασέων, Hesiod. Θ, 79. Conf. ad Sil. III, 222; XII, 390; Virg. Æneid. IX, 525, al. — *Licet et considere*, instar judicum, aut eorum, qui vel de re magni momenti deliberant, vel immorantur in re gravi, quæ moram postulat, et attentionem. — *Non est cantandum*, ut in re ludicra, aut ficta et fabulosa, quæ a poetis decantari solet. Sic *cantare* pro fingere, ficta canere infra X, 178. — *Res vera agitur;* cujus tamen veritas non aliunde constat. — *Pierides*, notissimum Musarum nomen, a monte Macedoniæ, iis sacro. Conf. ad VII, 8, 58, 59. — *Prosit* mihi (ut apud Virg. Æneid. IX, 92), hoc est, propitiæ mihi sitis, vel propterea, quod vos dixerim *puellas*, quod vos honori habebitis, quum tam rara nunc sint castæ virginitatis exempla, quumque jam vetulæ sitis, et a poetis ab antiquissimis inde temporibus amatæ, vel quum adeo non defuerint, qui vos vitiatas esse affirmaverint, et liberos peperisse. Ratio lepidissima. — Hunc locum imitatus est nostras *Montesquieu*, in invocatione ad Musas, quæ præfigenda erat libro II operis inscripti : *Esprit des Lois;* hæc sunt ejus verba : « Vierges du mont Piérie! entendez-vous le « nom que je vous donne? inspirez-moi. » Ed.

Var. 37. *Semianimem*, 11, 15, 19, 21, 22, 24. Nil interest. Vox autem per συνίζησιν efferenda, ut *semiustus*, *semiambustus*, *abiete* et alia. Conf. ad Sil. III, 16, 495; Bentl. ad Horat. Sat. II, 8, 1, et interp. Virg. Æn. III, 578; V, 697; X, 396.

Not. 37, 38. Accurate tempus designatur, ut ab historicis, res magnas dignasque memoria narraturis; et magnificum est exordium, tanquam res memorabiles et grandiori dicendi genere memoraturi. — *Semianimum orbem*, imperium Romanum sævitia inertiaque Imperatorum afflictum atque exhaustum. — *Flavius ultimus*, Domitianus, postremus e gente Flavia, et simul ultimus Cæsarum. Vetus Schol. laudat hos versus :

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit hæres?
Pæne fuit tanti, non habuisse duos:

de quorum auctore vide *Wernsdorf* in Poet. lat. min. tom. III, p. 95. — *Serviret* cum delectu dicitur, et respectu nominis *Domini*, de quo vide Suet. Dom. cap. 13. — *Neroni* alteri (ut *Paris* apud Virg. Æneid. IV, 215), et quidem *calvo;* acerbissimus morsus, propter quem in exsilium Ægyptiacum a Claudio (forte Calvo) Nerone missum esse Juvenalem, perperam tradit vetus Schol. ad hunc locum, et ad VII, 92; nam ex fine hujus Sat. intelligitur, eam post cædem Domitiani fuisse scriptam. Comparant nota Ausonii verba:

Et Titus imperii felix brevitate : sequutus
Frater, quem Calvum dixit sua Roma Neronem.

Nam Domitianum primo quidem pulchrum, postea vero deformem fuisse calvitio, eoque maxime offensum, tradit Suet. Domit. 18. Sarcasmus ex famosis forte libellis carminibusve petitus. Calvities vero risui olim jocisque obnoxia esse (conf. Suet. Cæs. 45), et hinc in comœdiis parasiti, lenones thrasonesque calvi solebant induci; vide supra ad argum. Sat. II, et *Jacobs* ad Anthol. Gr. vol. II, part. II, pag. 423.

Var. 39. *Hadriaci* pro *Adriaci*, ut *Hiberia, Hannibal, Hamilcar, Hasdrubal* al., propter auctoritatem antiquorum Codd. et numorum scribi jubent Drak. ad Sil. I, 39, 54; VIII, 439; Broekhus. ad Prop. I, 6, 1. Cellar. Geogr. I, 2, 9; et Orthogr. Lat. tom. I, p. 109, 145, ed. Harles., Corte ad Sall. B. Jug. 5; interpr. Corn. Nep. Ham. 1, et Horat. Od. I, 3, 15; 16, 4. Sed in totidem fere libris adspiratio desideratur, et ubique in Græcorum scriptis. — *Rombi, Rumbi* et *rhumbi* al., ut et v. 68, 119, et 11, 121.

Not. 39. *Incidit implevitque sinus* retis, hoc est, rete, ut apud Martial. XIII, 100, 2; Grat. Cyneg. 29, et al. — *Spatium admirabile rhombi*, hoc est, immensus, permagnus rhombus, ut IV, 81, *Crispi senectus;* vs. 107, *Montani venter;* XIII, 214, *Albani* vini *senectus;* XIV, 9, *cana gula;* XIII, 184, *mite Thaletis ingenium;* Horat. Od. I, 3, 36, et III, 21, 11, *Herculeus labor,* et *virtus Catonis;* Hor. Sat. II, 1, 72:

Virtus Scipiadæ, et mitis sapientia Læli,

apud Hom. βίη Ἐλείοιο, vel Ἡρακληείη, ἱερὸν μένος Ἀτρεΐδαο, ἱερὴ ἰς Τηλεμάχοιο, σθένος Ὠρίωνος, et alia, passim obvia, quæ laudavi ad Sil. II, 246, et IV, 599. — *Rhombus* ignotum genus piscis plani (Plin. IX, 20, seu 36), quem vulgo putant esse nostrum *Meerbütt, Tarbütt, Steinbütt*, Gall. *turbot*, cui tamen *sudes*, pinnas (*Flossfedern*), in lateribus tantum, non *in tergo* esse (vide infra vs. 128), jam monuit *Bredencamp Magaz. f. Schul.* vol. I, p. 443. Præ ceteris laudabantur rhombi *Adriatici*, inpr. ad Ravennam capti, ut ostrea Lucrina et Tarentina (cf. vs. 140 seq.), lupus Tiberinus, muræna Sicula, elops Rhodius: vide Plin. IX, 54, seu 79, et conf. loc. simil. Ovid. Halieut. 125.

Var. 40. *Achon*, 14, 27, 46—50, 60, 64, 65, 68, 71.

Not. 40. *Ante domum*, templum, ut apud Virg. Æneid. VI, 81, et

Prop. III, 2, 18. — *Ancon*, Ἀγκών, urbs, vulgo, ut etiam nunc, *Ancona* dicta (quia «in angusto duorum promontt. ex diverso coeuntium inflexu cubiti (ἀγκῶνος) imagine sedet,» ut Melæ II, 4, vel, ut Plinii III, 13, verbis utar, «quia apposita est prom. Cumero,» hodie *il Monte Guasco*, «in ipso flectentis se oræ cubito),» et in agro Piceno ad oram maris Adriatici condita a Siculis (Plin. l. c. Solin. c. 12), et quidem, si Straboni V, p. 166, 211, 241, fides habenda, a Syracusanis, Dionysii tyrannidem fugientibus, qui a Græcis originem ducebant, unde h. l. *Dorica*, hoc est, Græca, ut apud Valer. Fl. II, 573, ubi vide intpp. et Virg. Æneid. II, 27, ubi vide Heyne. Ibi *templum Veneris* (conf. Catull. carm. 36, 13), et portus, a Trajano refectus, in cujus honorem arcus triumphalis e pulchro marmore exstructus, qui a temporis injuria integer fere mansit. Conf. Oudendorp. ad Cæs. Bell. Civ. I, 11 et 12; Wesseling. ad Anton. Aug. Itiner. p. 101, et Busching. Geogr. tom. II, p. 1262.

Var. 41. *Sinum*, 24. — *Nec*, 17. — *Major*, 14. — *Hic erat* pro *hæserat* conj. Schrader, vulgare verbum substituens poetico et exquisitiori.

Var. 43. *Ostia Nili*, 26. *Hostia* al.

Not. 41 seq. *Neque enim* hic rhombus, qui nunc *hæserat*, adhæserat retibus, hoc est, captus erat, *minor* fuit *illis*, qui in *Mæotide* palude (hodie *Mar delle Zabacche*, nobis dicta *das Asowsche Meer*), quamdiu constricta gelu est, detinentur et verno tempore, *glacie solibus*, solis ardore et radiis, *rupta*, inde enatant in *Pontum* Euxinum (hodie Mare Nigrum), qui septemtrionem versus per Bosporum Cimmerium (*Bocca di S. Giovanni*, seu *Stretto di Caffa*, *Strasse von Caffa*) cum Mæotica palude conjungitur: *quos Mæotica* palus, *glacie* adstricta, *operit et effundit*, emittit, et quidem ingenti multitudine (proprie pisces effundunt se, seu effunduntur, ἰκχύονται, ἰκχίονται, ἰπιχύονται, ut copiæ, quæ catervatim, instarque fluvii, seu torrentis cum impetu proruunt; conf. Hom. Iliad. Υ, 158; Φ, 295; Virg. Æneid. VII, 522; Sil. II, 151), *ad ostia Ponti* Euxini *torpentis* gelu, ad exitum paludis Mæot. in Pontum per Bosporum Cimmerium. — *Desidia tardos*, *et longo frigore pingues*: nam copia piscium innumera, inpr. pelamydum, in paludibus Mæotis pinguefacta et adulta, sed adspectu saxorum miri candoris in Euripo juxta Chalcedonem exterrita, per Propontidem in Pontum Euxinum violento impetu profluit, ibique (potissimum juxta Byzantium) capitur; vide Tac. Ann. XII, 63, et, quos ibi Lipsius jam laudavit, Strab. VII, p. 320; Aristot. Hist. Anim. VIII, 13, 16; XV, 10; Plin. IX, 15, seu 20, et Ambros. Hexæm. V, 10. Henninius adscripsit verba Hipparchi in scripto inedito, περὶ τῶν δώδεκα Ζωδίων apud Voss. ad Melam p. m. 7: Τὸν Πόντον, ὅπου ἐστὶν ἡ Μαιῶτις λίμνη, ἐν ᾗ πᾶς ἰχθὺς ἀποψυχοῦται, ὅθεν καὶ αὕτη ἡ λίμνη Μαιῶτις ὀνομάζεται.

Var. 45. *Destinet*, 14, 58.

Not. 45. *Magister*, rector *cymbæ et lini*, retis, hoc est, piscator. Similiter

magister, gubernator *navis*, Sil. IV, 717 (ubi vide Drak.); ἄνακτες κώπης et ναῶν, παιδώναξ, et alia.[1]

Not. 46 sq. *Pontifici summo*, Domitiano, cujus Pontificatus maximus ex æreis ipsius numis notus. Eumdem Imperatores ab Augusto usque ad Gratianum sibi vindicabant soli, et quidem sapientissimo consilio, ut sacris quoque præessent, et religione, efficacissima ad animos plebis movendos, imperiumque continendum re, rationibus consiliisque suis convenienter possent uti. Conf. Diss. Bohierii (in tom. V Hist. Acad. Inscr.) et Bosii; Spanhem. de Usu et Pr. Num. Diss. VIII, pag. 691 seq. Vulgo putant, poetam respexisse hoc loco ad sacerdotes Albanos, quorum quasi Pontifex max. fuerit Domitianus. Conf. ad II, 84 seq. et infra ad vs. 61, 100, 145. Rectius mentem ejus cepit Grang. qui monet, signanter illum *Pontifici* dixisse, ut tangeret *Pontificum cœnas*, ex quarum luxu vel proverbia nata, de quibus vide Erasm. — *Quis enim talem*, tantum piscem, *proponere* venalem, vendere, scil. alii, quam Imperatori, *aut emere*, scil. alius, præter eumdem, *auderet*, propter leges sumptuarias, aut gulam Cæsaris, et metum delationis, *quum et litora*, ipsa etiam litora, non fora tantum, omnesque Urbis partes, *plena forent delatoribus?*

Var. 47. *Audebit*, 10. — *Hæc litora*, 21, 26. *Ea litora*, 59, 60, 65, 69. Vulgo post *auderet* signum interrog. ponitur, et post *forent* colon aut semicolon.

Var. 48. *Dispersi* (immo *dispersæ*) *protenus alni* (hoc est, navium naufragarum et dispersarum) *Inquisitores*, quales erant Palfurius et Armillatus, emend. Grævius. Præstitisset *alti* (maris) *inquisitores*, vel *alto* (in mari, per mare etiam dispersi), vel *aulæ Inquisitores*, i. e. delatores Cæsaris. Sed vulgata lectio aptissima.

Not. 48. *Dispersi*, per omnia litora eorumque loca passim huc illuc volitantes, *inquisitores algæ*, delatores, ipsam quoque algam explorantes, ne piscator in ea lateret, *protenus agerent* precibus, argumentis ac minis, *cum remige nudo*, piscatore paupere ac misero, ut VII, 35, vel solo, vel inermi, vel præsidii experte; nisi malis, *agerent* caussam suam s. lege *cum remige* apud judices ipsumque Imperatorem: *non dubitaturi*, etc. Graphica imago delatorum et gulosi tyranni, singulaque verba ei aptissima, si hoc modo ea exposueris et distinxeris. Vulgo autem *alga* vel de toto mari ac litore, vel de rebus etiam levissimis (ut apud Virg. Ecl. VII, 42, et Horat. Sat. II, 5, 8) accipitur; et *agerent* dictum putatur pro, agerent reum, accusarent, et in jus raperent. Non ignoro quidem, verba *agere*, *actionem* et *actorem* sensu forensi adhiberi de accusatore vel petitore: is vero non *cum aliquo*, sed *in aliquem* ex lege quadam agere dicitur accusando, vel petendo. Pessima vero est ratio Grangæi, qui jungit *dispersi*

[1] Conf. Musgrav. et Hoepfner ad Eurip. Cycl. vs. 86, et Stanlei. ad Æschyli Pers. vs. 378, 382.

algæ, pro : per algam seu litus. Conf. Var. Lect. et de multitudine delatorum ac *fisco* Imperatoris mox vs. 54 seq. et Suet. Dom. cap. 9 et 12.

Not. 51. *Vivaria* proprie quorumvis animalium vivorum receptacula, inpr. immanes piscinæ, quas delicatiores ditioresque Romani, ut nunquam piscibus marinis carerent, vel in ipso mari, vel in continenti exstruebant [1]. — *Depastum vivaria*, in iis saginatum.

Var. 53. *Palphurio*, 56, 60, 65, 74. — *Parfurio*, 17, 19—22. *Parphutio*, 11. — *Vel creditur*, 11.

Not. 53. In Scholiis vett. hæc leguntur : « *Palfurius* Sura, Consularis viri filius, in agone cum virgine Lacedæmonia sub Nerone luctatus est. Post inde a Vespasiano senatu motus transivit ad Stoicam sectam, in qua quum prævaleret et eloquentia et artis poeticæ gloria, abusus familiaritate Domitiani, acerbissime partes delationis exercuit : quo interfecto, Senatu accusante damnatus est; quum fuissent inter delatores potentes apud Domitianum et hi *Armillatus*, Demosthenes et Latinus archimimus, sicut Marius Maximus scripsit. » Conf. Suet. Dom. 13. — Omnium sunt aer et aqua, secundum naturæ leges; at non ita sentiebant JCti Palfurius et Armillatus, qui a tyranno corrupti, in eo hominum genere erant, quorum fronti, ut ait Demosthenes, inscriptum hoc legitur : Venale. Ed.

Var. 54. *Ex æquore*, 10, 14, 27, 45, 57, 74. *In æquore*, 15. *Æquore toto est*, 12. *Ex æquore toto est*, 19, 20, 21, 23—25, 46—50, 55, 58, 61, 63—69.

Var. 55. *Natet*, 26.

Not. 55. *Donabitur ergo* piscis Imperatori, *ne pereat* fisco, quod jam distrahi non potest, ut vet. Schol. exponebat, vel, ut alii, fisco per delatores, vel denique, ne corrumpatur et computrescat. Ita vulgo hæc interpretantur, et a piscatore dici putant. Conf. ad XIV, 130. Eidem ea adsignat Ach. hoc sensu : donabitur cito et libenter Cæsari, quod retineri non potest, ne vi abripiatur, et sic meæ *pereat* obedientiæ præmium. Sed poetæ potius verba sunt, notantis iniquam illam legum jurisque fiscalis quum rationem, tum interpretationem, et suadentis, ut piscis captus non vendatur, sed donetur Cæsari, qui etiam ea, quæ jure naturali communia sint, sibi vindicet. Poetæ etiam hæc verba tribuunt Brit. et Hein. Ille vero exponit : *ne pereat* scil. piscator; hic bene monet, sensum totius loci esse : *quidquid* egregii in mari capitur, *donandum est* Imperatori, *ne pereat*, ne nobis vi eripiatur, et ita ne gratiam quidem ineamus.

Var. 56. In omnibus, quas vidi, editt. post *pereat* comma, et post *ægris* punctum reperitur, quo prorsus turbatur vera h. l. sententia.

[1] Conf. ad III, 308; inpp. Horat. Od. II, 15, 4; *Wernsdorf*, Poet. Lat. min. tom. I, p. 145 seq. et tom. V, part. I, p. 145.

Not. 56—58. Oratio insurgit, more poetarum satiricorum, quoties res, de qua agitur, poeticam tractationem admittit. — *Auctumni* æstus in terris australibus, potissimum in Italia, intolerabilis esse et, *austro* per mare Mediterr. flante, humidisque particulis gravato, morbos gignere solet, unde h. l. *letifer* dicitur [1]. *Auctumno cedente pruinis*, hyemi (ut ap. Virg. Ge. I, 230), eum excipienti, auctumnum, qui jam præterit, sequenti, ut apud Sophocl. Ajac. 675 :

. . . . . νιφοστιβεῖς
Χειμῶνες ἐκχωροῦσιν εὐκάρπῳ θέρει.

Not. 57. *Jam quartanam* febrim, hoc est, morbos, *ægris sperantibus*, metuentibus. — Hoc sensu apud Virgil. Æneid. IV, 419 :

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem. Ed.

Ita vulgo, nec male, hæc interpretantur. Neque tamen necesse est, ὑστερολογίαν per contrarium, vel ἀκυρολογίαν propterea poetæ obtrudere : nam ἐλπίζειν, ἐλπὶς et *sperare* sæpissime significant exspectare, suspicari, cogitatione præcipere futurum aliquid, sive sit bonum, sive malum, et hinc metuere, quemadmodum et nos dicimus : *ich will nicht hoffen, dass dieses geschehe* [2]. Flavius, Conjectan. c. 17; Rigalt. in Diss. de Sat. Juv. Grang. et alii propriam verbi *sperare* vim h. l. tuentur, collato proverb. Ital. *Febre quartana no fa sonare campana*, et inpr. Celso, qui lib. III, 15, extr. monet, quartanam neminem jugulare, et ægrotantes plerumque cupere febrim, quam quotidie sentiant, in quartanam commutari. Neque etiam diffitendum est, auctumno potissimum exeunte phthisin, tabidas aliasque febres acutas se inclinare, sensimque decedere, vel earum vim in quartanam sæpius converti. Conf. Cic. ad Div. XVI, 11 pr.

Var. 57. *Auctumno* scripsi pro *Autumno*, quoniam hæc vox formata est ab *augere*, vel *auctum*, ut *auctor* et *auctoritas*, ap. Dion. αὐκτωριτας. Accedunt lapides et inscriptt.

Var. 58. *Hyems* rectius scribitur quam *hiems*, a Gr. ὕω, pluo; unde proprie est pluvia, ac tristis tempestas.

Not. 58. *Stridebat hyems;* proprie venti, turbines, procellæ strident, strepunt, sonant. *Hyems deformis*, turpis et ingrata adspectu, hoc est, tristis, præcipue propter deformitatem, tristemque faciem naturæ, ut contra *ver gratum*. Conf. intpp. Horat. Od. II, 10, 14; et IV, 5, 6. — *Prædam*, captum piscem, *recentem servabat*, a corruptione ac putredine defendebat.

[1] Conf. VI, 517; Plin. II, sect. 48; Hippocr. III, Aphor. 9; Virg. Georg. III, 478 seq. Horat. Od. II, 14, 15; 16; III, 23, 8, et Sat. II, 6, 18, 19; Pers. VI, 13.

[2] Conf. Heyne ad Virg. Æneid. I, 543; IV, 419; XI, 275; Burm. ad Valer. Fl. III, 295; intpp. ad Thom. Mag. p. 299, et inpr. Irmisch ad Herodian. I, 3, 11, p. 79 et 824.

Var. 59. *Hinc*, 49, 50. — *Urgueat* reponendum videtur pro *urgeat*, quoniam illud in optimis libris nummisque reperitur, ut *tinguo*, *unguo* al. V. Pier. ad Virg. Æneid. V, 202, et Drak. ad Sil. VI, 265.

Not. 59. *Properat hic* piscator ad imperatorem. — *Auster*, quo flante gravissimus oritur æstus, qui carnes et opsonia corrumpit. [1]

Var. 60. *Lucus*, 65. — *Suberant*, 1, 28; al. *suberat*, 15. *Subeunt*, 17 a m. pr. *Subeant*, 14, 17 a m. sec. *Superant* (hoc est, transeunt, scilicet piscator et inquisitores), 2, 3, 5, 11, 68, 74. Sed vid. Comm.

Not. 60 seq. Intell. *Albanum*, seu *villa* Domitiani *Albana*, in collibus Albæ sita, quo secessu adeo delectabatur, ut eam quasi domum et regiam, vel *aream* (ἕστιάς τινα ἀκρόπολιν Dion.), immo et curiam haberet, quo sæpissime vel *Patres*, vel pontifices evocabat in consilium [2] Ibidem centenas sæpe feras conficiebat; collegiumque sacerdotum Minervæ instituerat, de quo vide Suet. Dom. c. 4 et 19. Situs et magnificentia villæ describitur a Stat. Silv. IV, 2, 18 seq. 62 seq. ubi confer Barth. Certaminum varii generis ibi habitorum mentionem faciunt Suet. et Stat. locis laudatis. — *Utque lacus* Albani *suberant*, prope, non longe remoti erant. *Lacus* Albanus (hodie *Lago di Castel Gandolfo*), ad Albam Longam et radices montis [3]. — Non equidem video, quomodo ad sensum doct. *Ruperti* hæc verba, « non longe remoti erant, » accommodet: hoc enim non respondet sequentibus *obstitit turba*. Vetus scholiastes interpretatur: quum prope lacus Albanenses jam venisset piscator. Malim, ut vis tota verborum intelligeretur, et omnia inter se cohærerent: postquam lacus Albanos superavit, urbem intranti obstitit parumper turba. Albanum nempe situm erat in monte, cujus radicibus suberant lacus: ergo ipsi quoque piscatori qui montem adscenderat, *suberant lacus*. Ed. — *Alba* Longa urbs Latii condita ab Ascanio, et *diruta* a Tullo Hostilio, quod vel ex Liv. I, 3, 15, 29 seq. notissimum.

Var. 61. *Ac*, 27, 47, 48, 50, 64.

Not. 61. *Vestam* cum *igni* æterno Troja in Italiam ab Ænea, deinde Lavinio Albam Longam ab Ascanio, et denique Alba Romam a Tullo Hostilio translatam. Conf. Heyn. Exc. IX ad Virg. Æn. II, 293, et Lips. de Vesta, cap. 2. — *Alba diruta servat ignem Trojanum, et Vestam colit;* urbs eversa præter templum Vestæ, κατεσκαμμένη πλὴν τοῦ ἱεροῦ, teste Strab. V, pag. 160. Vetus Schol. hoc loco notavit hæc: « Romani quum

[1] Conf. ad vs. 56; XIV, 130; Horat. Sat. II, 2, 41, 42; Galen. Aph. III, 5.

[2] Conf. mox v. 64 seq. et 145; Plin. Epist. IV, 11, 6; ubi conf. interpp. et Tac. Vit. Agric. c. 45.

[3] De quo vid. Liv. V, 15 seq. Cic. de Div. I, 44; et pro Mil. 31; Virg. Æn. IX, 387; *Mém. de l'Acad. des Inscr. et Bell. Lettr.* tom. IV, p. 414 seq.

Alba vellent sacra transferre Romam, tanta repente grando cecidit, ut intelligerent suis locis sacra non esse movenda. Inde ibi perseverant. » Quæ narratio orta forsan et conflata ex perversa interpretatione Liv. I, 31. — *Vestam minorem* poeta dixit respectu majoris templi, Romæ conditi a Numa, qui in ejus atrio aliquamdiu habitabat, et majoris religionis, qua Romæ colebatur, quam in urbe deserta, ubi inhonorata quasi remanebat. Conf. Ferrar. de Lucern. Sepulcr. pag. 23. *Vestam minorem*, immo eamdem, et antiquiori cultu : sed *minorem* ad urbem spectat; C. Vales. Sacra Vestæ Symmachi nondum ævo Albæ desiisse, patet ex ejus Epist. IX, 120 et 121.

Not. 62. *Obstitit parumper intranti* piscatori *turba miratrix* : sed *ut cessit* ei hæc turba, stupore remisso, facilis illi patuit aditus. *Turba miratrix*, ut *turba salutatrix* infra V, 21. Conf. Heins. ad Ovid. Amor. I, 7, 37.

Var. 63. *Excessit*, 14, 29. *Et cessit*, 10, 11, 15—17, 19—25, 45—50, 54—70, 74, et plerique Codd. Paris. non improb. Ach. *At* aut *Sed cessit* emend. Schurzfl. Ego solam distinctionem mutavi. Piscatori *intranti parumper obstitit turba miratrix*; sed *ut cessit* ei hæc turba, stupore remisso, facilis illi patuit aditus. — *Faciles*, 26. Parum interest. *Fragili*, 45. — Post *valvæ* excidisse copulam *et*, suspicatur Jacobs. Ejus vero ellipsin et asyndeta tum aliis scriptoribus, tum Juvenali frequentissima esse, monet Hein. Coll. III, 216; V, 143; VI, 206, 430, 551, 604, 648; VII, 89; VIII, 27, 36, 49, 66; IX, 98; X, 101; XII, 46; XIII, 133; XIV, 102, 103; XV, 135; Gronov. et Drak. ad Liv. X, 35; XXVII, 16; Oudend. ad Lucan. I, 135; Duker. et Oudend. ad Suet. Aug. 5.

Not. 63. *Facili cardine*, qui facile movebatur, mobili, volubili, ut contra *difficilem forem* (ob janitorem) dixit Ovid. Amor. I, 6, 2 [1]. *Facilis* autem aditus erat homini, et munus et rem valde mirabilem afferenti. — *Valvæ* villæ, Albani.

Var. 64. *Exspectant*, 17, 20—23, 26, 27, 29, 45—50, 54—56, 59—61, 63—65, 74, et XXIV Codd. Paris. prob. Prateo et Ach. Ille hoc locum ita interpretatur : Patentibus valvis introducti, qui munera portabant, exclusis etiam senatoribus, qui Domitianum comitati fuerant, quique interim foris stant, et exspectant, quid inde fiat. Hic exponit : *Patres exclusi*, id est, præ foribus stantes, et in vestibulo, *exspectant* dum opsonia. — *Obsonia* scribunt et ediderunt multi. Sed est gr. ὀψώνιον.

Not. 64. *Exclusi* Urbe, et arcessiti ab Imperatore, qui in Albano commorabatur. Sed rectius alii interpretantur : *exclusi* ab adspectu Imperatoris, et ad fores exspectantes, ut servi, dum vocarentur. Designare voluit poeta superbiam Domitiani, qui ne senatoribus quidem liberum aditum con-

[1] Conf. ad VIII, 58; Bentleium ad Horat. Od. I, 25, 5, Heyne ad Virg. Æn. VIII, 310; et Tibullum I, 1, 40; Burmann. ad Ovidii Art. Am.

cederet; Hein. Idem monet, se non assequi, quomodo ex h. l. extorqueri possit hæc, quam ei inesse dixerit *Jacobs*, sententia : Senatores, in Domitiani limine exspectantes, et ab ejus adspectu *exclusi*, piscem vident ad dominum intrantem, dum ipsi sibi eundem honorem frustra exoptant. — Ego verum solum hunc sensum genuinum arbitror, quum sit oppositio satirica : admittuntur opsonia ; at senatores excluduntur, et hanc suam ignominiam vident : quare non assentior cl. *Ruperti*, qui intelligit *spectare*, ut βλέπειν, adspicere cum admiratione, vel voluptate. Ed. — *Opsonia*, opsonium, ὄψον, piscem, rhombum. Vide loc. class. Athen. VII, 1, p. 276, 277, ibique Casaub. qui præter alia docent, ὄψον et προσόψημα antiquioribus Græcis dictum fuisse omne προσφάγιον (*quidquid ad panem adhibetur*, Cic. Tusc. Qu. V, 34), omnemque cibum coctum, vel assum, serioribus vero piscem, cibum iis familiarem.

Var. 65. *Tunc*, 21, 22, 27, 45—47, 49, 50, 60, 61, 63, 65.

Not. 65. *Atridem*, Domitianum, principem Romanorum, ut Agamemnon fuit Græcorum, et huic parem arrogantia, quod vel ex Hom. Iliad. α, coll. Suet. Domit. c. 13 intelligitur. — *Picens*, piscator ex Piceno, prope mare Hadriaticum, oriundus.

Not. 66. *Privatis majora focis*, piscem majorem, quam ut ab hominibus *privatis* (vide ad VI, 114) tenuiorisque conditionis in foco coqui et consumi possit ac debeat. Rhombus quoque in genere est cibus exquisitior, ditiorumque, non pauperum, mensis accommodatus.[1] — *Genialis dies*, lætus, festus, ut passim : nam qui lætitiæ voluptatique se dat, *genio indulgere* et *obsequi*, vel *illum curare* ac *placare*, et contra *defraudare*, dicitur.

Var. 67. *Ista*, 22. — *Lassare*, 22. — *Saginam*, 1, 9 a m. pr. Vetus scholion est : « Alii *sagittis*, ut sit sensus acutis curis, ut exercitatione sagittarum. Digestioni, inquit, et harenis (forte leg. *sagittarum, digestionem invita. Alii* SAGENIS), quibus vectari illum debere dicit ob cibum futurum. Legitur et *saginis*, id est, escis futuris stomachi indigestum (leg. *stomachum digestioni*) præparare. »

Not. 67. *Stomachum laxare*, exonerare, evacuare, ut plus cibi capere possit, vel potius h. l. extendere, ampliare, quod fit πολυφαγίᾳ. Nota Ach. est : « *Stomachum laxare*, solvere, evacuare, ut has delicias capiat ; nam helluonibus mos erat, ut post primam aut secundam mensam provocarent vomitum, quo venter laxatus facilius novas *saginas*, escas, caperet atque devoraret. » — *Sagina* proprie fartura, et deinde cibus, quo animalia redduntur pinguia, h. l. cibus exquisitior, et copiose sumptus, aut potius, quod Hein. monet, rhombus pinguis. — Verba vs. 68, 69, adulatorie dicta. « *In sæcula tua* est : in tempora regni tui. *Sæculum* pro

[1] Conf. ad vers. 39; Horat. Sat. I, 2, 115, 116; Pers. VI, 23.

tempore regni alicujus Imperatoris frequentatur hujus ætatis scriptoribus, maxime Plinio juniori; » Hein.

VAR. 68. *Tempora* pro *sæcula*, 14, ex interpr.

VAR. 69. *Ille*, 19. — *Rapi*, 16. — *At tamen*, 23.

• NOT. 69, 70. Hæc perperam plerique ita interpretantur, ut verbis piscatoris, *ipse* rhombus *capi voluit*, judicium suum interponat poeta: *quid apertius*, manifestius, scil. hac adulatione? *et tamen illi*, Domitiano, *surgebant cristæ*, ille animo efferebatur, adulatione intumescebat, metaphora desumpta ab avibus cristatis, quarum cristæ erectiores alacritatis ac superbiæ indicia sunt, quo sensu Gallis dicitur *lever la créte*, et contra *baisser la créte*, ut nobis *ihm schwillt der Kamm*. Præstat aliorum sententia, qua verba etiam *quid apertius?* piscatoris sunt, dicentis, quid manifestius esse potest, quam piscem *capi voluisse*, ut a te comederetur? quam adulationem poeta sic refutat: *et tamen illi*, scil. rhombo *cristæ* (spinæ, pinnæ, *Flosfedern*, ut *sudes* vs. 128) *insurgebant* (ut *erectas in tergo sudes* vs. 128), quo prodebat indignationem et iram, quod captus esset, et significabat, se capi noluisse, et a tanto tyranno ac monstro consumi, adeoque illa a piscatore non nisi per adulationem dicta esse: quod tamen non sensit Domitianus; nam *nihil est, quod credere*, etc. Hanc interpretandi rationem probat Bredencamp. *im Magazin für Schulen*, vol. I, p. 441, 442; sed ibid. p. 452, putat, majorem forte huic loco vim inesse, si verba quoque *quid apertius?* poetæ tribuantur, isque piscatori ironice respondeat et suffragetur: *quid apertius?* quis de eo dubitet? *et tamen illi* pisci *cristæ surgebant:* ex quo intelligitur, quam verum sit quod dicis. — Pace doctissimorum virorum Ach. et *Ruperti*, alteram interpretandi rationem amplector. Primo quia hunc sensum tuentur sequentia *nihil est*, etc., deinde quia mihi Juvenale dignior videtur; satiricum enim, et, ut ita dicam, epicum est nudare humanæ mentis naturam, quæ, quum adulatione corrupta est, eo stoliditatis incidit, ut quacumque laudatione gaudeat atque intumescat: insulsum vero, ac pæne ridiculum ostendere piscem piscatoris orationi infitias euntem, et ob hoc præsertim indignantem, quod tanto tyranno ac monstro consumendus afferatur. Itaque cum clar. *Raoul* ita verterem:

« Quelle dérision! le despote crédule
« En conçoit cependant un orgueil ridicule. » ED.

NOT. 70, 71. Sententia communis et epiphonema, quo poeta narrationem suam interrumpere solet: Multi hominum, præcipue ii, qui divinam sibi potestatem majestatemque vindicant, etiam iis credunt, qui sine pudore adulantur. Conf. Senec. Epist. LIX, med. Domitianus quoque, ut Caligula (Sueton. Calig. 22), Aurelianus, Carus, Diocletianus, Antiochus, Alexander Magnus, et inpr. reges Orientis (Curt. VIII, 5), non salutari, sed adorari, nec nisi *Dominus ac Deus* appellari volebat.[1] — *Diis æqua potestas,*

[1] Vide Suet. Dom. 13; Martial. V, 8, 1; Spanhem. de Usu et Pr. Num.

Reges et Imperatores Διοπίθαλοι, ἐναλίγκιοι ἀθανάτοισιν, (κατὰ) δίκας ἀθανάτοισιν ἐοικότες.

VAR. 72. *Spatium* pro *mensura*, 84 a m. pr.

NOT. 72. *Patinæ mensura*, patina satis magna, ut integrum caperet piscem, *deerat :* quod in Cæsaris irrisionem fingitur, ut reliqua, quæ narrantur. Conf. Martial. XIII, 81.

VAR. 73. *Concilium*, 14, 21 a m. sec. 46, 48, 56, 59, 60, 63, 65, 77, et quidam Codd. Paris. Male, si verum est, *consilium* et *concilium* ita differre, ut hoc de cœtu hominum, qui audiendi, illud de conventu (βουλῇ) eorum, qui deliberandi caussa conveniant, dicatur; quod monent Ernesti in clav. Cicer., Gron. ad Liv. XLIV, 2; Jani ad Horat. Od. III, 25, 6; Heyne ad Virgil. Georg. I, 25, et Æneid. VI, 433; IX, 227; X, 2; XI, 234, 304, 469. Crediderim tamen, voc. *concilium* (a *concieo*) de omni conventu adhiberi posse, neque ei inesse vim audiendi. Conf. infra v. 145, et N. Heins. ad Claudian. in Eutrop. II, 325. — *Oderat ipse*, 21. Scribendum, *Ipse* aut *Ille*. Conf. Comm. ad I, 6.

NOT. 73. *Vocantur in consilium*, ut de rhombo et patina, tanquam de publicis, iisque gravissimis, rebus, sententiam dicant, *proceres*, Patres, amplissimus ordo (*concilium augustum* Sil. I, 609; *senatus Romanus, tanquam regum consessus*, Liv. IX, 17), et *quos oderat Ille* Domitianus, more tyrannorum. Conf. Var. Lect. — Vide Domitiani orationem a Gallico poeta (*Berchoux, Gastronomie*, c. 1) lepide fictam, cui statim subjungit:

« Le sénat mit aux voix cette affaire importante,
« Et le turbot fut mis à la sauce piquante. » ED.

NOT. 74. 75. Recte depinguntur aureæ illæ compedes aulicorum, vita aulica, et amicitia regum magna quidem, sed misera, et periculi plena : unde non absurde a quopiam dictum, *malle se in caula, quam in aula vivere;* Ach. — *Pallor amicitiæ*, metus, quem ipsis incutiebat *amicitia magna*, Imperatoris (conf. I, 33), et *misera*, cum miseria periculisque quotidianis conjuncta, quum a *magni amici* nutu et arbitrio omnium salus penderet. Hunc metum non vanum fuisse patet vel. ex Suet. Dom. c. 11 : *Pallor in facie sedebat*, conspicuus erat, metus ipsa facie prodebatur. Conf. Ovid. Met. II, 776, et Trist. III, 9, 18, ubi vide Heins. — Hæc verba meminit *Boileau*, quum de Juvenale loquitur, *Art poétique*, II, 163 :

« Soit qu'il fasse au conseil courir les sénateurs,
« D'un tyran soupçonneux pâles adulateurs. » ED.

VAR. 75. *Clamante tribuno*, 24.

NOT. 75. *Liburno*, præcone, e Liburnia oriundo, ne Romano quidem; vel servo, præconis vicem sustinente. Schol. vet. qui admissionibus præe-

---

Diss. V, p. m. 386 seq. et Diss. XII, T. II, p. 484, 491; Eutrop. IX, 16; et Aurel. Vict. de Cæsar. c. 39, ubi vide Gruner.

rat. Senatus edici et convocari solebat vel per edictum (Liv. XXXVI, 3; Tac. Ann. II, 28), vel per præconem, ut Liv. III, 38; IV, 32. *Liburno* servo nomenclatore, qui in senatum Patres vocaret: nam ex Liburnia servi proceræ staturæ mittebantur, qui quidem essent quoque sonora et valida voce, atque ad id officium apti; Ach. Conf. ad III, 240. — *Curvite, jam sedit*, verba præconis, et quidem pauca, more clamantium trepidantiumque, qui graphice adumbratur, ut et mox festinatio senatorum, verentium, ne longiore mora iram tyranni concitent. — *Sedit* Imperator, in concilio de piscis coquendi ratione deliberaturus.

Var. 76. *Sedet*, 12, 14—17 a m. sec. 19, 22—24, 45, 49. *Cedit*, 60. — *Et rapta*, 22—23.

Not. 76. *Abolla*, lacerna, quam Pegasus, deposita toga, Albam iturus induerat; vel pallium Stoicorum et Cynicorum, quo habitu forte incessit, quia et Stoicus fuit. Conf. ad III, 115, et Ferrar. ibi laudatus, qui recte monet, a Salmasio et Rubenio perperam colligi ex Nonio p. 538, abollam semper militarem fuisse vestem, et ex h. l., præfectos Urbi, quo honore functus sit Pegasus, in Urbe, præsidesque in provinciis, habitu militari esse usos. Henninius bene hæc notavit: « JCtos fuisse fere Stoicos ea ætate, docuit Ger. Noodt Probabil. III, 1. Subtilissime igitur ridet Noster stoicissantem Pegasum, qui nihil minus, quam liber, aut rex, ut se jactabant Stoici, vocatus ad Domitianum, et tyranni iram veritus, quum tamen mentem stoicam, nec vultus instantis tyranni quatere debeat, serviliter *properabat*, et quidem vix circumjecta, quam festinantissime *rapuerat*, *abolla* stoica. » Conf. ad II, 15. *Primus* quoque properasse idem dicitur. — « *Pegasus*, trierarchi filius, ex cujus liburnæ parasia (παρασήμῳ) nomen accepit, juris studio gloriam memoriæ meruit, ut *liber* vulgo, non *homo* diceretur; hic functus omni honore, quum provinciis plurimis præfuisset, Urbis curam administravit: hinc est *Pegasianum* scilicet *jus*, quod juris peritus fuerat. » Ita vet Schol. ex cujus ultimis verbis multi collegerunt, ab eo *Proculianos* nomen tulisse *Pegasianorum*. Sed Pith. ad h. l., Grot. Flor. Spars. ad Jus Justin. ad § 5; Inst. de Fid. her., Bach. Hist. Jurisp. Rom. p. 410, et alii bene jam monuere, verba ista ad libros potius JCti pertinere, eodem modo, quo *Jus Ælianum*, *Flavianum*, etc. vel pro *jus* legendum esse *SC*. Nam Pegasus sub Vespasiano non modo præfectus Urbi fuit, sed et antea consul suffectus cum Pusione, quo tempore factum est *SCtum Pegasianum de fideicommissis hereditatibus*, ab eo appellatum. [1] — *Attonitæ* metu tyrannorum, gravius quam trepidæ, et amarius dictum in ignaviam Romanorum, jugum servitutis patienter ferentium. C. Valesius in notis ab Ach.

[1] Vide L. 2. § ult. D. De orig. jur., § 5; Instit. de Fideic. hered. et al. Brencmann. Epist. de Consul. p. 608, et de Heuremat. Modestin. c. 11; Bynkershoek. Obss. VI, 21, Thes. Meerman. tom. I, p. 542 seq. et inpr. Menag. Amœnit. Juris civilis, cap. 17.

editis, et in *Hist. de l'Acad. des Inscr.* tom. I, p. 140 seq. hoc epitheton ad tempus, quo L. Antonius, Germaniæ superiori præfectus, a Domitiano desciverit, refert coll. Plut. in Vita Æmilii Pauli Opp. tom. I, p. 268, ut *attonitæ* sit stupentis, ob Domitiani desidiam et segnitiem, qui tali tempore super re tam ridicula Patres convocaverit, et consternatæ ob terrorem ab Antonio incussum. — Hæc inter addenda ad calcem operis notat *Ruperti*: « Ill. Comes *de Haugwitz* existimat, præfectos urbis tunc temporis fuisse homines infimæ conditionis, Imperatorum servos et adulatores, qui *villicos* eorum Romæ egerint, et cives in urbe tractaverint, ut rure antea servos. » Inde ego colligo intelligi etiam posse urbem *attonitam* fuisse, id est, stupefactam, quod homo optimus, et omni honore functus, in locum antea vilissimis destinatum succederet, atque is, qui provinciis præfuerat, nunc *villicus* fieret. Ed. — *Positus*, præpositus, præfectus, *Urbi modo*, non nisi, tantum, *villicus*, quum Urbs non amplius suis juribus utatur, suaque libertate, sed jam *villa* quasi Imperatorum sit. Ita Ach. et alii. — *Villicus* propr. dicitur servus, qui *villæ*, ibique potissimum rei familiari et reliquis servis, ut *villica* (XI, 69) muliebribus negotiis atque ancillis, præest, deinde quilibet præfectus, procurator, dispensator, ut *villicus aquæ Claudiæ, vill. a plumbo, ab alimentis*, etc.[1] — *Tunc*, temporibus Vespasiani, cujus summa his verbis taxatur avaritia, quæ nota est vel ex Suet. Vesp. 16; ubi præter alia narratur, procuratorum rapacissimum quemque ab eo ad ampliora officia, ex industria, promotum esse, quo locupletiores mox condemnaret. Præfectura Urbis maxima olim potestas, quæ tamen, ut reliquorum magistratuum, sub malis Imperatoribus sensim est imminuta[2]. Enimvero sensum hujus loci rectius forsan cepit Manso, cujus nota est: « Neque hoc *tunc* unice ad patris Vespasiani tempora, sub quo Pegasus ad præfecturam urbanam accesserat, referam, neque illud *modo* vs. 77 subtilius, quam par est, explicem *non nisi*, *tantum*. Latius sane patet particula *tunc*, et non magis spectat ad regnum patris avari, quam immitis filii, quem etiam obiisse diem suum, antequam nostra satira scriberetur, e fine carminis patet; *modo* vero, ut *nuper*, recte de longiori annorum serie dicitur; vide supra ad II, 160. Ceterum vs. 78 satis declarat, poetam, qui Pegasum dicit *villicum*, non aperte et vere, sed cum indignatione quadam et irri-

[1] Apud Spon. Misc. Sect. 6, p. 235; Gruter. Inscr. p. 650, 1033, al. Conf. Menag. l. l. et Salmas. ad Lamprid. in Alex. Sev. c. 15; ubi tamen perperam monet, præfectum Urbi a poeta vere et proprie, non satirice, *villicum* dici; nam ratio hujus appellationis subjungitur: *Anne aliud tunc præfecti* Urbi fuere, quam villici, procuratores Cæsaris? Grangæus *villici* nomine h. l. innui putabat rusticum et extraneum, vel campestria potius redolentem, et rus, quam urbanitatem.

[2] Conf. Guil. Paw. Diss. ad varia Juris Civilis capita in Oelrich. Thes. Diss. jurid. vol. I, P. I, pagin. 119; et Drakenb. Diss. de Præf. Urbi.

sione loqui; nec dubitare licet, quid velit h. l. *villicus*, modo memores simus, villicos nunquam fere non e servis lectos fuisse, et uti colonis severe sæpe et crudeliter imperasse, ita ipsos turpiter trepideque agrorum dominis paruisse. Ne miremur igitur Romam *attonitam*, quum *præfectum* nomine quidem acciperet, re vera autem servilem *villicum*, qui, ut verbis poetæ vs. 80 utar, *omnia tractanda putaret inermi justitia*, hoc est, qui virum se præstare, et officio suo satisfacere non auderet, sed, scelestis tyrannorum consiliis cedens et obtemperans, urbem haud secus ac villulam aliquam regeret, imperiumque in cives, tanquam in mancipia vilia, jubente Cæsare, exerceret. »

VAR. 77. *Urbis*, 60, 65.

VAR. 78. *Tum*, 11, 17, 19, 26. Præstiterit *nunc*. Sed vid. Comm. — *Hic* ante *quorum* adjicitur in 20, 21. *Atque hic*, 19, 29, 59, 60, 65, 68.

NOT. 78. *Quorum* tamen *optimus* fuit Pegasus.

NOT. 80. *Putabat* metu tyrannorum. — *Justitia inermi*, debili, inefficaci, sine vi vel severitate. Prohra non severitate pœnarum coercenda, sed omnia mitius agenda putabat; vet. Schol. et Grang. Poeta respexisse videtur ad imaginem *Justitiæ*, quæ in quibusdam nummis ac monimentis vett. altera manu gladium, vel hastam, altera libram tenet, ut Themis, vel Astræa, Dice et Æquitas, quæ Deæ passim confunduntur. [1] In plerisque tamen Romanorum nummis Justitia pateram sceptrumque manibus tenet. [2]

NOT. 81. *Crispi senectus*, hoc est, Crispus senex, ut VII, 35, et X, 75. Conf. supra ad vs. 39. De Vibio *Crispo* vid. Tac. Annal. XIV, 28, et Hist. II, 10; IV, 41, 43; Suet. Domit. 3; de ejus *facundia* Tac. Dial. de Orat. cap. 8 et 13; ac de ejusdem et styli ejus *jucunditate* Quintil. Instit. Orat. V, 13; VI, 2; X, 1, et XII, 11. Quæ de eo Schol. vet. copiose memorat, ad Crispum Passienum spectant, de quo etiam hoc loco sermonem esse, contendebat Torrent. ad Suet. Ner. c. 6, ex quo potius loco constat, eum jam, Claudio imperium adepto, veneno sublatum esse ab Agrippina uxore, matre Neronis [3] — *Maria ac terras populosque regenti*, Imperatori.

---

[1] Conf. Gell. XIV, 4; Struvii Synt. Antiq. Rom. c. 1, p. 139, et Tab. IV, Fig. 21; Lipperti Dactyl. Mill. I, n. 708 (ubi in acervo armorum sedet); *Encyclop. seu Diction. raisonné des Sciences*, tom. IV, p. 11.

[2] Vide *Montfauc. Antiq. expliq.* tom. I, pars I, liv. III, c. 9, § 1; *du Choul, de la Religion des anc. Rom.* p. 113; Agostini *Dialogos de las medallas*, II, vers. Ital. p. 45, Rom. 1650, Fol.

[3] Vide Dodwell. Annal. Quintil. § 8, et p. 189 seq. Lips. Exc. ad Tac. Annal. lib. XII, 6, et Ryck. ad Tac. Ann. lib. VI, 20. Valla h. l. comparavit verba Statii (si Statii sunt, de quo dubito): « Lumina Nestorei mitis prudentia Crispi, Et Fabius Veiento: potentem signat utrumque Purpura;

VAR. 84. *Ac peste maligna*, 22.

NOT. 84. *Clade et peste sub illa*, sub Domitiano, homine pernicioso, et multarum cladium malorumque auctore, quo sensu etiam *pernicies*, *labes*, *lues*, ὄλεθρος, πῆμα, et alia dicuntur.

VAR. 85. *Sævitiem*, 16. — *Ferre*, 12, 14—17, 19, 20, 22—27, 45—49, 54—60, 64, 65.

VAR. 86. *Et si quid*, 19.

NOT. 85—88. Quam vere hæc dicta sint, intelligitur vel ex Suet. Dom. c. 10—12. — *Fatum pendebat*, incertum, dubium erat; nisi malis : calamitas ac mors impendebat *amici locuturi de pluviis aut æstibus*, etc. hoc est, de rebus levissimis, ut Germ. *vom Wetter sprechen*, et Gall. *sur la pluie et le beau temps* : nam Domitianus levissima quemque de caussa interficere, et ex omnibus, etiam frivolis ac vulgaribus, dictis factisve occasionem nocendi sumere solebat. Conf. Sueton. l. l.

VAR. 87. *De nimbis*, *aut æstibus*, *aut pluvioso* edidit Marshall, nescio qua auctoritate nixus.

NOT. 87. *Ver nimbosum*, ut *madidum* infra IX, 51, et *imbriferum* apud Virg. Georg. I, 313. Conf. infra ad V, 78. In Italico cælo *ver* imbribus et nimbis plerumque infestum esse, monet Bentl. ad Horat. Od. IV, 4, 7.

NOT. 89 sq. Utebatur prudentia, quam tempora suadebant, quam tamen nemo admirabitur, ut contra animi constantiam et παῤῥησίαν Thraseæ Pæti, Helvidii Prisci, Herennii Senecionis, Aruleni Rustici aliorumque paucorum, his similium. « Eadem prudentia tyrannidem erigit atque nutrit; » Ach. — *Dirigere brachia contra torrentem* proverbio dicitur pro, majori potestati repugnare, tyrannique voluntati refragari, ut gr. ἀντιπνέειν ἀνέμοισι, Gall. *s'opposer au torrent*, et nostrum *wider den Strom schwimmen*.

VAR. 91. *Verba animi* Juvenalem dixisse vix crediderim, etsi non ignoro, in antiquissima, rudiumque populorum lingua *cogitationes animi* vocari *verba*, et *loqui*, vel *loqui in corde* (בלבי אמור vel אמור et λέγειν ἐν ἑαυτῷ, vel ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ in libris sacris V, et N. T.) esse id. qd. sentire, cogitare. Legendum forte *animo proferre*. Non satisfacit certe nota Hein. « *Verba animi* aliquis *profert*, qui dicit, quid sentiat, sine ulla simulatione. Et nos dicimus : *die Sprache des Herzens reden*. » Desidero exempla dictionis.

NOT. 91. *Verba animi proferre*, vid. Var. Lect. *Vitam impendere vero*, veritatem constanter, etiam cum mortis periculo, profiteri ac defendere. Hoc dictum celeberrimi philosophi, *J. J. Rousseau*, constanter fuit epigraphium; Ach.

NOT. 92. *Sic*, hac agendi vivendique ratione, *multas hiemes et solstitia*,

---

ter memores implerunt nomine fastos, et prope Cæsarei confinis Acilius aulæ. »

multos annos, *vidit*, diu vixit Crispus, *tutus his armis*, his artibus, quibus se vitamque suam tuebatur, scil. dissimulatione, taciturnitate, adulatione et obsequio, *illa quoque in aula*, in tali, seu tam sæva aula, in qua nemo tutus erat, hoc est, sub imperio Domitiani, tam crudelis tyranni, regnante tali Principe. — *Solstitium* semper fere æstivum dicitur, ut hibernum *brumn*, et hinc vel brumæ, vel a poetis, ut synon. æstatis, hiemi opponitur. Conf. Virg. Georg. I, 100, ibique vide Heyne, et Ernesti Clav. Cic.

Var. 93. Perperam minor distinctio post *armis* in omnibus editt. posita: nam jungenda verba *tutus his armis*, et in voce *illa* magna vis inest, quæ augetur, si ei voci *quoque* junxeris. Possis etiam, puncto post *Solstitia* posito, verba *his quoque armis* (iisdem artibus) *tutus*, etc. ad Acilium referre. Sed vulgaris interpunctio præferenda videtur. *His annis* (in tam provecta et obnoxia ætate) emend. H. Vales. ne unum idemque bis *sic* et *his armis*, et *arma* insolenter pro *arte* dicantur.

Not. 93, 94. *Acilius*, qui *ejusdem*, cujus Crispus, erat *ævi*, ætatis (LXXX annorum), *proximus*, proxime post Crispum, *properabat* ad Domitianum (ut vs. 76), *cum juvene*, filio suo Domitio, ut vulgo putant.[1] Hic *Acilius*, ni fallor, est pater Acilii Glabrionis, *juvenis* clarissimi, et virtutibus ornatissimi, qui sub Domitiano collega Trajani in consulatu fuit et, ut tyranni sævitiam effugeret, *Bruti* exemplo, stoliditatem simulasse, et hanc quoque ob caussam, vel jussu tyranni cum leone pugnasse traditur, sed ita potius mortem suam maturavit, et quinto post consulatum anno jussu Domitiani, propter invisas ei corporis animique vires, in exsilio occisus est. Conf. Dio Cass. LXVII, 13, et Suet. Dom. 10. Hic itaque Acilius Glabrio est *juvenis*, *indignus*, *quem mors tam sæva* in exsilio *maneret*, *et tam festinata*, maturata, in flore ætatis, *gladiis Domini*, Domitiani, tyranni, qui *Dominus* et *Deus* appellari solebat volebatque, de quo vide ad vs. 71. Conf. Var. Lectt. Vixere etiam illis temporibus plures Acilii, verbi caussa Acilius Rufus consularis (vid. Plin. Ep. V, 13 et 20), Acilius Aviola et alii. Sed de illo, de quo dixi, sermo esse videtur, et in gente Acilia clarissimi fuere Glabriones inde a temporibus M' Acilii Glabrionis, qui prætor fuit anno U. C. DLVI, et consul anno LXII.

Var. 95. *Indigne*, 16. *Indignus* aliquando suspicabar. At vid. Comm.

Var. 96. *Gladiis domini*, 21. — *Jam destinata*, 11, 12, 14—17, 19—27, 45—49, 54—63, 65—67, 71—74, et omnes (XXXV) Codd. Paris. adversante metro. Hinc Lipsius, Epist. Quæst. 4, 25, vel *tam festinata*, vel *jam designata* reponi jubebat. Alii editores hoc, alii illud recepere, ne laudato quidem

[1] » Hujus quum filium juvenem Nero occideret, ipsum Acilium servavit, qui pœnas sentiret orbitatis, » vet. Schol. Alii *juvenem* existimant esse *Helvidii* Prisci filium, de cujus morte vide Suet. Dom. 10. Et quot non alii ita intelligi possunt, quum Domitianus tot viros juvenesque interemit?

emendationis auctore. *Jam designata*, 69. *Jam festinata*, 33 a m. sec. 50, 64, 68. *Tam festinata*, 28, 70, 75—77, 81, 82. Lectionem omnium Codd. et editt. antt. revocavit Ach.

Not. 96. *Olim*, jam diu, jam dudum, ut VI, 346, et al.

Var. 97. *Par est prodigio*, 22. — *In* pro vulg. *cum*, 7, 10, 11, 14—17, 19—25, 45—50, 54—63, 65—70, 74, et omnes Codd. Paris. unde nunc illud restitui cum Ach.

Not. 97. Perraro nobiles senectutem adipiscuntur regnantibus tyrannis, qui eos bonis exuere et interimere solent.

Var. 98. *Ut non sit*, 22. — *Mallem*, 16. — *Gigantis*, 3, 4, 5, 10, 12—14, 17, 19—24, 45, 47, 49, 54, 57, 58, 70, 75, 76, 82, et XXXII Codd. Paris. *Gigantum*, 11, 15, 16, 25, 46, 48, 50, 55, 56, 59—69, 71—74, 77, 81, et tres Codd. Paris. Sed cur h. l. *fraterculus*, non *frater*? Sensus forte est, sed male expressus: malim pumilio esse, quam gigas, hoc est, homo obscurus et ignobilis, quam nobilis. Crediderim potius, poetam scripsisse: *ut nolim fraterculus esse gigantis*, hoc est, amicus Cæsaris, qui odit nobiles, eorumque opibus inhiat. Conf. omnino ad V, 135 et 137. Ita et diminutivum est aptissimum, quoniam de *gigante*, Cæsare, agitur, et sententia satirico ingenio consentanea, eique convenienter expressa.

Not. 98. *Fraterculus gigantum*, ignobilis, obscurus, ut γηγενὴς, *ein Erdensohn, terræ filius, progenies terræ*, et *terra ortus*, Cic. ad Att. I, 13, et ad Divers. VII, 93; Pers. VI, 57, 59; Petron. 43; Quintil. III, 7, extr. Cf. infra VIII, 44, 45. Ita dici solebant, quorum genus ignorabatur: cujus dictionis ratio vulgo repetitur a veteribus philosophis, Empedocle et aliis, qui primos homines e terra natos credebant. Confer tamen Var. Lect. — Versus hic respondet proverbiis: « minus in parvos fortuna furit, » et, « qui procul a Jove, procul a fulmine »; nobilium enim virtutes ac potentia tyranno semper formidolosa sunt. Ed.

Not. 99 seq. Conf. ad vs. 94 seq. — *Misero* juveni, Acilio Glabrioni, qui in *arena Albana*, hoc est, amphitheatri, in Albano (vide ad vs. 60) exstructi, cum feris pugnabat, ut ita se insinuaret in gratiam Domitiani, qui in Albano secessu eximias sæpe venationes edebat, et ipse summa arte conficiebat feras; vid. Suet. Dom. c. 4 et 19.

Not. 99. *Ursorum Libycorum* vel *Numidicorum* mentionem faciunt Virg. Æneid. V, 37; Martial. I, 105; Solin. c. 29; Herodot. et ipse Strabo, ubi de Mauris agit. Sed *ursos*, frigidiore plaga gaudentes, in Africa gigni et inveniri negat Plin. VIII, 36 extr. et 58 extr. Hinc varia conjecere viri docti, verbi caussa Dalecamp. in Plin. *uros* legendum esse; Harduinus, errorem illum ex commutatione vocis Ἀγριοὶ in Λιβυκοὶ natum, ursosque Ligycos, seu Ligusticos intelligendos esse; Lipsius vero, qui copiose de hac re Elector. lib. II, cap. 4, disserit, Romanos veteres, advectis feris peregrinis, stupuisse, nomenque iis non suum, sed obvium aliquod, et e

vicino suo rure dedisse, adeoque *leones* non externo insignivisse nomine, sed noto et domestico *ursos*, quemadmodum elephantos vocaverint *boves Lucas*, struthionem *passerem*, camelopardalim *ovem feram*, et pantheras *mures Africanos*. Enimvero Libya Romanis parum nota erat, et feræ in multis repertæ terris ac locis, in quibus postea deletæ sunt; nec tam quærendum videtur, fuerintne in hac orbis terrarum parte ursi, quam quid veteres crediderint. Poeta quoque ad physicorum rationes non exigendus est. Conf. Heyne ad Virgil. Æn. V, 37. *Numidæ ursi* ut *Num. leones* apud Ovid. Art. Am. II, 183 (ubi vide Heins.), pro *Numidicis*.

Not. 100. *Venator nudus*, sine vestibus, saltem toga, ut expeditior esset, vel amentiam simularet. Alii, sine armis: nec ignoro, ita bestiarios quosdam pugnasse, et potissimum eos, qui capitis damnati essent; vid. Dio Cass. LX, 13; LXXVI, 10; Senec. Epist. 7: sed *ursos fixisse* dicitur. Ceterum viros olim nobilissimos, vel gratificantes tyrannis, vel ab iis coactos, immo sponte etiam, in venationes et arenam, ad *artes* scenicas, gladiatorias aliasque parum honestas, quæ inde mox *ευπατριδῶν patriciæ* appellantur, descendisse, monui ad II, 143 seq. et ad VIII, 192 seq. 198 seq. In eamdem insaniam ipsas quoque mulieres puellasque incidisse, vidimus I, 22 seq. ubi conf. not.

Var. 101. *Quis enim non intelligeret*, 14.

Not. 101 seq. Profuit nihil Acilio Glabrioni, quod cum feris pugnavit, ut gratiam tyranni captaret, quodque, exemplo Bruti (vid. Liv. I, 56 seq.), stoliditatem simulavit, ut mortem sævitiamque Domitiani effugeret (conf. ad vs. 94 seq.): quis enim nunc non intelligit, hæc et similia *arte* ac dolo fieri? præterea artes istæ tam vulgares sunt, ut nemo eas amplius admiretur; neque Domitianus et Romani nunc tam facile decipiuntur, ut Tarquinius Superbus et homines *priscis* temporibus viventes (unde *priscum acumen*), qui rudes ac simplices erant. Ita planus est sensus, et omnia melius cohærere videntur, quam si vs. 101 *intelligere artes* dictum acceperis pro, eas callere, quod suadet Bredencamp. *Magazin fur Schulen*, vol. I, p. 443.

Var. 102. *Miretur* pro *miratur* revocavi ex 25, 46, 48, 49, 54—56, 59, 60, 62, 64—74, quoniam exquisitius est, et præcessit *intelligat*.

Not. 103. *Imponere alicui* aliquid pro vero, est eum seducere, fallere (ut nostrum: *einem etwas aufbinden, aufheften;* et Gall. *en imposer à quelqu'un*), unde *impostores* vocantur homines fraudulenti. — *Regi barbato*, Tarquinio Superbo, prisca ac rudi ætate vivenți, qua Romani tum barbati adhuc erant, et intonsi, tum simplices et severi; nondum, ut nunc, astuti et fallaces, neque imberbes, aut delicatula barba capilloque pexo et unguentis delibuto nitidi; vide ad VI, 105, et XVI, 29.

Not. 104. *Nec melior*, lætior, hilarior, non minus tristis ac pallidus metu, ne Domitiani jam sedentis exspectationem diutius, quam par esset,

moraretur, et ita tyrannum offenderet. Conf. v. 73 seq. Præterea *reus* erat *veteris offensæ*, etc. — Malo verba *nec melior vultu* ad sequentia *offensæ reus* referri, quam ad metum, ne serius veniret. Ed. — *Quamvis ignobilis* esset, adeoque tutior ab insidiis tyranni videri posset; tamen non minus eum metuebat, quoniam Domitianus in infimos sæviebat æque ac in summos.

Var. 105. *Claudius* forte, seu *Clodius* substituendus in locum *Rubrii*, et hæc verba ex iis explicanda, quæ Sueton. Domit. c. 1, de Clodio Pollione, et poemate Neronis *cinædi* memoriæ prodidit. Sed v. Comm.

Not. 105, 106. *Rubrius* Gallus, ut vulgo putant, de quo tamen nihil legere memini, præter ea, quæ memorat Tacit. Hist. II, 51 et 99. Ex eodem noti *Rubrius Eques* et *Rub. Fabatus* Ann. I, 73; VI, 14. Quænam *vetus* ejus *offensa*, *atque tacenda* fuerit, non constat. Nonnulli male putant, quod Cæcinæ proditionis minister fuerit (vid. Tac. Hist. II, 99); rectius, opinor, vet. Schol. *quod aliquando Tibiam* (non *Liviam*, nescio quam, ut Pith. suspicabatur, sed forte *Juliam*, de qua vide supra ad II, 29 seq. vel *Titi filiam*; nam *filiam* pro *Tibiam* in cod. Schurzfl.) *in pueritia corruperat*; vel, si Gloss. et vet. Comment. Lubini fides habenda, quod cum Domitiani conjuge concubuerat. Calderinus non dubitabat, hoc nomine alludi ad *veterem* Rubrium, qui, deprehensus in conjuratione Neroniana, magno animo dixerit Neroni, se illum odisse, et quamvis ita audax, *tamen improbior* fuerit ipso Nerone. Sed is *Subrius* vocabatur (vid. Tac. Ann. XV, 49, 50, 65, 67), et, quamquam hoc nomen substitueris, ipsa tamen explicatio vereor ut multis probetur. Manso hæc adnotavit: «Frustra in his divinamus, ubi historia silet, et scholia nil certi definiunt. *Rubrius* non contra omnes modestæ criticæ regulas transformandus in *Claudium* sive *Clodium*; nec magis audiendi sunt, qui *offensam* ad stupri aliquod aut adulterii crimen referunt, et vs. 106 ad Neronem, qui ipse *cinædus* fuerit, et tamen Afranium Quinctianum, mollitia corporis infamem, probroso carmine diffamaverit, de quo vide Tac. Ann. XV, 49: nam ut taceam, *offensam* dictum potius, aut factum Rubrii sive in patrem Vespasianum, sive in filium Domitianum, innuere, obscurius etiam sic notatus esset Nero, quam ut intellectum iri poeta sperare posset. Quorsum pertineat *cinædus satiras scribens*, vidisse puto Gesnerum, qui in Thesauro L. L., versu nostro laudato, *proverbii*, inquit, *formam habet*. Acute et vere! Plura de *cinædis* proverbialiter dicta legimus, verbi caussa, *molliorem esse cinædo*, Plaut. Aul. III, 2, 8; *cinæda fronte se prodere*, Mart. VI, 39, 12; et apud ipsum nostrum poetam XIV, 30, *ceras ad mœchos cinædis ferendas dare*. Quid igitur? si Rubrium unum e turpissimo publicorum accusatorum et delatorum grege fuisse dicimus, versibusque Juvenalis hunc sensum tribuimus: Aderat etiam ignobilis Rubrius, ipse quidem læsæ majestatis reus, sed tanta improbitate, ut ejusdem criminis alios reos faceret, peccatumque suum, vetus illud, maximaque cum cura celandum, stulte in memoriam hominum revocaret, prorsus similis cinædorum, qui in cinædos

satiras scribunt. » Enimvero propter *cinædi* mentionem *offensam* ad stuprum adulteriumve referre malim, quo etiam illa proverbialiter dicta spectant, quam ad crimen majestatis.

Not. 107. *Montanus* pinguis et ventrosus erat, et acerbe *ventrem* potius, quam ipsum venire dicit; vet. Schol. Conf. supra ad vs. 39. Intelligitur hoc loco a plerisque *Curtius Montanus*, de quo vide Tacit. Ann. XVI, 28, 29, 33, et Hist. IV, 40, forte et infra XI, 34; a Calderino autem *Montanus Atticinus*, quem meminit Plinius, Epist. VI, 22. Fuere et plures *Montani*, Julius Mont. (Tac. Ann. XIII, 25), Traulus Mont. (ibid. XI, 36), Votienus Mont. (ib. IV, 42), Alpinus Mont. Trevir (Tacit. Histor. III, 35; IV, 31; V, 19); Hipso Mont. declamator, Titius Mont. et alii.

Not. 108. De *Crispino*, ejusque mollitie conf. vs. 1 seq. et I, 26 seq. *Amomum* fruticis Indici, non satis noti, genus et unguentum inde paratum.[1] — *Matutino*, non orientali, vel quod sub sole matutino nascitur, sed potius, quo jam tempore matutino, et singulo mane, quod summæ luxuriæ indicium est, non, ut vulgo fit, ante cœnam duntaxat, ungitur.

Var. 109. *Non* pro *vix*, 22 a m. sec.

Not. 109. Magna aromatum odorumque vis in lectum feralem, in bustum, in urnam, qua cineres continebantur, in ossa mortuorum ab amicis collecta, et quotannis in sepulcrum spargi solebat; quæ nota res est: vid. Kirchman. de Fun. Rom. III, 5.

Not. 110. *Pompeius*, nescio quis? Vulgo intell. *Pompeius Rufus*, de quo vide Plin. Ep. III, 9, 33; IV, 9, 3, vel *Pompeius Falco*, ad quem idem Plinius scripsit Epist. 23, lib. I. Sed illi potius *Pomponio* nomen erat, et ambo viri probi fuisse videntur, non flagitiosi vel delatores. — *Sævior aperire*, etc. græce dicitur, ut loco simili Horat. Epist. I, 15, 30:

Quælibet in quemvis opprobria fingere sævus.

— *Tenui jugulos aperire susurro*, jugulare homines, hoc est, supplicium iis parare, ac necem, occulta obtrectatione, calumnia ac delatione fictorum vel levium criminum, quæ *insusurrantur* quasi in aures tyranni. Vet. Schol. « Levi susurro alios deferre, necique tradere, aut per leves suspiciones jugulare. » — *Insidiantes susurros* dixit Plin. Paneg. 62.

Not. 111, 112. Cornelius *Fuscus*, præfectus prætorio, qui a Domitiano adversus *Cattos* missus, magna accepta clade periit.[2] — *Vulturibus servabat viscera*, conf. Plin. X, 6. — *Servabat*, reservabat: nam a publicis se negotiis aliquamdiu subtraxerat, ne citius quasi periret. Conf. Tac. Hist. II, 86, et ibi Ernesti. Hinc et *meditatus prælia* in *villa*, quod σαρκαστικῶς

[1] Vid. Plin. lib. XIII, c. 1; Martin. et Heyne ad Virgil. Eclog. III, vs. 89; IV, vs. 25; Heins. ad Ovid. Ep. Heroid. XV, 76.

[2] Vid. Dio LXVIII, 9; Sueton. Domit. c. 6, et Martial. VI, 76. Plura de eo leguntur apud Tac. Hist. II, 86; III, 4, 12, 42, 66; VI, 4.

dicitur de homine ignaro militiæ, ac luxuria diffluente, qui non in campo vel castris, sed in secessu otioque artem belli gerendi discit, tractat et exercet, ad bellum administrandum se præparat. Fuscus autem non tam ignavus fuit, quam imperitus belli. Conf. Tacit. ll. ll. — *Meditari prœlia*, exercere, vel in animo habere, et ad ea se comparare, ut VII, 128, et al. passim.

Not. 113. A. Fabricius *Veiento*, senator, adulator ac delator; *prudens*, qui adulatione ac prudentia, qua tempori serviebat, Domitiani offensionem crudelitatemque effugiebat.[1] — *Mortifero*, exitioso delatore, *Catullo* Messalino, qui, ut verbis Plinii Ep. IV, 22 (ubi iidem delatores, qui hoc loco conjunguntur), utar, « luminibus captus, ingenio sævo mala cæcitatis addiderat; non verebatur, non erubescebat, non miserebatur: quo (hoc est, propter quod, quam ob caussam) a Domitiano non secus ac tela, quæ et ipsa cæca et improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur, » etc.[2]

Not. 114. Conf. Martial. VIII, 49. — *Numquam visæ*, quia cæcus erat.

Not. 115. *Nostro quoque tempore*, δεινῶς, quo multa sunt monstra.

Var. 116. *E ponte* (ut XIV, 134, *aliquis de ponte*) malebat N. Heins. ad Ovid. Ibin v. 420. Sed durissima est verborum *a* vel *e ponte* explicatio (vid. Comm.), et de infimo Catulli genere nihil constat. Aptior prodit sententia, si emendaveris: *dignusque in ponte satelles*, etc., *dignus*, qui ob cæcitatem *in ponte* (vid. ad XIV, 134), tanquam *satelles*, seu custos pontis, *dignus*, qui ad Aricinum clivum *mendicaret*. Enimvero præferenda forte conjectura H. Valesii *dirusque ac sponte satelles*, hoc est, mali principis malus adulator, consiliarius et minister, non aliqua necessitate coactus, sed sola pravæ naturæ malignitate impulsus: ut apud Plin. Ep. III, 7. *Læserat* Silius *famam suam sub Nerone: credebatur sponte accusasse*. Conf. infra VIII, 193; XIV, 107; Senec. Ep. 95 (*voluntate peccare, et sponte delinquere*); Virg. Æn. VII, 204.

Not. 116. Catullum cæcutientem, non omnino *cæcum* fuisse, vitiumque corporis a Plinio et Juven. in majus elatum, relatumque esse ad animum, suspicabatur Catan. ad Plin. Ep. IV, 22. Non male; nam, si omnino cæcus, non ea fuisset impudentia, ut sciente Principe et præsente laudaret, quod non vidisset: alioquin Imperatorem deridere, nec ei adulari visus esset; Ach. Idem sic exponit verba *dirus a ponte satelles*: dignus magis, qui stet *a ponte satelles*, id est, custos pontis, et mendicans, ut solent cæci pauperes, quam qui sit Principis *satelles*, et assecla *dirus*, assiduus, impor-

[1] Vet. Schol. « utrum ad nocendum, an ad sapientiæ rigorem, an adulandi peritus et temporum? » Cf. de eo sup. not. 24; III, 185; infra VI, 113; Plin. Ep. lib. IV, 22; IX, 13; Tacit. Ann. lib. XIV, 30, ubi vide Lipsium.

[2] De ejus crudelitate et sanguinariis sententiis cf. Dio, lib. LXVII; Joseph. B. Jud. p. 996, 997; Tac. Vit. Agric. c. 45.

tunus. Non facilius fere concoquenda est vulgaris interpretandi ratio : a *ponte,* vel potius *e ponte*, ex homine infimi generis, et mendico, qui olim in ponte sublicio stipem a transeuntibus petebat (vide ad XIV, 134), factus *satelles*, amicus principis, et minister aulicus. Pro eo contemptim *satellitem* dici putabant Bahrdt. et alii. Ego potius ministrum crudelitatis Domitiani designari crediderim; unde et *dirus* vocatur. Sic *satelles audaciæ, potestatis, scelerum* apud Cicer. Catil. I, 3; Agrar. II, 13; Provinc. 3, et Quintil. 25 extr. Sed vide Var. Lect. — Diu multumque cogitavi quo sensu locus hic capiendus mihi foret; sed quo plus eum scrutatus sum, eo majoribus difficultatis nodis impeditus, demum quo me verterem, non habui. Nullæ enim mihi satisfaciunt interpretum rationes. Erud. *Achaintre* intelligit « dignum magis qui *stet a ponte satelles*, id est, mendicans, quam qui sit principis *satelles* et assecla. » Illa quidem mihi placeret interpretatio, si legeretur (parum tamen latine, ut opinor) *dignusque a ponte;* sed quum omnes fere Codd. contra faciant, legantque *dirus*, nimis torquenda forent verba, ut hunc sensum inde eruas : immo *dirus* non est idem ac assiduus, aut importunus, sed prorsus cum præced. *mortifero* congruit. Alter est sensus quem doctiss. *Dusaulx* et *Ruperti* secuti sunt : a mendico factus est dirus Domitiani satelles. Hunc ego quoque recepi, dum quis meliorem proferat; neque tamen me fallit multa ex adverso objici posse. Diligenter quidem de Catullo Messalino inquisivi, et eum vel fuisse nobilem et divitem, vel adversa laboravisse fortuna nullibi memoratum reperi. Verumtamen, quoniam conjecturæ standum est, non verisimile videtur hominem ab infima paupertate in senatum et principis amicitiam venisse. Ignobilis sane fuit Crispinus; sed quid non possunt divitiæ? senatu dignus erat, quia *mullum sex millibus emebat.* At non illæ Catullum artes juvabant. Hæ sunt difficultates : quis solvet? non meæ quidem ibi sufficiunt vires : quæ tamen cogitando extudi, doctioribus proponam. Equidem facile crediderim vetus Romæ fuisse proverbium, quo nequam et odiosus homo vocaretur *a ponte satelles.* Cujus proverbii originem non referam ad exactorem fabulosæ legis, qua jubente, senes sexaginta annos nati, quasi jam terræ pondus inutile, in Tiberim dejecti fuerint. Verum arbitror, quum plurimi Romæ, ut in illo gentium carcere, exstiterint mendici, omnesque in pontibus stantes, transeuntibus moram et *incommodum* facerent, ædiles hominem quemdam rigidum elegisse, qui *satelles pontium* mendicos coerceret et castigaret. Inde vulgatum proverbium, *dirus ut a ponte satelles,* quod apud nos repræsentaret illud in triviis vulgatum : *insolent comme un valet de bourreau.* Quæ ita si forent, cum præcedentibus sequentia congruerent. Scilicet iste mortifer Catullus, et cæcus, et adulator, non minorem, quam pontium satelles, præ se fert sævitiem, dignus hercule, qui ipse sub virga satellitis tremeret; immo Urbe ejectus ad collem Aricinum inter Judæos mendicaret!... Videant peritiores. Ed.

Var. 117. *Aricinas.... ad arces* (ad collem, seu clivum Aricinum, de quo vid. Comm. ad 3, 192), quin corrigendum sit vix dubito. *Axem* certe

poetis dici eollem editum, non mihi persuasere Plathner. et Scalig. ad Prop. IV, 1, 125, ubi Passerat. ex vet. libro recte restituit *arcis*.

Not. 117 seq. *Dignus, qui mendicaret ad axes*, currus, *Aricinos*, hoc est, ab iis, qui Ariciam vehuntur, et *basia jactaret redæ* (vide ad III, 10) *devexæ*, hoc est, e clivo Aricino descendenti, vel, ut Ach. exponit, declivi, deflexæ, inclinatæ in descensu. Conf. Var. Lect. *Aricia*, oppidum Latii, in via Appia, post Albanum montem, et in colle situm, ubi lucus Dianæ, et in eo fons Egeriæ fuit, a quo nemore et nunc *Nemi* dicitur. Mendici autem iis locis, ad quæ multitudo hominum confluit, in clivo, vel ad nemus, vel ad vias celebres, qualis Appia fuit, sedere solent. Conf. Apul. Met. I pr. pag. 104, ed. Elm. Hinc ortum vetus prov. *Multi Manii Ariciæ*, de quo vid. intpp. Pers. VI, 56. Conf. Martial. II, 19, 3, et XII, 32, 10. Vet. Schol. « Dignus, qui ad portam Aricinam, sive ad clivum mendicaret inter Judæos, qui ad Ariciam transierant ex Urbe missi (vide ad III, 296); et qui cæcus amator rhedæ ferenti mulieres oscula jactaret. » Verba *jactare basia* (*Kusshändchen*) spectant ad veterem, Orientis præcipue, ritum, notumque venerationis signum, quo quis manui suæ (*priore*, id est, indice *digito in pollicem residente*, Apul. Met. IV, pag. 83; φιλήματα διὰ δακτύλων πέμπων Dio XLIV, 8, p. 1055) oscula infigit, et tum ea quasi porrigit jacitque ad eos, quibus honorem habet, etiam deos; unde et *adoratio* dicta.[1] Mendicantes cavam quoque manum porrigere solent. Vide Casaub. ad Athenæi X, 4 pr.

Var. 118. *Redæ* scripsi pro *rhedæ*. Vid. ad III, 10.

Not. 119. *Nemo magis* quam cæcus Catullus, qui ne rhombum quidem videre poterat, quod festive verbis seqq. exprimitur. — *Stupuit rhombum*, ut XIII, 16, 164.[2]

Var. 120. *Lævam*, 16, 24, 25, 27, 28, 45—50, 54—60, 64, 65, et quidam Codd. Paris. unde recepi pro *lævum*.

Var. 121. *Belua* pro *bellua*, 21—25, 27, 45, 47, 56, 59, 60, 65, quam scripturam servare potuissem, quia in antiquiss. membranis obvia est, etsi

[1] Conf. ad III, 106, et VI, 584; Lucian. de Saltat. cap. 17 (Ἰνδοὶ, ἐπειδὰν ἕωθεν ἀναστάντες προσεύχωνται τὸν Ἥλιον, οὐχ, ὥσπερ ἡμεῖς, τὴν χεῖρα κύσαντες, ἡγούμεθα ἐντελῆ ἡμῶν εἶναι τὴν εὐχὴν, ἀλλ' ἐκεῖνοι, πρὸς τὴν ἀνατολὴν στάντες, ὀρχήσει τὸν Ἥλιον ἀσπάζονται); Tac. Histor. lib. I, cap. 36; Plin. lib. XXVIII, c. 2; Ouzel. ad Minuc. Fel. pag. 10—13; Menkii Dissert. de Osculo manus ori dato, Lips. 1711; Lips. Elect. II, 6; Spanhem. Histor. Jobi c. 9, n. 7; Intpp. V. T. ad Job. XXXI, 27, et Hos. XIII, 2; *Harmar's Beobachtung über den Orient*, tom. II, pag. 50—56; et Bottigeri Sabina, p. 296, 324, 325, edit. prim.

[2] Conf. Drak. ad Silium V, 202, et Burm. ad Petron. c. 29.

improb. Cell. Orthogr. Lat. tom. I, p. 188, ed. Harles. Conf. ad III, 85. — *Pugnam*, 45. — *Jactabat*, 21.

Not. 121. *Sic* alia laudavit, quæ non vidit. — *Cilicis*, gladiatoris e Cilicia oriundi. — Erat hoc hominis nomen, quo tamen patria memorabatur. Sic olim apud nos domesticorum cognomina, *Champagne*, *Bourguignon*. Ed.

Var. 122. *Ut*, 22. — *Pægma* (πῆγμα), 62, 68, 71, 72.

Not. 122. *Pegmata*, πήγματα, in theatris machinæ ligneæ, vel tabulata, tanta arte confecta (ἀπὸ τοῦ πήγνυμι, figo, compingo), ut paulatim et occulte in sublime crescerent, et plerumque summa celeritate vel dissolverentur ac dehiscerent, vel decrescerent et subsiderent : quibus nonnunquam *pueri*, hoc est, servi, seu gladiatores pegmares, et latrones, vel malefici, capitis damnati, imponebantur, ut, compagibus pegmatis tempestive ac subito solutis, vel in caveas ferarum præcipitati, aut repentina contriti ruina, oblectamento essent spectatoribus : nam plicatiles hæ et confixiles machinæ, similes turribus plurium tabulatorum, quæ in obsidionibus muro admoveri solebant, in scena demum Romani adhiberi cœperunt iis temporibus, quibus omnis spectaculorum voluptas ab auribus ad oculos migraverat.[1] — *Pueros inde*, ex hoc pegmate, et e scena, subito alia et occulta quadam machina, quæ γίψιος, seu *grus* et *demolitor corvus* dicebatur (vid. Pollux IV, 130, et Vitruv. X, 19), in sublime *raptos ad velaria*, ad vela, super theatrum et amphitheatrum, quibus tectum haud impendebat, non vero super scenam, funibus ducta, ut spectatores, sub divo sedentes, adversus ardorem solis defenderentur ; et sub umbraculo velorum acutius discernerent omnia, quæ in scena aperta, claraque luce perfusa agerentur : quæ tota machinatio proprie *velarium* vocabatur.[2]

Anal. 123—129. Fabricius *Veiento non cedit* Catullo in admiratione

[1] Conf. Lipsius de Amphith. capp. 16, 17, 18, 22; Casaub. et Ern. ad Suet. Calig. 26, et Claud. 34; Scalig. ad Manil. V, 439 seq. et in Poet. I, 21; Intp. Prop. III, 16, 13; Phædr. V, 7, 6; Martial. de spect. 2, 8, et 16, Sen. Ep. 88, 89 (qui est locus class.), et 91; Apul. Met. IV, p. 148, 28, ed. Elmenh.; Plin. XXXIII, 3; inpr. Bottiger in Prolus. de deo ex machina, Vimar. 1800, p. 6 seq. et Koenig ad Claudian. XVII, 325, ubi hæc præter alia adnotavit : « *Pegmata*, quorum usus erat in theatris, videntur contignationes fuisse, seu contabulationes diversissima ratione, sed certo semper consilio compositæ, ut similitudinem alicujus rei referrent, vel montis, vel ædificii, vel turris, etc. machinis quibusdam instructæ, quarum ope sponte in sublime crescerent, aut subito desiderent, aut in aliam formam ex inopinato mutarentur. Equidem arbitror, illa aut eadem fuisse, aut saltem similia nostris machinationibus in canticis theatralibus, vulgo *Opera*. »

[2] Conf. loc. class. Plin. XIX, 1, et quos laudavi in nota præcedente.

rhombi, et adulatione Principis. Utraque res festive adumbratur; et subtilissime simul exploduntur peregrinæ superstitiones, a Romanis adscitæ, fanaticorum hominum, quorum magnus tum numerus Romæ erat, furor, seu ἐνθουσιασμὸς, et fides his vaticinatoribus, eorumque præstigiis a plebe habita. Conf. loca class. de Bellonæ sacris VI, 511 seq. et inpr. Tibull. I, 6, 43 seq. ubi vid. Heyne. — *Fanaticus*, ἔνθεος, κάτοχος ἐκ τῆς θεοῦ. — Numine afflatus, ut Minervæ sacerdos, inquit Lubin.; sed potius, tanquam furiosi, qui in *fano* insaniebant, et spiritu divino exagitati divinabant. Ed. — *Œstro*, furore sacro, ejusque quasi stimulo, a Dea incuseo. *Œstrus*, οἶστρος, seu *tabanus*, *asilus*, et μύωψ, proprie est insectum, e vesparum genere, quod aculeo, qui ei in cauda acutissimus est, cuti armentorum ova immittit, eaque non ictu tantum, sed vel bombo quoque suo, procul audito, ad insaniam adigere perhibetur; unde ad quemvis furorem, etiam vaticinantium, a numine immissum, transfertur. [1]

Var. 125. *Clari magnique*, 16, 20.

Not. 125. His verbis Veiento Domitianum alloquitur.

Not. 126 seq. *Britanni* cum insigni adulatione et delectu nominantur e gentibus bellicosis, quas Domitianus olim in ditionem redacturus esset. Romani maximam Britanniæ partem (*barbaram*) frustra expugnare conati sunt, nec nisi meridionalem (romanam) in formam provinciæ redegerunt. Hæc quoque ipsa sensim amplificata est, ejusque populi sæpius rebellarunt. Veiento itaque auguratur, Domitianum id perfecturum, quod fortissimi olim duces, et inter hos ipse ejus pater, exsequi non potuerint: quæ spes etiam non vana forte fuisset, nisi Agricola virtute sua, prosperoque rerum successu in odium invidiamque tyranni venisset. Vide Tacit. Vit. Agric. cap. 13 ad 40. — *De temone Britanno excidet*, curru excutietur bellico, hoc est, vincetur et capietur. Nota sunt *esseda Britanna* ac *Belgica*, vehicula levia et agilia, quæ facile flecti poterant; unde et Romani, delicatiores potissimum, nec tamen in bello, ut Britanni, iis utebantur. Conf. Heyne ad Virg. Georg. III, 204; Broukh. et Burm. ad Prop. II, 1, 76, 85; Scheffer. de Re Vehic. p. 119, 283, 288. — *Arviragus*, rex Britanniæ, qui, si Polydoro Virgilio fides habenda, a Josepho Arimathæo ad Christianam religionem amplectendam adductus est, vel ei certe ejusque comitibus sedem aliquam in regno suo (Glasconem) attribuit, et evangelii prædicandi potestatem concessit. Lucius, pronepos ejus, temporibus Eleutheri Pont. Rom. baptizatus dicitur. — *Peregrina est bellua*, in mari Hadriatico capta (conf. vs. 39); ergo *regem capies* peregrinum. — *Sudes*, pinnæ, spinæ, ut *cristæ* supra vs. 70, ubi vide notam.

[1] Conf. Heyn. et Voss. ad Virgil. Georg. lib. III, v. 146 seq. Doering. in Eclog. vett. poett. lat. ad Valer. Fl. III, 581 (ubi confer etiam Weitz.); et Plin. lib. XI, cap. 16 et 28, ubi vide Harduin.

His spinis præacutis, et telorum instar horrentibus vel erectis tela, tergis hostium infigenda, significari monet adulator.

Var. 127. *Excidit* XXV Codd. Paris., et 12, 17, 20—22, 26, 29, 33, cujus Schol. exponit ita: mortuus est, et de regno expulsus; tamquam vaticinentur de re præsenti, vel quasi jam facta. — *Armiragus*, 19. *Arguragus*, 21 a m. sec.

Not. 128, 129. Εἰρωνικῶς de adulatore, tam scite interpretante singula, et tot præclara ominante. — *Fabricio* Veientoni. Conf. ad vs. 113.

Not. 130. *Quidnam igitur censes? conciditur?* verba Domitiani quærentis, num integer, an in partes concisus coquatur piscis?

Var. 131. *Testa illa*, 20, 21 a m. pr.

Not. 131. *Testa alta*, vas fictile et profundum, patinæ capax, qualis fuit illa Vitellii, de qua vide Suet. Vitel. cap. 13, et Plin. XXXV, 12. Conf. infra XI, 19. — *Muro*, margine, qui patinam ambit, ut *murus* oppidum. — *Tenui*: eo enim præstantior, quo tenuior; Grang. Laus est figulorum, ut tenuem cretam in conficiendis patinis ducant, Plin. loc. laud. — *Colligat*, circuitu comprehendat, ambiat, includat, *orbem*, patinam, vel interiorem ejus partem. Conf. ad I, 137.

Var. 133. *Patinæ magnus*, 11.

Not. 133. Conf. Mart. XIII, 81. — *Debetur*, requiritur, opus est. — *Prometheus*, peritus figulus (cf. ad VI, 110), qualis fuit Prometheus. Is tamen proprie non historica fuit persona, sed notio philosophica, qua adumbrata est προμήθεια, seu prudentia solertiaque animi, qua et procuduntur doli (quas fraudes ipsi Jovi nectere ausus est), et artes inveniuntur, in quarum magna parte præcipuus est ignis usus, et quarum inventione mox luxus, ut hoc deinde miseria hominum gignitur. Hinc Prometheus ope Minervæ, cui artium inventio tribuitur, in cælum sublatus, in ferula cava (νάρθηκι), furtim ad Solis rotas admota, *ignem summa cæli de parte raptum*, mala fraude subreptum, *terris donasse* (infra XV, 85), vel, qui serior mythus est, mentem sinceram igneamque ad homines detulisse (vid. Plato Protag. tom. III, pag. 107 seq. ed. Bipont.), et non modo artes, inpr. metallorum vasorumque fictilium ignis usu parandorum, invenisse (ut hoc loco), sed primum quoque hominem, προτόπλαστον, ex aqua, vel *luto*, limo, argilla, terra (in quam scil. morte resolvimur), formasse fingitur, ut VI, 13, et XIV, 35.[1] — *Subitus*, qui subito vel veniat, vel patinam fingat ex *argilla* et luto.

[1] Conf. intpp. Horat. Od. I, 3 29 seq. I, 16, 13 seq. Gierig ad Ovid. Metam. I, 82 seq. Schuts. in Exc. I, et III, ad Æschyli Prometh. Heyne. Comm. de Theog. Hesiodi, Herrmanni Mythol. tom. I, pag. 48 seq. et *Creuzer's Symbolik*, tom. I, pag. 269; tom. II, pag. 375.

Var. 134. *Cives* pro *citius*, 22; *subitusque Prometheus Argillam atque rotam citius properare* ingeniosa est conjectura III Com. C. A. Fr. *de Ranzau*, laudata in Cel. Wolfii literar. Anal. vol. I, Fasc. II, p. 511.

Not. 134. Et hæc Montani verba sunt, non Domitiani. — *Rotam* figularem (Plin. VII, 56) *properate*, propere arcessite. Conf. Pers. III, 23, 24. Sed vid. Var. Lect. — *Figuli tua castra sequantur*, cum reliquis fabris, ut semper apud te et in promptu sint, neque opus habeas eos arcessere. Sarcasmi vis per se satis manifesta est, et ex vs. 137 seq. perspicua.

Var. 135. *Jam figuli*, *Cæsar*, 26. — *Sequuntur*, 16.

Not. 136. *Victi sententia*, solennis formula, ut apud Liviura II, 4; XXXVII, 19; XLII, 47, al. — *Digna viro* tali, Montano; acerbe dictum.

Not. 137. *Imperii*, aulæ, Imperatorum. — *Noctes Neronis jam mediæ sunt*, tum *epulæ Neronis a medio die ad mediam noctem protractæ* (vide Suet. Ner. 27, et Tac. Ann. XVI, 20), tum noctes, in quibus Veneri indulgebat. Henninius *noctes medias*, quales infra VI, 302, 303, memorentur, designari credebat, coll. Tac. Ann. XIII, 20, et XVI, 20, sensu parum diverso. Nonnulli *Neronem* hoc loco Domitianum vocari existimant, ut supra vs. 38. Cf. tamen Suet. Domit. cap. 21. — *Aliam famem* vulgo interpretantur irritamenta gulæ, stomachum reficientia, appetitumque excitantia; sed rectius Hennin. famem Veneris, quæ Cererem Liberumque sequi soleat (cf. Petron. c. 27), excitata potissimum largiore usu *Falerni*, quod Varro scite *suscitabulum Veneris* appellet. — *Pulmo Falerno arderet*; etsi enim nullatenus potus ab ore in pulmonem descendit, tamen magna inter pulmonem et potum cognatio est, quam Marsilius Cagnatus Varr. Obss. I, 22, multis argumentis demonstrat; Grang. *Pulmo arderet* quidem cujusvis vini immoderato usu, sed inpr. *Falerno*, quod nobilissimum Campaniæ vinum austerum erat, vel amarum et *ardens* (unde passim *severum*, *ferox*, Pers. III, 3, et Lucano X, 165; *indomitum*, infra XIII, 216, *acre* vocatur; *ardens* vero Martial. IX, 75, 5, et XIV, 113), eamque ob causam Chio, dulciori vino, aut aqua temperari solebat. [1]

Not. 139. *Nulli*, quam Montano. Quidam ad Neronem referunt, alii ad Domitianum. — *Usus edendi*, peritia in delectu et apparatu ciborum.

Var. 140. *Circeiis*, 60, 65.

Var. 141. *Rutupinoque*, 20, 25, 27, 46—48, 55—60, 64, 65. *Ruptupinoque*, 17 a m. pr. 19. *Rutipinoque*, 15.

Var. 142. *Deprehendere*, 17, 22, 24, 27, 64.

Var. 143. *Simul*, 17 a m. sec. — *Dicebat litus*, 14.

Not. 140, 143. Similiter delicatorum hominum subtile palatum gula-

[1] Conf. intpp. Horat. Od. I, 27, 1, 28, et Galenus in loco Class. ap. 9; II, 11, 19; Broukh. ad Tibull. II, Athen. I, 20 (48), p. 26.

que luxuriosa notatur ab Horat. Satir. II, 2, 31 seq. et 4, 31 seq. Pers. VI, 24; Plin. IX, 18, seu 32, et 54, seu 79 (ubi vide Harduin.); Macrob. Sat. II, 11; III, 16; Gell. VII, 16 (qui locus class. est); Athenæo III, 13; Val. Max. IX, 1; Colum. VIII, 16; Varr. Re Rust. III, 3 et 17; Senec. de Consol. ad Helv. cap. 10, et Epist. 79; quibus locis, inprim. Plin., etiam de præstantioribus *ostreorum* generibus agitur. *Circæa* ostrea nota ex Plin. XXXII, 6; Horat. Sat. II, 4, 33, et al. Sic dicta a *Circeiis*, opp. Latii, et colonia Rom. in promont. *Circæo* (hodie *Monte Circello*), quod Circe olim insedisse ferebatur (vid. Heyne Exc. I, ad Virg. Æn. VII). — *Ostrea Lucrina* in lacu Lucrino, prope Baias, in Campania, capiebantur.[1] — *Rutupiæ* (nunc *Richborough*) opp. Cantiorum in Britannia cum portu. Ostreas orse Britannicæ dulcissimas laudat Plin. IX, 54, seu 79, et XXXII, 6, seu 21. — *Fundo* maris, seu in mari, *edita*, ut *nata*, vs. 140. — *Echini*, concharum genus, in cibis Romanorum exquisitioribus passim referuntur a Plauto, et aliis.[2]

Nor. 144. *Surgitur;* solemne verbum; Virg. Æneid. X, 117:

> Hic finis fandi: solio tum Jupiter aureo
> Surgit; ....

et apud nostratem *Boileau*, *Lutrin*, cant. II, extr.

> « Aussitôt on se lève; et l'assemblée en foule,
> « Avec un bruit confus, par les portes s'écoule. » Ed.

— *Consilio* (vid. Var. Lect.) *misso*, dimisso. Qui senatum habebat, sive coegerat, eum dimittebat etiam his verbis, *Nil vos moramur, P. C.*, vel, *Nil vos tenet.*

Var. 145. *Consilio* pro *Concilio* recepi ex 17, 20, 21 a m. pr. 23, 24, 27, 45, 47, 50, 57, 64. Conf. ad v. 73.

Nor. 145 seq. Conf. ad vs. 60 seq. — *Dux màgnus*, Domitianus, Imperator.

Nor. 146. *Adtonitos*, cf. vs. 74 seq. — *Traxerat*, præ metu.

Var. 147. *Getis* pro *Cattis*, 10, 12, 14—17, 19—22, 25, 27, 46—48, 56—63, 65, 67—69, et omnes (XXXV) Codd. Paris. contra historiam et metri leges. *Geticis*, 11, 24, 26, 71—74, 77. *Gethis*, 45. *Gathis*, 49. *Gotis*, 23. *Dacis*, 68. *Giatis* Lubini vetus commentator, qui etiam monet, *Giatas* esse Scotos. — *Tortisque* malebant Valla, Grang., Schegk. in Præmissis et Ramires ad Martial. de Spect. 4, 9. *Crinibus in nodum tortis venere Sygambri.* Conf. infra 13, 165, et Smetii Ant. Neom. p. 70, ubi XII Sygambrorum capita expressa vultu truci, crinibusque in nodum tortis. Sed poeta Sygambros non

---

[1] Vide Senec. Epist. 79; Plin. IX, 54, seu 79; Horat. Epod. II, 49 Martial. VI, 11; XII, 48, et al.

[2] Conf. Plin. IX, 31, seu 51; Athenæus III, 13 (41), p. 91; et Horat. Sat. II, 4, 33.

simpl. *tortos* hoc sensu dixisset; vulgata quoque lectio multo aptior est hoc loco, et *anxietati* Imperatoris. — *Sycambris*, 11, 17, 24, 60, 65. *Sigambris*, 14 a m. pr. *Sicanbris*, 21. *Sicambris* reliqui. *Sygambris* edidi, quoniam hæc scriptura auctoritate nititur tum antiquiss. Codd. Ovidii, Claudiani aliorumque, tum Græcorum auctorum : nam Dioni et Ptolemæo constanter dicuntur Σύγαμβροι, Straboni IV, p. 194, et al. Σούγαμβροι, ut *Sugambri* Tacit. Ann. II, 26; IV, 47; XII, 39. Conf. Heins. ad Ovid. Am. I, 14, 49; Oudendorp. ad Suet. Aug. 21; Duker. ad Flor. IV, 12; Jani ad Horat. Od. IV, 2, 36.

Not. 147 seq. Domitianus cum *Dacis* (non *Getis;* vid. Var. Lect.), *Sarmatis*, *Cattis* aliisque *Germaniæ* populis bella gessit : vide Suet. Domit. 2, 6, 13; et Euseb. — *Sygambri*, bellicosa Germaniæ gens, a Rheno usque ad Lupiam fines imperii sui propagaverant, et Romanis magnas nonnunquam intulerant clades.[1] *Torvi* vocantur et aliis, ut *feroces* et *cæde gaudentes :* vid. Mitsch. ad Hor. Od. IV, 2, 33 seq., 5, 26; XIV, 51; et Epod. XVI, 7. Sic et *truces oculi* Germanorum, quales bellatoribus esse solent, hominibusque, quibus natura robur ingens et magna dedit corpora : quam vultus truculentiam auget tum metus, tum ars : vid. Tac. Germ. 4 et 31. — *Dicturus*, relaturus.

Var. 148. *De* pro *et*, 15; *et* abest ab 10, 11, 14, 16, 21—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77.

Var. 149. *Penna*, 11, 14—17, 19, 20, 23—26, 45—50, 54—69, 71—74, et plerique Codd. Paris. Conf. ad III, 118.

Not. 149. *Epistola anxia*, anxietatis, periculi ac metus plena, seu index et caussa. — *Præcipiti pinna* forte simpl. pro *celeriter* dixit poeta, quoniam pennæ sunt velocitatis symbolum; vel pro pinnatis tabellariis.[2] — Quod alii de avibus et columbis interpretantur, hic locus non erat. Ed.

[1] Vide Dio, LIV, 20, 22, et 32; Flor. IV, 12; Oros. VI, 21.

[2] Nonnulli referunt ad columbas, vel hirundines, aliasve aves, quæ literas, pedibus suis alligatas, gestaverint, de quibus vide Plin. X, 37, ibique Harduin.; Huet. ad Manil. V, 381; Demst. ad Rosin. p. 775. Non magis probanda vet. Schol. nota : « *Si victoriæ nunciabantur, laurus in epistola figebatur;* (literæ ad senatum mittebantur lauro implicatæ, de quo vide Plin. Hist. N. XXXV extr. et Schwarz ad Plin. Pan. 8.) *si autem aliquid adversi, pinna figebatur* (Forte legit. *fingebatur* vel *pingebatur*). » Rectius alii, præeunte Casaub. ad Suet. Aug. c. 37., ad pinnatos cursores, seu tabellarios, veredariosve respici putant, qui, teste Dione, pennas, festinationis velocitatisque indicium, in capite gestaverint, unde Hesych. πτεροφόροι, et Plut. in Galba πτηνοφόροι dicantur. Nota Plathneri h. l. est, « Nuncii alati erant, vel pinnati, ipsorumque arma, idque, ut opinor, ad exemplum eorum præstitis Mercurii. Nuncii tristis rei nigras, lætæ albas habebant pennas. Hoc liquet ex Martial. X, 3, 10; illud ex Stat. Silv. V, 1, 92, 93; ubi lego *Nullaque fumosa*, etc. ut sensus sit, a remotis mundi partibus militares

Var. 150. *Nugis potius*, 15, 20, 21, 77. — *Ille* pro *illa* restitui ex 7, 17, 20, 21 a m. sec. 22, 29, et nonnullis Codd. Paris. Importuna vox *illa*, quam nemini displicuisse mireris.

Not. 150 seq. Præclarum epiphonema poetæ, mortem tot tantorumque virorum, Domitiani jussu interemptorum, lugentis. Conf. Suet. Domit. cap. 10, 11, 15; et infra ad V, 36, 37. — *His*, talibus, *nugis*, qualis fuit consultatio de rhombo.

Var. 151. *Claras quibus abstulit Urbis Illustres animas*, 60, 65. *Illustres* quoque in 25, 27, 46—48, 56—59, 64.

Var. 152. *Vindice nullo* malebat C. Vales. ut simul alludatur ad Vindicem, qui Neronis crudelitatem defectione repressit.

Not. 152. *Animas*, homines, *claras illustresque*, ut ψυχὰς ἰφθίμους apud Hom. Iliad. α, 3, et al. passim. [1] — *Impune et vindice nullo*, quibus verbis ignavia nobilium, tyranni temporibus viventium, notatur.

Not. 153, 154. Ex hoc loco manifestum est, poetam Domitiano superstitem fuisse. Confer. supra de Vita Juvenalis. — *Cerdonibus*, hominibus infimis ac sordidis: vide ad VIII, 182, ubi *Volesis Brutisque*, ut hoc loco *Lamiis*, hoc est, nobilibus, opponuntur. Conf. ibi notam, et ad III, 294. Intell. Clodianus, Maximus et Saturius, qui tyrannum trucidarunt: vide Suet. Domit. cap. 17. — Tunc periit, quum eum plebs timere cœpisset, nec jam essent nobiles, qui timerent, omni nobilitate et Senatu jam exstincto; vet. Schol. — *Lamiarum*, nobilium, a Domitiano occisorum, inter quos etiam Ælius *Lamia* fuit (vide Suet. Domit. cap. 10), qui cum delectu et acerba imperatoriæ crudelitatis nota memoratur, quum ob levem mortis caussam (Suet. l. l.), tum ob cognationem, quæ cum Principe ei erat (Suet. Domit. 1), tum ob antiquitatem nobilitatemque generis, de qua vid. Horat. Od. III, 17, 1 seq. ibique interpretes.

nuncios laureatis pilis venire, nec ullam *fumosam*, id est, nigram in lancea cursorum cerni pennam. »

[1] Conf. Burm. ad Virg. Æn. III, 67; Barnes. ad Eurip. Herc. fur. 452; Klotz. ad Tyrt. I, 14, p. 57, 58.

SATIRÆ QUINTÆ

ARGUMENTUM.

Quot mala sustineat parasitica vita notato,
seu notabis.

IN PARASITOS, DE GENIS CONTUMELIOSIS. — AD TREBIUM. — DE PARASITIS AD PARASITUM.

Conditio parasitorum tam misera est, et libero homine indigna, ut honestius sit mendicare, quam inopem illorum vitam colere, v. 1—11. Divites enim patroni, qui pauperes nonnunquam clientes ad cœnam vocant, amplissimum ita illis præmium officiorum persolvisse putant, v. 12—23; neque eadem iis, quæ sibi, sed viliora vina (v. 24—37), pocula (v. 38—50), aquam (v. 51, 52), panem (v. 67—79), pisces et oleum (v. 80—113), aves et opsonia (v. 114—124), fungos (v. 146—148) et poma (v. 149—155) apponi, atque a vilioribus servis ministrari jubent, v. 52—66. Præterea pauperibus non licet inter cœnandum libere loqui, neque pocula iis a superbo hospite propinantur, v. 125—131. Is enim non meritorum ac virtutum, sed opum rationem habet, et eosdem clientes summa complecteretur comitate, summoque honore, si forte fortuna repente locupletarentur, nullamque liberorum stirpem haberent, v. 132—145. Divites vero non tam male atque ignominiose accipiunt pauperes, ut parcant sumptui, sed ut eos ludificentur, v. 156—160. Quicumque igitur, si vel libertinus fuerit, nedum ingenuus, inani honoris specie ac spe bene cœnandi ductus, talem contumeliam bis patitur, dignus est, qui longe majori afficiatur, v. 161—173.

SATIRÆ QUINTÆ

ANALYSIS.

Satira pulcherrima, qua non modo divitum superba atque iniqua ingenuorum clientium tractandorum ratio notatur, sed etiam (v. 1—11, et 161—173) horum stultitia humilisque animus, qui tan-

Et tremere, et sordes farris mordere canini?
Primo fige loco, quod tu discumbere jussus
Mercedem solidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiæ magnæ cibus : imputat hunc rex,
Et, quamvis rarum, tamen imputat. Ergo duos post
Si libuit menses neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto;
Una simus, ait. Votorum summa! quid ultra
Quæris? habet Trebius, propter quod rumpere somnum
Debeat, et ligulas dimittere, sollicitus, ne
Tota salutatrix jam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.
Qualis cœna tamen? vinum, quod sucida nolit
Lana pati : de conviva Corybanta videbis.

dixi, locis longe honestius certe tibi sit rigere frigore, ac furfureo sordidoque canum pane vesci?

12. Primum hoc tibi fixum animo habe, cœnam hanc ad quam accumbere te dives jubet, velut omnium, quibus eum jampridem colis, obsequiorum mercedem integram tibi rependi. Est hic demum illustris amicitiæ fructus, hoc præmium, ut interdum ad capiendum cibum inviteris? Hoc tibi objectat nobilis patronus, tanquam aliquod magnum munus et memorabile; ac, licet rarum sit, prædicat nihilominus, ac in præcipua rationum parte ponit. Itaque, si visum illi fuerit post menses duos te clientem dia neglectum tandem ad cœnam vocare, ne sit vacuus in tertio lecto locus; adesdum, inquiet, una cibum ambo capiamus. Hæc illa scilicet est meta, quam tot votis ambiebas : hæc illa tot laborum tuorum ampla merces. Quid præterea postulas? Hac tanta mercede donatus Trebius recusare profecto non debet, quin abrumpat somnum, ac vincula calceorum femoraliumque negligat, festinans ad patronum salutandum, timensque ne ceteri clientes jam ad salutem illi dicendam ordine suo quisque admissi, velut in orbem, fuerint, tametsi nondum plane fugaverit astra cælo lux oriens, et illud tempus sit, in quo frigidus Bootes adhuc suum plaustrum versare lento gyro pergat.

24. Sed ipsam, quæso, cœnam expendamus, ad quam invitaris.

Jurgia proludunt; sed mox et pocula torques
Saucius, et rubra deterges vulnera mappa,
Inter vos quoties libertorumque cohortem
Pugna Saguntina fervet commissa lagena.
Ipse capillato diffusum consule potat,
Calcatamque tenet bellis socialibus uvam,
Cardiaco numquam cyathum missurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam titulumque senectus
Delevit multa veteris fuligine testæ;
Quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant
Brutorum et Cassî natalibus. Ipse capaces
Heliadum crustas, et inæquales beryllo
Virro tenet phialas : tibi non committitur aurum;
Vel, si quando datur, custos affixus ibidem,

Vinum tibi jam vile propinatur, ut ad lanam quæ succisa sit recens, et tingenda alieno colore, vix adhiberetur; quod fumosis vaporibus ita tuum caput perturbet, ut qui veneras conviva, fias brevi Corybas; ac initio quidem in convicia prorumpis et jurgia; mox ipsos cyathos jacularis, et iis vicissim petitus ac vulneratus, sanguinem abstergis cruenta mappa, quoties inter hinc vestram parasitorum, inde vero libertorum aciem exarsit certamen, in quo scyphis et poculis Saguntinis tanquam jaculis res geritur. Ipse interim patronus vester potat vinum vetustissimum et generosissimum, in amphoras e torcularî defusum sub aliquo ex antiquis consulibus, qui comam longiorem alebant, aut tempore socialis belli : cui vino ita parcit, ut ad amicum stomacho laborantem scyphum nunquam missurus sit. Cras aliud ipsi vinum miscebitur, puta Albanum aut Setinum, ita vetus, ut quo sit loco natum, quo notata consule amphora, vix legi in cortice ac titulo amphoræ, propter fuliginem et antiquitatem, possit; quale potabant olim Thrasea et Helvidius floreis coronis redimiti, quum Brutorum et Cassii natalem diem celebrabant. Idem Virro, a quo vocatus es, pateram ingentem habet in manibus confectam ex electro, quod formaverunt Heliadum lacrymæ, phialasque ob exstantem beryllum asperas: tibi aureus cyathus non præbetur; aut, si tuas in manus aliquando venit, adest eodem in loco servus,

Qui numeret gemmas, unguesque observet acutos.
Da veniam; præclara illic laudatur iaspis:
Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vaginæ fronte solebat
Ponere zelotypo juvenis prælatus Iarbæ.
Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor, ac jam
Quassatum, et rupto poscentem sulphura vitro.
Si stomachus domini fervet vinoque ciboque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam. Tibi pocula cursor
Gætulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivosæ veheris dum per monimenta Latinæ.
Flos Asiæ ante ipsum, pretio majore paratus,

neque a tuo discedit latere, qui calicem custodiat, qui insertas auro gemmas velut in numerato habeat, qui sit in excubiis, ne quam unguibus acutis divellas. Noli succensere, si tam diligenter calix custoditur; in eo quippe est egregia iaspis, et magni pretii: namque Virro, multorum more, ab annulis suis ablatos uniones poculis inserit, quos in summa vaginæ parte collocare solitus erat juvenis ille Trojanus (Æneas), quem amatori æmulo et invido Iarbæ Dido anteposuit. Tu siccabis aliquem ex illis, quibus Vatinius sutor Beneventanus nomen dedit, vitreum cyathum, in quo exstabunt quasi rostra, et nasi quatuor per quos bibatur, quique fractus sit, mutilus, et dignus qui cum sulfuratis permutetur. Si æstuat patroni stomachus, mero ac dapibus onustus, affertur illi aqua cocta, quæ vincat nives Geticas suo frigore.

51. Non tantum aliud illi ac vobis vinum, quod modo querebar, apponitur, sed alia aqua. Hanc tibi infundet in cyathum aliquis servus a pedibus, e Gætulia oriundus, aut e Mauritania, fuscus, ita macer, ut illius manibus nihil sit præter ossa et cutem aridam; ita deformis, ut eum habere obvium nocte intempesta reformidares, si faceres iter per sepulcra, quibus clivi Latinæ viæ sunt referti. Patrono tuo ministrat puer lectissimus et cultissimus, ex Asia petitus, ac pluris

Quam fuit et Tulli census pugnacis, et Anci,
Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola: quod quum ita sit, tu Gætulum Ganymedem
Respice, quum sities. Nescit tot millibus emptus
Pauperibus miscere puer: sed forma, sed ætas
Digna supercilio. Quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adest calidæ gelidæque minister?
Quippe indignatur veteri parere clienti,
Quodque aliquid poscas, et quod se stante recumbas.
Maxima quæque domus servis est plena superbis.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, solidæ jam mucida frusta farinæ,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morsum!
Sed tener, et niveus, mollique siligine factus
Servatur domino: dextram cohibere memento.
Salva sit artocopi reverentia: finge tamen te
Improbulum; superest illic, qui ponere cogat.

emptus, quam quantum valuere opes Tulli Hostilii bellatoris, et Anci Marcii, et, ne te morer, omnis ceterorum Romæ regum supellex delicatior. Itaque, quoniam sic se res habet, quum te sitis premet, respice, et voca illum tuum e Gætulia Ganymedem et pincernam. Iste enim elegans puer, tot nummorum millibus comparatus; non dignatur pocula pauperibus ministrare: nec mirum, si tam superbus est, quem et flos ætatis, et formæ commendet elegantia. Neque ille tantum te despicit, sed alius etiam qui calidam et gelidam aquam convivis ministrat: an eum unquam ad te accedentem vides, etsi sæpius inclamatum? Nempe iniquissimo animo fert morem tibi aliquid petenti gerere, quamvis vetus sis cliens; nec te oculis æquis mensæ accumbentem cernit, dum ipse stat. Ut quæque domus est lautissima, ita maxime servis arrogantibus abundat.

67. En, alius minister quam indignabundus et commurmurans obtulit tibi panem ægre fractum, quem verius dixeris mucidum farinæ male subactæ et vix coctæ frustum, idoneum in quo defatigentur molares dentes, ut illud comminuere possint! at panis tener et candidus, e molli confectus siligine, domino reservatur. Vide ne illum manu attingas: illi honorem habeto, qui secat panem, et dis-

Vis tu consuetis, audax conviva, canistris
Impleri, panisque tui novisse colorem?
Scilicet hoc fuerat, propter quod, sæpe relicta
Conjuge, per montem adversum gelidasque cucurri
Esquilias, fremeret sæva quum grandine vernus
Jupiter, et multo stillaret pænula nimbo!
Adspice, quam longo distendat pectore lancem,
Quæ fertur domino, squilla; et quibus undique septa
Asparagis, qua despiciat convivia cauda,
Quum venit excelsi manibus sublata ministri.
Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur, exigua feralis cœna patella.
Ipse Venafrano piscem perfundit; at hic, qui
Pallidus affertur misero tibi caulis, olebit
Laternam: illud enim vestris datur alveolis, quod
Canna Micipsarum prora subvexit acuta;
Propter quod Romæ cum Bocchare nemo lavatur;

tribuit. Fac tamen te audaculum esse; statim adest qui te omittere hunc panem jubeat, hisque vocibus increpitet: « Næ tu homo audacior es, qui ex iis canistris panem tibi sumere nolis, e quibus tibi apponi consuevit; qui, cujus coloris sit panis quo vesceris, nescias? » Hæc audiens scilicet ingemiscis, atque ita tecum: « Hoccine, inquis, merui? hoccine sperabam, quum surrexi multo mane, relicta conjuge, et montem oppositum, frigidasque Esquilias superare properavi, quum gelido vere grando plurima decideret, vestesque totæ repentino imbre diffluerent? »

80. Age vero, cernis ut patinam ingentem ingenti pectore impleat squilla, quæ, patrono tuo apponenda, fertur sublimis inter ministri manus? ut, in orbem lectissimis asparagis undique coronata, subjectas dapes et convivas magna cauda videtur despicere? Tibi vero cammarus, dimidio parce ac maligne implicatus ovo, in angusta lance offeretur; cujusmodi funebres inter dapes apponi solet. Patronus oleum Venafranum ad piscem condiendum adhibebit; verum ista, quæ tibi misero datur, brassica oleo putri, quale infunditur laternis, erit condita: patellis enim vestris illud oleum infundi solet, quod ex Numidia, Micipsæ regno, deportant proris acuminatis

*Quod tutos etiam facit a serpentibus atris.
Mullus erit domino, quem misit Corsica, vel quem
Tauromenitanæ rupes, quando omne peractum est,
Et jam defecit nostrum mare, dum gula sævit,
Retibus assiduis penitus scrutante macello
Proxima, nec patimur Tyrrhenum crescere piscem.
Instruit ergo focum provincia : sumitur illinc
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.
Virroni muræna datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo : nam, dum se continet Auster,
Dum sedet, et siccat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.
Vos anguilla manet longæ cognata colubræ,
Aut glacie adspersus maculis, Tiberinus et ipse
Vernula riparum, pinguis torrente cloaca,
Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburæ.

scirpeæ et arundineæ lintres, ita fœtens et olidum, ut veneniferos serpentes ab incolis tutis fugare possit; quo quum utuntur in balneis Mauri, quorum rex fuit Bocchar, nemo cum iis lavari sustinet.

92. Apponetur domino mullus in Corsico mari captus, aut circa rupes Tauromenitanas in Sicilia, si quidem pelagus omne Italiam alluens exhaustum et investigatum est, dum piscatores, ut gulam divitum expleant, et macello suppeditent opsonia, jactis retibus ubique grassantur, et proxima littora funditus depopulantur, nec minutos pisces in Tyrrheno crescere mari sinunt. Itaque petenda sunt e provinciis opsonia, quæ in culinis nostris coquantur; illinc advehendum, quod in macello comparet grandi pecunia Lenas inhians Aureliæ orbæ divitis hereditati, quodque illa subinde vendat. Cœnat murænam Virro, quæ amplissima reperiri potuit in voraginibus ad Siciliam positis; ad mediam enim Charybdim usque non metuunt temerarii piscatores progredi, ad jacienda lina, dum placidum mare relinquit Notus in Æolio antro inclusus et sedens, ac madentes alas siccat. Servatur vobis anguilla, colubrorum longorum consanguinea; aut pisciculus vilis maculosa ob hiemis glaciem cute, captus in Tiberi, cujus ripas consectatur, ac postea saginatur sordibus cloacarum in easdem ripas defluentium per subterraneanos meatus, per quos subter ipsum medium Suburæ vicum se insinuare iste solet.

Ipsi pauca velim, facilem si præbeat aurem.
Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
A Seneca, quæ Piso bonus, quæ Cotta solebat
Largiri; namque et titulis, et fascibus olim
Major habebatur donandi gloria : solum
Poscimus, ut cœnes civiliter : hoc face, et esto,
Esto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.
Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par
Altilis, et flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper : post hunc tradentur tubera, si ver
Tunc erit, et facient optata tonitrua cœnas
Majores. Tibi habe frumentum, Alledius inquit,
O Libye; disjunge boves, dum tubera mittas.
Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes, et chironomonta volanti

107. Ego Virronem ipsum affari paucis velim, si modo facili aure me audire non gravabitur. « Non petuntur a te illa eximia et lauta munera, quæ olim a Seneca suis amicis, iisque tenuioribus mittebantur; quæ Piso liberalis, quæ Cotta clientibus suis impertiri solebat : nam olim in laude majori ponebatur munificentia, quam omnes honorum tituli, ac ipsi consulatus fasces. Hoc duntaxat postulamus, ut, civium more, tuos clientes ad easdem tecum dapes adhibeas. Id si facis, patiar equidem te, ut multi factitant, quando cœnabis solus, lautius et more divitum epulari; parce vero ac more pauperum cœnare, quando cum amicis et clientibus cibum sumes. »

114. Ante ipsum Virronem apponitur et fumat calidum ingentis anseris jecur, et gallina non minor ansere, domi saginata; nec non aper similis Calydonio, quem Meleager formosus ferro interfecit. Post aprum, inferuntur in eamdem mensæ partem fungi (scil. tubera, *des truffes*,) purgato et abraso cortice, si vernia sit tempestas, si opportuna fungis creandis alendisque tonitrua illorum molem ac numerum ferculorum auxerint. « Habeas tibi sane frumentum, ac serves, o Africa; boves etiam ab aratris removeas licet, inquit helluo Alledius, dummodo plurimos nobis fungos mittas. »

120. Vide interim, ut ille qui struendæ mensæ præest, ne quid absit quod movere tibi stomachum et bilem queat, agilitate mira,

Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia : nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, et quo gallina secetur.
Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foras, si quid tentaveris umquam
Hiscere, tanquam habeas tria nomina. Quando propinat
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
Pocula? quis vestrum temerarius usque adeo, quis
Perditus, ut dicat regi, Bibe? Plurima sunt, quæ
Non audent homines pertusa dicere læna.
Quadringenta tibi si quis Deus, aut similis Dîs,
Et melior fatis donaret; homuncio, quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus!
Da Trebio : pone ad Trebium. Vis, frater, ab ipsis
Ilibus? O nummi, vobis hunc præstat honorem;
Vos estis fratres. Dominus tamen, et domini rex

quasi ad numeros saltet per omne triclinium; ut alius, cui secandorum perite obsoniorum est cura, cultellum scite et velociter circumagat, donec cibos omnes ex artis ac disciplinæ coquinariæ præceptis dissecuerit, quasi plurimum interesset, quo gestu lepores, quo gallinæ conciderentur.

125. Dum ceteri convivæ garriunt, siles tu; ac, si quid mutire audeas, tanquam tibi sint tria nomina, pedibus foras pertraheris, ut olim Cacus ab Hercule peremptus. Ecquando poculum tibi porrigit Virro, ut ex eodem bibas? quando tuum, si porrigas ipse, tuis contactum labris accipit? Quis e vestra illa parasitorum turba, tam temerarius est, tam impudens, ut patronum suum ad bibendum hortari et appellare ausit? Paupertas et detriti centones obstruunt os hominibus, adeo ut sæpius obmutescere pro pudore cogantur.

132. At si quis Deus, aut quispiam Superis par, fatisque benignior, sestertia tibi quadringenta largiretur, quantus evaderes, qui modo nihil nisi homuncio eras! quam subito Virroni carus fores! ut te complecteretur! ut laute acciperet! Date, famuli, hoc ferculum Trebio; illud Trebio apponite: ecquid arridet tibi, frater, sumen et omentum istud? O nummi! vobis hunc honorem habet; vos, vos

Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula
Luserit Æneas, nec filia dulcior illo.
Jucundum et carum sterilis facit uxor amicum.
Sed tua nunc Mycale pariat licet, et pueros tres
In gremium patris fundat simul, ipse loquaci
Gaudebit nido; viridem thoraca jubebit
Afferri, minimasque nuces, assemque rogatum,
Ad mensam quoties parasitus venerit infans.
  Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino; sed qualem Claudius edit,
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.
  Virro sibi et reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quorum solo pascaris odore;
Qualia perpetuus Phæacum auctumnus habebat;
Credere quæ possis subrepta sororibus Afris.
Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit,

illius fratres estis. Tu vero, Trebi, si plura his et dulciora audire a patrono tuo, si ejus dominus rexque esse cupis, oportet ut non tantum sis dives, verum etiam orbus, nullusque tibi sit domi qui ludat filiolus, nulla filia, quæ carior filiolo tibi sit. Uxor sterilis amicum divitem amico in primis gratum et dilectum reddit. Attamen, quamvis te divitem factum uxor tua Mycale tribus filiis in gremium paternum effusis tunc auxerit, illis quasi in nidulo collectis ultro arridebit dives, quum aliquis puerilium horum parasitorum ejus mensæ accumbet, et eorum garrulitate ac blanditiis delectari se significabit, aut non nihil munusculi dabit, nuces parvas, assem, thoracem viridem, et alias id genus nugas.

146. Tibi ad suam accumbenti mensam, ac tui similibus amicis, quos ob inopiam aspernatur, jubebit apponi periculosos fungos, dum ipse boletos comedet, quales Claudius esitabat, antequam illum comederet sibi ab uxore præparatum, quo peremptus, nihil postea manducavit.

149. Virro sibi suisque amicis fructus ministrandos curabit, quorum odore solo pascaris, quales in Phæacum hortis autumno perpetuo fruentibus nascebantur, quosque furto sublatos Hesperidibus merito credas. Tu vesceris scabiosis pomis, qualia novitii milites,

Qui tegitur parma et galea, metuensque flagelli
Discit ab hirsuto jaculum torquere Capella.
Forsitan impensæ Virronem parcere credas.
Hoc agit, ut doleas : nam quæ comœdia, mimus
Quis melior plorante gula? Ergo omnia fiunt,
Si nescis, ut per lacrymas effundere bilem
Cogaris, pressoque diu stridere molari.
Tu tibi liber homo, et regis conviva videris.
Captum te nidore suæ putat ille culinæ;
Nec male conjectat: quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum, et signum de paupere loro?
Spes bene cœnandi vos decipit. Ecce dabit jam
Semesum leporem, atque aliquid de clunibus apri.
Ad nos jam veniet minor altilis. Inde parato,

tecti parma et galea corrodunt in castris, dum lora metuentes artem librandi jaculi armorumque tractandorum docentur ab hirsuto aliquo centurione, scilicet Capella.

156. Neque vero credideris Virronem hæc facere parcimoniæ studio : hoc unum ipsi propositum est, ut te cruciet, ac voluptatem ex tuo dolore capiat. Enim vero quis histrio jucundior, quæ comœdia festivior esse potest illo spectaculo, quod parasitus propter famem plorans præbet? Sic igitur habeto, si nescis, tam indignas avaræ cœnæ sordes, tot contumelias eo denique omnes pertinere, ut bilem ac stomachum tibi moveant, ut, in lacrymas prorumpens, compressis dentibus stridere diu et fremere cogaris, atque ita ludibrium de te dare. Credis te scilicet hominem egregie liberum, et nobilis domini convivam; ille arbitratur te merum parasitum, qui ciborum odorem sequutus, mensam suam captes : nec male suspicatur : quem enim dabis mihi, tam inopem, si modo sit ingenuo et honesto loco natus, qui auream bullam more ab Hetruscis accepto puer gesserit, aut libertini saltem filius, qui loro in nodum collecto pro bulla usus fuerit : quem dabis, inquam, adeo fortunis omnibus destitutum, qui a Virrone tam turpiter semel tractatus, ad eum iterum ejusque cœnam redeat? Sed video quid vos alliciat : opiparæ cœnæ spes vos ducit. En brevi nobis, inquitis, semesi

Intactoque omnes, et stricto pane tacetis.
Ille sapit, qui te sic utitur. Omnia ferre
Si potes, et debes : pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis et tali dignus amico.

leporis frusta dabit Virro, aut ex apri perna quidpiam largietur: gallinæ saginatæ pars aliqua modo ad nos usque deveniet. Sic expedito pane intactoque, ac identidem tantum delibato, ad rem bene gerendam parati experrectique, fortunam silentio exspectatis. Ego Virronem laudo, ac sapere puto, qui de te sic risum sibi quærat. Si hæc tam indigna pati potes, debes profecto; nec dubito quin brevi tondendum caput ac cædendum alapis, humeros flagellis scindendos præbeas, dignus qui talibus epulis vescare, qui amico ejusmodi glorieris.

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM QUINTAM.

Variæ lectiones. 1. *Sic* pro *si*, v. 1 et 3, legendum censebat Lubinus, ut interrogatio esset conjuncta cum exclamatione et indignatione, hoc modo: Siccine te nondum ... pudet? itane vero in turpi tuo proposito perseveras? Sed ita versus 5 non bene cohæret cum verbis præcedd. Nec tamen censendus est in scirpo quæsisse nodum: quem recte interpretes, quod sciam, nondum solverunt. Vid. Comm. — *Est* omittunt, 13, 15, 22, 25, 45, 59, et multi Codd. Paris.

Notæ. 1. Sententia horum verborum, quibus ipsum Satiræ argumentum continetur, est hæc: Parasiti a divitibus tam ignominiose tractantur, ut fieri non possit, quin homines ingenuos parasiticæ pudeat vitæ: tantum abest, ut quis injurias illas patienter ferat, vel adeo hanc vitam putet *summum bonum* esse. Nihilo tamen secius non deerant tunc temporis ejusmodi homines. Hinc poeta summa vi et indignatione ipsum alloquitur parasitum: Si alienum panem comedere, et *propositum*, hoc est, vitæ tuæ rationem et institutum persequi, *nondum*, quum jam diu ita vixeris, *te pudet* ac tædet, et si æquo potes animo pati indigna illa, quæ parasito ferenda sunt, vel adeo hanc vitam putare beatam; *metuam* (præs. conj.) *tibi credere testi, quamvis jurato*, quamvis jures: nam ita verendum est, ne perjuria, vel quamcumque inhonestatem nulli habeas religioni. Interpretes tantum non omnes sensum hoc loco silentio prætermittunt, vel non recte cepisse videntur. Fuere qui ita exponerent: Quod te nondum propositi pudet, ... id *metuam tibi credere*, hoc est, credere non possum, jurato, licet jures. Hæc ratio mihi quoque in mentem venit, et ita *si* occurrit apud Liv. VII, 31, et passim Gr. *εἰ* pro *ὅτι*, ita ut non dubiam, sed certam significet rem. Conf. Xenoph. Mem. Soc. I, 1, 13 et 18; 2, 13; Hom. Iliad. φ, 216; Krebs. Obss. Flav. p. 95, et Markl. ad Lysiam, p. 670, ed. Reisk. Sed *juratus testis* dici non potest, qui de se aliquid jure jurando interposito affirmat. Præstiterit: *Si te nondum pudet*, hoc est, si dicis, te nondum pudere propositi, etc.; *metuam tibi* quidquam *credere, quamvis jurato*, si vel ea, quæ dicis, juramento confirmaveris. Affectus indigna-

tionis hanc orationis negligentiam peperisse videri potest. Sed cur eam poetæ obtrudemus, ubi opus non est? — Hunc ego sensum, quem secutus est cl. *Ruperti*, recipere non dubitavi, quum duplex, et maxima quidem mihi, auctoritas accederet doctiss. virorum *Guyardin* et *Raoul*, quorum hic, alterius notis adjutus, ita locum gallico carmine vertit:

« S'il est vrai, Trébius, qu'à la table d'autrui,
« Content d'un pareil sort, tu vives sans ennui;
. . . . . .
« Je crains de ne plus voir en toi qu'un misérable,
« Que de se parjurer la faim rendrait capable »

Nam, qui aliter hæc verba capiunt, si reipsa foret ea Trebii mens, cur juranti credere timerent? nulla est hujus sententiæ vis; quare alteram tueor. Ed.

Not. 2. *Vivere aliena quadra*, hoc est, mensa escaria, quæ initio quadrata erat, et postea rotunda (vide ad I, 137), vel alienis impensis, proprie pane, qui olim in quadras, vel quatuor partes, quadrifariam dissecari solebat, et præcipua victus pars est. Conf. Scaliger ad Virg. Moret. vs. 49. Henninius hæc notavit: *quadræ* erant fragmenta ex orbe, seu placentis triticeis, seu paniceis in orbem deductis (Horat. Epist. lib. I, 17, 49; Martial. lib. III, 77, 3; VI, 75, 1; IX, 91, 18; XII, 32, 18), quibus epulæ imponebantur, ut hodie patinis et lancibus (unde *quadræ* pro patinis ipsisque mensis, verbi caussa apud Virg. Æneid. VII, 115, coll. III, 257); quæ *quadræ* dicebantur, quando post epulas quadrifida divisione in partes quatuor sectæ erant, non vero, quod essent quadratæ: unde scomma Juvenalis *aliena vivere quadra*, in fragmento paniceo alienæ mensæ summum bonum ponere. H. Vales. sic interpretatur. Ed.

Not. 3. *Si potes illa pati*, ut apud Martialem, lib. XI, Epigram. 24, 15, et apud Lucianum, cap. 13: *περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, μυρία ἔστιν ἀφόρητα ἐλευθέρῳ ἀνδρὶ ἐν αὐταῖς ἤδη ταῖς συνουσίαις γιγνόμενα*, etc. et cap. 16: *πολλὰ ποιεῖν καὶ ὑπομένειν ὑπὲρ τῆς τοσαύτης εὐδαιμονίας*, etc. — *Sarmentus*, *ὁ δὲ Ζάρμεντος τῶν Καίσαρος* (*Cæsaris*, Augusti) *παιγνίων παιδάριον*, *ἃ δηλικίας* (*delicias*) *Ῥωμαῖοι καλοῦσιν*, Plut. Vit. Anton. (Opp. tom. I, pag. 943, D, edit. Erft. 1620). Notus quoque est ex Horat. lib. I, Satir. 5, 52 seq. De eodem in vett. Scholiis hoc loco ex emendat. Pithœi, Rutgers. ad Horat. p. m. 35—39, Casaub. ad Sueton. p. 106, et Ruben. Elect. II, 28, leguntur hæc: « *Sarmentus* natione Thuscus, e domo M. Favonii, incertum libertus, an servus (haud dubie libertus, quod patet ex Horat. l. l. et ex iis, quæ mox de Mæcenate traduntur), plurimis forma et urbanitate promeritis, eo fiduciæ venit, ut pro equite Rom. algeret (forte *ut liber equitem Rom. ageret*); decuriam quoque quæstoriam compararet. Quare per ludos, quibus primum (forte *quia libertinus*) XIV ordinibus sedit, hæc a populo in eum dicta sunt: « Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud Populus voluerat. Digna dignis: sic Sarmentus habeat crassas compedes; Rustici, ne nihil agatis, aliquis Sarmentum alliget. » Dum autem caussam usurpatæ dignitatis agit (forte

Dicturus caussam us. dig., Mæcenatis), precibus et gratia submoto accusatore dimissus est, quum apud judices nihil aliud docere tentaret, quam concessam sibi libertatem a Mæcenate, ad quem sectio (forte rectio) bonorum Favonii pertinuerat. Jam autem senex in maximis necessitatibus, ad quas libidine luxurieque deciderat, coactus auctionare, quum interrogaretur, cur scriptum quoque Censorium venderet, non infacete, *bonæ se memoriæ esse* perdita (forte *prædicavit*, vel *præditum*). » — *Mensas iniquas*, convivia, in quibus vel convivæ inique, injuste, indigne tractantur; vel non eodem honore habentur; vel inæquales sunt, nec ejusdem dignitatis; vel potius, in quibus alii cibi aliaque vina domino, alia convivis præbentur. — *Quæ* ne *ad mensas* quidem *Cæsaris* Augusti *viles* scurræ *tulissent* patienter. Magna vis inest in verbis *Cæsaris* et *vilis*. De *Galba* scurra vid. Quintil. VI, 3, et Martial. I, 42, 16, et X, 101; si modo idem est, et recte ibi ita legitur. At non male monuit Schurzfl., Juvenalem non de scurris sui temporis et felicibus Cæsare suo loqui, ut Martial., sed de *vilibus* et priscis Augusti parasitis. Conf. Var. Lect. et Wernsdorf. in Poet. latin. min. tom. VI, p. 418 seq.

Var. 4. *Aut* pro *nec*, 16. — *Gabba*, 1, 9, 11. Vetus scholion est: Apicius Gabba sub Tiberio scurra nobilis fuit. Conf. Plut. Erot. p. 759, 760, vel edit. Reisk. tom. IX, p. 45, ubi in nonnullis Codd. Κάλβας dicitur, in aliis Κάββας, ut h. l. *Gabba*. Vid. tamen Comm.

Var. 5. *Reddere*, 29. — *Testi* quidam male scribunt, ut sic vocat; et intelligatur Testius Caballus scurra, ex Martiali notus; in cujus optimis exempl. non *Testius* dicitur, sed *Tectius*.

Not. 5. *Jurato* a verbo depon. *jurari*, ut passim. Sic *jurato mihi crede* Cicer. ad Attic. XIII, 28.

Not. 6. *Ventre nihil frugalius*, si non delectari vult, sed tantum impleri: nam natura paucis est contenta. Comparant Horat Sat. I, 2, 74; Senec. Epist. XVII, CXIV, CXIX, et alibi.

Not. 7. At finge, panem etiam, et pauca hæc, quæ natura desiderat, quæque *inani* ventri implendo, et fami propulsandæ sufficiunt, tibi deesse: satius tamen est mendicare, quam parasitari. Confer. locus Luciani infra ad vs. 157—166 laudatus. — Verba illa vs. 6 et 7 parasito quoque tribui possunt, et justam vitæ talis excusationem continere. Sed ita poetæ responsio vs. 8 seq. nimis abrupta videtur, et verba *ventre nihil frugalius novi* parasito parum apta.

Not. 8. *Crepido* et *pons* loca, ubi mendici stipem a prætereuntibus petunt. De *ponte* vide ad IV, 116, et XIV, 134. — *Crepido* locus eminentior in ripa, in portubus interioribus, ad quem naves appellunt (vid. Scheffer. Re Nav. p. 213, et intp. Curt. IV, 5), in muro, vel vico, vel ponte. Talem locum, ab equorum et curruum via separatum, Lutetiæ in *Ponte Novo* videre est; Grang. — *Teges*, gausape, seu matta ex junco, seu cannabo, scirpo, etc. *tegumentum* ac cubile mendicorum, ut VI, 117,

lupanaris.[1] — *Tegetis pars dimidia* parte *brevior*, quæ adeo non totum tegit corpus.

VAR. 10. Vid. not. sequentem, ad h. l.

NOT. 9—11. In vs. 10, qui a librariis videtur corruptus, nulla neque librorum lectio nobis satis facit, neque conjectura virorum doctorum. *Jam* pro *Tam*, 58. — *Quum possis* vitiose (nam posterior syll. verbi *possis* longa est), 10, 11, 14—17, 19—22, 24, 25, 27, 45—50, 54—61, 63—68, 70—74, et XXVII Codd. Paris. *Quum poscis*, 65 (Paris. 1505), 69. *Quum possit*, 23, 44, 62, 75, 76, et VIII MSS. Paris.; in his Alex., Colbert. 1, et Thuan. 1. *Quin possis*, 13. *Posses et*, 26. Hæc est omnis varietas lectionis, etiam ea, quam Henninius p. 911, enotavit. Prateo judice satius est, poeticam ferre licentiam, quam sensum pervertere. Despauterius malebat *poscit;* quo tamen nihil proficitur. Ascensius emend. *Tam jejuna fames*, tu tam famelicus, *quum possit* scil. fames, hoc est, quum possis, *honestius illic et tremere*, etc.; vel *Tam jejuna fames, quum poscis*, quando cupis *tremere honestius illic*, in injuriosa divitum cœna, *et mordere sordes*, seu immundas reliquias *farris canini*, panis adeo duri, quem ne canes quidem comesse possent. Priorem emendationem, cui et libri favent, non improbat Prateus, et reliquis præfert Plathner. ut poeta eleganter tribuat fami, quod orator famelico tribuisset. — Lubinus et Grævius reponi jubent *quin poscis*, sed diverso modo hæc verba et interpretantur et interpungunt. Ille sic: *quin* tu longe *honestius poscis*, postulas et præoptas mendicando potius tremere, et sordidum comedere panem, quam turpiter adulando idem facere in divitum mensis. Hic vere ita: *Tam jejuna fames?* famesne tanta est, ut illas patiaris contumelias? *Quin poscis?* cur non mendicas? *honestius* est, *illic*, in crepidine aut ponte, *et tremere*, frigus pati, *et sordes farris mordere canini*, et sordido pane vesci, quam in mensa divitum tam indigna pati. Hanc lectionem distinctionemque receperunt Henninius, et post eum alii. Sed *poscere* simpl. poni pro *mendicare* vix crediderim. — Grangæus, Britannicus et alii h. l. tacent, et difficultatem ejus vel non sensisse videntur, vel sapienter dissimulasse. Equidem non tantum mihi sumpserim, ut rem acu tetigisse mihi persuadeam. Quum vero in lectionibus codicum nemo facile acquiescere, et levissima unius literæ mutatione carminis nitori atque dignitati consuli queat; veniam spero mihi datum iri, quod in illarum locum aliam (*quum pol sit*) substituerim, quæ facile corrumpi potuit ab indoctis librariis, quam tamen, simul ac meliora edoctus fuero, lubens damnabo. Ea certe admissa, non video, quid in h. l. displicere possit, si ita eum exposueris: *Tantine* pretii est tibi, vel a te æstimatur *injuria cœnæ*, hoc est, cœna injuriosa, convivium, in quo tot

[1] Conf. VI, 117; VII, 221; IX. XI, 33, 2; 57, 5; Plin. XXI, 18; 140; Martial. VI, 39, 4; IX, 93, 3; Varr. R. R. I, 22.

talesque injuriæ tibi ferendæ sunt? tanti cœnam divitum nobiliumque facis, ut propter eam illas toleres injurias? *tam jejuna fames* (ut apud Ovid. Metam. VIII, 790), tantane et tam dira est fames tua, ut tantas ob eam et tot injurias patienter feras? *quum pol*, profecto (ut *edepol*, *ecastor*, *hercle*, *mecastor*, *mehercle*), *sit honestius, illic*, in crepidine vel ponte, *et tremere*, frigore horrere (quia pauper male vestitus est, ut taceam, quod Grang. monet, plerumque ficte tremere, qui stipem mendicent, unde et forte *tremens Judæa* dicitur infra VI, 543), *et sordes farris mordere canini*, panem sordidum edere, qualis canibus datur? Confer Martial. X, 5, 5. Hanc lectionem nunc repudiarem, nisi eam viri summi in literis ad me datis assensione sua comprobassent, et aliæ, a *Manso* et *Heineckio* substitutæ (nam plures mihi non innotuerunt), aliquot mihi scrupulos injecissent. Hujus de sententia non inepta est emendatio mea, sed lenior medicina, si verbis transpositis pro *quum possis* legatur *possis quum*. Enimvero sic et hiatus insolens est concoquendus, et metrum laborat: nam *quum* producitur propter cæsuram et hiatum (vide ad IX, 118); neque assequor, cur ipsa trajectio verborum lenior sit medicina, quam permutatio literarum *s* et *l*, in primis si ex hac exoriatur sententia, quæ et gravior, satiricoque poeta dignior sit, et doctior, librariisque ignotior. Judice Manso totus omnino locus ex scriptura codicum ita restituendus:

.... Tantine injuria cœnæ?
Tam jejuna fames quum possit honestius illic
Et tremere, et sordes farris mordere canini;

Sic etiam sensit H. Valesius; Ach. tom. II, p. 154; nisi quis malit

Tam jejuna fames? quæ possit honestius, etc.

Sensus vero apertus est, et quidem hic: An tu injuriosam divitum cœnam tanti facis, quum famem tuam ibi adeo non expleas, ut honestius fuisset, in crepidine aliqua aut ponte frigore uri et esurire? Mihi autem et utraque lectio et interpretatio non unam dubitationem injecerunt. Ut taceam, in satiricorum poetarum oratione, quæ pedestri similis esse solet, figura paulo audaciori *famem* dici *tremere* et *mordere panem*, in altera lectione emendatur vulgata, quod mihi tamen vituperationi fuit, altera neque dicendi genere (*tantine injuria cœnæ, tam jejuna fames quum possit.... canini?* nam ita proprie interpungenda, aut duplex interrogatio ponenda est), neque sensu facili et apto commendari, utraque autem, saltem illa explicatio a mente Juvenalis abhorrere videtur. Is enim non famem hoc modo et in illis conviviis haud expleri, sed *inhoneste* tantum, appositis vilioribus epulis vinisque, pelli contendit, et pauperes ridet clientes, qui duas prætexere solent causas, quare a patronis ad cœnam vocari ament, honorem sibi ab illis præstitum, et gratuitam famis expletionem. Itaque docet, hanc cœnam, etsi honorifica videri possit, tamen *injuriosam* esse, nec tanti, quanti ab iis ducatur, æstimandam, et *famem* eorum non tam diram, ut non alia ratione et facile levari queat, quum ventre nihil sit frugalius, et natura paucis contenta; *honestius* autem, mendicorum pauperumve more *tremere*, quam tali cœnæ adhiberi, et *sordes farris mordere canini*, quam

famem in illis conviviis propulsare vilioribus cibis vinisque. Hinc deinde colligit, clientes illos inani honoris specie, et spe potius bene cœnandi, quam famis explendæ, duci.

VAR. 12. *Finge*, 25, 27, 48, 57, 59, 60, 65, 68.

NOT. 12. *Primo loco*, primum, *fige*, ut *fige intra te*, IX, 94, hoc est, fige, infige animo (ut apud Virg. Æneid. III, 250), hoc fixum in mente tua tene, expende sollerter.

NOT. 12—15. Invitatio ad cœnam divitum est *merces solida*, plenum integrumque præmium omnium, quæ ipsis præstitisti, officiorum; eam tibi divites quasi in solutum *imputant*, pro beneficio venditant, vel tanti habent, ut ea tibi abunde officia tua compensasse, gratiamque retulisse sibi videantur.

VAR. 13. *Solitam*, 7, 21, 22, 28, 45, 68.

NOT. 14. *Amicitiæ magnæ*, quæ tibi cum *magno*, hoc est, nobili ac potente viro est. Conf. I, 33; IV, 20, 74. *Imputare* proprie dicuntur, qui, quod alicui datum, vel ab eo acceptum est, in rationes suas inferunt, ἐλλογοῦσι; deinde qui beneficia quasi adnotant, et loco remunerationis officiorum putant.[1] — *Rex*. Vid. ad I, 136.

VAR. 15. *Raro*, 11, 14, 15, 26. Vetus Schol: *ubi et hoc, quod vile est, imputat:* unde Schurzfl. suspicabatur, eum pro *rarum* legisse *macrum*, vel simile quid.

VAR. 16. *Licuit*, 27, 47, 50. — *Accire*, 25, 56, 57, 59, 60, 65.

NOT. 16. *Adhibere*, scil. convivio, seu ad convivium. Conf. intpp. Hor. Od. IV, 5, 32. — *Post duos menses*, etc. qualis merces veterum officiorum salutationumque quotidianarum? Et tamen ea multis quoque satis magna videtur nostro ævo, cui et reliqua conveniunt, quæ poeta dixit. — *Clientem*, te. — A Romulo instituti fuerant clientes et patroni, ut mutua officiorum necessitudine jungerentur divites pauperesque: sed omnia solvente tempore in modum servitutis clientela redacta est. ED.

VAR. 17. *Culcitra*, 11, 15, 16, 19, 20, 21 a m. sec. 22—25, 27, 45—50, 54—67, et XXV Codd. Paris. *Culcita*, 2, 10, 14, 17, 21 a m. pr. 26, 68—77; et X MSS. Paris. recte, si fides habenda Festo, Nonio, Varroni, Manutio in Orthogr. et Torrent. ad Suet. Tib. 54.

NOT. 17. Salse poeta dicit, clientes non aliam ob caussam a divitibus nobilibusque ad cœnam vocari, quam ut justum convivarum expleant numerum (Germ. *Lückenbüsser* diceres), neque vacuus sit locus in lecto,

[1] Conf. sat. VI, vs. 179; Martial. lib. X, 30, 26; lib. XII, 48, 13; 84, 4; Casaub. ad Sueton. Tib. cap, 53; Burm. et Schwabe ad Phædr. I, 22, 8, Sic et nos dicimus *zurechnen*, *hoch anrechnen*.

destinatus forte alii, qui venire non potuit. Ἀλλ' ἦν τις ἄλλος ἐπεισέλθῃ παλίστερος, ἐς τοὐπίσω σύ, καὶ οὕτως ἐς τὴν ἀτιμοτάτην γωνίαν ἐξωσθεὶς κατάκεισαι μάρτυς μόνον τῶν παραφερομένων, etc. Lucian. loc. laud. c. 26. Veteres autem Romanos in tribus plerumque lectis, circa mensam stratis, et ternos in quovis lecto, discubuisse (unde *triclinii* nomen, et unde sordidum plebeiumque habebatur, unum lectum a pluribus occupari), vel tironibus nota res est.[1] — *Culcita*, pulvinar, cervical, προσκεφάλαιον, quod singulo convivæ substernebatur, adeoque locus in lecto, convivæ *tertio* destinatus. Romani, ut verbis Lipsii loc. laud. utar, accumbebant reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera in longum porrecta ac jacente, capite leviter erecto, dorso a pulvillis modice suffulto. *Tertia* vero *culcita* hoc loco etiam per contemptum dici potest infimus in imo lecto locus, pauperi clienti, aut scurræ et balatroni destinatus, ut Porcio apud Horat. Sat. II, 8, 23, ubi vide Wielandi not. 3 et 5. Veteres enim ita accumbebant, ut primus jaceret ad caput lecti, ejusque pedes porrigerentur juxta secundi dorsum; secundus vero, pulvillo interjecto, decumberet ad umbilicum sinumve primi, pedibus extentis ad dorsum tertii, et sic porro: unde locus *summus*, *medius* et *imus*. Medius erat dignior reliquis, et dignissimus quidem in medio lecto; post hunc honoratissimus locus summus; vilissimus autem imus.[2]

Not. 18. *Una esse*, et *apud aliquem esse*, hoc est, cœnare, formulæ solennes de conviviis, ut apud Terent. Heautont. I, 1, vs. 110. — *Votorum* tuorum hæc *summa* est: *quid* enim *ultra quæris*, optas? Ita ad summam, quam in votis habebas, felicitatem pervenisse tibi videris, et digito quasi cælum attingere. Ridet poeta stultitiam parasitorum, qui tanti ducunt, a divitibus nobilibusque nonnunquam ad cœnam vocari. Sic et ea, quæ sequuntur vs. 121—23, εἰρωνικῶς intelligenda: Hoc sane satis amplum est præmium tot officiorum! hæc satis justa caussa, quare summo mane, et hiberno quoque tempore patronum salutes et deducas! Conf. vs. 76 seq. et Martial. III, 36. — *Trebius* fictum clientis et parasiti, ut vss. 39, 43, 99, 128, 134, 156, et IX, 35; *Virro* patroni, divitisve hospitis nomen.

Not. 20. *Ligulas*, corrigias calceorum, *dimittere*, calceamenta non ligare, præ nimia festinatione.

Not. 21. *Turba salutatrix*, conf. ad IV, 62. — *Orbem peregerit*, omnes patronos ex ordine salutaverit (ut forte *discursus* I, 86, et πολλὴ διαδρομὴ apud Lucian.; περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, § 10, et τῆς πικρᾶς ταύτης περιόδου in ejus Nigrino c. 22, et Gall. *faire le tour*); nisi malis, circa patronum orbem collegerit, in orbem constiterit; ut vereatur Trebius, ne excludatur, quia tardius venerit.

[1] Vid. Lips. de Ritu conviviorum apud Roman., et Antiq. Lectt. III, 1; *Wieland* ad Hor. Sat. I, 4, 86, not. 11, et II, 8, 20, not. 3. Cf. supra ad I, 137 seq. et ad Tac. Ann. III, 14, 2.

[2] Confer ad II, 120; Lips. ll. ll. Cerda ad Virgil. Æn. I, 698; Potteri Archæol. lib. IV, cap. 20.

Var. 22, 23. Desunt, 13, et post vs. 19 ponendi videbantur Schurzfl.

Not. 22. *Sideribus dubiis*, quorum fulgor die jam illucescente hebetatur; luce adhuc dubia, nondum satis certa ac clara, primo diluculo. Sic *dies, lux, ignes dubii*[1]. *Sidera dubia* etiam nimbosum tempus dici posse monet Grang. Bahrdt ea ad æstatem, qua summo mane sidera noctem ita luce sua illustrent, ut sæpe diem jam illuxisse credas, *illud* vero *tempus, quo se frigida circ. pig. sar. Bootæ,* ad hiemem refert. Enimvero his verbis neque hyems, neque, quod vet. Schol. Lubinus et alii putabant, media nox, designatur, sed extrema noctis pars, quam mox diluculum excipit; nam hoc est *illud tempus, quo* solæ *se circumagunt*, seu flectunt adhuc, vel superstites sunt, et conspiciuntur Ursæ et *Bootes*, postquam reliquæ stellæ jam occiderunt. Ursas etiam, quæ in polo septemtrionali, supra finitorem nostrum elevato, semper sub adspectum nostrum veniunt, solas nunquam occidere, vel Oceani æquore tingui, fingunt Græci, et hinc Romani poetæ.[2] Poeta itaque dicit, clientes, ne quis prior veniret, jam ante diei ortum patronos ex ordine salutasse; quo et summum in officiis præstandis studium, et molestia eorum declaratur. Sic et apud Lucian. loc. laud. c. 24: Ἐωθίν τι ὑπὸ κώδωνι ἐξανιστὰς, ἀποσεισάμενος τοῦ ὕπνου τὸ ἡδίστου, συμπεριθεῖς ἄνω καὶ κάτω, ἵνα τὸν χθιζὸν πηλὸν ἔχων ἐπὶ τοῖν σκιλοῖν· et c. 26: Σὺ δ' ἄθλιος, τὰ μὲν παραδραμών, τὰ δὲ βάδην ἅπαντα πολλὰ καὶ κάπαντα (τοιαύτη γὰρ, ὡς οἶσθα, ἡ Πόλις) περιελθὼν ἱδρακὰς τε καὶ πνευστιᾷς· et in Nigrino c. 22: Πολὺ δὲ τούτων οἱ προσιόντες αὐτοὶ καὶ θερμαινόμενοι γελοιότεροι· νυκτὸς μὲν ἐξανιστάμενοι μίσης, περιθέοντες δὲ ἐν κύκλῳ τὴν πολιν καὶ πρὸς τῶν οἰκετῶν ἀποκλειόμενοι, κύνες καὶ κόλακες καὶ τὰ τοιαῦτα ἀκούειν ὑπομένοντες· γέρας δὲ τῆς πικρᾶς ταύτης αὐτοῖς περιέδου τὸ φορτικὸν ἐκεῖνο δεῖπνον (cœna recta, ejusque spes, de qua conf. vs. 166, et I, 133, 134) καὶ πολλῶν αἴτιον συμφορῶν, etc.

Var. 23. *Serraca*, 1, 10, 14, 17, 19—21, 23—26, 45—47, 49, 50, 54, 56, 57, 58, 64—67, 69, 70, 74—77, 82. *Sarraca*, 11, 15, 16, 22, 27, 48, 56, 59—63, 68, 71—73, 81. Vide supra ad III, 255.

Not. 23. Quatuordecim versus polum arcticum stellæ primum dicebantur *triones*, vel proprie *teriones*, hoc est, boves (a terendo), et ἅμαξαι, *sarraca*, seu plaustra, quoniam eas olim sub plaustri boumque, jugo junctorum, specie sibi animo informabant homines; postea vero Ἑλίκη et

[1] Vid. Gronov. ad Senec. OEdip. 1, et Burm. ad Valer. Flacc. II, 72. Hoc crepusculum matutinum vario ornatu, more suo, expressit Silius V, 24—28, ubi vide quæ notavimus.

[2] Conf. omnino similia loca Anacr. III, 1 seq. Theocr. XXIV, 11; Lucan. II, 237 seq. 722 seq. IV, 521; Ovid. Fast. lib. III, 403 seq. Metamorph. lib. III, 515 seq. lib. X, 416 seq. et Trist. lib. I, 3, 47 seq. Prop. lib. II, 33 (al. 24), 24; lib. III, 5, 35; Senec. Med. 314 seq. in Troad. 440 seq. et Herc. Fur. 125—136; Valer. Flacc. lib. VII, 456, 457 (ubi vid. Heins.), et inpr. Stat. Theb. III, 683 seq.

Κυνοσουρά, Ursa major et minor, Ἄρκτος μεγάλη et μικρά, quæ nomina forte inventa ab Arcadibus, quia ἄρκτος et ursam et septemtrionem significat; unde efficta videtur fabula Arcadis, filii Callistus, in ursam transmutati, et cum matre translati in cælum; ad quam simul hominum ingenia duxisse videtur similitudo nominum *Arcas* et Ἄρκτος. Hinc et sidus, quod Ursas pone sequi, et quasi regere videtur, *Bootes* primum (Βοώτης, bubulcus), et deinde *Arctophylax* (Ἀρκτοφύλαξ) appellabatur. [1] — *Se circumagunt*, ut al. *se flectunt*, vel στρέφονται. [2] — *Sarraca*, vide ad III, 255, *frigida*, ob frigus diluculi, vel quoniam septemtrionale est sidus. — *Pigri Bootæ*, ut apud Ovid. Fast. III, 405, et *tardus Bootes*, apud Ovid. Met. II, 172, et Senec. Med. 315; quia polo arctico propior est, et tarde modicoque circa eum flectitur gyro. Præterea frigus quoque poetis, verbi caussa Tibull. I, 2, 29, *pigrum* dicitur ab effectu; et bubulci Virgil. Ecl. X, 19, *tardi* a lento boum incessu.

Anal. 24—37. Clientibus et parasitis non idem, quod patronis hospitibusque ditioribus, vinum ac cibus propinatur. Conf. Plin. Epist. II, 6; Martial. I, 21; II, 43; II, 60. Quæ itaque dementia illorum est, si tanto sibi honori ducant, ab his ad cœnam vocari, ubi tam indigna patiuntur? Τῶν ἄλλων ἥδιστόν τι καὶ παλαιότατον οἶνον πίνοντων, μόνος σὺ πικρόν τινα καὶ παχὺν πίνεις, Lucian. loc. laud. cap. 26. [3]

Var. 24. *Sucida* pro *succida* reposui ex 17, 19. Ita etiam *sucinum*, *sucus*, *sucosus*, *suculentus* in antt. Codd. et Glossis Philox. recte scribitur a *sugendo*. Conf. Heins. ad Sil. VII, 169. Pier. et Heyne ad Virg. Ecl. III, 6; inf. ad XI, 76. — *Nolet*, 57. *Nollet*, 11, 15, 16, 19, 24, 25, 27, 28, 45—50, 54—56, 58—60, 64, 65, et XV Codd. Paris.

Not. 24. *Vinum* datur, porrigitur tibi vile et fæculentum, quod *sucida nolit lana pati*, imbibere. Bene comparant Varron. Re Rustic. II, 11, 6: « Tonsuræ tempus inter æquinoctium vernum et solstitium, quum sudare inceperunt oves; a quo sudore recens lana tonsa *sucida* (alii *succida*) appellata est. Tonsas recentes eodem die perungunt vino et oleo: non nemo admixta cera alba et adipe suillo. » Alii *sucidam* putant appellari lanam, quæ *succi* plena, et pinguis, nec dum lota sit: quæ sententia non abhorret a Varroniana, si *sudor* ille est *succus*, seu *sucus*, hoc est, squalor, quo sordida est lana modo tonsa, et qui sudore potissimum gignitur. Confer Plin. XXIX, 2, et ibi Harduin. — Hunc quoque sensum sequitur Farnab. qui notat lanam præparandam et imbuendam, quo melius purpuram sumat. Sed Grangæus contendit hoc loco ovem, non lanam tantummodo ablui,

[1] Conf. Herrmanni Mythol. t. III, p. 5—30, 108—132, et Heyne ad Virg. Georg. lib. III, vs. 381, et Æn. lib. I, vers. 744.

[2] Vide supra loca poett. in nota 2.

[3] Conf. Martial. III, 50; IV, 86; VI, 11; Petron. 31, et Gonsal. ad Petron. p. m. 119.

aitque vinum esse quod ovi detonsæ ungendæ conveniens sit : a quo sensu non abhorret cl. *Dussaulx*, ut sit proverbium. Ed.

Var. 25. *Te e conviva Corybanta videbis*, emend. H. Valesius, sed male.

Not. 25. *Videbis* te factum vino novitio vel corrupto *Corybanta*, temulentum ac mente turbatum, similem Corybantibus, qui armatam saltationem cum clamore, tumultu, et cymbalorum tympanorumque strepitu instituere, capita quassare, et furorem non ipsi tantum concipere, sed aliis quoque immittere solebant. Conf. *Creuzer's Symbolik*. tom. II, p. 34.

Var. 26. *Procedunt*, 2. — *Præludunt*, 27. — *Ut pocula portas*, conj. Schrader, et v. 27. — *At* pro *et*.

Not. 26. *Jurgia proludunt*, sunt quasi prolusio pugnæ. Conf. III, 288, et XV, 51, 52. — *Prolusio* autem proprie gladiatorum est, qui ante certamen arma ventilabant. [1]

Not. 26 seq. Conf. Prop. III, 8 (ubi vide Passerat.); Hor. Od. I, 27, 1 seq. (ubi vide Mitscherl.); Burm. ad Valer. Fl. V, 581, et Gonsal. ad Petron. p. m. 70. — *Saucius*, non vino tantum, sed et poculo; Farn. — *Rubra* cruore pugnantium.

Var. 27. *Detergis*, 16. *Detergens*, 14.

Not. 28. *Inter vos* (clientes et parasitos) *libertosque*, qui æque ac clientes nonnunquam a patronis convivio excipiebantur, infimumque in eo obtinebant locum : vid. Heins. ad Petron. 38, et Kœnig. ad Pers. VI, 23. *Cohors*, multitudo, *libertorum* spectat ad dignitatem opesque patroni. — *Jurgia* et *pugna* eorum cum clientibus sunt effectus vini vilioris et fæculenti, qui etiam ingenio talium hominum, et hac occasione genio indulgentium apprime conveniunt. — Apud nostratem *Boileau* videre est epuli descriptionem, Sat. III, ubi pugna quoque, qualis a Juvenale memorata, depingitur. Ejus enim verbis aliqua gallici poetæ congruunt, qui pariter, postquam *jurgiis prolusit*, pugnam *poculis* incipit :

« .... Et, sans plus de langage,
« Lui jette pour défi son assiette au visage.
. . . . . .
« Nos braves s'accrochant se prennent aux cheveux :
« Aussitôt sous leurs pieds les tables renversées
« Font voir un long débris de bouteilles cassées. » Ed.

Not. 29. *Lagena Saguntina* epith. ornante dicuntur pocula fictilia, et parasitis apposita, non domino ; conf. vs. 38 seq. et ad XIV, 271. *Sagun-*

[1] Conf. Heins. ad Ovid. Art. Am. III, 515; Corte ad Plin. Ep. V, 13, extr. Burm. ad Virg. Georg. III, 234, et Æn. XII, 106; Lips. Saturn. Serm. II, 19; Hottom. ad Cic. Divin. in Q. Cæcil. cap. 14; Interpr. Flor. IV, 2, 2.

tas, urbs Hispaniæ, cujus gleba et argilla, adeoque vasa terrena, a quibus ipsa nomen accepisse credebatur, præ ceteris laudantur.[1]

VAR. 30. *Defusum*, 23.

NOT. 30. *Ipse*, patronus, vel dives ille ac nobilis hospes, *rex* vs. 14: nam *ipse* poetis dicitur, de quo potissimum sermo est. Conf. ad I, 62. — *Diffusum* vinum, quod e torculari, vel lacu, vel doliis in amphoras et cados *diffundebatur* in multos annos. Vetus simul vinum designari putabat Grang. cui opponatur *doliare*, novum et asperum, de dolio haustum. Conf. Cicer. Brut. 83. Notio quidem vetustatis magis exprimitur adjectis verbis *capillato Consule*; nec tamen negandum, veteres eam ob caussam *diffudisse* vinum, et in cadis *condidisse* (hæc enim sunt propria in hac re vocabula), corticibus cadorum pice, vel gypso, et cera illitis, ut veterasceret, et multos demum post annos promeretur.[2] — *Consule*: nam cadis inscribebantur nomina consulum, quibus vinum condebatur, qui eorum *titulus* est, et *nota*, qua patria ætasque vini designari solebat[3]. *Capillato*, intonso (adeoque jam ante annum Urbis conditæ 454 *diffusum*), vel simpl. vetusto, prisco, ut *barbatus* IV, 103, ubi vide notam. Conf. ad VI, 105.

NOT. 31. *Tenet*, tanquam sibi proprium retinet, solus bibit. — *Uvam*, vinum, *calcatam*, ut *prelo domitam Caleno uvam* apud Horat. Od. I, 20, 9. *Calcatam bellis socialibus*, tempore belli socialis, seu Marsici, et Italici, quod ab anno Urbis conditæ DCLX usque ad DCLXII in Italia gestum est. Sic *cadum Marsi memorem duelli* dixit Horat. Od. III, 14, 18. His tamen verbis simpl. vinum et nobilissimum, et ob vetustatem rarissimum designatur; neque in iis argutandum videtur, quasi veteres vina, in primis dulcia, non tam diu conservare potuerint, et ne grata quidem illis fuerit nimia vetustas: nam hoc loco vinum ducentorum fere annorum memoratur, et quadrima jam in vetustis referuntur[4]. Nonnulli intelligunt vinum Opimianum, dictum ab Opimio, quo consule, a. U. DCXXXIII, propter cæli temperiem copiosus fuit generosorum vinorum proventus, quæ vel in ducentesimum annum servata sunt[5]. Sed belli socialis temporibus similis vini proventus esse potuit, et Opimius XXX fere annis ante consulatum gessit: nisi forte dixeris, poetam non ad eam subtilitatem esse exigendum, et ab eodem Opimio oppressum certe C. Gracchum, a quo tri-

[1] Vid. Plin. XXXV, 12, seu 46, ibique Harduin.; Martial. IV, 46, 15; VIII, 6, 2; XIV, 108.

[2] Conf. Ovid. Fast. V, 517; Horat. Epist. I, 5, 4, ubi vide Lambin. Plin. XIV, 14 et 21; Columel. XII, 18; Mitscherl. ad Horat. Od. I, 20, 1—3; II, 3, 8; III, 8, 10 seq. 14, 18; 21, 1—8; 28, 8.

[3] V. Plin. et Mitscherl. lc. lc. Passer. Gemmar. astrifer. tom. III, Diss. 3, p. 133, et mox v. 34.

[4] Conf. Athen. I, 24; Plin. XIV, 4; Mitscherl. ad Horat. Od. I, 9, 7; III, 8, 12, 14, 18; 21, 1 seq. IV, 11, 1.

[5] Vid. Plin. XIV, 4 et 14; Vellei. II, 7; Petron. 34; Cic. Brut. 83 al.

buno lex lata, ut sociis Italicis jus suffragiis in legibus ferendis esset, quæ a M. Livio Druso deinde repetita, præcipuaque belli illius caussa fuit.

VAR. 32. *Cordiaco*, 19. *Cardiaco cyathum non porrecturus amico* in quodam exemplari, nescio quo, invenit Lubinus.

NOT. 32. Ne paululum quidem vini generosi iis daret, quibus vinum est medicina, et quidem amicis. *Cardiaci*, καρδιακοί, qui non tam cordis, quam stomachi doloribus laborant, quibus angustiæ gignuntur pectoris, et immodicus sudor : vide Cels. III, 19. Stomachum enim, seu os ventriculi veteres Græci καρδίαν dixere. Conf. Schol. Thucyd. ad lib. II, 49. Cardiacorum vero morbo unicam spem in vino esse, monet Plin. XXIII, 1, seu 25. Conf. ibi Hard. it. Cels. loc. laud. et Senec. Ep. 15. — *Cyathus* pars duodecima sextarii ; vid. intpp. Horat. Od. III, 8, 13.

NOT. 33. *Aliquid* vini. — *Albanum* vinum, in agro et monte Albano proveniens, cujus duæ sunt species : alterum est acerbum, alterum lene ac dulce, cui Dionys. Hal. I, 12, solum Falernum, sed Plin. XIV, 6, etiam Setinum præfert.[1] — *Setinum* vinum, sic dictum a *Setia* (nunc *Sezze*), colonia Romana haud procul a paludibus Pomptinis sita, præstantissimum.[2]

NOT. 34. Vinum designatur tam vetus, ut, nota *tituloque* vetustate deleto, ætas ejus, et annus, quo sit conditum, non amplius cognosci queat. Conf. ad vs. 30. — *Testæ*, cadi, amphoræ. — *Fuligine*, mucore et situ, vetustate inducto.

VAR. 36. *Biberent*, 14. *Solebant* (scil. *bibere*) 25, 27, 46—48, 56—60, 65, quod doctius videri potest, et a poeta profectum ; nisi glossa forte fuit *bibere solebant*, et pars ejus in textum irrepsit.

NOT. 36, 37. Dulcissimi versus, qui summum libertatis desiderium, odiumque tyrannidis spirant, quo ipsum poetam imbutum fuisse haud obscure intelligitur. Ita passim, quod jam Rigalt. in Diss. de Sat. Juven. observavit, occulta erectioris animi indicia prodit, quæ, quo magis improvisa sunt, eo fortius feriunt lectores ; verbi caussa I, 17 ; IV, 150 seq. VIII, 260 ; XIV, 41 seq., 254 seq. — *Quale* vinum, scil. præstantissimum, accommodatum lætitiæ, qua memoriam Brutorum et Cassii, τυραννοκτόνων, celebrabant. — *Thrasea* Pætus, et gener ejus *Helvidius* Priscus, veneranda illis temporibus virtutis, gravitatis, constantiæ, liberiorisque animi exempla, notissima ex Tacito, Suetonio, Arriano, Dione, Plutarcho, et Plinii Epist. *Brutorum*, L. Junii Bruti, qui Romam regio

[1] Conf. Plin. XIV, 2 ; Martial. XIII, 109 ; Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 11, 2, et Galenus apud Athen. I, 20 (48), p. 26 et 33.

[2] Conf. infra X, 27 ; Plin. XIV, 6, 8 ; XXII, 1 ; XXIII, sect. 21 ; Strab. V, p. 229 ; Martial. VI, 86 ; IX, 3 ; X, 74 ; XIII, 112 ; ad Sil. VIII, 376 ; X, 33 ; Schweig. ad Athen. I, 48, pag. 197.

dominatu liberavit; D. Bruti, qui in Cæsarem conjuravit, et inpr. M. Bruti, qui cum C. *Cassio* interfecit Cæsarem, ut patriæ libertatem restitueret, cujus postremi vindices fuere Cassius et Brutus. — *Coronati*, more veterum, qui in epulis hilarioribus lautioribusque capillos non ungere tantum, sed et coronare, collaque sertis cingere solebant.[1] — Coronæ erant vel ederaceæ, quod insita frigiditate vaporis malignitatem expellunt; vel ex apio, aut myrteæ, quippe quæ adstringunt, et vini etiam exhalationes arcent; tum etiam e rosis, quæ gravitatem capitis sedant, et potione æstuantes refrigerant : corona insuper, plenitudinis et libertatis signum, festis conviviisque convenit. Ed. — *Bibebant Br. et Cas. natalibus*, quem annuorum parentalium morem illustravit Meurs. de Fun. c. 36, et imitati sunt Christiani in memoriis martyrum, nisi quod emortualem eorum diem dixerint natalem; Hennin. Conf. Martial. VIII, 38, 11 seq.

Var. 37. *In natalibus*, 15.

Not. 37. *Capaces*, grandes : quod tam ad bibendi cupiditatem, quam ad luxum et magnificentiam spectat.

Var. 38. *Eliadum*, 22, 24, 45. *Apiarum*, 14. *Beliadum*, vet. Schol. qui contulit Virg. Æneid. I, 729. Male. — *Inæquales beryllos*, 10, 12, 15, 17, 19—22, 27, 45—50, 55, 56, 59—61, 63, 65, 74, 77, omnesque Codd. Paris. e quibus hanc lectionem revocavit Ach. qui verba sic jungit et exponit : *Virro tenet phialas, Heliadum crustas, et inæquales beryllos*, hoc est, ex Heliadum crustis, et inæqualibus beryllis effictas. *Inæquales beryllis* conj. H. Vales. coll. Virgil. Æneid. V, 267, *Cymbia aspera signis*.

Not. 38. *Crustæ Heliadum*, phialæ ex electro; *vasa potoria crustata* apud Fest. in *tabernæ crustariæ*. *Crustæ* proprie dicuntur ea, quibus res aliqua inducitur; deinde ornamenta vasorum argenteorum, signa quasi, et simulacra, extrinsecus alligata, πρόσπηγα; de quibus vide ad I, 76. — *Heliadas*, Phaethontis sorores, nimio fletu in populos, seu alnos, seu larices, electrum stillantes, earumque lacrymas ad ripas Eridani solis vi in electrum transformatas fingunt poetæ[2]. Hinc *Heliadum lacrymæ* et *gemmæ* pro electro apud Ovid. Metam. X, 263, et Martial. IX, 14, 6. Patria et origo *electri*, sive *succini*, de quo mira commenti sunt veteres, ne hodie quidem satis nota est; etsi naturam ejus ab initio liquidam esse probabile fit ex eo, quod animalcula plerumque inclusa tenet. Conf. ad VI, 573; Munker. ad Hygini fab. 152 et 154; Intpp. Tacit. Germ. 45, et Plin. XXXVII, 2 et 3; Gesner. de Electro veterum in Comm. Soc. Goett. tom. III; J. F. *John's Naturgesch. des Succins*, *Köln* 1715, 1716, II vol. Wigandus, Hart-

[1] Conf. Heyne ad Tibull. I, 7, 52; intppr. Horat. Od. I, 36, 15 seq. II, 7, 7, 24; IV, 11, 3, al.

[2] Vid. Ovid. Metam. II, 340 seq. 365; Hygin. fab. 152 et 154, ubi vid. Munker. Pallad. R. R. XII, 15; Heyne et Serv. ad Virg. Ecl. VI, 62, et Æn. X, 190.

mann. et alii in historia succini. Alio autem sensu *electrum* dicitur pro poculis et vasis ex electro conflatis XIV, 307, ubi *electrum* proprie non succinum est, quod nobis *Bernstein* seu *Agtstein* dicitur, sed exquisitius metalli genus, aurum, cui quinta argenti portio admixta est [1]. Phialas ex tali electro conflatas etiam h. l. intelligendas esse, non male monuerunt Britan. et Grang. Verum poeta sic improprie loquutus est: nam electrum, quod veteres Romani ex Heliadum lacrymis ortum, et arboris succum esse crediderunt, ideoque *succinum* appellarunt, est potius nostrum *Bernstein*. — *Beryllı* lapides cærulei, ut *smaragdi* virides: vide Beckman. *Beitr. zur Gesch. d. Erfind.* tom. III, pag. 295, et ad Marbodi librum Lapidum § 7 et 12; *Millin*, in *Introd. à l'étude des Pierres gravées*, p. 10, et Bottigeri Sabina, p. 407. — *Phialæ* cur *inæquales beryllo* dicantur, intelligitur forte ex Plin. XXXVII, 5: « Poliuntur *berylli* figura sexangula, quoniam hebescunt, nisi color surdus repercussu angulorum excitetur; aliter enim politi non habent fulgorem eumdem: » nisi præstat sententia Grangæi, qui pocula, in quibus inserti berylli *inæquali* numero, vel spatio, vel magnitudine; aut aliorum, qui aureos calices, insertis lapillis asperos, intelligunt. Salmasius, Exerc. Plin. XXXVII, 5: « Quia viridis, inquit, color optime cum auro convenit, gemmas viridantes in ornandis poculis ut plurimum adhibebant veteres, inter quas smaragdus tenet primatum. *Beryllus* quoque, quia viridis, ad hunc usum translatus. Hoc ergo loco poeta dicit *phialas beryllo* textas, et per hoc *inæquales*, asperitate et extuberantia gemmarum. »

Var. 39. *Viro*, 46, 48, ut et 27, 47, 49, infra v. 43. *Virrho*, 17. *Vyrro*, 20. *Vero*, 21. *Guirro*, 22.

Not. 39. *Virro* fictum non servi, sed patroni, vel hospitis divitis nomen; vide ad vs. 19. — *Non aurum*, aureum poculum et vas (ut X, 27), sed fictile, in quo *custode* non opus est, de quo vide Martial. XII, 75, 5 seq. et XIV, 108. — *Custos*, servus, qui te manusque tuas observet, *affixus* tibi et lateri tuo, qui semper tibi præsens sit. Conf. Cicer. Verr. IV, 15. — *Gemmas*, aureis poculis insertas [2]. Pocula etiam ditiorum ipsa sæpe gemmea erant. [3] — *Qui numeret*, veritus, ne clanculum aliquas subripias et suppiles. — *Ungues observet acutos*, ne furtim gemmas vel aurum abradas.

Var. 40. *Vel si quando* (scil. committitur) *datur custos affixus ibidem*, interpungebat H. Vales. *Ibidem est*, 22.

Var. 41. *Numerat... observat*, 16, 22, 45. — *Ungues*, 14—17, 19—21, 23. — *Aenos*, 20. *Aduncos*, 49, 55—57, 59, 60, 65. *Amicos*, 4, 12, 14, 17,

[1] De quo vide, præter viros doctos supra laudatos, Serv. et Heyne ad Virg. Æneid. VIII, 402; Plin. IX, 40; XXXIII, 4, seu 23.

[2] Conf. Martial. XIV, 109; X, 27.

[3] De quibus vid. Cerda ad Virgilium Georg. lib. II, vs. 506, et Æneid. lib. I, vs. 728. Vid. etiam Meursius, de Luxu Romanorum, c. 8; Kobierz. de Luxu Romanorum, II, 10.

a m. pr. 23, a m. pr. et Cod. Lugdun. teste ac prob. N. Heins. ad Ovid. Art. Amat. I, 585, et Trist. I, 9, 65; ubi similiter Ovidio *amica* dici monet *pectora*, *limam*, *caussam* et *ventum*, Art. Amat. III, 737; ep. ex Ponto II, 4, 17; Trist. I, 8, 65; et Metam. XIII, 440.

Var. 42. *Illic* (hoc est, in poculo) revocavi ex 1, 7, 10, 11, 14—17, 19, 21, 22, 25—27, 45—50, 54, 55, 57—59, 63, 64, 77, et XXX Codd. Paris. *Illi claudatur*, 61, 62, et duo MSS. Paris. vitiose. *Ibi*, 20. *Illi laudatur*, 23, 24, 56, 60, 65—76, 81, 82, et III Codd. Paris.

Not. 42. Neque hoc ægre ferendum est tibi: nam gemma sæpe magni pretii phialæ inserta est. — *Illic*, in poculo.

Not. 43 seq. Romani eo luxuriæ pervenerant, ut onustos annulis digitos, quum biberent, denudarent per luxum; nimirum pocula habebant, quæ in margine fissuris et cavitatibus erant prædita, in quas ex tempore inserebant gemmas et uniones ex digitis, ut magnificentius biberent, et hoc proprie erat ἐμβλημα: quæ *gemmata pocula* Noster intelligit; Hennin. Conf. Plin. XXXVII, 2, et Martial. XIV, 109.

Var. 45. *Iarbæ* recepi ex 17, 21, 24, 45, 81. *Yarbæ*, 19, 20. *Hyarbæ*, 27, 46—48, 50, 56, 59—65, 68, 71, 73. *Hiarbæ*, 1, 14—16, 22, 23, 25, 26, 49, 54, 55, 57, 58, 65—67, 69, 70, 72, 74—77, 82. Conf. ad Sil. I, 417, et intpp. Virg. Æneid. IV, 36, 196.

Not. 44, 45. Gemmæ armorum olim, nunc poculorum ornamenta. Poeta respexit ad verba Virg. Æn. IV, 261, 262. — *Juvenis*, Æneas, *prælatus zelotypo Iarbæ* a Didone, quod notum e Virgil. Æneid. IV, 36, et 196—218.[1] — De Æneæ gladio Virgilius ait, Æneid. IV, 261:

.... Illi stellatus iaspide fulva
Ensis erat.... Ed.

Not. 46 seq. Tibi dantur *calices* vitrei et deformes, quales erant Vatinii, seu Vatiniani, sic dicti a Vatinio *Beneventano*, *sutore*, et vitreario artifice, qui gratia Neronis, et optimi cujusque criminatione valebat[2]. Poeta autem in contemptum Vatinii, fœdissimi hominis, calices ejus nominat magis, quam alterius opificis; Brit. — *Siccabis calicem*, bibes e calice; vel proprio sensu: ebibes, exhauries calicem, forte exiguum. Conf. Hor. Od. I, 35, 27, et Sat. II, 6, 68. Hinc et *exsiccare vina cululli* pro bibere, aut haurire vina e cululli, poculis grandioribus, dixit Horat. Od. I, 31, 11, et forte poeta noster *siccato nectare* infra XIII, 44. — *Quatuor nasorum*, rostrorum, quæ nobis *Dillen*, *Schneppen*, *Schnauzen*, *Schnäbel* dicuntur. Vatinius gran-

[1] Plathnerus suspicabatur, amare hoc loco tangi nobiles Romanos, qui genus quidem ab Ænea deduxerint, sed non virtutem; illum enim arma habuisse pretiosa, ipsos vero pocula.

[2] Conferantur Martial. lib. X, 3, 4: lib. XIV, 96; Tacitus, Historiarum lib. I, cap. 37, et ejusdem Annalium lib. XV, cap. 34, ubi vid. Lipsii Commentationes.

dem nasum habuit; vet. Schol. Hinc calices, qui nasos, seu rostra habent, *Vatinianos* quidam dictos putant. Sed vide Lips. ad Tacit. Ann. XV, 34, ubi recte, opinor, monet, Vatinio longiorem nasum tribui a Martiale XIV, 96, quia acer et sagax fuerit inquisitor criminatorque.

Var. 47. *Vasorum*, 10, 16, 26, 54, 71, 72, 73. — *Et jam*, 15, 77. *At jam*, 23. *Aut jam*, 21.

Var. 48. *Et* abest a 19.

Not. 48. Solent sulphure (ita legendum pro *in urbe*) calices fractos, seu caldariolas componere, vitrum solidare, id est, malthare; vet. Schol. Notus est mos veteris nostrique ævi, vitra fracta conglutinandi sulphure et maltha, vel permutandi sulphuratis ramentisve sulphureis.[1] — Quum in Juvenale ad vim satiricam inprimis respiciendum est, mallem hic intelligere, quod magis facetum videtur; vitrum dignum qui sulphuratis permutetur: gallice, *bon à troquer contre des allumettes*. Ed.

Var. 49—52. Manso recte, opinor, monet, turbatum esse versuum sententiarumque ordinem, et ita restituendum: *Non eadem vobis poni modo vina querebar. Si stomachus domini fervet vinoque ciboque, Frigidior . . . . pruinis; Vos aliam potatis aquam.*

Not. 50. *Decocta* aqua. Nam aqua, quia post decoctionem frigidior est, decoqui, vitroque demissa in nives refrigerari solebat, ut frigoris voluptas sine vitiis nivis perciperetur.[2] Conf. Var. Lect.

Var. 51. *Nobis*, 26, 47, 54, 58.

Not. 51. *Vobis*, clientibus, parasitis. — *Poni*, apponi in mensa.

Var. 52. *Pocula furvus Gætulus dabit* conj. Schrader, coll. Horat. Satir. II, 8, 14. *Procedit fuscus Hydaspes, Cæcuba vina ferens.*

Not. 52 seq. Alii quoque, iique viliores servi pauperibus convivis, clientibus ac parasitis ministrant, quam dominis, his pueri pulchri ac nitidi, illis deformes et nigri. *Cursor* servus a pedibus, ministrans, et proprie ante

---

[1] Vid. Plinium, Historiæ Naturalis lib. XXXVI, 19, 26; lib. XXIX, 3: *vitrum sulphuri concoctum ferruminatur in lapidem;* Salmas. ad Solinum, p. 1096; Ramires. ad Martial. I, 42, 4; X, 3, 3; XIV, 94; Barth. ad Stat. Silv. I, 6, 74; Schneider. ad Eclog. phys. vol. II, p. 87, et *Magasin encyclopédique, année I*, n° 9, p. 99.

[2] Vide Plin. XXXI, 3, et ibi Harduin. Suet. Ner. 48; Martial. II, 85, 1; XIV, 116; Athen. III, 34 (95), p. 122; Petron. 31; Senec. Nat. Quæst. IX, 13. Alias artes, quibus Græci et Romani, sub fervida cæli plaga viventes, potum gelidiorem faciebant, memorant Athenæus, III, 36; Plutarch. Sympos. VI, et Potter. Archæol. Gr. L. IV, c. 18; ubi vide Rambach. t. II, pag. 641.

redas currens : nam et viris et feminis lautioribus ditioribusque tam equites quam cursores, in primis Afri aut Numidæ (unde hoc loco *cursor Gætulus*) erant ad iter, qui equis prævehebantur, aut præcurrebant currum lecticamve, et quidem succincti lino Ægyptio, phalerati et armillati : vide Lips. ad Tacit. Histor. II, 40; intpp. Sen. Epist. 88 (87), et 124 (123) (omnes sic jam peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat); Petron. c. 28, p. 100 : « Lecticæ impositus est *Trimalchio*, præcedentibus phaleratis cursoribus quatuor »; Sueton. Ner. 30 : « Armillata et phalerata Mazacum (*aut* Mazycum) turba atque cursorum »; *Ramirez*, ad Martial. III, 47; X, 6 : « Eques et picti tunica Nilotide Mauri »; X, 13; XII, 24, et Bottigeri Sabina c. 8, p. 438, 456 seq. ed. pr. Afri et inpr. Mazyces velocitate pedum excellebant : vid. Oudendorp. ad Lucan. IV, 681, et intpp. Nemes. Cyneg. vs. 261. Præterea τροφητὰς, et delicatis viris mulieribusque olim pueri *Gætuli* ac *Mauri*, hoc est, Afri (*fuscus Hydaspes*, Horat. Sat. II, 8, 14), παιδὶς Αἰθίοπις, θεράποντις Ἰνδαὶ et θεράπαιναι Ἰνδαὶ, ministerium præstabant, ut et hodie in aula Principum, et μικροφιλοτίμου indicium est apud Theophr. Char. XXI : ἐπιμεληθῆναι, ὅπως αὐτῷ ὁ ἀκόλουθος Αἰθίοψ ἕσται. Conf. ibi Casaub. et, quos laudat, Athen. IV, 29 (λαμπτηροφόρους παῖδας Αἰθίοπας); Cic. ad Herenn. IV, 50; Tibul. II, 6, 37, al. Videtur itaque poeta ex nigro tantum colore ridendi occasionem captasse, et deformem puerum opposuisse formosissimo, ut XIII, 42—45, Vulcanum, claudum nigrumque deorum pocillatorem, Ganymedi et Hebæ, formosissimis eorum pincernis. Servi quoque, ex barbaris regionibus a venalitiariis, vel mangonibus Romam ducti, vilissimi erant omnium, et minimo vendebantur pretio. Conf. ad I, 111. — *Manus ossea Mauri*, Maurus exilis, macilentus, et *niger*, cujus species verbis seq. festive adumbratur. Sic et *graciles Indi* dicuntur infra VI, 466; nam nimius gestus maciem gignit, ut humor frigusque pinguedinem.

Var. 54. *Nolles*, 19, 22, 27. *Non vis*, 14.

Not. 54. *Cui* ob nigredinem maciemque *nolis occurrere*, ne terrorem tibi incutiat, tanquam μορμὼ, seu μορμολύκη, osseum spectrum, phantasma et umbra mortui, quæ et ossea et nigra esse fingitur. Conf. ad VI, 572, 601, 655, et intpp. Mart. VII, 86, 2. Sic ex occursu Æthiopis et Mauri M. Brutus cladem, et Hadrianus mortem sibi imminentem augurabatur, si fides habenda Plut. et Spart.

Var. 55. *Monimenta* (a *monitum* dicta) scripsi pro *monumenta*. Cf. Schelleri Præcepta Styli tom. I, p. 35, et Cellar. Orthogr. Nugatur Serv. ad Virgil. Æneid. XII, 945, putans, *monumenta* esse memoriæ, *monimenta* vero a mentis admonitione dicta.

Not. 55. *Monimenta*, sepulcra, *Latinæ* viæ; vide ad I, 171.

Not. 56. *Flos*, decus, *Asiæ*, formossissimus puerorum servorumque

Asiaticorum; ut apud Cicer. Phil. II, 15; III, 5[1]. Ad lautioris convivii apparatum pertinebant etiam servi formosi, et bene vestiti, nec non eleganter compti, unguentisque delibuti, μεμυρισμένοι ὡραῖοι διακεκοσμημένοι apud Lucian. loc. laud. cap. 16. Conf. infra IX, 46 seq. XIII, 44; Cicer. de Fin. II, 23 (ut contra de cœna modica infra XI, 145 seq.); Martial. VIII, 39, 4; IX, 23, 9 seq. IX, 74, 6; XIII, 108, quibus locis etiam pincerna hinc *Ganymedes* dicitur, ut infra vs. 59. Maximi autem æstimabantur servi, ex Phrygia, Lycia aliisque Asiæ minoris regionibus petiti. Conf. XI, 147. — *Ante ipsum* patronum scil. stat, paratus ad ministerium. Sic στῆναι, παραστῆναί τινι, seu ἐνώπιόν τινος, οἱ ἑστῶτες et παριστῶτες, de famulis, seu ministris. Conf. vs. 65, et Schleusneri Lex. N. T. voc. ἵστημι, ἱστάνω, ἵστημι, n. 13, vol. I, p. 977, 978 (1066 ed. sec.).

Var. 57. *Census Tulli*, 24.

Not. 56, 57. Quam immenso sæpe pretio Romani servos, Græcos potissimum, et formosos, emerint, docent Plin. VII, 12; Sueton. Cæsar. 47; Liv. XXXIX, 44; Martial. III, 62, et alii. Poeta itaque taxat insanum luxum sæculi sui, quo pretia servorum superent facultates *Tulli* Hostilii et *Anci* Martii, regum Romanorum, qui tamen olim ditissimi civium fuerint. Ancus recte quidem *pauper* dicitur Claud. bell. Gild. vs. 109, respectu divitiarum et magnificentiæ serioris ævi, sed idem quoque et Tullus *dives*, priscorum scil. temporum ratione habita, Horat. Od. IV, 7, 15, ubi vide Mitscherl. — *Tulli pugnacis*, quod notum ex Liv. I, 22 seq. Conf. Virg. Æneid. VI, 813 seq.

Not. 58. *Ne te teneam*, ne longior sim, vel te multis verborum ambagibus morer, ut paucis dicam. — *Frivola* substant. ut III, 198, nisi malis: *omnia*, sc. bona regum priscorum sunt *frivola*, exsilia, nullius pretii, nihili æstimanda, si comparentur cum summa pecuniæ, qua Asiaticus ille puer emptus est.

Not. 59. Satirice poeta jungit contraria, *Gætulum*, fuscum ac deformem (ut vs. 53), *Ganymeden*, pocillatorem: nam Ganymedes proprie formosissimus puer fuit, et hinc raptus a Jove, ejusque pincerna factus. Conf. IX, 47, et XIII, 43. Notandum tamen, beatulos etiam illos servis abusos illis, qui ad cyathos erant; Grang. coll. Martial. IX, 23, 11, 12, et IX, 74, 6. Add. V, 56, et VIII, 46, 5. Ceterum multi homines formosi a diis rapti

[1] Conf. Heyne ad Virg. Æn. VIII, 500. Similiter ἄνθος τῶν Ἀθηναίων dixit Thucyd. IV, 133; ἡρῶν ἄωτοι, et ταυτῶν ἄωτος Pindar. Nem. VIII, 15, et Pyth. IV, 335; *flos juvenum pubescentium* et *juventutis*, Liv. VIII, 8 et 28; XXVII, 35; XXXVII, 12, ad quæ loca vide Drakenborch. Conf. Hemsterh. ad Lucian. Tim. c. 55, et Abresch. Diluc. Thucydid. pag. 489. Poeta forte etiam ad *florem ætatis*, τῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος, respexit, de quo vide ad Sil. I, 61; III, 84; VII, 691, et Klotz. ad Tyrt. p. 68, 69.

finguntur in fabulis, de quo vide Heyne Antiq. Aufs. St. I, et nos in Henkii *Magazin*, etc. vol. VI.

Not. 60. *Respice* pone adstantem, hoc est, eum sine tibi ministrare, et jube, *quum sities*, *miscere*, hoc est, infundere vinum (ut apud Mart. IX, 37, 12, et χίειν); nam veteres vinum admixta aqua, nec nisi nepotes merum bibebant. De hac vini cum aqua miscendi ratione vide Mitscherl. ad Hor. Od. III, 19, 12, et Potteri Archæol. Gr. lib. IV, c. 18 extr. Nota Ach. est: « Interpretes plerique volunt, ab antiquis temperantiæ et frugalitatis caussa vinum aqua dilui. Id ego minime puto: necesse enim erat, vinum vetus et temporis lapsu, et ipsa sua compositione, et materia, qua servabatur, coagulatum, ac prope solidum factum aqua calida dilui, atque cum ea misceri, ut ad primitivam fluiditatem rediret; unde Plin. XIV, 4: « Adhuc vina ducentis fere annis jam in speciem redacta mellis asperi; atque hæc natura vini in vetustate est. » Cf. ad vs. 63. — *Sed forma, sed ætas digna supercilio*, fastu (vide ad II, 15); pulchritudo et juventus faciunt, ut et superbiat, et superbire possit; excusant quodammodo fastum ejus. Conf. v. 66. *Supercilia* non modo gravitatem, sed etiam fastum produnt. Plin. XI, 37, seu 51: « Supercilia homini et pariter et alterne mobilia, et in iis pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maxime indicant fastum. Superbia aliubi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. Nihil altius simul, abruptiusque invenit in corpore, ubi solitaria esset. » Hinc *supercilium* fastus (ut hoc loco et VI, 169), et gravitas: *supercilium attollere* et *ponere*, ut αἴρειν, et contra μειδιάειν, συνάγειν, καταβάλλειν τὰς ὀφρῦς. Vide ad II, 15.

Var. 61. *Servire* pro *miscere*, 15.

Var. 63. *Rogatus adest*, 10. — *Caldæ*, 50, 61, 63. Cf. Quintil. I, 6.

Not. 63. De usu *calidæ* aquæ, ad potum (nam vino miscebatur), ad delicias, et ad vomitum movendum, si stomachus cibis esset obrutus, et de Thermopoliis copiose multi disseruere[1]. De usu *gelidæ* aquæ vide supra ad vs. 50.

Not. 64. *Clienti* quamvis jam *veteri*, adeoque honore digniori. Conf. I, 132. — Hæc est alicujus Varior. nota: « Emphasin habet; nam omnia vetera facile evilescunt. » Si hoc sensu capias, *veteri* intell. qui vetustate et longo servitio contemptum tibi contraxisti. Ed.

Not. 65. *Se stante*, vide ad vs. 56.

---

[1] Vid. Athen. III, 34 seq. (95 seq.); Potter. Archæol. Gr. lib. IV, cap. 18; Freinshem. de calidæ potu, in Thes. Gron. vol. IX; Stuck. Antiq. conviv. III, 6; Baccius, Conviv. Antiq. II, 6; Lips. Elect. I, 14, et ad Tacit. Annal. XIII, 16; Gebauer. de caldæ et caldi apud veteres potu, Lips. 1721; Bottigeri Sabina, p. 284, 308, 309, edit. pr. et Jacobs ad Anthologiam Græcam, vol. II, parte III, pag. 238. Conf. supra Nostrum ad vs. 61.

Not. 66. Servi enim mores dominorum imitari solent.

Not. 67. Conf. Plin. XIX, 4, et infra ad vs. 167. — *Ecce*, de re mira ac nova, ut *adspice* (vs. 80, et Mart. XIII, 58, 1), *en*, et al. — *Murmure* δινῶς pro indignatione. — *Alius* servus, diribitor. — *Panem vix fractum*, quem vix fregit, et frangere, nedum secare, potuit ob duritiem.

Not. 68. *Solidæ*, duræ, ut contra vs. 70, *tener* et *mollis*.

Not. 69. *Agitent*, vexent, plurimum ei facessant negotii. — *Genuinum* dentem, qui tamen ad duras res mordendas aptior est reliquis, adeoque h. l. cum delectu ponitur. *Genuini* dentes sunt posteriores, seu novissimi in extrema gena, seu gingiva, *κραυτῆρες*, *σωφρονιστῆρες*. Conf. Fest. hoc voc. et Plin. 37, seu 63.

Var. 70. *Si tener.... domino, dextram*, etc. 11.

Not. 70. *Siligo* candidissimum tritici genus, et sine pondere (unde h. l. *molli*), ex quo lautissimus conficiebatur panis, *siligineus*, quem *plebeio* opponit Seneca Ep. 119. Conf. Colum. II, 6, 1; 9, 13, et Plin. XVIII, 7—10. — *Memento*, *μέμνησο*, *cohibere*, pro cohibe (sed majore cum vi) *dextram*, manum, a tali pane, cave eum tangas aut sumas. — Cf. VI, 572, et IX, 93.

Var. 72. *Artoptæ*, 1, 70, 75, 76, 82. *Artocoptæ*, Cod. Thuan. 1. *Artocopi*, 10—12, 14—17, 20—27, 45—50, 54—69, 71—74, et XXXIV Codd. Paris. e quibus hanc lectionem revocavi cum Ach. ut designetur vel pistor, vel potius servus, qui panem secuerit. *Arthecopi*, 13, 19.

Not. 72. *Artocopi* alii, alii *artoptæ* legunt (vid. Var Lect.), et has voces varie interpretantur. Vetus Schol. intelligebat vel, ut multi, pistorem (qui Gr. tum *ἀρτοκόπος* dicitur ab *ἄρτος* et *κόπτω*, scindo, seu tondo, vel a *κόπω*, labore, quem pani faciendo impendit, tum *ἀρτόπτης* ab *ἄρτος* et *ὀπτάω*, torreo, coquo), vel vas, in quo panis coquatur (*ὀπτᾶται*); Lubinus dispensatorem, vel observatorem, et custodem panis, ut *ἀρτόπτης* dictus sit ab *ὄπτομαι*, ut *λινόπτης* et *οἰνόπτης*; alii servum, qui panem secuerit, *ἀρτοκόπον*, *κόπτοντα τὸν ἄρτον*, quæ explicatio ceteris simplicior videtur; Britann. panem siligineum, multo labore (*κοπῷ*) confectum; Ferrar. Elect. II, 10, panem assatum, seu escharitidem, non male, judice etiam Henninio, cujus nota est: « Panis nonnihil assatus intelligatur, quem Belgæ *geraspt wittebrood* appellant, id est, panes triticeos rasos in crustis exterioribus, qui beatioribus in deliciis sunt; ut poeta parasitum, mirifice indignitatem rei exaggerans, moneat, *reverentiam* deberi, id est, abstinendum esse, tanquam re sacra, pane regis, tenero, niveo et molli siligine facto, ut potius *mucida solidæ farinæ frusta*, id est, panem atrum et secundarium ex *canistris consuetis* comedat, quum audaciam ejus servus panis herilis custos facile prostituere possis, si *improbulum* raptorem furta reddere cogat. » Conf. intpp. Plin. XIX, 11, et Plaut. Aulul. II, 9, 4. — *Salva sit*, non violetur. — *Finge*, fac, pone, *te improbulum*, satis audacem esse, ut panem siligineum sumas, vel rapias.

Var. 74. *Vis tu*, 10, 11, 24, 26, 28, 31 b. 50, 62, 70—73, 75, 76, 82, et X MSS. Paris. melioris notæ. *Vix tu*, 12—17, 19—23, 25, 27, 45—49, 54—61, 65—68, 74, et XXV Codd. Paris. *Vin' tu*, 77. *Vix te*, 69. Ferrarius Elect. II, 10, putabat, sive *Vis*, sive *Vin'* legatur, concinnam sententiam aut verum sensum elici neutiquam posse, neque mentem poetæ intelligi, nisi *vix* legamus et *audeas* pro *audax* duarum vocalium collisione, ut ipse poeta ad parasitantem loquatur. Sed hæc vocalium *ea* collisio, seu *συνίζησις* insolita est, sensusque h. l. planissimus. Hinc etiam non necessaria est, etsi melior, emendatio Plathneri: *Vis tu non suetis audax conviva canistris Impleri? panisne tui vis nosse colorem?* Perperam Mancin. post *vix* supplebat *dignus es*.

Not. 74, 75. Verba sunt servuli dispensatoris ad clientem, hujus temeritatem increpantis. — *Canistris*, pro pane, qui in iis affertur et circumfertur. Nos diceremus: *Willst du wohl aus deinem Korbe essen?* Formam loquendi *vis tu* non interrogantis modo esse, sed et jubentis, egregieque illustrari a Gron. ad Sen. de Ira, III, 38, et Bentl. ad Horat Sat. II, 6, 92, monet Hein. — Sensus est: vis tu (gallice, *voulez-vous bien*) canistris consuetis, id est, pane, quo soles, saturari, et contentus esse hoc ipso pane, quem colore nosse potes. Ed.

Var. 76. *Fuerit*, 28.

Not. 76—79. Verba, seu cogitata clientis, indignantis et conquerentis, se pro tot officiis patrono præstitis tam indigne tractari. — *Scilicet;* vide ad II, 104. — *Hoc* præmium tot incommodorum laborumque, hæc inhonesta tractatio. — *Relicta conjuge* in lecto, ut mane salutarem patronum procul habitantem. — *Adversum*, arduum; Ach. *montem et Esquilias*, montem, seu collem Esquilinum. — *Gelidas*, vento obnoxias, vel gelida, seu frigida tempestate. — *Gelidas* omnino pendet a seqq. *sæva quum grandine:* grando gelida cadebat in eum currentem per Esquilias. Ed. — *Jupiter*, aër. — *Vernus:* nam toto veris tempore aer mutabilis, ac sæpe pluvius est. Cf. Wernsdorf. ad Calpurn. Ecl. V, 45, in Poet. Min. tom. II, p. 140. Tempestates quoque in Italia frequentius ingruunt sub auctumni initium, et veris exitum: vide ad IV, 87; Heyne et Voss. ad Virg. Georg. I, 311 seq. et Bentl. ad Horat. Od. IV, 4, 7.

Var. 78. *Æsquilias, Æsquillias, Exquilias, Æxquilias* alii; vid. ad III, 71. — *Quum sæva*, 11, 20.

Var. 79. *Juppiter* vulgo perperam scribitur: nam vox *Jupiter* contracta ex *Jovis pater*, et prima ejus syll. ubivis producitur.

Not. 79. *Pænula*, φαιλόνης, φαιλώνης, φιλώνης, φιλόνης, φαινόλης, pallium vestimentumque itinerarium, quod tamen Cæsarum temporibus frigoris et pluviæ caussa etiam in Urbe, et in foro, vel judiciis gestabatur: vid. Sen. de Ben. III, 28; Lamprid. Alex. Sev. c. 26; Lips. Elect. I, 13 et 25; Ferrar. de Re Vest. V, 2; Ruben. de Lato Clavo, p. 18, ibique Magius, Schulze ad Tacit. Dial. de Orat. cap. 39, et Schleusneri Lex. N. T. voc. φαιλόνης.

Not. 80. *Adspice*, vide ad vs. 67; *distendat lancem*, docte pro distendatur. porrigatur in lance (conf. Heins. ad Ovid. Metam. IV, 457), vel repleat, expleat lancem: vid. Heyne ad Virg. Georg. IV, 164, et ad Tibul. II, 5, 84. Designatur magnitudo et squillæ, et lancis, cui *exigua patella*, vs. 85, opponitur. — *Domino*, vid. ad I, 136. — *Squilla* coucharum, vel cancrorum genus, nec tamen parvus, ni fallor, ille piscis, qui Græcis πινοτήρης, vel πινοθήρης, πινοφύλαξ, καρκίνιον et καρίδιον dicitur (de quo vide Cicer. Nat. Deor. II, 48; Athen. III, 38 et 93; Harduin. ad Plin. IX, 31, seu 51, et 42, seu 66); sed major ejus species: nam pisciculus ille ab hoc loco alienus esse videtur. Apicius in Libyam et Galatiam navigavit, quum ibi longe majores squillas, quam alibi, capi audivisset, easque comedens multa sestertiorum millia consumpsit. Vid. Suidas voc. Ἀπίκιος, et Athen. I, 7 (12), p. 7. *Squillas*, καρίδας, astacos et carabos confundi docet Athen. III, 23 (64), p. 105.

Not. 82. *Asparagi* altiles in summis olim habiti deliciis, qui cumino addito inflationes stomachi discutiunt; Mancin. Vid. Plin. XIX, 8. — *Convivia*, convivas, clientes; vide ad II, 120, in Var. Lect. — *Cauda*, quæ in squilla, ut in locusta, optimi olim habebatur saporis; Brit. — *Despiciat*, deorsum adspiciat quasi contemptim, ut I, 159, alte ac superbe gestata *manibus excelsi ministri*: nam divites Romani, omnia majora, sublimiora augustioraque videri cupientes, proceros etiam ferculorum ministros, ut lecticarios (vide ad III, 240), amabant.

Var. 83. *Dum*, 10, 11, 13, 17, 19, 23, 24, 45, 49, 54, 57. — *Excelsis*, 20, 27, 46—49, 54—57, 59, 60, 65. — *Porrecta* pro *sublata*, 14, 83.

Var. 84. *Constructus*, 73, prob. Plathnero, quia veteres ovis non tantum inchoaverint cœnam, sed etiam reliqua *construxerint* et coronaverint fercula, de quo vide Lips. Antiq. lect. lib. III; Casaub. ad Athen. II, 16; Martial. X, 48, 11; XI, 53, 8; Plaut. Men. I, 1, 26. — *Gammarus*, 10, 11, 16, 17, 20, 24, 27, 45—49, 54, 55, 57, 58, 61, 62, 63, 65, 67, 68, 71—73. — *Gamarus*, 13, 19, 21, 22, 23, a m. pr. Alterutrum etiam legitur in omnibus fere Codd. Paris. Vocem esse latinam, neque ab aliis Græcorum scriptoribus, quam ab Epicharmo et Sophrone, Siculis poetis, adoptatam, ut alias, et in plerisque libris κάμμαρον legi, monet Schweigh. ad Athen. VII, 75 et 110.

Not. 84. *Cammarus*, κάμμαρος, cancri aut squillæ species, h. l. pro pisce vilis saporis, quinobis, ut putant, *Hummer* dicitur, et Gr. ἀστακός, quem male a cammaro distinguit Apicius, Art. Coq. II, 1, si lectio sana est; et cujus sapore, non minus quam squillæ, captum Apicium tradit Suidas. Cf. Harduin. ad Plin. XXVII, 3, et XXXII, 11, et Schweigh. ad Athen. VII, 75 et 110. — *Constrictus*, tenuis, macer, cum *ovo dimidio tibi ponitur*, apponitur. Sed ellipsis præp. *cum* dura est, et probabilior explicatio Grang., cammarus, cujus condimentum media parte ovi constrictum, *lié d'un jaune d'œuf*. Malim tamen intelligere *cammarum constrictum*, circumdatum in patina *ovo dimidio*, ovis sectis. Sic Martialis dixit V, 78, 5: *divisis cybium latebit ovis*, et X, 48, 11:

Secta coronabunt rutâtos ova lacertos.

Conf. Casaub. ad Athen. II, 16.

Nor. 85. *Feralis cœna :* nam ova, quia adhiberi ad lustrationem solita, propria fuisse videntur sepulcrali epulo, vel silicernio, ut lens, sal et libum; Lips. ad Tacit. Annal. VI, 5. Ova olim in sepulcris posita, tanquam sacrificia piacularia pro mortuis oblata; vide ad VI, 518; Luciani Dial. Mort. I, 1, et *Creuzer's Symbolik* tom. III, p. 525. Diis quoque inferis mænæ, aliique pisciculi, et vilia quæque consecrari solita; *patellæ* vero usus plurimus in libationibus. Utrumque fusius docet Heins. ad Ovid. Fast. II, 578, 634 et 651. Epith. *exigua* auget diminutionem, ut infra XI, 144. — *Cœna* autem *feralis*, seu funebris duplex erat, altera *diis manibus* in rogo, altera proximis et amicis parata, et illa proprie dicebatur *silicernium*, hæc *epulum funebre :* quod jam docuere Kœnig. ad Pers. VI, 33, et, quos ibi laudavit, Kirchm. de Fun. VI, 5 seq.; Lips. ad Tacit. Annal. VI, 5; Doering. ad Catull. LIX, 3; Hemsterh. ad Lucian. de Contempl. c. 22.

Var. 86. *Perfudit*, 19. *Perfundit piscem*, 20.

Nor. 86. Conf. Horat. Sat. II, 2, 59 seq. III, 125; IV, 50. *Ipse* patronus. — *Venafrano* oleo, quod optimum erat, ex agro Venafri, opp. Campaniæ : vid. Plin. XV, 2.

Var. 87. *Offertur*, 27, 46—48, 50, 54, 58, 61—63, 65—69, 71—74, 77.

Nor. 87. Martial. XIII, 17:

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiat aqua.

— *Pallidus caulis*, flaccescens, marcidus quique pallido colore fastidium pariat; Ach. — *Olebit laternam*, oleum, quale lucernis infundi solet. Conf. Horat. Sat. I, 6, 124. Σαπρὸν ἔλαιον, hoc est, oleum vetustate corruptum, et rancidum, locis simil. dixit Theophr. Char. XI, 4, et XIX, 3, ad quæ conf. Casaub. Farnabius suspicabatur, poetam respexisse illud in Demosthenem jactatum, τὸν λύχνον ὄζει.

Var. 88. *Nostris*, 26. — *Auleolis*, 45. Conf. ad VII, 73.

Nor. 88 seq. Designatur oleum Numidicum, vel Afrum, aut sesaminum (vide Harduin. ad. Plin. XV, 2 et 7), quod adeo fœteat, ut nemo cum *Bocchare*, hoc est, Afris eo inunctis sustineat lavare, neque bis noceant serpentes, qui ejus graveolentiam ferre non possint. — *Alveoli* vasa concava, lances, aut catini, gall. *saucières*. — *Illud*, sc. oleum, *quod canna Micipsarum subvexit*, hoc est, quod ex Numidia advectum est Romam. — *Canna* cymba, lembus, ex arundine aut canna confectus. Conf. Plin. VII, 2 (ubi vide Harduin.) et 56. — Veteris Schol. nota est : « Genus navis quæ *gandeia* dicitur, ut sic *gandeia Micipsarum*, id est, Afrorum. Gandeiam enim soli Afri, id est, Zamæi; vel, ut alii, Byzaceni, ut alii Barcæi invenerunt. » Probus autem censet esse doliolum factum ex canna,

acuminatum forma pyramidali: quod vasculum vel doliolum e cannis Africanorum illud oleum Romam subvexerit. Sed plurimorum contra facit auctoritas: *canna* hic ponitur pro navigiis arundine confectis, quod notat Douza; et in India arundines sunt tantæ proceritatis et magnitudinis, ut ex singulis internodiis naviculæ fiant, quæ alveo suo aliquando ternos homines ferunt, quas incolæ *Canoas* vocant. Ed. — *Micipsarum*, Numidarum: nam *Micipsa*, rex Numidiæ, Masinissæ filius, qui moriens regnum reliquit Adherbali et Hiempsali, filiis suis, et Jugurthæ, fratris filio.

Var. 90, 91. Vid. Not. ad h. l.

Not. 90, 91. *Quod propter*, 23. — *Bochare*, 19, 20, 23 a m. pr. *Boccare*, 11, 17, 24, 25, 46—50, 55, 57, 59, 61—69, 71—73, 77; *Boccare*, 21; *Bolcare*, 22; *Bochore*, 27; *Bocchore*, 11, 58. Hoc arridere potest, ut significetur Ægyptius, oleumque Ægyptium pessimi odoris. Conf. not. ad vs. 88. *Bocchoris*, rex et legislator Ægyptiorum, notissimus ex Eusebio, Syncello et aliis: vid. Diodor. p. 29, 41, 59; Plutarch. Opp. tom. I, p. 901, ed. Frft. et *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*, tom. XIX, p. 20 seq. Maurorum etiam regem *Bocchorem*, vel *Bocchum*, non *Boccharem*, dictum putabant Salmas. et alii. — *Lavabat*, 17. — Versus 91 ante vs. 90 legitur in 11. Non male; judice etiam Rigaltio. Eum vero totum esse delendum, tanquam pannum a scholastico quodam adsutum, semper suspicatus sum: admodum certe languet, et magis grammatici, quam poetæ, acumen sapit. Quis enim ferat hoc loco *quod* toties repetitum, et triplicem olei notationem? Nunc video, versum abesse ab 8 et 75, prob. Schurzfl. qui ingeniose suspicatur, eum esse scholium, subjungendum verbis vet. Schol. *Significat oleum Tripolitanum* et ad vs. 90 apponendum, ut itaque interpres caussam dicat, cur nemo cum Bocchare, hoc est, Afro, velit lavari, quod scil. ille, tanquam adhuc sit in Africa, ubi a serpentibus cavendum sibi sit, oleo Tripolitano, malique odoris inungatur. Scholion autem versu expressum esse, non est quod mireris. Id enim tum casu, tum arte scholastici fieri, et sententia vix aliter soluta oratione efferri potuit. Optimis quoque scriptoribus prosaicis, Ciceroni, Livio, Sallustio et aliis multos excidisse hexametros, quis est qui ignoret? Exempla dabunt Scheller in præceptis stili bene lat. p. 735; Pott. ad Epist. Jacobi I, 17, et Nolten. in Lex. voc. *versus*. Fraus etiam tum facilis est interpolatoribus, tum difficilis ad detegendum in poetis satiricis, qui sermoni propiora scribunt; de quo vide Horat. Sat. I, 4, 40—62. Conf. infra ad IX, 123. — *Afros* exhibent 13, 21, 22, 82; *Afris*, 77; *atris*, 10, 11, 12, 14—17, 19, 20, 23—27, 45—50, 54—74, 76, 81, et omnes Codd. Paris. Quæ lectiones probæ sunt omnes; et miror, C. Valesio ineptum insolensque visum esse *atris*, quod nunc cum Ach. et MSS. recepi. Est solenne epitheton serpentium, quorum aliquot genera sunt atro colore. Conf. intpp. Horat. Od. III, 4, 17; Bentl. ad Horat. Satir. II, 8, 95 (ubi eadem est varietas lectionis); Heyne ad Virg. Georg. I, 129, et alii. — *Bocchar*, rex Numidiæ. Vide Livium XXIX, 30. Alius fuit dux Syphacis. Livius, XXIX, 31, 32.

VAR. 92. *Mulus*, 62, 68, 71—73. *Murus*, 11. — *Domino*, 10, 19—21, 23—25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et XXV Codd. Paris. in his optimi: unde illud pro vulg. *domini* nunc restitui cum Ach.

NOT. 92—98. Patronis optimi maximique pisces apponuntur, et quidem ex provinciis, et mari Siculo, vel longinquo petiti, quoniam *Tyrrhenum* mare, Italiæ proximum, a gulosis Romanis jam iis exhaustum est. Conf. Macrob. Satir. II, 11; Plin. IX, 18, seu 32, et supra ad IV, 140 seq. *Mullus Domini*, vide ad I, 136, et IV, 15. — *Corsica* et *Taurom. rupes* pro mari Siculo. *Tauromenium* seu *Taurominium* (vid. Var. Lect.), hodie *Taormina*, opp. in orientali ora Siciliæ, ad Euripum (*Golfo di Taormina*, Plin. II, 97), et in Tauro monte (unde ejus nomen, et h. l. *rupes*) conditum, quod vino ac marmore inclaruit, et, Naxo excisa, ejus incolis auctum est: vide Diod. XIV, 60; XVI, 7, et Cluver. Sic. I, 7. *Mare est peractum*, consumptum, exhaustum piscibus, proprie quod in eo fuit, pisces (ut ap. Pers. VI, 22, *dona grandia dente peragit*, absumit), vel ubivis quasi peragratum, lustratum, penetratum remis, retibus, navibus, ut *peragere* (pervagari) *freta remo* et *carinis* dixere Ovid. Her. XV, 65, et Petron. de Mutat. Reip. Rom. vs. 4.[1] — *Jam defecit*, deficitur, defectum est, hoc est, caret piscibus. — *Gula*, gulositas et luxuria, *sævit*, immensa est, ac perdita.

VAR. 93. *Tauromenitanæ*, 10, 14, 16, 17, 19, 21—23, 25, 27, 45, 46, 48, 49, 54—69, 71—74, 81, ut passim, et *Tauromenium* apud Cicer. et alios. *Tauromenitanæ*, 1, 11, 12, 15, 26, 50, 70, 75—77, 82, ut *Tauromenium* in antt. Codd. Plin. III, 8. Gr. Ταυρομένιον, Strab. Ταυρομενία, et in nummis TAUROMEN. et TAUROMENITAN. Conf. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 475.

VAR. 94. *Ac*, 17. — *Mare nostrum*, 16.

NOT. 95. *Penitus scrutante proxima* maria ac flumina, præclare, omnia loca, angulos, recessus maris diligenter pervestigante, ut nihil relinquatur piscium. Sic et *omne perscrutari profundum* dixit Sen. de Consol. ad Helv. cap. 10. — *Macello*, macellario, cetario, vel piscatore: nam in *macello* edulia ac cibaria cujuslibet generis, etiam pisces, vendebantur, unde et *macellum cetariorum* memoratur Varr. Re Rust. III, 17, 7. Conf. Burm. de Vectigal. Pop. Rom. cap. 12, p. 211. — *Instruit* piscibus.

VAR. 96. *Petitur*, 11. *Patitur* (scil. gula), 15—17, 19—25, 27, 45—50, 54—60, 62—69, 71—74, 77. Nihil interest.

VAR. 97. *Illic*, 22, 59.

[1] Conf. Barth. ad Stat. Theb. IV, 574; Burm. ad Val. Fl. I, 283, 566; ad Quintil. Decl. I, 9 et 13; ad Petron. LXIX. Similiter Pers. VI, 75, dixit: *excute sollers omne latus mundi*, et apud Lucian. Toxar. tom. II, p. 511, ed. Reitz. ἅπασαν γὰρ οὗτοι (scilicet mercatores) ἀκτὴν, καὶ πάντα αἰγιαλὸν, ὡς εἰπεῖν, διερευνησάμενοι καθ' ἕκαστον ἔτος.

VAR. 98. *Lenes*, 22. — *Lenas* quidam, solenni librariorum errore, qui lineolam sæpe literæ *n* perperam imponunt. — *Aureola*, 16.

NOT. 98. *Captator* hereditatis, heredipeta, qualis describitur, inf. XII, 93—131. Ejusmodi homines viris matronisque divitibus et orbis pisces aliosque cibos delicatiores muneri mittere solebant, ut eos ita *captarent*, vel *venarentur*, quæ sunt vocabula propria in hac re : vide intpp. Plin. Epist. II, 20, 7, ac Petron. Sat. cap. 101 et 116. — *Aurelia*, mulier, quæ distrahebat pisces ; Schol. et Lubin. Cetaria ipsa, etsi nomen illustre nimis videtur, quam ut cetariæ conveniat; Ach. Alii intelligunt divitem orbamque matronam vel viduam, quæ ab heredipetis tot pisces cibosque delicatos dono acceperit, ut partem eorum *vendere* coacta sit, ne corrumperetur; vel, ut adnotavit ill. Comes *de Haugwitz*, quæ pisces vendit, quia avara est. Sic *Gallita* et *Paccius* infra XII, 99.

VAR. 99. *Murræna*, 22. *Murena* quidam, ut in Fastis Capitol. apud Gruter. p. 295, et in antt. Codd., in quibus tamen vel raro, vel nunquam exprimuntur diphthongi. Licinii quoque cognomen *Murena* apud Cicer. et Μουρήνας in Appiani Bell. Mithrid. c. 32, 43, 64 seq. Sed piscis dicitur μύραινα et μύραινος Suidæ, Athenæo, Hesychio, Aristoph. et aliis.

NOT. 99. *Virroni*, ut supra vs. 39. — *Maræna*, μύραινα, seu μύραινος et σμύραινα, genus piscium, quod in summa aqua nare amat (unde et πλωτή), et rapto vivit; nobisque etiamnunc *Muräne* (gall. *mourène*, seu *murène*, Linn. *Helena*), non *Lamprete* (*marinus*), nec *Pricke*, seu *Neunauge*, dicitur, et cujus species est anguilla. Conf. Athen. I, 4 (6), p. 4; VII, 18 (90), p. 312; ibique Casaub. et Schweigh, et Plin. IX, 23. Quanto in pretio, quantisque in deliciis fuerit Romanis, docent Plinius et alii [1]. In freto autem *Siculo murænæ maximæ* et optimæ capiebantur. [2]

NOT. 100, 102. *Austro*, ventro imbrifero, non flante, *temeraria lina*, temerarii linorum domini, piscatores (ut *macellum* vs. 95), quos lucrum audaces facit, in periculoso mari Siculo inter Charybdes et Scyllas piscantur. De *Charybdi* et *Scylla* vide ad XV, 17 seq. — *Auster continet se*, in carcere Æolio, vel vim suam. — *Sedet*, quiescit, ut ἥσθαι et καθῆσθαι, vel residet, quo sensu ventus etiam *cadere*, et contra *surgere* dicitur. [3] — *In carcere* Æolio, ut X, 181, in quo Æolus ventos tenet inclusos; quæ fabula vel pueris nota est ex Virg. Æneid. I, 52 seq. (ubi vide Heyne in Exc. I),

---

[1] Plin. IX, 54 et 55; Varr. R. R. III, 3, 10 et 17, 3; Colum. VIII, 16, 5, et inpr. Macrob. Sat. II, 11.

[2] Vid. Plin. et Athen. locis cit. Varr. Re Rust. II, 6, 2; Pollux, VI, 63; Clem. Alex. Pædag. II, 1, p. m. 103; Martial. XIII, 80; Macrob. Satur. III, 15; Salmas. ad Tertull. de Pallio c. 5, p. 444. Tartessiæ præ ceteris laudantur Gell. VII, 16, et Aristophan. in Βατράχοις.

[3] Vide Heyne ad Virgil. Georg. I, 354, et nos ad Sil. III, 142; VII, 151; X, 597.

ut et de *alis* ventorum. — *Siccat alas madidas* a pluvia : unde *humidus Auster* dicitur Claudiano XXII, 395. Juvenalis jocatur et ridet mythos poetarum. — *Mediam Charybdim*. Sensus est : temerarii piscatores lina jaciunt in media Siculi maris voragine. Fretum ibi periculosum et difficile ; sed præsertim poetarum fabulis formidolosum inter Charydim et Scyllam, unde proverbium :

Incidis in Scyllam cupiens vitare Charybdim ;

qui versus, sæpe Horatio, vel aliis vatibus Latinis falso adscriptus, debetur Nostrati poetæ[1], auctori carminis latini, cui nomen, ALEXANDREIS.

VAR. 101. *Cum*, 14. — *Jacet* pro *sedet*, 21. — *Madidas siccat in*, 27, 46—49, 54, 55, 57, 58, 64, contra leges metricas. Hiatus tamen Juvenali solennes. Vid. ad I, 151.

NOT. 103. *Vos* clientes ac pauperes *manet*, vobis destinatur, servatur et apponitur. — *Anguilla colubræ cognata*, similis ; Schol. Grangæus putabat, ad etymologiam alludi (*anguillæ*, ut ait Isidorus, *similitudo anguis dedit nomen*) ; Britan. vero et alii, poetam sequi vulgarem opinionem de coitu *anguillæ* cum *colubris*, hoc est, serpentibus seu anguibus. De *muræna* quidem id tradit Plin. IX, 23, seu 39 ; ubi vide intpp. De *anguillis* hoc legere haud memini : ad idem tamen piscium genus pertinent. — Adnotat hic Cl. *Ruperti* Comitem *de Haugwitz* suspicari, *anguillam* vile piscium genus fuisse judicio Romanorum, quia *colubræ cognata*, similis fuerit. ED.

VAR. 104. *Varie* pro *glacie* conj. Schrader ; *glareæ* (adversante metro), et *glanii* (qui piscis potius *glanis*, *idis*, et *glanus* dicitur Plin. II, 43, 67 ; 32, 10 et 12, seu 45 et 53), et *gladii* H. Vales. qui *gladium* monet a Theodoro reddi xiphiam, piscem marinum, Æliano memoratum ; non vero, an maculis adspersus sit. De *gladio* conf. Plin. IX, 2 et 15 ; XXXII, 11, seu 53. Durius tamen *glacie* dictum pro *in glacie*, vel *glaciei*, vel frigore, per hyemem ; et lectio emendanda videtur.

NOT. 104. *Tiberinus*, scil. lupus, piscis, *adspersus maculis*, qui minoris pretii est (*Lupi sine macula, nam sunt et varii, maxime probantur*, Colum. VIII, 16, 8, al. IX, 17, 8), et præterea in *cloacis* Urbis immunda esca pastus. Alioquin enim lupus Tiberinus non vilis, ut h. l. et ut omnino lupi fluviales, sed delicatior cibus erat[2]. *Eum* temporibus Juvenalis non amplius in pretio fuisse suspicabatur Britan. *glacie ;* vide Var. Lect. — *Et ipse* lupus, vel alius piscis Tiberinus, *vernula*, vernaculus et quasi indigena *riparum*, qui circa ripas hærere solet. Hinc etiam vilior forte est, ut contra delicatior, qui intra pontes Tiberis commoratur : vid. Horat. Sat.

[1] « GUALTHER, ou Gauthier de Châ-« tillon, né à Lille en Flandre, dans le « douzième siècle ; auteur d'un poëme « latin sur Alexandre, en dix chants. »

[2] Vid. Macrob. Sat. II, 12 ; Colum. VIII, 16, 4 ; Plin. IX, 54 ; Hor. Sat. II, 2, 31 seq. Nonnius, de Re Cib. III, 16.

II, 2, 31 seq. — *Torrente cloaca*, confluvio sordium ejus, quæ in Tiberim deferuntur. Vis epith. *torrente* intelligitur, vel ex loco class. de cloacis Plin. XXXVI, 15 : « Cloacæ operum omnium maximum, subfossis montibus, atque urbe pensili subterque navigata. Fecit id Agrippa in Ædilitate, per meatus corrivatis VII amnibus (cloacis præcipuis, sub terram ductis, quot fuere montes seu arces ac colles Roman.), cursuque præcipiti, *torrentium* modo, rapere omnia atque auferre coactis. Qui insuper mole imbrium concitati vada ac latera quatiunt, aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus, pugnantque diversi aquarum impetus intus; et tamen obnoxia firmitas resistit. »

Var. 105. *Torpente* invita Minerva emend. Rutgers. Var. Lect. II, 17.

Var. 106. *Foveam* pro *cryptam*, 22, ex intp. — *Suburræ* alii. Vid. ad III, 5.

Not. 106. *Crypta*, occulta (κρυπτὴ) ac subterranea caverna fornicata, hoc est, cloaca. De *Subura* vide ad III, 5.

Var. 107. *Facilis* suspicari possis tanquam doctius, coll. X, 8 (ubi vid. not.); Horat. Sat. I, 1, 22; et Prop. II, 21, 15. Librarii epitheta substantivis accommodare solent. Sed vulgata lectio non spernenda. Conf. III, 122. Ceterum versus 107—113, aptiore loco legerentur post v. 131.

Not. 107. Cf. Var. Lect. — *Ipsi* Virroni, et qui ei similes sunt, *pauca velim* dicere. — *Facilem si præbeat aurem*, si benigne ac libenter audiat. Conf. Var. Lect. et ad X, 8.

Not. 108. Verba poetæ, quibus Virronem alloquitur. — *Nemo petit* a te larga munera, *quæ*, etc. *Amicis modicis*, ut *am. vilibus* infra vs. 146, pauperibus, quos *modicos pecuniæ et originis* appellat Tac. Ann III, 72; VI, 39.

Not. 109. *Seneca* similiter cum *Pisone* inter exempla liberalitatis laudatur a Martiali, XII, 36, 8. — *Piso*, forte C. Piso, auctor conjurationis in Neronem, de cujus liberalitate aliisque laudibus vide Tac. Ann. XV, 48, et Paneg. ad Pison. Diversi ab eo *Piso* Frugi Licinianus, a Galba Imper. adoptatus, et cum eo occisus (vide Lips. et Ern. ad Tac. Hist. I, 15), et L. Calpurnius *Piso*, consul anno Urbis 810, quem cum C. Pisone confundere videtur Lips. ad Tac. Ann. XIV, 14. Nota vet. Schol. hoc loco est : « Piso Calpurnius, antiqua familia, scenico habitu tragœdias actitavit : in latrunculorum lusu tam perfectus et callidus, ut ad eum latentem curreretur. Ob hæc insinuatus C. Cæsari, repente etiam relegatus est, quod consuetudinem pristinæ uxoris abductæ sibi ab ipso, deinde remissæ, repetisse existimabatur. Mox sub Claudio restitutus, et post consulatum materna hereditate ditatus, magnificentissimus vixit, meritis sublevare inopes ex utroque ordine solitus, de plebe autem certos quotannis ad equestrem censum dignitatem provehere. » Cf. omnino Wernsd. Poet. Lat. Min. tom. IV, p. 36 seq. — *Bonus*, ut putant, vel liberalis, vel dives, lautus, splendidus, gr. ἐσθλός[1].

[1] De qua vocis vi conf. Ernesti clav. Cic. Græv. lect. Hesiod. c. 6, ad Ἔργ.

Rigaltius cognomen *Frugi*, Pisonibus familiare, respici putabat. *Cotta* ex gente Aurelia, forte is, cujus mentionem facit Tacit. Annal. XIII, 34. Conf. infra ad VII, 95.

Not. 110. Gloriosius olim putabatur liberalitatem exercere, quam *titulis, honoribus, et fascibus*, summis magistratibus, consulatu et prætura, fungi.

Var. 111. *Gratia* pro *gloria*, 29. — *Solum hoc*, 15, 19.

Not. 112. *Civiliter*, more civium, et ut decet civem, qui alios non contemnit, vel injuria afficit, nec sibi quid arrogat, sed æquo omnes tractat jure, et ita se gerit, ut, eos quoque cives esse, meminisse videatur. Conf. Ernesti clav. Cic. voc. *civilis*. *Cœnat civiliter*, qui non sibi, vel paucis optima quævis, ceteris vilia, sed sibi ac convivis omnibus eadem apponi jubet.

Var. 113. *Vi* (forte *Ut*) *nunc sunt multi*, 45.

Not. 113. Quod si feceris, per me licet multorum sordidorumque hominum more vivas, ita ut *dives* sis *tibi*, tui tantum caussa divitias colligas, iisque solus fruaris, et *pauper amicis*, ut amicis nihil de dono et de re tua familiari impertias. Conf. ad I, 139.

Not. 114. *Ante ipsum* Virronem, seu patronum divitem. — *Jecur anseris*, fico, mulso et carica farti, Romanis in summis deliciis erat. Χηνείων δ' ἡπάτων (περισπούδαστα δὲ ταῦτα κατὰ τὴν Ῥώμην) μνημονεύει Εὔπολις (f. Εὔβουλος), ἐν Στεφανοπώλισι, λέγων οὕτως· Εἰ μὴ σὺ χηνὸς ἦπαρ ἢ ψυχὴν ἔχεις, Athen. IX, 8 (32), p. 384[1]. Epitheton *magni* etiam ad jecur anseris spectat, de quo Plin. X, 22, s. 27: « Fartilibus in magnam amplitudinem crescit: exemptum quoque lacte mulso (irrigatur et) augetur; » et Martial. XIII, 58:

Adspice, quam tumeat magno jecur ansere majus, etc.

— *Anseribus par* magnitudine *altilis* avis, inpr. gallina, alendo saginata. Conf. Plin. lib. X, c. 50, seu 71 (ubi vide Hard.), et Martial. XIII, 62: Οὔτε ἡ ὄρνις ὁμοία ταῖς ἄλλαις, ἀλλὰ τῷ μὲν πλουσίῳ παχεῖα καὶ τιμελής, σοὶ δὲ νισττὸς ἡμίτομος ἡ φάττα τις ὑπόσκληρος ὄφελις ἄντικρυς καὶ ἀτιμία, Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, cap. 26. Conf. ad vs. 166.

Var. 115. Epitheton *flavi* otiosum videbatur Heinsio ad Ovid. Medicam. Fac. v. 85, ubi emend. *navi*, seu *gnavi* et *validi*, ex quo *flavi* ortum putabat, quum τὸ *di* geminare librarius neglexisset. Sed vid. Comm. — *Ferro dignus*, 11, 17, 19, 21.

Not. 115. *Aper dignus ferro Meleagri*, non minor apro Calydonio, quem

---

vs. 214; Cort. ad Sallust. B. Cat. 33; Gron. Obss. IV, 9.

[2] Cf. Pollux, VI, 49 (ἥπατα συκωτά); Martial. XIII, 58; Pers. VI, 71; Horat. Sat. II, 8, 88; Plin. VIII, 51, seu 77, et X, 22, seu 27 (ubi confer interpretes); Heins. et Gonsal. ad Petronium, 137; Burmannus ad Petron. cap. 69, p 343 (de *fartoribus*, χηνοβόσκοις, servis); Niclas ad Geopon. XIV, 22, et Bottigeri Sabina p. 319, edit. princ.

Meleager interemit, quod vel pueris notum ex Ovid. Metam. VIII, 272 seq. Conf. Martial. XIII, 93. Apri in vivariis etiam pasci solebant, ubi milliarii quidam facti : vide Lips. Poliorc. IV, 1. — *Aper* solidus, integer *famat* in magna lance appositus : vide ad I, 140. — *Flavus*, pulcher, ut gr. ξανθός : est vulgare epitheton non modo puellarum (ut VI, 354), sed etiam virorum fortium heroumque, quos et pulchritudo decebat; flavi autem crines olim non minus ac nunc pulchri censebantur; et Meleager tum pulcher, tum fortis fuit et heros.[1] — Hoc quoque verbo ad notandam heroum Martiam speciem utitur Virgilius, Æneid. VII, vs. 656 :

.... Satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus.... Ed.

— *Post hunc* aprum : nam, si Plinio VIII, 51, seu 78, fides habenda, « non tota quidem cœna, sed in ipso ejus principio, bini ternique pariter manduntur apri. » — *Tradentur*, apponentur diviti et porrigentur, *tubera*, de quibus vide ad XIV, 7.

Var. 116. *Raduntur*, 2, 3, 14, 15, 17, a m. sec. 22—25, 27, 45—47, 49, 50, 54—69, 71—74, 77, 81, et plerique Codd. Paris. ut infra XIV, 7 (ubi vid. Comm.), quod arrisit Pulm. Britann. Grang. et Heins. ad Ovid. Medic. Fac. vs. 85. *Radentur*, 17, a m. pr. 19—21, 26, et VII Codd. Paris. prob. Almelov. et Græv. Mihi utrumque alienum videtur ab h. l. ubi non de cibis apparandis coquendisque, sed jam paratis, et in mensa apponendis, sermo est. *Post huic radentur* edidit Ach. hoc sensu : deinde ipsi, soli Virroni, apponentur; quam verbi *radere* notionem non inusitatam esse monet, non vero probavit, coll. XIV, 7. *Rodentur*, 16. *Traduntur*, 10, 13, 48.

Var. 117. *Non* pro *Tunc* legendum esse probabile fit ex loco Plinii, in Comm. laudato : nam de *majoribus* agitur tuberibus, quæ verno potius tempore tenerrima sunt. — *Faciunt*, 17 a m. sec.

Not. 117. « Tubera dicuntur nasci, si imbres fuerint auctumnales, et tonitrua crebra : tenerrima sunt tempore verno », Plin. lib. XIX, 3. — *Cœnas*, cibos, hoc loco tubera.

Var. 118. *Aledius*, 21, 23—25, 27, 57, 58, 60, 62—68, 71—73. *Alcedius*, 22. *Alvedius*, 14. *Alidius*, 17. *Alichius*, 4. *Atilius*, 30, prob. Calder. Similis varietas in Cicer. ad Attic. XII, 4, 24, 27. Forte leg. *Atedius*, cujus luxum notat Tacit. Annal. I, 10.

Not. 118. *Alledius* nomen Equitis forte Rom., saltem hominis gulosi, sed nobis ignoti. Conf. Var. Lect. Is festive alloquitur Libyam, terram fertilitate insignem, et horreum Rom. populi, ubi et ditiores Romani ac publicani immensos agros possidebant (vide Mitsch. ad Hor. Od. I, 10) : per me in Libya et in agris meis Libycis frumentum non seratur, dummodo

[1] Conf. ad VI, 120; XIII, 164; α, 197; β, 642; γ, 284; intpp. Hor. ad Sil. I, 438; Koeppen. ad Hom. Il. Od. II, 4, 14; III, 9, 19; IV, 4, 4.

inde tubera Romam et ad me mittantur. Tubera Africana ceteris præstabant, et *Misy* vocabantur; vid. Plin. XIX, 3; Martial. XIII, 42 et 43.

Not. 120. Conf. XI, 136 seq. et Lips. Sat. Serm. II, 2. *Structor* servus, qui non modo mensas apparat, ferculaque ordine ac commode in mensis struit h. e. disponit et collocat, quique Petronio *instructor ferculorum* dicitur (conf. VII, 184, quæ propria verbi vis est), sed etiam, ut XI, 136, et al., qui cibos scindit, et vulgo *carptor* (IX, 110), vel *carpus*, vel *scissor* et *cheironomon* dicitur, a quo tamen hoc loco distingui videtur.

Var. 121. *Spectas*, 13, 17, 19, 20, 22, 23, 25, 27, 45—50, 54—69, 71—74. *Videas*, 14, 21, 24. — *Chironomunta*, 11, 31 b. 46, 49, 54 (conf. Gifan. Ind. Lucret. vid. *Acherunta*). *Chironomanta*, 14, 15, 22, 23 a m. sec. 27, 47.

Not. 121. *Cheironomon* seu chironomon, χειρονομῶν, idem quod *cheironomus*, χειρονόμος, qui certa quadam lege (νόμῳ) et ad numerum manus concinne motitat (χεῖρας νόμων), ita ut continue gesticuletur, propr. pantomimus, histrio (χειρονόμος, ὀρχηστὴς Hesych.), et h. l. ciborum sector. Nam, teste Petron. 36: «Scissor ad symphoniam ita gesticulans lacerat opsonium, ut putes Darium hydraule cantante pugnare;» unde h. l. *saltantem*, h. e. gesticulantem, quæ solennis verbi notio et satis nota est. «Alius pretiosas aves scindit, et, per pectus ac clunes certis ductibus circumferens eruditam manum, in frusta excutit: infelix, qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet; nisi quod miserior est, qui hoc voluptatis caussa docet, quam qui necessitatis discit;» Senec. Ep. 47. Conf. Plin. X, 50, seu 71 extr. et infra ad VI, 63, et XI, 140. — *Volanti* cum *cultello*, quem agili manu versat scissor. — Notat Lubin. hoc loco structores esse Apuleio diribitores, qui fercula, puerorum manibus allata, commode disponebant, collocabant, et quodam quasi corporis tripudio, manuum gestu admodum festivo, omnia opsonia singulari artificio ac decore digerebant: struit enim diribitor convivium, ut imperator aciem. Cheironomontes vero artificiose, et mira elegantia solertiaque fercula apposita scindebant, et agiliter cultellum in manu versabant. Prior gallice *maître d'hôtel*, posterior *écuyer tranchant* vocatur. Ed.

Var. 122. *Peragat mandata*, 6.

Not. 122. *Peragat dictata omnia magistri*, qui eum artes cibos scindendi in pergula sua docuit. Conf. ad VI, 392, et XI, 136 seq. — *Dictata*, ut apud Horat. Epist. I, 1, 55, et 18, 13.

Var. 123. *Ne*, 19, 23. — *Differt*, 20.

Not. 123, 124. Multum interest inter sectionem leporis et gallinæ, vel plurimum refert, quo modo cibi dissecentur. Utrumque forte ridet poeta.

Not. 125 seq. Alia affertur caussa, cur cœnæ nobilium ditiorumque vitandæ sint: *duceris planta*, pedibus traheris, et *ponere*, poneris, *foras*, vi ejicieris e triclinio, si forte inter cœnandum *hiscere*, os aperire, id est, loqui, ausus fueris, *tanquam habeas tria nomina*, hoc est, tanquam et tu

civis sis optima lege, vel ingenuus, qui libere loqui possit : nam civibus Rom. tria plerumque erant nomina, prænomen, nomen et cognomen, civitasque Rom. multum dignitatis juriumque conferebat. Vulgo exponunt, tanquam et tu sis nobilis. Verum non nobiles tantum, sed quilibet fere civium tria habebat nomina : favent tamen illi explicationi verba Ausonii :

Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

Conf. Var. Lect. — *Cacus ab Hercule* saxis, stipitibus et clava *ictus*, et, quum occisus esset, pedibus e spelunca protractus : quod notum vel e Virgil. Æneid. VIII, 249, 250, 264.

Var. 126. *Foras* pro vulg. *foris* nunc recepi ex 17, 20, 2ma m. sec.

Var. 127. *Quamquam*, 22, et duo Codd. Paris. idque non male conjecerant Rigalt. et Græv. ut sensus sit : quamquam sis nobilis (immo ingenuus, seu civis), si tamen pauper es, in divitis mensa non audebis hiscere, nisi velis ejici. Iis adstipulatur Schurzfl. qui monet, errorem ex ant. scriptura *cancam* ortum esse, et vetus scholion in suo Cod. ita legi : « Sed melius sic : quamquam nobilis sis, et habeas tria nomina, ut Cneus Cornelius Scipio, et si quid simile. »

Var. 128. *Sumitve* conj. Jacobs.

Not. 128. *Virro*, vid. supra ad vs. 39. *Propinare*, προπίνειν, propr. dicitur, qui poculum, seu vinum summis delibat labris, aliique ebibendum tradit; quod honoris signum erat.[1] — *Pocula tuis contacta labellis*, a te delibata.

Not. 130. *Perditus* διεφθαρμένος pro, improbus, scelestus. — *Ut dicat regi, bibe*, h. e. ut diviti ac nobili patrono (vide ad I, 136) poculum propinet.

Not. 131. Comparant proverbia *vestis virum facit... lacer pannus...* τῶν γὰρ πενήτων εἰσὶν οἱ λόγοι κενοί... et Theogn. τῷ γὰρ πενίῃ δεδαμασμένῳ ἦδεται ἡ γλῶσσα, etsi Πολλάκις καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν. — Hæc sunt vera omni tempore, omnibus locis. Cf. Salomon. Prov. cap. 18, § 23; *Labruyère*, cap. 2, *du Mérite personnel*; cap. 8, *de la Cour*; cap. 11, *de l'Homme*; cap. 12, *des Jugements*; cap. 13, *de la Mode*. Vide quoque *Sedaine, Épître à mon Habit :*

« Ah ! mon habit, que je vous remercie ! ... »
« Ici l'habit fait valoir l'homme .... »
« L'arbre n'est point jugé sur ses fleurs, sur son fruit ;
« On le juge sur son écorce. » Ed.

Homines læna (vide ad III, 283) *pertusa*, lacera et sarta veste induti, hoc est, pauperes.

Var. 132. *Quadraginta*, 19, 20, 24, 27, 46—50, 54, 55, 58, 64. Male. Vid. ad I, 106.

Not. 132 seq. Si munere Deorum aut hominum dives repente fieres ;

[1] Vid. Fischer. ad Anacreont. IV, 3, et interpretes Virgil. Æneid. I, 737 seq. et Martialem, V, 79, 3.

tu, *homuncio*, qui nunc in contemptu vivis, et quem nobiles vix hominem putant, quam magnus confestim et honoratus evaderes! — *Quadringenta*, sc. sestertia, census equestrem, ut I, 106, et II, 117. — *Similis Diis*, ἴσος θεῷ, homo, non beneficus, quod vulgo putant, sed dives, (πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ. Δαίμονι δ' οἷος ἕησθα. Hesiod. Ἔργ. v. 313, 314), vel dignitate et potentia ceteris præstans, inpr. Imperator: nam Imperatoribus Rom. divini honores decernebantur, et ad eos transferebatur notio, quam Græci de regibus et heroibus animo sibi informabant, quorum βασιλεῖς, seu ἄνακτες, et ἥρωες erant θεοτίκτοι, ἐκγεγῶτες, ἐναλίγκιοι ἀθανάτοισιν, θεοειδεῖς, θεῖον γένος, ἡμίθεοι, διοτρεφέες, Διὶ μῆτιν ἀτάλαντοι. — *Melior fatis*, benignior quam fata, quæ te pauperem fecere, vel esse voluere.

Var. 133. *Deferret* pro *donaret*, 16. Male distinguitur in omnibus fere edd. etiam Hennin. *donaret homuncio: quantus*, etc. Nam diminut. *homuncio* contentim dicitur, ut *homullus*, *homunculus* et *homullulus*, neque adeo verbis *similis Dis et melior fatis* jungi potest.

Not. 134. Conf. Ovid. Fast. I, 117, et supra I, 112.

Var. 135. *Istis*, 16, 48, 65, 68, 69, 77. *Illis*, 27, 46, 47, 50, 58, 62, 64, 66, 67, 74. *Sis frater ab illis Ilibus* perperam corrig. Plathner putans, verbum *vis* ab h. l. alienum esse, et non tantum propinationes honoris caussa institutas, sed et fraternitatis poculum antiquis non incognitum fuisse, unde Xiphil. in Tib. ἐν γὰρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ παρά τι τῷ Τρεβίῳ ἐστιάσθη καὶ φιλοτησίας ἔπιε.

Not. 135. *Da Trebio*, sc. poculum, vel cibum delicatiorem, et *pone ad Trebium*, verba divitis ad servum, et *vis, frater, ab ipsis ilibus?* ad Trebium, quod est fictum nomen pauperis clientis (ut sup. vs. 19), qui nunc repente dives factus est. — *Frater* blandius nomen, quo amici se invicem compellant, ut apud Horat. Ep. I, 6, 54, et Martial. X, 65, 3; conf. Broekhus. ad Tibull. p. 295. — Sic et apud nostratem *Molière*, *Tartuffe*, act. III, sc. 6 et 7, sæpius occurrunt eo sensu verba: *mon frère*. Ed. — *Ab ipsis ilibus*, lumbis, parte delicatiore (verbi caussa apri apud Plin. VIII, 51, s. 78), scil. tibi aliquid abscindi; abrupte, ut similia in quolibet sermone familiari. *Ab ipsis* pro *aliquid de his* aut *istis* minus latine dictum videbatur H. Valesio.

Var. 136. *Vos hunc præstatis honorem*, 2.

Not. 136. Honor et blanditiæ ad nummos spectant, iisque tribuuntur, non homini, vel meritis et virtuti.

Not. 137 sqq. Dives ille et superbus Virro etiam clientis instar te, qui repente dives factus es, ut patronum suum colet et venerabitur, si tibi non erunt liberi, et ipsi adeo spem hereditatis adipiscendæ concipere licet. Lub. comparat simill. Ep. XXXI Palladæ (in Brunckii Anal. t. II, p. 413):

Ἢν ὁ φίλος τι λάβῃ, δόμεν φράτερ εὐθὺς ἔγραψεν,
Ἢν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
Ὥστε γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα· αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ ἐθέλω δόμεν, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

Dominus, vide ad I, 136. *Domini rex*, major patrono ac potente amico, *fieri*, ab eo coli summo honore.

Not. 138, 139. Poeta festive utitur verbis Virgil. Æneid. IV, 328. — *Filia dulcior*, sæpe et multis parentibus, *illo* filio. A nonnullis *illo* refertur ad Virronem seu heredipetam.

Not. 140. *Facit*, etc. ob spem hereditatis. Cf. Mart. X, 18, et XI, 56.

Var. 141. *Mycale* in plerisque libris exstat, estque nomen magæ ap. Ovid. Metam. XII, 263, et promont. oppidique Ioniæ ib. II, 223, et alii. *Mychale*, 27. *Micale*, 7, 17, 19, 21, 24, 45. *Michale*, 20, 23, 46—48, 50, 58, 64. *Macale*, 22. *Mygale*, 1, 75, 76, 77, prob. Lubino, ut nomen fictum sit a concubitu vel commixtione, a *μίγνημι*, quod verbum nihili est. Immo *Migale* a *μίγνυμι* seu *μιγνύω*, coeo. Ita legendum censuit etiam *d'Orville* ad Chariton. I, 7, pr.

Not. 141 sqq. Sed *licet*, quamvis *Mycale*, uxor tua, *pariat nunc*, quum sis locupletatus, non te penitus adspernabitur, sed tecum una gaudebit tuis liberis, et munuscula jubebit afferri; Brit. Honorabit itaque te et tuos, quia nunc dives es, et sperat, gratiam a te relatum iri. *Κυλημένος δὲ ἐπὶ δεῖπνον, κιλεῦσαι καλέσαι τὰ παιδία τὸν ἑστιῶντα· καὶ ἑστέντα φῆσαι σύκου ὁμοιότερα εἶναι τῷ πατρί· καὶ προσαγαγόμενος φιλῆσαι, καὶ παρ' αὐτὸν καθίσαι· καὶ τοῖς μὲν συμπαίζειν αὐτός, λέγων Ἀστὸς, Πέλιννος*, Theophr. Char. V, ubi conf. Casaub. Enimvero *Mycale* (de quo nomine vide Var. Lect.) h. l. meretrix potius est, et sententia horum verborum: at *Mycale*, quæ *nunc tua* est, scil. concubina (quo innuit poeta satiricus, alias ei antea fuisse), vel *tres pueros simul pariat licet*, h. e. eam parere licitum est (*sie mag gebähren*); *ipse* Virro (conf. vs. 30, 56, 86, et ad I, 62) non indignabitur, sed gaudebit, nihil veritus, ne propter filios adulterinos ab hereditate excludatur, et munuscula quoque parvulis dabit, ut gratificetur patri. Si Mycale uxoris, non pellicis nomen est, poeta *vel unum puerum*, non *tres pueros* dixisset. Nihil horum probat Manso, qui potius hæc adnotavit: « Tædet repetere miras, ne dicam ineptas, interpretationes lectionis sanæ et sinceræ. Aberrant a vero viri docti ad unum omnes, referentes *ipse* ad patronum Virronem, *nunc* ad repentinas versus 132 divitias, quum potius sub *ipse* intelligendus sit *pater*, hoc est, maritus Mycales, idemque Virronis cliens, *nunc* autem sine dubio ad præsentem pauperis clientis conditionem spectet. Sensus obvius est et simplex. Noli sperare, poeta Trebium alloquitur, patronum tibi gratulaturum, et munusculo aliquo lætitiam suam testaturum esse, si forte uxor tribus puerulis te uno partu beaverit. Pater Trebius his parvulis solus delectabitur, elegantiores vestes sumptibus suis conficiendas curabit, nuces, si blandientes ad mensam accesserint, iis ipse porrigere, et numulos ad crepundia emenda e crumena sua præbere coactus erit. In his omnibus nil te juvabit Virronis liberalitas: nam vs. 140:

Jucundum et carum sterilis facit uxor amicum.

Hæc vero sententia, vss. 137—140, jam expressa, ne quid gravius dicam,

admodum languet, neque ei conveniunt singula verba *pueros tres in gremium patris fundat simul, ipse gaudebit* et

Ad mensam quoties parasitus venerit infans.

Ea quoque non unam ob caussam repudianda, et tum a vs. 145, tum a breviloquentia Juvenalis aliena videtur viro docto in Ephem. Hal. (Allg. Lit. Zeit. anno 1814, pl. 223). Neque assequor, cur non et *nunc*, et omnia a vs. 132 ad 145, ad *Trebium*, pauperem clientem, qui *nunc* repente dives factus est, referri et possint et debeant. Aptissimum vero est *nunc* eo, quo jam id capio, sensu; et neque inepta lectio a me restituta, neque hæc certe interpretatio meæ, paululum immutatæ anteferenda. *Loquaci nido*, pullis avium, *νεοττοῖς τρύζουσι*, h. l. pro puerulis loquacibus, forma loquendi Virgil. Æneid. XII, 475, ad sensum impropr. ac figuratum translata. Sic et *χρηστοῦ πατρὸς πόππα* dixit adulator apud Theophr. Char. II; *tenerum palumbum*, Pers. III, 16; Catull. XXIX, 9; *nidos querulos*, Sen. Herc. fur. vs. 148; *nidos immites*, Virg. Georg. IV, 17, et *nidum liberorum*, Ammian. XIV, p. 28; ubi vide Vales. Conf. infra XIV, 74, in Var. Lect. et Burm. ad Anthol. vet. lat. Epigr. I, 139.

Var. 142. *Ille loquaci*, 19.

Not. 143. *Viridem thoraca* laneum, subuculam, vel tunicam.[1]

Var. 143. *Viridemque*, 16, 17 a m. pr. 19 a m. sec. contra metri leges. — *Et thoraca*, 77. *Et viridem* conj. Manso. Sed poeta copulam omittere solet. Vid. ad IV, 63. Post *nido* et vs. 145, post *infans* signum interr. ponunt nonnulli, ut sensus sit: Si uxor tua unum, vel adeo tres pueros peperit (quo spes hereditatis Virroni imminuitur), putasne, hoc ipsi gratum fore, et munera ab eo infantibus datum iri? immo nihil iis donabit, et, quoties illos viderit, indignabitur. At vid. Comm.

Not. 144. *Minimas nuces* Avellanas, vel potius res minimi pretii, quales sunt nuces. *Assem rogatum* more infantum, qui crepundia amant, et *assem*, nummulos, petunt, ut ea emant. Conf. ad XIV, 208, in Var. Lect. — *Infans parasitus*, blandiens et appetens ciborum. — Inter *Addenda* quæ ad calcem operis adjecit cl. Ruperti, notat hunc locum ita interpungendum:

Sed tua nunc Mycale pariat! Licet et pueros tres
In gremium patris fundat simul, ipse loquaci, etc.

quæ si ita recipias, sensus erit: tua *uxor* sit *sterilis; sed tua Mycale*, pellex, etiam *nunc* postquam repente dives factus es, *pariat!* quamquam, vel *tres pueros simul* pariat, tamen *ipse* Virro *gaudebit*, etc. Hæc verba optime conveniunt Virroni, neutiquam vero patri; conf. ad locum Theophrasti modo citatum. Ed.

[1] Schol. vet. *armilausiam prasinam, ut simiæ*. Confer Dufresnii Glossarium; Salmasium ad historiam August. pag. 335; Rutgers. Variantes Lectiones III, 15; VI, 13, et supra ad Sat. III, 67.

VAR. 144. Pro vulgato *Auferri* et *Ac mensam* restitui *Afferri* ex 10, 11, 14—17, 19—27, 45—50, 54—60, 62, 64—69, 71—73, 77, et *Ad mensam* ex 10, 11, 14—17, 19, 20, 23, 24, 27, 45—50, 54, 55, 59, 60, 62, 65—69. Ita legendum esse jam conjecerat Græv. — *Axemque rogatum*, 19 a m. pr. 27, 46, 47, 48, 62.

NOT. 146. Hæc ad mensam secundam spectant. *Vilibus amicis*, clientibus (vide ad vs. 108), *ponentur*, apponentur, *fungi ancipites*, suspectum cibi genus, de quo dubites, venenatum sit, nec ne. *Quæ voluptas tanta ancipitis cibi*, Plin. XXII, 23, ubi de fungis agit.

VAR. 147. *Qualem*, 11, 14, 15, 27, 50, 62, 65—74, 77, et omnes fere Codd. Paris. unde illud nunc recepi cum Ach. etsi vulg. *quales* eodem sensu a me ad *boletum* sit relatum. Hæc vero contra mentem poetæ dici putabat Schurzfl. et verba in hunc ordinem redigenda esse : *Boletus domino, fungi ponentur amicis Vilibus ancipites, seu quales Claudius edit.* Heineckio non modo verba *post quem nil amplius edit* absurdissima, sed etiam tres versus 146, 147, 148, spurii et inepti videntur, quum jam per se ipsum pateat, auctorem cœnæ non jussurum sibi dari edulia venenata, et absurdum sit, eum sibi poni jussisse cibos delicatiores, sed haud venenatos, ceteris vero convivis viliores. Non viliores tantum, sed etiam *ancipites*. Conf. Comm.

NOT. 147. Conf. Martial. I, 21, et III, 60, 5. *Boletus* præstantissimum fungi genus : vide ad XIV, 8. *Fungi* sunt silvestres, sponte sua nascentes, ideoque *viliores; boletus* in hortis ex arte surgens, ideoque exquisitior; Ach. Præterea *fungi* sunt *ancipites*, non boleti. Utrumque igitur expressit poeta: Convivis et viliores cibi apponuntur, et *ancipites;* domino exquisitiores, et non suspecti. — *Domino*, vide ad I, 136. — *Sed boletus* non venenatus, *qualem Claudius* Imp. *edit* (restituenda potius lectio *quales*, quæ doctior est, et hinc mutata ab indoctis monachis), *ante* quam ederet *illum*, quem ei dedit Agrippina uxor veneno infectum, *post quem nil amplius edit*, festive pro, quo periit. Conf. ad VI, 620 seq. Sueton. Claud. c. 44; Plin. XXII, 22, et verba Martialis I, 21, 4 :

Boletum, qualem Claudius edit, edas!

VAR. 148. *Postquam*, 22. — *Nihil*, 17, 19, 45, 49.

VAR. 149. *Illa videbit*, 22, 23 a m. pr. 45.

NOT. 149. *Virronibus*, convictoribus et amicis, Virroni paribus nobilitate ac divitiis. — *Pascaris*, delecteris, vel potius nutriaris, quia *solo odore* dicitur. Cf. Mart. I, 39, 9, et Ovid. Met. VII, 263, ubi Heins. bene suspicatur, Juven. allusisse h. l. ad gentem quamdam Indicam, de qua hæc tradit Solinus : « Odore vivunt pomorum silvestrium, et eorum olfactu aluntur. »

VAR. 150. *Piscaris*, 11, unde Schurzfl. conj. *quorum solum piscaris odorem*. Sed ipse fatetur, hanc lectionem videri duriorem.

NOT. 150. *Phæacum* ins. in mari Ionio prope Epirum, Corcyra (hodie *Corfou*), eorumque rex Alcinous, et hujus hortus notissima ex Hom. Odyss.

η, ubi etiam vs. 114 seq. poma præstantissima ac perennia, propter Zephyrum semper spirantem, laudantur, unde h. l. *perpetuus auctumnus*. Conf. Quirini primordia Corcyræ p. 63.

Var. 151. *Habebit*, 12. Præstiterit *alebat*, ut apud Hom. Odyss. η, 119:

. . . . . Αἰεὶ
Ζεφυρίη πνείουσα τὰ μὲν φύει, ἄλλα δὲ πέσσει.

Not. 152. *Sororibus Afris*, Hesperidibus, quarum horti in extrema *Africa*, et poma aurea vel tironibus nota.[1] — *Subrepta*, ut olim ab Atlante et Hercule.[2]

Var. 153. *Fruere*, 61, 63, 66, 67, 71—73.

Var. 154. *Flagellum*, 22; at vid. Comm.

Var. 155. *Discat*, 26. — *Hirsuto* .... *Capella*, 1 (cujus certe glossa est: *a sene magistro campidoctore*), 70, et edit. Maittarii, prob. Scalig., Schurzfl., Lindenbr. et Lips. Mil. Rom. 5, 14. Huic tamen *Capella* lanistæ nomen esse videbatur, quod flagellum militi non satis conveniret; illis nomen centurionis vel campidoctoris. Noti sunt plures *Capellæ*, v. c. Marcianus C. ex Fabric. Bibliot. lat. III, 17; Statilius C. ex Suet. Vesp. 3, poeta ex Ovid. e Pont. IV, 16, orator ex Lamprid. Comm. 1, aliique ex Martial. XI, 32; Gruteri Inscript. pag. 350, lin. 5, et alii.

Not. 153—155. *Tu*, pauper cliens, *frueris*, cum voluptate præ inedia vesceris, *scabie mali*, malo scabioso et carioso, *quod*, quale, etc. Locus admodum obscurus, in quem dici non potest quot nugas confuderint interpretes, quas omnes recensere non est operæ pretium. Plerique putant, de tirone milite, qui *parma*, levi scuto, tegatur, ejusque exercitiis in *aggere*, campo, agi, et *hirsutam capellam* esse *vel* lorum, seu amentum e corio capellæ factum, hastæque alligatum, quo missa retrahi posset, *vel* centurionem, *vel* campidoctorem (ita Schol. vet.), vel alium magistrum, qui per convicium *capella* dicatur, quod *hirsutus* sit caprarum instar, et promissa barba intonsisque capillis horreat, seu indutus sago cilicio, vestimento ex pilis caprarum et hircorum texto. Conf. ad XIV, 194, 195, et XVI, 13. Hæc, quod mireris, probat Ach. qui tamen verba *ab hirsuta capella* rectius ab Omnibono explicari putat: « A tegmine cilicii, hoc est, a tentorio; nam de setis hircorum cilicia texuntur, quibus et naves et tentoria tegi solebant, quoniam optima sunt adversus ignem et aquam tegmina: constat autem, Romanos in castris usos fuisse ciliciis. » Tirunculos capris insidentes in primis militiæ rudimentis didicisse jaculari, male suspicabatur

[1] Vid. Plin. XIX, 4; Spanhem. ad Callim. Hymn. in Cer. vs. 11; Heyne ad Virg. Æneid. IV, 480 seq. ad Apollod. p. 406 seq. et Comm. de Theogon. Hesiod. p. 141; Salmasius Exercitat. Plinian. p. 670, et Schweighæus. ad Athenæum, lib. III, 7 (23 et 25), p. 82 et 83.

[2] De quo vide Heyne ad Apollod. II, 5, 11, et Diodor. IV, 27.

Bochart. Hieroz. I, 3, 19, p. 902. Lipsius autem de Mil. Rom. V, 14, venatorem hic describi, vel bestiarium, qui in *aggere*, non castrensi, sed urbano (vid. ad VIII, 43) feras jaculari didicerit in capella viva et in ea, non in leone aliisve feris configendis tuto artis tirocinia ponere potuerit; quod hominum genus infimæ dicit conditionis fuisse, flagellis cæsum, et ob vilitatem cibi tenue ac strictum, non in gladiatoria sagina. — Grangæus et Rutgers. Var. Lect. III, 15, duce Schol. vet. qui ad voc. *mali* notavit, *quale simia manducat*, credebant simiam designari jaculatricem, et capræ inequitantem, quæ ab agyrtis et histrionibus lucelli risusque captandi caussa circumducta sit. Hac sententia paululum immutata, Henninius h. l. ita interpretatur : « *frueris* (emphatica indignatione hac voce utitur) *malo*, *quod in aggere*, seu castris Prætorianis prope Urbis mœnia ab otiosis Prætorianis *rodendum* daretur simiæ, quam illi Prætoriani, insuper habitis militaribus exercitiis, ludicro bonum otium ad Urbem perdentes, *parma galeaque tectam*, *hirsutæque capellæ* inequitantem *flagelli metu* ad disciplinam *torquendi* inde, instar equitis, *jaculi* compellant. In transitu acri bile perfunditur desidia militis : *simiam* vero *equitem ex capra jaculandi artificem* inter ludicra militis etiam Asiatici enumerat Leo Africanus. » Hæc interpretatio reliquis præferenda videtur. Conf. Var. Lect. *Metuens flagelli*, ut *met. virgæ*, VII, 210; vide Heins. ad Ovid. Metam. I, 323.

Not. 156. Hic poeta ad patronorum malevolentiam transit, ut notat Lubin. exponitque caussam cur patroni suos clientes tam indigne habeant: non enim avaritia est, sed petulans malitia; non ut sumptui parcant, sed ut illos irrideant, et vexent. Ed. — *Impensæ parcere*, te pauperem tam ignominiose tractare ob parcimoniam et sordes. Immo *hoc agit*, facit, vel illud molitur, operam dat, *ut doleas*, ut te vexet, angat, discruciet, et ludibrio habeat.

Not. 157 sqq. Similia dixit Lucianus, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, cap. 24 : Οὕτως ἀπορία μέν σι θέρμων (lupinorum, ut XIV, 153) ἔσχεν ἡ τῶν ἀγρίων λαχάνων, ἐπίλοιπον δὲ καὶ αἱ ῥῆναι ῥέουσαι τοῦ ψυχροῦ ὕδατος, ὡς ἐπὶ ταῦτά σι ὑπ' ἀμηχανίας ἐλθεῖν; ἀλλὰ δῆλον, ὡς οὐχ ὕδατος, οὐδὲ θέρμων, ἀλλὰ πεμμάτων καὶ ὄψων καὶ οἴνου ἀνθοσμίου ἐπιθυμῶν ἐάλως, καθάπερ ὁ λάβραξ, αὐτὸν μάλα δικαίως τὸν ὁριγόμενον τούτων λαμὸν διαπαιδᾷ. Παρὰ πόδας τοιγαροῦν τῆς λιχνείας ταύτης τἀκίχυρα, καὶ ὥσπερ οἱ πίθηκοι κλοιῷ δεδεμένοι τὸν τράχηλον ἄλλοις μὲν γέλωτα παρέχεις, σαυτῷ δὲ δοκεῖς τρυφᾶν, ὅτι ἐστί σοι τῶν ἰσχάδων ἀφθόνως ἐντραγεῖν· ἡ δ' ἐλευθερία καὶ τὸ εὐγενές, σὺν αὐτοῖς φυλέταις καὶ φράτορσι, φροῦδα πάντα, καὶ οὐδὲ μνήμη τις αὐτῶν. Conf. supra vs. 6 seq. —

Ridiculus æque nullus est, quam quando esurit,

Plaut. Stich. I, 3, 64. Paupertas quoque ridiculos facit homines : vid. sup. III, 152 seq. et ibi not. — *Plorante gula*, famelico parasito, qui fame maceratur.

Var. 158. *Plorante gula melior*, 14, 16, 20. *Gula est? ergo*, 13, quod arridere potest. Sed vid. ad I, 151.

Not. 159. *Bilem*, iram, *effundere per lacrymas:* nam, ut verbis Ovid. Trist. IV, 3, 38 utar,

Expletur lacrymis egeriturque dolor.

Conf. ad I, 45. — *Presso*, compresso, *diu molari*, seu maxillari dente *stridere*, frendere dentibus, ut irati solent.

Not. 161. *Tu tibi liber homo videris*, qui tamen servus es gulæ aliarumque cupiditatum. Conf. loca præclara Horat. Sat. II, 7, 80—94, 111, et Epist. I, 16, 63 seq. (ubi Stoice philosophatur) Pers. V, 73—70 (ubi vid. Casaub.); Martial. II, 53, et IX, 11. *Regis* (vid. ad I, 136) *conviva videris;* conf. Horat. Sat. II, 7, 32 seq.

Not. 162. Conf. Horat. Sat. II, 7, 38; Martial I, 93, 9, et V, 45, 7, seq. Sic Luciani Cataplus, cap. 16: *ἔτι δὲ καὶ ἡ κνίσσα ἡ τῶν σκευαζομένων ἐς τὸ δεῖπνον ἀπέκναιέ με.*

Not. 163 seq. *Quis* est *tam nudus* opibus, inops, omnibus aliis præsidiis destitutus, *ut illum* Virronem, ejus superbiam et contumelias, *bis ferat*, ut iterum invitatus ad cœnam veniat, *Etruscum .... loro*, hoc est, si ingenuus est, et nobilis genere, vel tantum libertinus et pauper. *Aurum Etruscum*, bulla aurea, quod insigne puerorum ingenuorum, ut multa aliorum, præcipue regum, ab *Etruscis* petitum videtur. Conf. Macrob. Sat. I, 6; Plin. 33, 1, seu 4; Aurel. Vict. de Viris Ill. cap. 6, ubi vide. Harles. *Bulla* erat insigne puerorum ingenuorum, cordis fere figura, ex collo in pectus dependens, quo incantationes et fascina submoveri credebantur, quodque pueri togam prætextam ponentes donabant laribus. Pueri nobiles ac divites utebantur bulla aurea; humili vero loco nati, pauperes et libertini scortea, hoc est, e corio facta, vel *loro;* nisi potius *lorum* est ligamentum cum nodo, sine bulla, ex eo pendente.[1]

Not. 166. *Spes bene cœnandi vos decipit*, conf. I, 133, 134, et Luciani verba adscripta supra ad vs. 22 et 157. — *Ecce dabit.... altilis*, verba vel potius cogitationes pauperis clientis. *Μόνον τῶν περιφερομένων τὰ ὀστᾶ, εἰ ἀφίκοιτο μέχρι σοῦ, καθάπερ οἱ κύνες περιεσθίων, ἢ τὸ σκληρὸν τῆς μαλάχης φύλλον, ᾧ τὰ ἄλλα συνειλοῦσιν, εἰ ὑπεροφθείη ὑπὸ τῶν προκατακειμένων, ἄσμενος ὑπὸ λιμοῦ παραψάμενος*, Lucian. *περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων*, cap. 26, et ibid. cap. 17: *οὐ λευκοῦ ποτὲ ἄρτου ἐμφορηθεὶς* (conf. vs. 67—75), *οὔτε γε Νομαδικοῦ ἢ Φασιανοῦ ὄρνιθος, ἂν μόλις τὰ ὀστᾶ ἡμῖν καταλέλοιπε.* (Conf. ad vs. 114.)

Var. 167. *Aut aliquid*, 14, 19, 20.

[1] Conf. XIII, 33, et XIV, 5. De origine caussaque hujus moris et forma *bullæ* vide loc. class. Macrob. Sat. I, 6; Plin. XXXIII, 1; Fest. hoc voc. Plut. in Romulo p. 30; Voss. Etym. ling. latin. p. 81; intpp. Petron. 60; Franc. de Ficorini libellus de bulla Rom. 1732; Middleton. in Germanis quibusdam eruditæ antiquitatis monumentis Lond. 1745, p. 29—48.

VAR. 168. *Vos*, 13, 16, 23, a m. sec. et al. vid. Markland. ad Stat. pag. 235 seq. et Oudend. in Misc. Obss. n. tom. X, pag. 465.

NOT. 168. *Minor altilis*, anas aut gallina, ut vs. 115, nisi *minor* est semesa. *Inde*, quia speratis, partem ciborum delicatiorum vobis datum iri, *tacetis*, non postulatis *panem paratum*, quem sumere cuivis licet, et *strictum*, secatum (ut apud Virg. Georg. I, 317, ubi vide Heyne), adeoque in pleno convivio esuritis. An sensus est : *tacetis*, suspensi exspectatione et inter spem metumque, *paratum* semper et in promptu habentes ac *stringentes*, imminuentes, panem, cum illis cibis comedendum, quem tamen *non tangitis*, editis, quoniam illi cibi vobis non exhibentur. — Ill. Comes *de Haugwitz* ita *stricto pane tacetis* interpretatur, ut sit hæc sententia poetæ : suspensi, vel parati et attenti, velut stricto gladio, sperantes cibos delicatiores vobis datum iri. ED.

VAR. 169. *Jacetis*, conj. Lubinus.

NOT. 170—4. Verba cum indignatione dicta. *Ille* Virro *sapit*, *qui te sic utitur*, tam contumeliose ac superbe te tractat : facit id merito tuo ; dignus es, qui ita tracteris. *Omnia ferre si potes*, *et*, etiam, *debes* ; apta et gravis sententia.

VAR. 171. *Qui potes*, 16. *Sic potes*, 47. — *Ut debes* emend. Grævius putans, copulam ab h. l. alienam esse. Enimvero *et* pro *etiam* positum, et sic sententia aptissima est, atque gravissima.

NOT. 171, 172. Hæc referunt ad duram parasitorum conditionem, qui tum ridiculi (γελωτοποιοὶ), tum plagipatidæ fuerint[1]. Color autem orationis petitus a mimis, in quibus servi, scurræ et moriones in scenam inducebantur *vertice*, seu capite *raso*, et *pulsantes* sibi *capita*, hoc est, colaphis percutientes, excipientes turgentibus malis alapas, aut *flagris* cæstibusque se invicem cædentes. Conf. ad I, 36; VIII, 192 ; Ziegler. de Mimis Rom. p. 30, 31 ; et Ferrar. Elect. II, 13. — Hic Britannicus et alii quidam, mirum in errorem lapsi, putant hic designari modum quo quis a prætore liber per vindictam fit ; quod scil. ii qui ex servitute in libertatem vocabantur, raso capite ad prætorem irent, qui eorum caput bis terve percuteret, vel per lictorem percuti juberet, deinde virgula (quæ *vindicta* est) in eos jacta, elata voce servituti eximeret : sed illud omne contra mentem poetæ est, quum immo dicat : per dedecus et contumeliosam irrisionem tonsis capillis, in duram servitutem redigeris, plagis verberibusque subjectus, et aliquando (ut ait Vet. Schol.) alapas accipies ; etiam fuste caput pulsabitur. ED.

[1] Conf. Terent. Eun. II, 2, 13 ; Plaut. Capt. I, 1, 20, ibique Meurs.

D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SATIRARUM

LIBER SECUNDUS.

D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SATIRARUM

LIBER SECUNDUS,

CUM INTERPRETATIONE LATINA,

VARIIS LECTIONIBUS,

ET SELECTISSIMIS OMNIUM COMMENTARIIS.

SATIRÆ SEXTÆ

ARGUMENTUM.

Sexta hæc infidas mulieres monstrat abunde.

HAC SATIRA MULIERES INCESTAS MONSTRAT, JUBETQUE (AL. UT OMNEM) UXOREM URSIDIUS DEVITET FECTORE TOTO.

L. FURSIDIO POSTUMO. — AD POSTUMUM. — MULIERUM FLAGITIA ET SCELERA. — IN LIBIDINEM MULIERUM. — DE VITIIS MULIERUM.

Juvenalis primum profitetur, se non satis mirari posse dementiam Ursidii Postumi, qui uxorem, eamque castam, circumspiciat, quum et pudicitiæ vestigia inde a fine ætatis argenteæ frustra quærantur in toto terrarum orbe, v. 1—29; et vitam liberam voluptariamque agere, immo mori, multum præstet, quam servile matrimonii jugum ferre, et Postumus ipse notissimus sit mœchorum, v. 30—47. Deinde amicum ab uxore ducenda dehortatur, eumque in finem vivis coloribus depingit, atque ordine recenset omnia mulierum tunc temporis viventium vitia, et quidem — I, impudicitiam et libidinem effrenatam, cujus explendæ caussa nobilissimæ etiam matronæ,

immo Augustæ, vel cum histrionibus, citharœdis ac gladiatoribus concumbant, patriamque relinquant, vel in lupanaribus prostent, quod Hippiæ ac Messalinæ exemplis probatur, v. 47—132; — II, insanam ludorum spectandorum cupiditatem, qua captæ histrioniam ipsæ faciant, v. 67—70; — III, licentiam, quodcumque libeat, vel faciendi, vel a marito exigendi, magna dote aut pulchritudine quasi emptam, v. 136—160; — IV, superbiam, maxime earum, quæ nobilitate generis, castitate, forma, fecunditate, aliisque naturæ ac fortunæ dotibus excellant, v. c. Corneliæ, matris Gracchorum, Niobes et al. v. 161—183; — V, affectationem Græcæ linguæ, v. 184—199; — VI, pertinaciam, durumque in maritos imperium, v. 200—223; — VII, divortia crebra, quibus maritos mutent, v. 224—230; — VIII, suspectam fidem, aliosque pravos mores, vivente socru, quæ iis imbuat filiam, v. 231—241; — IX, cupiditatem litium, in quibus ipsæ accusatorum patronorumque partes agant, v. 242—245; — X, impudentiam, quæ nonnunquam tanta sit, ut ne in gymnasia quidem et arenam descendere, vel ad palum exerceri erubescant, v. 246—267; — XI, studium rixandi cum maritis et die, et noctu, v. 268—270; — XII, fictam tristitiam lacrymasque, quoties jubeant, manantes, quibus maritis exprobrent adulteria, ut sua celent, v. 271—278; — XIII, insignem audaciam, qua deprehensæ in stupris se defendant, v. 279—285; — XIV, mollitiem et luxuriam, fontem reliquorum vitiorum, v. 286—300; — XV, temulentiam, qua augeatur libido, et mulieres sæpe ad omnem turpitudinem, vel ad aram Pudicitiæ et in sacris, inpr. Bonæ Deæ, rapiantur, v. 300—345; — XVI, dolum, quo utantur in custodes sibi appositos, quos ipsæ primos ad stupra sollicitent, v. 346—351; — XVII, ambitionem, quæ nullam paupertatis rationem habeat, v. 352—365; — XVIII, amorem, quo eunuchos amplectantur, ut indulgeant libidini, nec tamen concipiant, v. 366—378; — XIX, studium cantûs ac musicæ artis, cui multæ sint deditæ, v. 379—397; — XX, curiositatem credulitatemque, v. 398—412; — XXI, iracundiam atque crudelitatem, v. 413—418; — XXII, nocturnam lavationem cum multo strepitu, et vomitionem ante cœnam, vino largius sumpto concitatam, v. 418—433; — XXIII, affectationem sapientiæ et eruditionis, v. 434—456; — XXIV, nimium ornatum fastumque intolerabilem divitum feminarum, v. 457—460; — XXV, studium mœchis, non maritis, placendi munditie ac nitore, quem pane siligineo, in lac asininum intincto, fucis unguentisque sibi concilient, v. 461—473; — XXVI, sævitiam in servos

servasque, in quos evomant iram, vel in maritos conceptam, vel eo incensam, quod ars ornatricis dare nequeat, quæ denegaverit natura, v. 474—495; — XXVII, nimiam decoris quærendi, nullamque rei familiaris et impensarum curam, v. 495—511; — XXVIII, stultam cujuscumque generis superstitionem, v. 511—591; — XXIX, improbitatem nobilium divitumque feminarum, quæ vel partum medicamentis abigant, v. 592—597, vel adulterinos pariant filios, v. 597—601, vel denique nothos sive subditivos pro suis ac legitimis alant, v. 602—609; — XXX, usum incantationum ac philtrorum, quibus nonnunquam maritos ad insaniam agant, v. 133—135, et 610—626; — XXXI, quæstus cupiditatem, qua incensæ privignos, immo (ut Pontia) suos filios maritosque, veneno vel ferro quoque necare conentur, v. 627—661.

SATIRÆ SEXTÆ

ANALYSIS.

Quemadmodum poeta in reliquis Satiris pravos potissimum mores virorum perstringit, ita in hac acerrime insectatur mulierum vitia, occasione carminis sumpta ab eo, quod *Ursidius Postumus* (v. 21—28) amicus consilium ducendæ uxoris ceperat. A quo ut eum avocet, omnia feminei sexus vitia tanquam in picta adumbrat tabula, et ad vivum quasi resecat, nihil fere prætermittens, quod ad dissuadendum valere possit; ita ut hæc Satira omnibus eloquentiæ floribus distincta sit, et in consummatissimis Juvenalis carminibus referenda. Si quid in illa vituperandum est, eo non retulerim vivos colores, turpium rerum picturæ inductos, qui tum argumento, quod pertractatur, et satiricæ poeseos indoli, tum consilio potissimum poetæ, quod modo memoravi, aptissimi sunt, sed potius eorum mixturam, qua ordo sententiarum passim perturbatur. Nam alia bis recensentur, v. c. philtra, incantationes et veneficia (v. 133 seq. et 610 seq.), superbia (v. 161 seq. et 457 seq.), vinolentia (v. 300 seq. et 425 seq.), durum in maritos imperium (v. 139 seq. et 212 seq.); alia aptiore, opinor, loco, v. c. quæ de luxuria, omnium vitiorum fonte, præclare disputantur (v. 286 seq.), vel initio, vel in fine carminis inculcari poterant; alia denique, quia sibi cognata sunt, magis placerent elucerentque, si non sejuncta essent, sed connexa,

v. c. quæ v. 67 seq. et 379 seq., v. 184 seq. et 434 seq., v. 413 seq. et 475 seq., leguntur. In ipsa quoque carminis dispositione non magna inventi laus ingenio poetæ debetur, nec singulæ ejus partes, etsi egregie adumbratæ, arte quadam inter se implicatæ sunt, sed (æque ac in Sat. X) eo se excipiunt ordine, quo in declamatione aliqua rhetor alias aliis subjungeret. Non alium tamen antiquum scriptorem legere memini, qui idem argumentum tali modo et tam copiose tractaverit; etsi non ignoro, multa mulierum vitia passim notata esse ab aliis, inprimis ab Euripide et Aristophane. Ille tot scelestas cujuscumque generis mulieres induxit in scenam, et hunc sexum toties ac tantopere perstrinxit, ut inde *Μισογύνης* olim vocaretur: nam *ἴν γε ταῖς τραγῳδίαις μισογύνης, ἴν γε τῇ κλίνῃ φιλογύνης* fuit, teste Sophoc. ap. Hieron. laudatum Athenæi lib. XIII, p. 557; errantque Suidas, Moschopulus, Gellius XV, 20, et alii, qui illam appellationem a naturali, quod in omne genus muliebre gesserit, odio repetunt. (Vid. Barnes. vit. Euripidis § 19, et Baylii Diction.) Hic vero in solis *Θεσμοφοριαζούσαις*, in quibus Euripidem a mulieribus damnatum fingit, quod in eas sæpius acerrime invectus sit, plura pæne istius sexus flagitia memorat, quam Euripides in omnibus, quæ quidem restant, tragœdiis suis. Qui vero alia feminei sexus vituperia legere cupit, consulat, quos tum Henninius laudavit; Chrysost. homil. de Herodiad.; Barth. ad Celestin. ex Hisp. versum p. m. 334 seq.; *les Mémoires de Brantôme;* et sotadica Italorum Hispanorumque scripta: tum *Achaintre*, Simonidem in lyricis octo ex rec. Henr. Stephani, Italos Ariosto, Aretino, Boccacio, et Gallos *Jean de Meung*, *Gringoire*, *Molière*, *La Fontaine*, et inprimis *Boileau* in Sat. X. Similia etiam carmina his temporibus a Nostratibus scripta sunt. — Ceterum hæc Satira insigni documento est, quanta illis temporibus Romæ fuerit morum corruptela. Eam tamen Trajani temporibus confectam esse, judicio parum probabili ac certo colligitur ex v. 407—412, ubi v. Comm.

SATIRA SEXTA.

ROMANÆ MULIERES.

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris, visamque diu, quum frigida parvas
Præberet spelunca domos; ignemque, laremque,
Et pecus, et dominos communi clauderet umbra;
Silvestrem montana torum quum sterneret uxor
Frondibus et culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus, haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cujus
Turbavit nitidos exstinctus passer ocellos;
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et sæpe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe novo, cæloque recenti
Vivebant homines, qui rupto robore nati,

SATIRÆ SEXTÆ INTERPRETATIO.

1. Pudicitiam terras tantum incoluisse tunc arbitror, quum Saturnus rerum potiretur; et longo tempore inter mortales fuisse conspectam, quum in antris frigidis degebant homines, et focum, deos domesticos, greges simul atque ipsos heros exigua domus et tenebricosa continebat; quum agrestem lectum insternebat foliis, stramentis, ac cæsarum in vicinia ferarum tergoribus rusticana et montana conjux, longe tibi dissimilis, o Cynthia, tibique, o Lesbia, quæ mortuum passerem tam acerbe deflevisti, ut blandus ocellorum tuorum nitor lacrymis turbaretur; sed mammas ingentes lacte distentas gerens, quas infantium etiam grandiorum labris immulgeret; ac plerumque incultior horridiorque suo viro, multa glande usque ad ructum pasto. Sane aliis atque nunc moribus vivebant, orbe recens condito et cælo novo mortales, qui non procreati

Compositive luto nullos habuere parentes.
Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan,
Aut aliqua exstiterint, et sub Jove; sed Jove nondum
Barbato, nondum Græcis jurare paratis
Per caput alterius, quum furem nemo timeret
Caulibus aut pomis, et aperto viveret horto.
Paulatim deinde ad superos Astræa recessit
Hac comite, atque duæ pariter fugere sorores.

Antiquum et vetus est, alienum, Postume, lectum
Concutere, atque sacri genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas :
Viderunt primos argentea sæcula mœchos.
Conventum tamen, et pactum, et sponsalia nostra
Tempestate paras, jamque a tonsore magistro
Pecteris, et digito pignus fortasse dedisti.
Certe sanus eras! Uxorem, Postume, ducis?
Dic, qua Tisiphone, quibus exagitare colubris?

ex parentibus, sed e truncis durarum quercuum ruptis in lucem editi, aut e luto formati fuerunt. Neque tamen dubitem, quin regnante Jove plurima, aut nonnulla certe castimoniæ antiquæ vestigia deprehendi potuerint; sed tamen prius quam eidem Jovi succrevisset barba, prius quam Græci per alterius salutem juramentum conciperent, quum nemo latronem imminentem timeret suis caulibus aut fructibus, et horti paterent impune. Post hæc sensim Astræa in cælum se recepit, Pudicitia comitante, et ambæ illæ sorores simul mortalium cœtus reliquerunt.

21. Non est novum crimen, Postume, sed antiquis inventum temporibus, alienum thalamum attentare, præsidemque conjugalis tori deum aspernari. Prima adulteria mœchi seculo argenteo commiserunt; et paullo post ætas ferrea reliqua omnia scelera produxit. Attamen tu paras convenire parentes puellæ ad petendum matrimonium; tu pacisci de dote et conditionibus, et inire solemnia sponsalia hac nostra ætate pessima meditaris. Jamque caput forsan pectendum tonsori perito tradidisti; et annulum puellæ, quo pignore illi fidem tuam obligares, donavisti. Profecto sanæ mentis hactenus fueras; nunc autem, Postume, sapisne tandem, qui uxo-

Ferre potes dominam salvis tot restibus ullam?
Quum pateant altæ caligantesque fenestræ?
Quum tibi vicinum se præbeat Æmilius pons?
Aut si de multis nullus placet exitus, illud
Nonne putas melius, quod tecum pusio dormit?
Pusio, qui noctu non litigat, exigit a te
Nulla jacens illic munuscula, nec queritur, quod
Et lateri parcas, nec, quantum jussit, anheles.
Sed placet Ursidio lex Julia : tollere dulcem
Cogitat heredem cariturus turture magno,
Mullorumque jubis, et captatore macello.
Quid fieri non posse putes, si jungitur ulla
Ursidio? si mœchorum notissimus olim
Stulta maritali jam porrigit ora capistro,
Quem toties texit perituri cista Latini?

rem ducere cogites? Quæ te, obsecro, furiæ serpentibus suis, quæ intemperiæ vexant? Tune, quum tibi tot suppetant, quos faucibus innectas, laquei; quum te præcipitem e tot fenestris, aut e vicino ponte Æmilio dejicere possis, mavis sub impotentis dominæ jugo vitam infelicem trahere? aut si de pluribus vitam finiendi modis nullus placet, nonne hoc satius existimas, quod tecum in lecto dormire solet parvus puer, qui per noctem illic tuæ libidini subjectus, nullas unquam lites movet, nulla exigit a te munuscula, obsequii sui pretium; nec queritur, ut faciunt avidæ uxores, quod lateri tuo parcas, nec tam frequentes, quam jussit, anhelitus ducas? Sed enim Ursidius Postumus censet morem gerendum esse legi Juliæ ab Augusto in cælibes latæ; quamobrem filium et heredem suscipere destinat, quamvis intelligat sibi non donandos deinceps fore, si uxorem duxerit, magnos turtures, barbatos mullos, et cetera id genus munera, quæ in macello coemunt captatores alienarum hereditatum, orbisque aut viduis largiuntur. Sed quid est tam monstri simile, quod non putemus fieri posse, si uxorem Ursidius ducere velit; si ipse, propter adulteria sua notissimus, jam certis honesti matrimonii legibus et jugo se stultum obliget, quem toties cista obtectum, instar Latini mimi in scena simile quid exhibentis, a furore et gladio mariti periturum servavit adultera mulier? Immo

Quid? quod et antiquis uxor de moribus illi
Quæritur. O medici, mediam pertundite venam.
Delicias hominis! Tarpeium limen adora
Pronus, et auratam Junoni cæde juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.
Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ,
Quarum non timeat pater oscula. Necte coronam
Postibus, et densos per limina tende corymbos.
Unus Iberinæ vir sufficit? Ocius illud
Extorquebis, ut hæc oculo contenta sit uno.
Magna tamen fama est cujusdam rure paterno
Viventis. Vivat Gabiis, ut vixit in agro;
Vivat Fidenis! et agello cedo paterno.
Quis tamen affirmat, nil actum in montibus, aut in
Speluncis! adeo senuerunt Jupiter et Mars?
Porticibusne tibi monstratur femina voto

vero uxorem etiam veteris castimoniæ ac probitatis quærit. Ah! medici, venam illi, quæ in brachio media est, aperite, ut huic furori medicinam faciatis. Næ hominem delicatum ac lepidum! I, perge porro ad Capitolium; Jovi grates illic solve humi provolutus; vitulam aureis ornamentis insignem Junoni immola, si feminam castam probamque nanciscaris. Paucas omnino reperire est dignas quæ Cereris sacris ac mysteriis tractandis adhibeantur, et quarum oscula pater ipse non reformidet. O bone, januam tuam lemniscis ac floreis corollis adorna, et per fores ædium densa florum serta, et myrthi, hederæ, lauri ramos atque folia intende. — Sed, inquies, unus vir Iberinæ sufficit. — Unus! ab illa citius hoc extorquebis, ut uno oculo potius quam uno viro sit contenta. — Verumtamen magna est existimatio cujusdam virginis in domo parentum rustica viventis. — Vitam agat apud Gabios, apud Fidenas, qualem egit ruri; et tum concedo hanc in agro paterno castam et pudicam fuisse. Et tamen quis affirmare ausit, nihil furtim et flagitiose actum in montibus, vel antris? Itane decrepiti torpent Jupiter et Mars, ut jam non ad stupra de more suo ruerint, versipelles adulteri?

60. Numquid in variis Romæ porticibus tibi monstratur ulla mulier, quæ sit, qualem exoptas? an theatra nostra per totos gra-

Digna tuo? cuneis an habent spectacula totis,
Quod securus ames, quodque inde excerpere possis?
Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo,
Tuccia vesicæ non imperat; Appula gannit,
Sicut in amplexu, subitum et miserabile : longum
Attendit Thymele; Thymele tunc rustica discit.
Ast aliæ, quoties aulæa recondita cessant,
Et vacuo clausoque sonant fora sola theatro,
Atque a plebeiis longe Megalesia, tristes
Personam thyrsumque tenent, et subligar Accî.
Urbicus exodio risum movet Atellanæ
Gestibus Autonoes : hunc diligit Ælia pauper.
Solvitur his magno comœdi fibula : sunt, quæ

dus et cuneos continent ullam feminam, quam securus amare, et inde excerptam tecum jungere queas? Aspice Bathyllum, mollem egregiumque gesticulatorem, quum Cheironomon Ledam saltando, corporis et manuum eruditis motibus exprimit delicias Ledæ Jovi blandientis, tunc omnes spectatrices adeo Veneris impatientia pruriunt, ut Tuccia (Vestalis) non imperet libidini suæ interiorem uterum incendenti; ut Appula (matrona) sine pudore subitos et miserabiles gannitus emittat, tanquam vir eam complexus inierit; ut Thymele (rustica), quæ rudis et innocens theatrum ingressa, postquam fixis oculis et tota mente diu in contemplando Bathyllo hæserit, illius affectus, artem gestusque statim corrumpenda perdiscat. Verum aliæ mulieres, quoties clauso et vacuo theatro remota absunt vela quibus obtendi scena atque decorari solet, quoties forum duntaxat caussarum oratoribus perstrepit, ac quoties Megalesia sacra longe distant a plebeiis ludis, tunc spectaculo absenti vexatæ sumunt histrionis instrumenta, scilicet larvam qua vultum tegit, hastam pampinis involutam, quam manu gestat, et subligaculum quo pudenda velat pantomimus Accius. Quoties Urbicus exodio Atellanæ fabulæ cachinnos excitat, dum gesticulatione personam Autonoës exprimit, illum urbaniorem scurram Ælia diligit, nobilis quidem, sed pauper; adeo pari furore insaniunt inopes et opulentæ! His autem ditioribus magno pretio corrumpitur comœdus, qui tunc solvit fibulam, ut cum eis concumbat. Aliæ cantorem Chrysogonum ita coitu fatigaverunt, ut jam in scena cantare non valeat.

Chrysogonum cantare vetent. Hispulla tragœdo
Gaudet : an exspectas, ut Quintilianus ametur?
Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusque choraules.
Longa per angustos figamus pulpita vicos :
Ornentur postes, et grandi janua lauro,
Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.
Nupta Senatori comitata est Hippia Ludium
Ad Pharon, et Nilum, famosaque mœnia Lagi,
Prodigia et mores Urbis damnante Canopo.
Immemor illa domus, et conjugis, atque sororis,
Nil patriæ indulsit; plorantesque improba natos,
Utque magis stupeas, ludos Paridemque reliquit.
Sed quamquam in magnis opibus, plumaque paterna,
Et segmentatis dormisset parvula cunis,

Hispulla matrona tragœdi amore capitur. Sperasne virum gravem, castum doctumque, qualis fuit insignis rhetor Quintilianus, ab istis impudicis feminis amatum iri, potiusquam lascivos histriones? Tu nunc uxorem assumis, e qua liberos suscipiet factus pater, non vir aliquis eximius, sed Echion citharœdus, vel Glaphyrus tibicen, vel Ambrosius choraules. Ergo nuptias celebra, et per angustos vicos erigamus longa suggesta, in quibus tibi recitentur epithalamia : ornentur floribus postes, et grandi lauro januæ, ut illustris infantulus sub conopeo in formam testudinis expanso recubans, tibi viro nobili, et alteri Lentulo Euryalum gladiatorem vultu expressum referat.

82. Hippia, quum senatori collocata esset in matrimonium, tamen Ludium quemdam in Ægyptum usque sequuta est; et insulam Pharon, Nili littora, inclytasque arces lustravit Alexandriæ, ubi regnavit Lagus, ipso Canopo libidinem portenti simillimam, et romanos mores condemnante. Illa, domus et viri et sororis oblita, nihil pietatis et officii concessit patriæ; atque scelerata lugentes filios, et quod magis mirabere, Paridem pantomimum ac spectacula æquo animo reliquit. Quamvis autem in re ampla et paternæ domus deliciis educata fuisset, ac mollibus in cunis, quas tæniæ divites or-

Contempsit pelagus : famam contempserat olim,
Cujus apud molles minima est jactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus, lateque sonantem
Pertulit Ionium constanti pectore, quamvis
Mutandum toties esset mare. Justa pericli
Si ratio est, et honesta, timent, pavidoque gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis :
Fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent.
Si jubeat conjux, durum est conscendere navim;
Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aer.
Quæ mœchum sequitur, stomacho valet. Illa maritum
Convomit : hæc inter nautas et prandet, et errat
Per puppem, et duros gaudet tractare rudentes.
Qua tamen exarsit forma, qua capta juventa est
Hippia? quid vidit, propter quod Ludia dici
Sustinuit? nam Sergiolus jam radere guttur

nabant, ipsa infans jacuisset, navigationis tamen labores non extimuit : nec mirum, quippe antea famam neglexerat, cujus perexiguam rationem habent, jacturamque levem censent protervæ mulieres, quæ mollibus cathedris uti solent. Itaque Tyrrheni et Ionii maris late sonantis tempestates excepit impavida, licet aliud ex alio pelagus mutandum, alia ex aliis pericula perferenda essent. Si qua de caussa, justa et honesta, periculi quippiam est subeundum, tunc metu exanimantur; linquuntur animo; consistere in pedes, et ingredi non possunt : at si quid audendum improbe et facinorose, fortes et validæ sunt. Si vir imperet ut navim conscendant, imperium ferunt molestissime; tunc nauseam movet sentinæ odor, tunc vertigine corripiuntur, et aerem susque deque verti queruntur. Sin autem adulterum sequi oporteat, stomacho adversus nauseam firmo et valenti sunt. Illa quæ maritum jubentem comitatur, eum vomitu suo conspergit ac fœdat : hæc, mœchi comes, cum nautis ipsis prandet, expers nauseæ, alacris per navim vagatur, ac nauticos funes attrectare gestit. Sed, ut ad Hippiam redeamus, quid caussæ fuit cur Sergium ludium amaret? cur ejus uxor esse, ac ludia nominari sustineret? An capta est ejus forma, an juventute, an alia aliqua dote, quæ oculos illius perstrinxerit? Certe pulchellus iste Sergius

Cœperat, et secto requiem sperare lacerto.
Præterea multa in facie deformia, sicut
Attritus galea, mediisque in naribus ingens
Gibbus, et acre malum semper stillantis ocelli.
Sed gladiator erat : facit hoc illos Hyacinthos;
Hoc pueris patriæque, hoc prætulit illa sorori
Atque viro : ferrum est, quod amant. Hic Sergius idem
Accepta rude cœpisset Veiento videri.
Quid privata domus, quid fecerit Hippia, curas?
Respice rivales Divorum; Claudius audi
Quæ tulerit. Dormire virum quum senserat uxor,
Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Linquebat comite ancilla non amplius una,
Sed nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam atque suam : tunc nuda papillis

barbato et hispido non tantum mento, sed collo erat : deinde brachio uno mutilus, quæ res illi spem obtinendæ missionis et vacationis ab arte gladiatoria faciebat : tum complures in vultu nævi; tumor fœdus in medio naso, quem galea etiam attriverat; denique oculus acri et molesto humore semper lippiens. Verum erat gladiator : ars tam præclara pares Hyacinthis ipsis ludios facit : hoc illud fuit, quod Hippia patriæ, sorori, liberis, marito anteposuit: delectantur scilicet ferro generosæ mulieres; et eumdem Sergium, si donatus fuisset rude, si artem gladiatoriam deposuisset, non pluris, quam Veientonem suum virum, Hippia fecisset.

114. Miraris hoc scelus admissum fuisse a privata, et nullius fere nominis muliere? Ipsos Cæsares contemplare; intuere illos terrestres deos, et horum rivales; audi quid Claudio imperatori contigerit. Quum altiore somno virum teneri uxor sua sentiebat, tunc ausa vilem fornicis mattam imperatorio cubili præferre, sumebat nocturnum cucullum meretrix regina, quo involuta palatium clam linquebat, una tantum et non amplius ancilla comitante; atque flavo galericulo tegente nigros capillos ingressa est lupanar veteri tritoque operculo stratum et adhuc calidum, occupavitque cellam

Constitit auratis, titulum mentita Lyciscæ,
Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.
Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit,
Et resupina jacens multorum absorbuit ictus.
Mox, lenone suas jam dimittente puellas,
Tristis abît; et, quod potuit, tamen ultima cellam
Clausit, adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ,
Et lassata viris, necdum satiata recessit:
Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ
Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.
  Hippomanes, carmenque loquar, coctumque venenum,
Privignoque datum? faciunt graviora coactæ
Imperio sexus, minimumque libidine peccant.
  Optima sed quare Cesennia, teste marito?
Bis quingenta dedit; tanti vocat ille pudicam,
Nec Veneris pharetris macer est, aut lampade fervet:

ex pacto vacuam, atque sibi propriam. Tunc exteriorem Lyciscæ mentita inscriptionem, et papillas auro ornatas ostendens, intus nuda prostitit, exposuitque uterum, in quo tu conceptus, et ex quo natus es, o generose Britannice: blandis vocibus et vultu excepit intrantes; munuscula æris rogavit, et jacens resupina multorum repetitos ictus per totam noctem absorbuit. Mox quum leno jam suas meretrices dimitteret, mœsta discedit; verum, quod licuit, cellam conclusit postrema, adhuc ardens rigidæ vulvæ tentigine, et tandem abiit virorum assultibus fatigata, sed non satiata: tunc deturpato et marcente vultu fœda, lampadisque nocturna fuligine infecta fœtorem lupanaris ad sacra imperatorii lecti pulvinaria pertulit.

133. Referamne Hippomanes, et incantamenta, coctumque virus quod privignis propinatum dant mulieres? dum serviunt parentque suo sexui, tum graviora perpetrant scelera, minimumque peccant libidinibus.

136. Sed quare optimam esse uxorem suam Cesenniam testatur maritus? quia mille sestertia, dotem amplam illa viro attulit: hoc pretio pudicam appellat; inde illam diligit, neque amorem aut a facibus Veneris, aut a Cupidinis telis, quibus ardere et macrescere solent amatores, hausit; sed ab luculenta dote. Hoc pretio ipsius

Inde faces ardent; veniunt a dote sagittæ.
Libertas emitur : coram licet innuat atque
Rescribat, vidua est, locuples quæ nupsit avaro.
Cur desiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugæ subeant, et se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores;
« Collige sarcinulas, dicet libertus, et exi :
Jam gravis es nobis, et sæpe emungeris, exi
Ocius, et propera : sicco venit altera naso. »
Interea calet, et regnat, poscitque maritum
Pastores, et ovem Canusinam, ulmosque Falernas.
Quantulum in hoc? pueros omnes, ergastula tota,
Quodque domi non est, et habet vicinus, ematur.
Mense quidem brumæ, quo jam mercator Iason

uxor emit licentiam suo more vivendi. Itaque, præsente licet viro, amatoribus suis impune arridebit ac innuet, ab iisdem accipiet epistolas, ac vicissim ipsis rescribet. Uno verbo, mulier dives, quæ avarum nacta virum est, aurique cupidum, eadem fruitur libertate, ac si vidua esset, virumque plane non haberet.

142. Cur Bibulam deamat Sertorius? Si veritatem ipsam scrutaris, formam uxoris, non uxorem amat. Et vero fiat illa rugis tantum tribus deformis; flaccescat, et deficiente succo pellis arescens laxetur; nigrescant dentes antea eburnei; oculorum angustiores contrahantur orbes; continuo eam jubebit valere libertus a marito missus; et, « Res tuas tibi habe, collige, inquiet; ferre te præterea non possumus : ita tibi mucosus nasus est, ut sæpius pendentem stiriam abstergas; absis confestim, moras præcide : in promptu est altera naso sicco conspicua. » Interim autem donec forma Bibulæ et ætas floret, cupide omnia ardenterque gerit, regnum quoddam obtinet in Sertorii domo; a viro postulat, ut oves cum pastoribus, in Apulia, et vineas ulmis conjunctas, in agro Falerno, sibi coemat : parum est; quoscumque videt servos, integros mancipiorum greges, quidquid est quo caret domi, quodque vicinis suppetit, comparari jubet. Quin, hyemali mense, quum jam ob frigoris vim mercator Iason tecto clausus latet, quum casulæ nivibus albicantes paratos

Clausus, et armatis obstat casa candida nautis,
Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
Murrhina, deinde adamas notissimus, et Beronices
In digito factus pretiosior : hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori,
Observant ubi festa mero pede sabbata reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formosa, decens, dives, fecunda, vetustos
Porticibus disponat avos, intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabina
(Rara avis in terris, nigroque simillima cycno):
Quis feret uxorem, cui constant omnia? Malo,
Malo Venusinam, quam te, Cornelia, mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, et numeras in dote triumphos.

ad navigandum nautas retinent, illa tamen cogit maritum eo se conferre, ut vasa e crystallo ingentia mercetur, ac domum ferat; mox pocula murrhina, tum adamantem celeberrimum, cui pretium fecit Beronice, cujus digito iste adamas insertus fuit. Annulum hunc barbarus Agrippa dedit, dedit, inquam, incestæ sorori in ea regione, ubi festis diebus coguntur vel ipsi reges pedibus nudis ingredi ad celebranda sabbata, et veteri instituto ac benignitate gentis sinuntur porci ad summam usque senectutem vivere.

161. Quid igitur, o Juvenalis, nulla tibi e tanto numero mulierum videtur digna, quam ducam? — Tu vero, per me licet formosam aliquam reperias, divitem, fecundam, nobilem, quæ majorum imagines in atrio dispositas ostentet; pudicam, quæ ipsas etiam castimonia vincat Sabinas, quarum opera et crinibus passis bellum atrox compositum olim fuit : quas dotes in una collectas femina *tam rarum est, quam phœnicem, aut nigrum cycnum in terris invenire.* Hanc tamen, quæ istis omnibus prædita sit, ob eadem ista egregia nego tolerari posse : malim sane, malim rusticanam ex agro Venusino uxorem, quam Corneliam, Gracchorum matrem, si arrogantiam magnam cum magnis virtutibus quoque affert, ac triumphos avorum suorum in parte aliqua suæ dotis esse censet.

Tolle tuum, precor, Hannibalem, victumque Syphacem
In castris, et cum tota Carthagine migra.
Parce, precor, Pæan, et tu, Dea, pone sagittas;
Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem!
Amphion clamat : sed Pæan contrahit arcum.
Extulit ergo greges natorum, ipsumque parentem,
Dum sibi nobilior Latonæ gente videtur,
Atque eadem scrofa Niobe fecundior alba.
Quæ tanti gravitas, quæ forma, ut se tibi semper
Imputet? hujus enim rari summique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta superbo
Plus aloes, quam mellis habet. Quis deditus autem
Usque adeo est, ut non illam, quam laudibus effert,
Horreat, inque die septenis oderit horis?
Quædam parva quidem, sed non toleranda maritis.
Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla

Valeas cum tuo Hannibale ac Syphace castris exuto, et hinc abi cum domita et subacta Carthagine.

172. Amphion exclamat : Ignosce, quæso, Apollo; et tu, o Diana, sagittas abjice; nihil mei liberi peccaverunt : ipsam Nioben telis vestris perimite; sed Phœbus arcum contendit, ac torquere tela pergit. Sic complures filios, atque adeo illorum patrem perdidit Niobe, quæ alba porca fecundior, se Latonæ filiis anteponebat, ac nobilitatem suam venditabat. Estne ulla virtus, aut pulchritudo in muliere tanti æstimanda, ut velis idcirco pati ejus superbiam, dum insultabit tibi, idque jactabit velut ingens beneficium, et immerenti datum, quod esse tua voluerit? Esto enim, quamvis concedam pudicitiæ et formæ concordiam, rarum esse ac maximum in muliere bonum, hujus tamen boni fructus capi nullus potest, quoties femina, depravato per superbiam animo, plus multo acerbitatis, quam suavitatis habet. Ecquis vero ejusmodi uxori adeo est addictus, ut eamdem, quam probat laudatque simul, plus dimidia diei parte non aversetur atque oderit?

184. Sunt in mulierum vitiis alia nonnulla levioris quidem momenti, sed quæ maritis non leviter sunt molesta. Quid enim, exempli caussa, putidius, quam quod nulla se pulchram et ornatam putat,

Formosam, nisi quæ de Tusca Græcula facta est?
De Sulmonensi mera Cecropis? Omnia Græce,
*Quum sit turpe magis nostris nescire Latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra?
Concumbunt Græce. Dones tamen ista puellis :
Tunc etiam, quam sextus et octogesimus annus
Pulsat, adhuc Græce? Non est hic sermo pudicus
In vetula. Quoties lascivum intervenit illud
ΖΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ; Modo sub lodice relictis
Uteris in turba. Quod enim non excitet inguen
Vox blanda et nequam? digitos habet. Ut tamen omnes
Subsidant pennæ, dicas hæc mollius Hæmo
Quamquam et Carpophoro; facies tua computat annos.
Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur

nisi quæ, licet nata sit in media Italia, in ipsa Etruria, Græcorum tamen mores consectatur? quum Sulmone sit oriunda, vere Atheniensis censeri gaudet : omnia Græco sermone loquuntur, licet multo sit fœdius Latinam linguam ignorare. Græca lingua stupent; hac iracundiam, lætitiam, ægritudines, hac mentis arcana proferunt universa. Quid amplius? Græce concumbunt : permitte tamen ista puellulis, o vetula mulier, ut Græce loquantur; sed tu, quam octogesimus et sextus annus pulsat, urget, etiamnum Græce loqui affectas? tibi decrepitæ pudica non sunt hæc verba, quoties interveniunt lascivæ illæ voces; ΖΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ; *vita mea! anima mea!* relinquenda sunt hæc sub lecti opertorio, nec usurpanda in publico, quod tamen facis : nam vox illecebrosa et nequam quod inguen non excitaret? ea vox movet, tanquam digitos palpantes habeat. Attamen quamvis illa pronuncies Hæmo et Carpophoro mollius ac suavius, omnium pennæ subsident, id est, vires et nervi cadent, ubi faciem tuam viderint annos computantem, scilicet indicantem rugis et senio tibi octoginta sex annos incumbere.

200. Quod si non amaturus es uxorem tibi legitimo junctam matrimonio, nulla caussa est, cur eam ducas, sumptusque perdas in cœnam solemnem factos; vel in mustacea donanda convivis crudi-

Caussa; nec est, quare cœnam et mustacea perdas,
Labente officio, crudis donanda; nec illud,
Quod prima pro nocte datur, quum lance beata
Dacicus, et scripto radiat Germanicus auro.
Si tibi simplicitas uxoria, deditus uni
Est animus; submitte caput cervice parata
Ferre jugum : nullam invenies, quæ parcat amanti.
Ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis,
Et spoliis. Igitur longe minus utilis illi
Uxor, quisquis erit bonus optandusque maritus.
Nil umquam invita donabis conjuge : vendes
Hac obstante nihil : nihil, hæc si nolet, emetur.
Hæc dabit affectus : ille excludetur amicus
Jam senior, cujus barbam tua janua vidit.
Testandi quum sit lenonibus atque lanistis
Libertas, et juris idem contingat arenæ;
Non unus tibi rivalis dictabitur heres.

tate laborantibus, quum officio nuptiarum peracto discedere parant: non est, cur perdas hoc donum quod novæ nuptæ pro prima conjugii nocte offertur, quando in patina ingenti ac divite radiant plures aurei nummi, quos effigie sua signat Domitianus cum titulis Dacici et Germanici inscriptis. Quod si nihilominus eam amabis; si tibi est ea facilitas, ut illi obsequi velis in omnibus, teque totum illi dedere, omnino necesse erit ut collum jugo subdas, et ad indignam servitutem ferendam te accingas: nullam reperies quæ virum sibi addictum nolit regere, quæ illi superbe non imperitet. Quamvis ipsa virum amet impense, gestiet eumdem tamen cruciare ac spoliare. Quocirca eo plus ab uxore detrimenti quisque vir capit, quo se illi meliorem et amantiorem præbet. Nihil cuiquam largieris, nihil vendes, nihil emes ea invita et reluctante. Hæc suos tibi amores, odia, ceterasque animi perturbationes afflabit ac transmittet amicum aliquem jam annis provectum ejicies domo tua, etsi hanc ille a prima juventutis suæ barba frequentaverit et coluerit. Quam lenones, lanistæ, et gladiatores facultatem habent condendi testamenti, et suos sibi heredes legendi, hæc tibi eripietur; cogeris eos heredes in testamento tuo scribere, quos uxor tibi dictabit, quæ

Pone crucem servo. Meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? Audi,
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens, ita servus homo est? nil fecerit, esto :
Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.
Imperat ergo viro; sed mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos, et flamea conterit : inde
Advolat, et spreti repetit vestigia lecti.
Ornatas paullo ante fores, pendentia linquit
Vela domus, et adhuc virides in limine ramos.
Sic crescit numerus; sic fiunt octo mariti
Quinque per auctumnos : titulo res digna sepulcri.
Desperanda tibi salva concordia socru.
Illa docet spoliis nudi gaudere mariti;
Illa docet, missis a corruptore tabellis,

rivales tuos bene multos non omittet. Suffige, inquiet, servum hunc cruci. — At quid sceleris admisit, ut hoc supplicio mactetur? quis eum accusat? quis hominem testimonio suo condemnat? Ausculta, quæso, et rem perpende, conjux: neminem pœnitere debet moræ, quum agitur de homine interficiendo. At tu, reponet illa, non sapis, qui servum inter homines censeas numerandum : nihil vero ille peccaverit, agetur in crucem nihilominus, *quia sic volo, sic impero; legis et rationis locum obtinere voluntas mea debet.*

224. Sic viro conjux leges imponit, sic domi una regnat : nec diu tamen idem regnum servat; aliam, ubi imperet, domum quærit, ac velum nuptiale rescindit abjicitque : mox ab hac domo, eadem levitate discedens, ad torum, quem spreverat, revertitur, ac januam novissimi mariti velis pendentibus, florumque sertis et ramis viridantibus pro more ornatam subito deserit. Ita virorum augetur numerus, et intra annos quinque, maritis octo nubit, exemplo memorabili, et digno quod in ipsius aliquando tumuli inscriptione et elogio perscribatur.

231. Quod si matrem uxoris tuæ habeas domi, frustra pacem concordiamque speraveris. Illa filiam erudit, quo pacto virum emungere argento ac spoliare possit. Illa docet quæ blanda, erudita, cauta, callida rescribere possit amatoribus qui dulces tabellas mi-

Nil rude nec simplex rescribere : decipit illa
Custodes, aut ære domat; tunc corpore sano
Advocat Archigenen, onerosaque pallia jactat.
Abditus interea latet et secretus adulter,
Impatiensque moræ pavet, et præputia ducit.
Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos,
Atque alios mores, quam quos habet? utile porro
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.
Nulla fere caussa est, in qua non femina litem
Moverit : accusat Manilia, si rea non est.
Componunt ipsæ per se, formantque libellos,
Principium atque locos Celso dictare paratæ.
Endromidas Tyrias, et femineum ceroma
Quis nescit? vel quis non vidit vulnera pali?
Quem cavat assiduis sudibus, scutoque lacessit,
Atque omnes implet numeros, dignissima prorsus

serunt : vel custodes filiæ impositos decipit; vel argento expugnat. Tunc ægram hanc simulans, quamvis sana corpore valeat, celebrem medicum Archigenen advocat, et onerosa pallia rejicit. Interea delitescit abditus et secreto arcessitus adulter, qui morarum impatiens silet, æstuat, et ducendo præputium operi optato sese parat. Exspectas videlicet dum mater gnatam imbuat honestis moribus, et aliis quam suis? nescis aniculæ obscenæ rationes hoc postulare, ut iisdem facinoribus turpis mater filiam turpem assuefaciat.

242. En tibi vitium aliud mulierum : vix ulla est caussa ex iis quæ in foro agitantur, in qua litis et suscipiendæ et agendæ auctor aliqua femina non exstiterit. Si Manilia in jus vocata non est, alios vocat : ipsæ sua sponte componunt ac fabricantur illa scripta, quibus lites instruuntur, et caussæ perorantur; confiduntque se posse Celsum ipsum docere, unde sit petendum exordium, quibus e locis oratoriis ducendæ rationes et argumenta.

246. Jam vero, quis ignorat esse nunc in more positum, ut mulieres, athletarum ritu, induant endromidem, et ceromate perungantur? Quis non interfuit, quum se in campo Martio adversus palum, tanquam verum hostem, exercerent, eumque clava et scuto armatæ, repetitis ictibus peterent, vexarentque ex omnibus artis

Florali matrona tuba; nisi si quid in illo
Pectore plus agitat, veræque paratur arenæ.
Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
Quæ fugit a sexu? vires amat. Hæc tamen ipsa
Vir nollet fieri: nam quantula nostra voluptas?
Quale decus rerum, si conjugis auctio fiat?
Balteus, et manicæ, et cristæ, crurisque sinistri
Dimidium tegimen; vel, si diversa movebit
Prælia, tu felix, ocreas vendente puella.
Hæ sunt, quæ tenui sudant in cyclade, quarum
Delicias et panniculus bombycinus urit.
Adspice, quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto galeæ curvetur pondere, quanta.

gladiatoriæ regulis? Quis neget matronam istis præclaris assuetam exercitationibus, quum ad celebranda Floralia personantibus tubis vocabitur, ceteras mulieres facile superaturam? nisi forte, spretis mulierum ludis ac festis, majus aliquid animo meditatur, seque præparat veris certaminibus gladiatorum obeundis in arena. Quem pudori, quæso, locum relinquit mulier, quæ tam impudenter galeam et arma gladiatoria induere non veretur; quam innata sexui verecundia et modestia non deterret? Amat viriles, duras sectatur exercitationes; tamen ea ipsa nollet fieri vir : nam masculini sexus quam modica est voluptas, si femineis deliciis comparetur! porro quam illustre præbebit populo spectaculum conjux tua, si domesticam supellectilem, auctione constituta, velit vendere, quum proferentur in medium balteus, ferrea manuum tegmina, cristæ, et sinistri pedis integumentum! aut, si uxorem tuam juniorem alia gladiatorum prælia, id est, si tam retiarii quam mirmillonis partes delectant, habebis profecto cur tibi plaudas, quum ocreas ipsa suas vendet. Atqui illæ ipsæ, si leviori veste per æstatem induantur, sudare se et enecari clamitant : earum delicatam cutem premit cruciatque tunica levis e subtili bombyce confecta : eædem vero quum ad gladiatoriam artem a lanista exercentur, vide qua contentione vocis ac vultus dictatos a magistro ictus in adversarium dirigant? quam fortiter ac strenue ferant onus impositæ capiti galeæ, quamvis eo pondere incurvetur cervix ac subsidat? quam se firmas et grandes exhibeant, crura tibiasque extendendo, flectendo,

Poplitibus sedeat, quæm denso fascia libro;
Et ride, scaphium positis quum sumitur armis.
Dicite, vos, neptes Lepidi, cæcive Metelli,
Gurgitis aut Fabii, quæ ludia sumpserit unquam
Hos habitus? quando ad palum gemat uxor Asyli?
Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet : minimum dormitur in illo.
Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride pejor.
Quum simulat gemitus occulti conscia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,
Uberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua, atque exspectantibus illam,
Quo jubeat manare modo : tu credis amorem,
Tu tibi tunc curruca places, fletumque labellis
Exsorbes; quæ scripta, et quot lecture tabellas,
Si tibi zelotypæ retegantur scrinia mœchæ!

agitando? quam densis multisque corticibus et fasciis muniant sibi membræ, ne inflectantur ac fatiscant? Vos hic appello, Lepidorum neptes, aut ejus Metelli, cui cognomentum Cæco fuit, vel ejus Fabii, qui Gurges dictus est; an vidistis aliquam vestra tempestate ludiam, quæ isto cultu ac vestibus uteretur? An ipsa conjux Asyli, et ceteræ gladiatorum uxores ad palum sudantes et anhelantes exercentur?

268. Quid dicam de jurgiis et litibus mutuis, quibus uxor improba lectum conjugalem perturbat, per quas viro somnos placide carpere nunquam licet? Tunc maxime tamen illi est molesta, et sævior tigride suis spoliata catulis, quum ream se alicujus facinoris taciti sentiens, fingit se ingemiscere, quasi virum alienis implicatum sciret amoribus; simulatque se dolere quod ex eo pueros susceperit, ab eo pellicem amari dictitans; nec lacrymis parcit, quas velut in statione semper habet ad nutum expeditas, ut qua parte, quove pacta jusserit, fluant. Tu eas ab amore proficisci arbitraris, et similis currucæ, tibi gratularis, lacrymasque uxoris fictas tuis labris eam osculando combibis. Infelix! quas literas, quos libellos amatorios legeres, si tibi paterent arculæ in quibus uxor adultera, quæ se fingit zelotypam, suarum libidinum conscias recondere char-

Sed jacet in servi complexibus, aut equitis. Dic,
Dic aliquem, sodes, hic, Quintiliane, colorem :
Hæremus; dic ipsa. « Olim convenerat, inquit,
Ut faceres tu, quod velles; nec non ego possem
Indulgere mihi : clames licet, et mare cælo
Confundas, homo sum. » Nihil est audacius illis
Deprensis : iram atque animos a crimine sumunt.

Unde hæc monstra tamen, vel quo de fonte, requiris?
Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
Tecta labor, somnique breves, et vellere Tusco
Vexatæ duræque manus, ac proximus Urbi
Hannibal, et stantes Collina turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala : sævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo

tas solet! at si forte deprehensa fuerit jacens in complexibus vel servi, vel equitis, dic, quæso, Quintiliane, profer nunc, si potes, profer aliquam hujus delicti excusationem, tu magister eloquentiæ! — Hæremus, inquis, dubii. — Tu non hæres, uxor diserta; ipsa loquere : « Olim, ait, quum de nuptiis nostris ageretur, pactum fuit, ut ageres quod tibi placeret, atque ego mihi pariter concederem quod liberet; quantumvis clames, et cælo mare misceas, homo sum, ut tu; nobis paribus paria sunt jura. » — Nihil est audacius et ferocius mulieribus in scelere deprehensis : ex ipso ducunt animum et furorem proteriores.

286. Attamen roget quispiam quænam tot scelerum sit caussa, quo ex fonte libidines tam portentosæ fluxerint? Veterum Latinorum uxores tenuitas et inopia rei familiaris castas efficiebat; arcebat ab eorum casis vitia durus labor, et in multam productus noctem; vigiliæ, et manus induratæ vexatæque in staminibus Etruscarum lanarum deducendis, et instantis Annibalis terror, qui viros ipsarum cogebat ad portam Collinam in turribus Romæ excubias agere. Nunc exitio nobis est diuturna pax, cujus mala patimur. Luxuria, omni bello crudelior, occupavit Romanos; ac per eam orbis, nostris olim armis domitus, pœnas a nobis repetit. Ex quo priscam

Paupertas Romana perît : hinc fluxit ad istos
Et Sybaris colles, hinc et Rhodos, et Miletos,
Atque coronatum et petulans madidumque Tarentum.
Prima peregrinos obscœna Pecunia mores
Intulit, et turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles. Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis et capitis quæ sint discrimina, nescit;
Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet,
Quum perfusa mero spumant unguenta Falerno,
Quum bibitur concha, quum jam vertigine tectum
Ambulat, et geminis exsurgit mensa lucernis.
I nunc, et dubita, qua sorbeat aera sanna
Maura, Pudicitiæ veterem quum præterit aram,
Tullia quid dicat notæ collactea Mauræ.
Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic,
Effigiemque Deæ longis siphonibus implent,

majorum nostrorum paupertatem copia et luxus expulit, omnis vitiorum cohors ac libidinum invasit urbem. Iis enim opibus factum est, ut venirent Romam deliciæ, moresque corrupti Sybaritarum, Rhodiorum, Milesiorum et Tarentinorum, qui floribus coronati, unguentis madentes ebrietati et petulantiæ solent se tradere.

298. Pecunia igitur in caussa præsertim fuit, cur aliarum gentium obsceni mores et luxus Romam inveherentur, pristinamque frugalitatem et sanctimoniam depravarent. Quam enim pudoris et parcimoniæ rationem habeant mulieres epulis et vino accensæ? Quæ sit inguinis et capitis differentia, ignorant illæ, quum indulgent gulæ ad mediam usque noctem, comedunt ostrea delicata, immiscent unguenta exquisito Falerni vino; quum majoribus inter se poculis, e capaci concha factis, potant, ebrietate oculos et caput ita perturbante, ut ipsis moveri lacunaria, geminari lucernæ, mensæ assurgere videantur? Vade nunc, et dubita quo sonitu et rhoncho narium aerem spiritumque sorbeat Tullia; quid libidinosum dicat Mauræ nimium famosæ, quæ eodem lacte nutrita fuit, quum veterem et venerandam Pudicitiæ aram Maura prætergreditur. Hic per noctes deponi lecticas jubent; hic ad aram mingunt, et ipsam Deæ statuam longis urinæ quasi per syphones emissæ canalibus contaminant;

Inque vices equitant, ac luna teste moventur.
Inde domos abeunt : tu calcas luce reversa
Conjugis urinam, magnos visurus amicos.
Nota Bonæ secreta Deæ, quum tibia lumbos
Incitat, et cornu pariter vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant, ululantque Priapi
Mænades. O quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus! quæ vox saltante libidine! quantus
Ille meri veteris per crura madentia torrens!
Lenonum ancillas posita Laufella corona
Provocat, et tollit pendentis præmia coxæ.
Ipsa Medullinæ frictum crissantis adorat :
Palmam inter dominas virtus natalibus æquat.
Nil ibi per ludum simulabitur : omnia fient
Ad verum, quibus incendi jam frigidus ævo
Laomedontiades, et Nestoris hernia possit.

mox vicibus alternis aliæ super alias equitantes subiguntur ad lunæ radios, et agitantur invicem; deinde post tanta scelera defessæ domos repetunt. Tu, bone marite, quum reversa luce surgis mane magnos patronos salutaturus, et per plateam Pudicitiæ transis, urinam tuæ uxoris modo effusam calcas pedibus.

313. Cognita sunt omnibus arcana flagitia, in sacris Bonæ Deæ admissa, quum tibia suo sonitu lumbos commovet; quum Mænades Priapi pariter cornuum cantibus et vini fervore extra se abreptæ, crines rotant cum ululatibus. O quam ardentia tunc illarum animis æstuant concubitus desideria! quam obscenæ voces earum præ libidine saltantium! quam abundanti urinarum torrente per crura madentia vini veteris fluctus defluunt! Laufella matrona, proposito victoriæ præmio, in certamen salacitatis ancillas lenonum provocat, et victrix coronam tollit, utpote quæ diutius indefessa pendentes coxas tenuerit : sed tamen ipsa Medullinam victricem, et frictu aptiore crissantem adorat. In hoc tam fœdo certamine inter mulieres impudicas palma datur præstantiori, nulla prorsus habita natalium, id est, nobilitatis ratione. Nihil ibi per simulacra et ludum, sed omnia ad verum fient, ita ut hoc spectaculo etiam Priamus, Laomedontis filius, quamvis senio frigidus, etiam Nestoris tertiam

Tunc prurigo moræ impatiens, tunc femina simplex,
Et toto pariter repetitus clamor ab antro :
Jam fas est; admitte viros. Jam dormit adulter;
Illa jubet sumpto juvenem properare cucullo.
Si nihil est, servis incurritur : abstuleris spem
Servorum, veniet conductus aquarius. Hic si
Quæritur, et desunt homines; mora nulla per ipsam,
Quo minus imposito clunem submittat asello.
Atque utinam ritus veteres, et publica saltem
His intacta malis agerentur sacra : sed omnes
Noverunt Mauri atque Indi, quæ psaltria penem
Majorem, quam sunt duo Cæsaris Anticatones,
Illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,
Intulerit, ubi velari pictura jubetur,
Quæcumque alterius sexus imitata figuram est.
Et quis tunc hominum contemptor numinis? aut quis

ætatem viventis hernia inflammari ad libidinem queat. Tunc prurigo venerea ardet, moras dilationemque indignata; tunc feminæ sentiunt se tantum feminas esse, et viris absentibus cupidines suas umbratili opere excitari, non satiari; tunc omnes pariter et simul ab antro universo conclamant : *jam fas est;* o janitrix, jam propera; *viros admitte.* Numquid adulteri dormitant? eos excitari jubet mulier, et celeriter venire sumpto cucullo, ne cognoscantur : si nullus adest juvenis, in servos fit impetus : si spem servorum venientium abstuleris, intrabit aquarius pacto pretio conductus : hic ipse si non reperiatur, si defuerint homines etiam vilissimi, illa nihil moratur, quin statim imposito asello clunem submissum tradat. Proh nefas abominandum! atque utinam publica religionum sacra ritusque a veteribus instituti his sceleribus intacta celebrarentur! Sed omnes populi a nobis remotissimi, Mauri scilicet atque Indi, noverunt quis adulter sub psaltriæ habitu penem majorem quam duo anticatones Cæsaris in illas ædes intulerit, unde fugeret masculus mus testiculi sibi conscius, ubi velari jubentur picturæ quælibet expressas masculini sexus figuras imitatæ. Quis tunc, prisco nimirum sæculo, inveniretur homo, qui Deos contemnere, qui Numæ simpuvium, nigros catinos, et fragiles patellas de colle Vaticano fabri-

Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Ausus erat? Sed nunc ad quas non Clodius aras?
  Audio, quid veteres olim moneatis amici :
Pone seram; cohibe. Sed quis custodiet ipsos
Custodes? Cauta est, et ab illis incipit uxor.
Jamque eadem summis pariter minimisque libido;
Nec melior, silicem pedibus quæ conterit atrum,
Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
  Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem, et flavam, cui det mandata, puellam.
Hæc tamen argenti superest quodcunque paterni
Levibus athletis, ac vasa novissima donat.
Multis res angusta domi : sed nulla pudorem

catas, irridere tanquam fictiles, et non aureos, ausus fuisset? Nemo certe, vel capitis periculum incurrisset. Contra nostris temporibus nullæ sunt aræ, nulla sacrificia quæ non polluant Clodii similes adulteri.

346. Audio quod recte me admonetis, o candidi et veteres amici : nempe dicitis observanda esse domi omnia diligenter; compescendam prodigæ mulieris et libidinosæ intemperantiam adhibitis custodibus. Sed, quæso, quis custodes ipsos custodiet? Ingeniosa et vigil est conjux; hoc primum curat, ut illos ipsos custodes deliniat corrumpatque. Neque vero primarias tantùm matronas et locupletes iste luxus, prodigalitatis et ambitionis furor tenet; eodem et infimæ sortis mulieres laborant; neque modestior est ea, quæ pedibus nudis vias cœno nigroque silice stratas terit, quam quæ lectica sublimi gestatur a proceris et valentibus Syriæ servis.

352. Ogulnia, ignobilis illa muliercula, ut spectaculis intersit, ibique se ostentet, conducit vestem, comites, lecticulam, pulvinum, amicas, nutricem, et puellam elegantem, cui det mandata. Quumque par esset, ut quod ipsi restat e patrimonio, servaret alendæ familiæ, hoc ipsum tamen argentum, ac reliqua vasa, et domesticam supellectilem athletis imberbibus largitur. Quamvis plurimæ egestate vexentur, et exiguo sint admodum censu, nullæ

Paupertatis habet, nec se metitur ad illum,
Quem dedit hæc, posuitque modum. Tamen utile quid sit
Prospiciunt aliquando viri; frigusque famemque
Formica tandem quidam expavere magistra.
Prodiga non sentit pereuntem femina censum;
Ac, velut exhausta recidivus pullulet arca
Numus, et e pleno semper tollatur acervo,
Non unquam reputat, quanti sibi gaudia constent.
Sunt, quas eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, et desperatio barbæ,
Et quod abortivo non est opus. Illa voluptas
Summa tamen, quod jam calida matura juventa
Inguina traduntur medicis, jam pectine nigro.
Ergo spectatos, ac jussos crescere primum
Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.
Conspicuus longe, cunctisque notabilis intrat

tamen paupertatis pudore deterrentur, quominus prodigæ sint; nullaque eum, quem inopia suadet, modum ac frugalitatem servat. Sane viri suæ utilitatis rationem interdum habent, quantumlibet prodigi, et exemplo formicæ prospiciunt in futurum quo pacto famem et frigus arceant. At feminæ profundunt ac perdunt omnia, nullo futuri metu; neque secum unquam expendunt, quanto eas nugas, quibus delectantur, emant, quasi exhausta in arca nummi sua sponte renascentes repullularent, neque illorum acervus esset aliquando minuendus, quantumlibet inde tolleretur.

366. Sunt aliæ mulieres, quæ delectantur eunuchis ad imprægnandum impotentibus, et eorum mollibus osculis quæ non asperantur insperatæ barbæ pilis, quia non opus habent pharmaco conceptum partum abigente. Attamen ex illis summam voluptatem capiunt, eo quod medicis castrandi traduntur, quum fervente jam et adulta juventute, jamque nigrescente pube ad justum excreverunt inguina : ergo Heliodorus chirurgus tonsoris unius detrimento duntaxat avellit spectatos testiculos, postquam prius jussam magnitudinem ceperunt, et ad duarum librarum pondus pervenere. Ille, quem fieri spadonem curavit domina, quum balnea nudus ingredi-

Balnea, nec dubie custodem vitis et horti
Provocat, a domina factus spado. Dormiat ille
Cum domina : sed tu jam durum, Postume, jamque
Tondendum eunucho Bromium committere noli.
Si gaudet cantu, nullius fibula durat
Vocem vendentis prætoribus; organa semper
In manibus; densi radiant testudine tota
Sardonyches; crispo numerantur pectine chordæ,
Quo tener Hedymeles operas dedit : hunc tenet, hoc se
Solatur, gratoque indulget basia plectro.
Quædam de numero Lamiarum, ac nominis alti,
Cum farre et vino Janum Vestamque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, et fidibus promittere. Quid faceret plus
Ægrotante viro? medicis quid tristibus erga

tur, inter omnes conspicuus enormi mentula notatur, et confidenter custodem hortorum et vitis Deum in certamen provocat. Ille igitur cum providente domina concumbat; sed tu, Postume, cave hujusmodi eunucho concubinum tuum Bromium committas, licet jam durum, virilem, et barba tondenda instructum.

379. Si mulier cantu gaudet, nulli fibulam clausam durare permittet vendenti vocem prætoribus in ludis audiendam : semper in manibus tenebit instrumenta musica cantorum quos amat : per totam testudinem radiant densi sardonyches quibus ornantur illius digiti : chordæ per ordinem et numerum resonant cripso pulsatæ pectine, quo utebatur ante ipsam tener et junior Hedymeles : dum abest mollis ille citharœdus, hunc blandum pectinem arripit, tenet, complectitur labris amantibus, et ita solatium quærit, quando absentis domini copiam habere nequit.

385. Quædam de gente Lamiarum nobili, et splendido nomine clarior, Janum et Vestam, quum illis farre et vino sacrificaret, interrogabat, num Pollio cytharœdus sperare posset se coronam e quercu reportaturum in certaminibus musicis, institutis in honorem Jovis Capitolini; an hoc industriæ suæ et cytharæ præmium polliceri sibi posset. Quid aliud, amabo, faceret, si vir ipsius periculoso tentatus morbo jaceret? aut quo majori argumento,

Filiolum? Stetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput; dictataque verba
Pertulit, ut mos est, et aperta palluit agna.
Dic mihi nunc, quæso, dic, antiquissime Divum,
Respondes his, Jane pater? Magna otia cœli:
Non est, ut video, non est, quod agatur apud vos.
Hæc de comœdis te consulit; illa tragœdum
Commendare volet: varicosus fiet haruspex.
Sed cantet potius, quam totam pervolet urbem
Audax, et cœtus possit quam ferre virorum,
Cumque paludatis ducibus præsente marito
Ipsa loqui recta facie, strictisque mamillis.
Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe;
Quid Seres, quid Thraces agant; secreta novercæ
Et pueri; quis amet, quis diripiatur adulter.

quam ejusmodi sacrificio, sollicitudinem suam significaret, si filii parvuli vita et valetudo foret a desperantibus medicis deposita? Stetit ante altare, ut vota et preces pro cytharœdo conciperet; nec erubuit velato capite verba solemnia et usitata quibus ipsi præibat aruspex, recitare: diductis agnæ, quam immolabat, extis, metum palloremque præ se tulit, si quid in illis infaustum cytharœdo portendi videretur. Jane pater, Superûm vetustissime, dic mihi nunc, obsecro, an aurem ejusmodi votis præbeas? Si ita est, certe oportet vos in cælo valde otiosos esse, neque gravioribus negotiis detineri. Aliæ de comœdorum, aliæ de tragœdorum ludis et successu te consulunt, et vota tibi eorum in gratiam faciunt: ipse aruspex, dum operatur tam multis ac diuturnis sacris, pedibus insistens, periculum est, ne varicosus evadat.

397. Quanquam, esto sane, cantet, ludatque mulier, longe id satius ac tolerabilius est, quam si totam concurset civitatem insigni impudentia, et mediis se virorum cœtibus interponat; atque cum ducibus paludatis, marito præsente, ipsa familiariter loqui audeat, dum vultum audacem, et mammas e sinu exsertas euntibus ad militiam adulteris ostendit. Hæc eadem exploratum habet quid orbe terrarum toto geratur, quid agatur apud Seras, quid apud Thracas; quid novercæ cum privignis pueris secretum faciant: aliorum amo-

Dicet, quis viduam prægnantem fecerit, et quo
Mense; quibus verbis concumbat quæque, modis quot.
Instantem regi Armenio Parthoque cometen
Prima videt: famam rumoresque illa recentes
Excipit ad portas; quosdam facit. Isse Niphatem
In populos, magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio; nutare urbes, subsidere terras.
Quocumque in trivio, cuicumque est obvia, narrat.
Nec tamen id vitium magis intolerabile, quam quod
Vicinos humiles rapere, et concidere loris
Exorata solet. Nam si latratibus alti
Rumpuntur somni; Fustes huc ocius, inquit,
Afferte: atque illis dominum jubet ante feriri,
Deinde canem. Gravis occursu, teterrima vultu
Balnea nocte subit; conchas et castra moveri
Nocte jubet; magno gaudet sudare tumultu,

res, aliorum delusas callet libidines. Hæc eadem dicet, quis homo vidnam imprægnaverit, quo mense id factum fuerit, et quibus verbis, quot modis cum amatore suo quæque concumbat mulier. Prima deprehendit fulgentem in cælo cometen, et Armeniorum Parthorumque regi funestum aliquid portendentem: advolantem aliunde famam, et novellos rumores, occurrens ipsa pro portis urbis excipit. Narrat fluvium Niphaten prorupisse ultra ripas in regionem quamdam, quæ tota diluvio ingenti demersa fuerit; alibi urbes integras terræ motu labefactas, alibi montes depressos et æquatos solo; id passim in triviis, id omnibus quos habet obvios, denarrat.

413. Attamen hoc curiositatis vitium est ferendum leviter, si cum ejus immanitate comparetur, quæ tanta est, ut vicinos, humilis fortunæ homines ac loci, abripi jubeat, lorisque, licet veniam deprecantes, lacerari: nam si quis in vicinia canis, edito latratu, dormientem illam excitaverit, continuo, Expedite fustes, exclamat; iisque vapulare primo dominum canis, deinde canem, jubet. Illius occursus metum incutit; adspectus ipse immanitatem spirat. Petit balnea nocte, et vasa in hunc usum apta, ceteramque supellectilem, haud secus ac si moveret castra, illuc deportari magno cum tumultu per tenebras imperat: nec minore strepitu in thermis sudorem

Quum lassata gravi ceciderunt brachia massa,
Callidus et cristæ digitos impressit aliptes,
Ac summum dominæ femur exclamare coegit.
Convivæ miseri interea somnoque fameque
Urguentur: tandem illa venit rubicundula, totum
OEnophorum sitiens, plena quod tenditur urna
Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim.
Dum redit, et loto terram ferit intestino,
Marmoribus rivi properant, aut lata Falernum
Pelvis olet: nam sic, tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit et vomit. Ergo maritus
Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis.
Illa tamen gravior, quæ, quum discumbere cœpit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elissæ,
Committit vates et comparat; inde Maronem

provocat, plumbea massa in aerem, donec brachia defatigentur, sæpius jactata; et dum versutus unctor, qui mores illius callet, digitos titillantes cristæ molliter impressit, summumque femur dominæ coegit altera manu perfricante sonitum edere. Interim convivæ miseri illam domi exspectantes, fame ac somno cruciantur: ad extremum adest ore inflammato, et sitientibus faucibus, adeo ut vas vinarium totum videatur exhaurire velle, quod ante ipsius pedes mero plenum, et urnam totam continens, statuitur. Ex eo sextarios duos ebibit ante ipsam cœnam, mox evomit, postquam illis stomachum abluit: ita maximam cibi appetentiam ad epulas affert. Dum sic potat, quantum bibit anguis, dolium plenum nactus; dum rursus vomit, conspergit vini Falerni rivis stratum marmore pavimentum, aut eodem pelvim subjectam implet, non sine odore gravissimo, quem nauseans maritus, oculisque nictantibus, ægre fert, vixque sibi a vomitu iratus temperat.

434. Illa tamen molestior est mulier, quum in vino et mensa laudes Virgilii persequitur; quum excusat Didonem, quod sibi necem ipsa consciverit; quum poetas inter se componit, atque hinc in una quasi trutinæ lance Virgilium, in altera Homerum collocans, uter utri sit præferendus disputat, tanta verborum copia,

Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet; nec causidicus, nec præco loquatur,
Altera nec mulier: verborum tanta cadit vis!
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari. Jam nemo tubas, nemo æra fatiget:
Una laboranti poterit succurrere lunæ.
Imponit finem sapiens et rebus honestis.
Nam quæ docta nimis cupit et facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Cædere Silvano porcum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,
Dicendi genus; aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema; nec historias sciat omnes;
Sed quædam ex libris et non intelligat: odi
Hanc ego, quæ repetit volvitque Palæmonis artem,

tam garrula loquacitate, ut grammaticos omnes rhetoresque facile vincat: silent quicumque adsunt: neque vero, si vocem vellent mittere, audirentur, licet causidici mille, ac præcones verba facerent, aut alia quæpiam adesset mulier: tantam hæc una verborum copiam effundit! Credas complures concuti pelves, et æra sonantia percrepare; nec jam fuerit opus ad opem lunæ deficienti ferendam, ut edantur inconditi strepitus personantibus tubis, aut æreis cacabis crepitaculisque pulsatis; una, quantum satis erit, clamabit, ut labor lunæ sublevetur.

444. Alia mulier, sapientum ac philosophorum more, de virtute, de fine, quem spectare debeant honestæ actiones, disserit. Quid restat, nisi ut, dum eloquentis et doctæ famam ac nomen ambit, tunicam, oratorum more, paulum infra genua succinctam gerat; porcum, ut poetæ, Sylvano immolet; quadrante denique persoluto, ut egentes philosophi, lavetur in balneis? Si me audis, cavebis ne tibi juncta et accumbens uxor certo quodam loquendi genere ac stylo utatur; ne brevitatem ac robur sermonis, in quo crebra sunt enthymemata, usurpet; ne omnium historiarum seriem calleat: liceat illi aliquid in libris legendis nescire. Ferre illam ego non possum, quæ a Palæmone tradita oratoriæ artis præcepta recolit ac

Servata semper lege et ratione loquendi,
Ignotosque mihi tenet antiquaria versus,
Nec curanda viris opicæ castigat amicæ
Verba. Solœcismum liceat fecisse marito.
Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Quum virides gemmas collo circumdedit, et quum
Auribus extentis magnos commisit elenchos.
Intolerabilius nihil est, quam femina dives.
Interea fœda aspectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat, et hinc miseri viscantur labra mariti.
Ad mœchum veniet lota cute: quando videri
Vult formosa domi? mœchis foliata parantur.
His emitur, quidquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum, et tectoria prima reponit:
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,

perdiscere studet; quæ leges omnes ac regulas exacti sermonis observat inter loquendum; quæ nonnulla ignota mihi et obsoleta recinit carmina, antiquæ ac putidæ eruditionis studio: quæ amicæ barbare loquentis voces parum accuratas et emendatas corrigit, quas, ipsi viri si proferant, nemo valde reprehendat. Detur hæc marito venia, ut possit impune solœcismum facere.

457. Jam vero illæ mulieres, quæ contexta e smaragdis monilia collo circumdederunt, et grandes elenchos appenderunt protensis auribus, nihil nefas sibi ducunt esse, et omnia pudoris repagula brevi perfringunt. Nihil est audacius, nihil intolerabilius femina locuplete.

461. En ut vultum deformem ac ridiculum pane macerato incrustat, et Poppæanis unguentis pingue quiddam et olidum spirantibus oblinit, quorum tenaci visco mariti osculantis labia inquinantur. Quum domo prodibit ad mœchum aliquem, deterget illa unguenta, et faciem lavabit: quum vero domi versatur, num censes illam formæ valde studiosam esse? Unguenta e foliis nardi pretiosis confecta domi præparantur, et reservantur adulteris, quorum in gratiam emuntur quæcumque ab æstuosa India Romam deportari solent. Denique, ut agnoscatur, vultum retegit, crassioribus integu-

Propter quod secum comites educit asellas,
Exsul Hyperboreum si dimittatur ad axem.
Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
Accipit et madidæ, facies dicetur, an ulcus?
Est pretium curæ, penitus cognoscere, toto
Quid faciant agitentque die. Si nocte maritus
Aversus jacuit, periit libraria, ponunt
Cosmetæ tunicas, tarde venisse Liburnus
Dicitur, et pœnas alieni pendere somni
Cogitur : hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic scutica : sunt, quæ tortoribus annua præstent.
Verberat, atque obiter faciem linit; audit amicas,
Aut latum pictæ vestis considerat aurum,
Et cædit; longi relegit transversa diurni,

mentis, quibus operiebatur, amotis; cutem lacte asinino mulcet ac linit : quod ut in promptu semper habeat, armentum asinarum semper deducit secum, etsi ad polum usque septemtrionalem in exsilium amandetur. Ego vero libenter quæsierim, utrum illa facies, quæ tot pigmentis tam sæpe mutatis, tot medicatis odoribus et unguentis curatur ac integitur, cui adhibentur tot candidissimi panis offæ modo coctæ, modo lacte madefactæ, utrum, inquam, illa facies, an ulcus potius debeat appellari.

474. Non erit alienum ab instituto exponere quibus diem totam occupationibus traducant. Si maritus per noctem averso ab uxore vultu somnum cepit, eum sibi iratum putans mulier, in familiam sævit. Vapulat ancilla quæ res familiæ necessarias dispensat : servi, qui, operam ornandæ et comendæ navant, coguntur tunicas deponere, ut cædantur : lecticæ gestator Liburnus accusatur, quod domum serius redierit, ac pœnas dat somni parum commode a marito capti. Hujus in tergo rumpuntur crebris ictibus ferulæ; illius scapulæ flagris, alterius humeri scuticis laniantur : immo etiam reperiuntur nonnullæ mulieres, quæ tortores annua mercede conducant. Dum sic verberari famulos jubet, ipsa interim vultum fuco pingit, amicarum colloquis aures præbet, vestem auro intertextam contemplatur ac versat, aut ephemerides, et diurnas servorum ra-

Et cædit, donec lassis cædentibus EXI
Intonet horrendum, jam cognitione peracta.
Præfectura domus Sicula non mitior aula.
Nam si constituit, solitoque decentius optat
Ornari, et properat, jamque exspectatur in hortis,
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ;
Disponit crinem laceratis ipsa capillis
Nuda humero Psecas infelix, nudisque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli.
Quid Psecas admisit? quænam est hic culpa puellæ,
Si tibi displicuit nasus tuus? Altera lævum
Extendit, pectitque comas, et volvit in orbem.
Est in consilio matrona, admotaque lanis
Emerita quæ cessat acu : sententia prima
Hujus erit; post hanc ætate atque arte minores

tiones recognoscit : nec cædere tamen cessat, donec defatigatis cædendo lorariis, quasi peracta caussa, et absoluto judicio, immani voce intonat : Abi, furcifer, facesse !

486. Quis hanc domum, cui talis hera est præposita, Phalaridis, Siciliæ tyranni crudelissimi, regia mitiorem putet ? Si condixit in aliquem locum, si elegantius solito adornari cupit, ut eos propere conveniat, qui opperiuntur ipsam in publicis hortis, aut potius in Isidis lenæ templo; statim adest, ejusque comam digerit Psecas ancilla, infelix, laceratis ipsa crinibus, nudatisque humeris et mamillis ob vestem a domina discissam. Cur iste cirrus nimium assurgit ? inquit hera impotens. Nec mora ; taurinis nervis laceratur ancilla, et crimen facinusque peccantis comæ luit. Quid vero commeruit infelix puella, aut cujus est rea sceleris, si te naso invenustam esse doles? naso tuo potius irascare, ac tuo vultui, cujus deformitatem nulla satis comarum elegantia compensabit. Dum Psecadem imperat laniari, altera puella sinistram capitis et capillorum partem explicat, pectit, in varios annulos flectit; adhibetur in consilium ancilla quædam senior, quæ olim ad componendos acu crinali capillos adhibita, et vacationem hujus laboriosi muneris adepta, lanificium exercet. Hæc sententiam de capitis ornatu et

Censebunt, tanquam famæ discrimen agatur,
Aut animæ : tanta est quærendi cura decoris!
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput; Andromachen a fronte videbis;
Post minor est : credas aliam. Cedo, si breve parvi
Sortita est lateris spatium, breviorque videtur
Virgine Pygmæa, nullis adjuta cothurnis,
Et levis erecta consurgit ad oscula planta?
Nulla viri cura interea, nec mentio fiet
Damnorum : vivit tanquam vicina marito.
Hoc solo propior, quod amicos conjugis odit,
Et servos, gravis est rationibus. Ecce furentis
Bellonæ, matrisque deum chorus intrat, et ingens
Semivir, obscœno facies reverenda minori,
Mollia qui rupta secuit genitalia testa
Jam pridem, cui rauca cohors, cui tympana cedunt

comis prior dicet. Secundum illam aliæ ætate et experientia inferiores pronuntiabunt, perinde ac si veniret in dubium fama, aut vita; tantum formæ ornatusque studium est! En quam multis capillorum quasi substructionibus ornat oneratque caput; si a fronte illam inspicias, putabis Andromachen : si a tergo, brevionem esse miraberis; aliam dices. Quid vero si staturam fuerit minorem nacta, si Pygmææ puellæ par sit, ac nullis utatur ad staturam augendam cothurnis; si levis agilisque planta erecta ad mœchum osculandum tota cogatur consurgere, quam tibi ridicula videbitur!

508. Istæ porro corporis et capitis ordinandi curæ nullum domesticis curis relinquunt locum : virum, et detrimenta rei familiaris negligit : haud secus domi versatur, ac si mariti vicina esset, non conjux; eo duntaxat nomine illi propior, quod ejus amicos odio prosequitur et servos, quod ejus fortunas imminuit sumptibus intempestivis, et damnosa superstitione dilapidat. Ecce enim ingreditur illius domum turba sacerdotum Bellonæ et Cybeles, cui præest aliquis procerus semivir, Archigallus, cujus faciem venerantur reliqui dignitate inferiores sacrificuli; qui rupta testa, id est, cultello ex petra jampridem sibi molles testiculos abscidit; cui tota cohors raucas acutasque voces submittit; cui cedunt infimi ordinis

Plebeia, et Phrygia vestitur bucca tiara.
Grande sonat, metuique jubet Septembris et Austri
Adventum, nisi se centum lustraverit ovis,
Et xerampelinas veteres donaverit ipsi,
Ut, quidquid subiti et magni discriminis instat,
In tunicas eat, et totum semel expiet annum.
Hibernum fracta glacie descendet in amnem,
Ter matutino Tiberi mergetur, et ipsis
Vorticibus timidum caput abluet : inde Superbi
Totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis
Erepet genibus. Si candida jusserit Io,
Ibit ad Ægypti finem, calidaque petitas
A Meroe portabit aquas, ut spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.
Credit enim ipsius dominæ se voce moneri.
En animam et mentem, cum qua DI nocte loquantur!
Ergo hic præcipuum summumque meretur honorem,

Galli pulsantes tympana, cui summo pontifici sub mento phrygia tiara subligatur. Ille vultu et voce ad terrorem compositis, sinistrum aliquid eventurum mulieri denuntiat ineunte septembri, et australi vento flante, nisi se ovis centum expiaverit ad iram Superûm avertendam, atque illi ipsi antistiti vestes xerampelini coloris largiatur, ut quidquid ipsa improvisi magnique periculi toto anno pertimescendum habet, illud detonet ac recidat in vestes. Eadem media hieme conferet se ad Tyberim glacie constrictum, ac mane ter in illius alveum fractum et reclusum sese vorticibus immerget, superstitioso metu perculsa : inde campum Martium, quem olim Tarquinius Superbus possidebat, nudis genibus et cruentatis trepidans nudaque erependo totum emetietur. Si jubeat Io candida per hunc antistitem, in extremam usque Ægyptum proficiscetur, et aquas ab insula Meroë, quæ torridæ zonæ vicina est, sumptas Romam deportabit, quibus templum ejusdem Isidis, propinquum ovili antiquo, respergat; credit enim, quum admonetur a sacerdote, se moneri dominæ ipsius voce. Nimirum talis feminæ mentem et animam Superi familiari nocturnoque colloquio dignabuntur! Eam ob rem inter illos præstigiatores summo habetur in pretio,

Qui grege linigero circumdatus et grege calvo
Plangentis populi currit derisor Anubis.
Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu sacris observandisque diebus;
Magnaque debetur violato pœna cadurco.
Et movisse caput visa est argentea serpens:
Illius lacrymæ meditataque murmura præstant,
Ut veniam culpæ non abnuat, ansere magno
Scilicet et tenui popano corruptus, Osiris.
Quum dedit ille locum, cophino fœnoque relicto
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, et magna sacerdos
Arboris, ac summi fida internuntia cæli.
Implet et illa manum, sed parcius: ære minuto
Qualiacumque voles Judæi somnia vendunt.
Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi

qui, comitantibus aliis sacerdotibus, linea indutis veste, et raso vertice conspicuis, vagatur, ut olim Anubis Apim quærens, et lugentem populum tacitus deridens. Ille veniam petit pro uxore, quoties per dies festos et religiose observandos concubitu non abstinuit; postquam illi persuaserit magnam pœnam esse solvendam, quod tori conjugalis stragulum, id est, sanctam dierum festorum castitatem violaverit: jamque serpens argentea caput movisse visa est, et lacrymis assensisse sacerdotis, cujus tacitæ precationes animo conceptæ et cum susurro expressæ efficiunt, ut culpæ quamvis gravi non recuset ignoscere deus Osiris, cui scilicet conciliando magni anseres et tenues placentæ offeruntur.

542. Postquam ille Isidis summus antistes domo matronæ digressus est, tum Judæa mulier cophino et fœno relictis tremebunda succedit, atque clam in superstitiosas aures aliquid mendicat, illa legum Solymæarum interpres, magna sylvæ Aricinæ sacerdos, ac fidelis internuntia, quæ cæli omnipotentis jussa ad nos, et nostra ad cælum vota deferens, sic implet manum suam donis longe minoribus quam Isidis sacerdotes, nec aliud quidquam præter paucos ex ære nummulos aufert. Quæcumque optaveris somnia, hæc tibi tanquam vera vendunt Judæi. Aruspex aliquis ex Armenia vel Comma-

Testamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato, armenius vel commagenus haruspex;
Pectora pullorum rimatur, et exta catelli,
Interdum et pueri : faciet, quod deferat ipse.
Chaldæis sed major erit fiducia : quidquid
Dixerit astrologus, credent a fonte relatum
Hammonis; quoniam Delphis oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.
Præcipuus tamen est horum, qui sæpius exsul,
Cujus amicitia conducendaque tabella
Magnus civis obît, et formidatus Othoni.
Inde fides arti, sonuit si dextera ferro
Lævaque, si longo castrorum in carcere mansit.
Nemo mathematicus genium indemnatus habebit :
Sed qui pæne perit, cui vix in Cyclada mitti

gene, postquam pulmonem columbæ recens mactatæ contrectavit, pollicetur optanti matronæ tenerum et formosum amatorem, vel divitis cujuspiam sine liberis demortui luculentam hereditatem : scrutatur pullorum exta, et caniculi viscera, nonnunquam et infantis, quem non dubitabit eam ob rem occidere, ac scelus admittere, cujus alium insimulabit.

553. At Chaldæis longe maximam feminæ adhibent fidem. Quodcumque pronuntiatum ab astrologo fuerit, ex ipso Jovis Ammonis oraculo haustum credent. Jam enim oracula Delphica conticescunt, et ignoratione futurorum mortales ob sua scelera damnantur et plectuntur. Inter astrologos autem locum principem obtinet, qui sæpius exsilio multatus fuit, qui flagitiosis suis prædictionibus obrepsit in principis amicitiam, et pretiosa vaticinatione perfecit ut magnus civis, Galba, quem Otho metuebat, interficeretur. Tunc maximo astrologo, ejusque arti creditur, si conjectus fuerit in vincula, et manus utraque ferreis manicis revincta; si diu versatus sit in castrensi carcere. Nullus mathematicus felix in divinando et auspicatus habebitur, nisi fuerit ab aliquo judice condemnatus. Is demum numeris omnibus absolutus esse censebitur, qui vix capitis pœnam evolarit; cui pro magno fuerit beneficio concessum, ut in aliquam Cycladum insulam exsul amandaretur, aut e Seripho, in

Contigit, et parva tandem caruisse Seripho.
Consulit ictericæ lento de funere matris,
Ante tamen de te, Tanaquil tua : quando sororem
Efferat et patruos; an sit victurus adulter
Post ipsam? quid enim majus dare numina possunt?
Hæc tamen ignorat, quid sidus triste minetur
Saturni, quo læta Venus se proferat astro,
Qui mensis damnis, quæ dentur tempora lucro.
Illius occursus etiam vitare memento,
In cujus manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas; quæ nullum consulit, et jam
Consulitur : quæ, castra viro patriamve petente,
Non ibit pariter numeris revocata Thrasylli.
Ad primum lapidem vectari quum placet, hora
Sumitur ex libro : si prurit frictus ocelli

quam fuerat relegatus, aliquando redire sineretur. Uxor tua, futuri cognoscendi non minus cupida, quam prisca illa Tanaquil, astrologum interrogans de morte suæ matris morbo regio laborantis, ac diutius quam vellet vivacis, de tua tamen morte prius ex eodem percontatur, an brevi sit eventura; tum de sorore sciscitatur, ac patruis, quandonam rogo sint imponendi : num adulterum sit habitura superstitem; hæc enim summa votorum, hoc tanquam maximum beneficium a Superis postulat.

569. Tamen ista mulier astrologiæ est imperita, nec tenet quid infaustum portendat inauspicata Saturni stella, cui astro juncta Venus oriatur felix et bene ominata : quinam inter menses damnosi et tristes, quænam ad rem bene gerendam idonea sint tempora. Quanto illam igitur magis fugere, nec tantum illius colloquium, sed ipsum etiam occursum vitare debes, quæ artem hanc aliquo pacto callet? quæ semper habet in manibus diaria, et perscriptas siderum rationes computationesque, usu diuturno æque tritas ac politas atque succina; quæ nullum jam ipsa consulit mathematicum, sed quam alii, ut istius artis peritam, consulunt : quæ virum proficiscentem in castra, vel in patriam non sequetur, affirmans prohiberi se mathematicis Thrasylli computationibus : immo, etsi brevissimum sit iter suscipiendum, puta si usque ad mille ab urbe

Angulus, inspecta genesi collyria poscit.
Ægra licet jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.
Si mediocris erit, spatium lustrabit utrimque
Metarum, et sortes ducet; frontemque manumque
Præbebit vati crebrum poppysma roganti.
Divitibus responsa dabunt phryx augur et indus
Conductus, dabit astrorum mundique peritus,
Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.
Plebeium in circo positum est et in aggere fatum.
Quæ nullis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante phalas delphinorumque columnas,
An saga vendenti nubat caupone relicto.
Hæ tamen et partus subeunt discrimen, et omnes

passus gestari libeat, hora itineri apta constituitur ex aliqua ephemeride : si angulus oculi, fricando proritatus, prurigine tentatur, non admovet collyria nisi ante horoscopum suum in tabula astronomica rite descriptum consuluerit. Laborat morbo ? non sumet cibum, nisi certa hora quam Petosiris edixerit.

582. Sin erit mulier mediocris conditionis, circum adibit, et metas hinc inde pererrabit; ibique oblatas ab aliquo hariolo et circulatore sortes educet e cista : frontem inspiciendam ac manum dabit vati, dextram ejus pertractandam et examinandam non sine blanditiis et arte veteratoria postulanti. Locupletes feminæ consulent augurem aliquem phrygem, aut indum, magno pretio comparatum, et in sideribus pernoscendis exercitatum ; aut aliquem demum senem ex illis sacerdotibus qui adhibentur ad publica fulmina procuranda, et humo condenda. Plebs ab illis vatibus sua fata discit, qui versantur in Circo, et in aggere Tarquinii; et feminæ ignobiles, quæ nullos aureos torques e collo suspensos gestant, ante ligneas illas quæ sunt in Circo turres, et columnas marmoreas ibidem collocatas, delphinis in summo impositis ornatas, interrogant aliquem ex illis proletariis fatorum interpretibus, num potius nubant viro sagorum venditori, quam cauponi, quem relinquere cupiunt.

592. Tamen illæ partus labores ac pericula perferunt, et mo-

Nutricis tolerant fortuna urgente labores;
Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto.
Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit! Gaude, infelix, atque ipse bibendum
Porrige, quidquid erit: nam si distendere vellet
Et vexare uterum pueris salientibus, esses
Æthiopis fortasse pater; mox decolor heres
Impleret tabulas, nunquam tibi mane videndus.
Transeo suppositos, et gaudia votaque sæpe
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices, Salios, Scaurorum nomina falso
Corpore laturos. Stat Fortuna improba noctu,
Arridens nudis infantibus: hos fovet omnes,
Involvitque sinu: domibus tunc porrigit altis,

lestias nutriendorum infantium suscipiunt inopia coactæ: at nobilem feminam et divitem, quæ fœtus vivos in lucem edat, vix ullam jacentem in aureo lecto, ubi revera pepererit, invenies. Adeo præsentia sunt veneficarum pharmaca, quæ aut sterilitatem feminis conciliant, aut eorum liberos in alvo materna interficiendos pacta mercede suscipiunt! Tu vero, infelix marite, actum præclare tecum puta, et qualecumque sit poculum, quod abortum inferet, porrige uxori tuæ: si enim impleri alvum fœtu maturo pateretur, uterumque distensum pueris salientibus vexare vellet, pareret tibi fortasse Æthiopem: et deformis infans, quem mane obvium habere, tanquam omen sinistrum, nolles, tibi demonstrato patri scribendus heres in testamento foret.

602. Sileo partus supposititios; non dico quam sæpe mulieres pro legitimo filio, quem ipsarum viri natum sibi et optabant, et gaudebant, spurium fœtum e lacu Velabrensi immundo accipiant, spemque maritorum et vota turpiter deludant: ex hoc lacu sæpe assumuntur infantes nothi, qui, quum adoleverint, in pontificum Saliorum collegium adoptentur, et Scaurorum nomina falsis corporibus gerant. Adest per noctem Fortuna cæca, projectis infantibus blandiens, eos complectitur gremio, nobilium in domos introducit, adornatque secretos comœdiæ actores, unde sibi risum

Secretumque sibi mimum parat; hos amat, his se
Ingerit, utque suos ridens producit alumnos.
Hic magicos affert cantus, hic thessala vendit
Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti,
Et solea pulsare nates. Quod desipis, inde est;
Inde animi caligo, et magna oblivio rerum,
Quas modo gessisti. Tamen hoc tolerabile, si non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit. Quæ non faciet, quod principis uxor?
Ardebant cuncta, et fracta compage ruebant,
Non aliter, quam si fecisset Juno maritum
Insanum. Minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus; siquidem unius præcordia pressit
Ille senis, tremulumque caput descendere jussit
In cælum, et longam manantia labra salivam.

ipsa quærat : illis dona sua largitur affatim, et in orbis terræ theatrum, ut suos filios producit, jocari sic ac ludere gestiens.

610. Porro ex illis, quos feminæ consulunt, præstigiatoribus, alius incantationes magicas, alius etiam thessala, id est, amatoria vendit pocula, quibus possint viros de statu mentis ac sanitate dejicere, et eorum nates per indignissimam contumeliam sandalio verberare. Hæc est illa tuæ insaniæ caussa, infelix marite; hinc illæ tenebræ offusæ sunt tuæ menti, ita ut ea quæ modo fecisti, obliviscaris. Quanquam hoc ferendum, si non et furore corripiaris, ut Caligula, cujus in poculum Cæsonia uxor infudit totam illam, quæ in fronte pulli equini recens nati conspicitur, carunculam. Quæ mulier privatæ mediocrisque fortunæ facere dubitabit, quod facit Imperatoris uxor? Respublica quasi communi incendio deflagrabat, et solutis fractisque veluti compagibus, præceps in exitium ruebat orbis, imperante Caligula, non secus ac si Juno Jovem ad insaniam adegisset. Minus igitur Agrippina pestifero suo boleto peccavit, quam hac sua venefica potione Cæsonia. Boletus enim ille senem unum capite tremulo, et spumantibus longa saliva labris deformem exstinxit, et in cælum descendentem consecravit : at isto poculo teterrimo versus in furorem Caligula flammas

Hæc poscit ferrum atque ignes, hæc potio torquet :
Hæc lacerat mixtos Equitum cum sanguine Patres.
Tanti partus equæ! tanti una venefica constat?
  Oderunt natos de pellice; nemo repugnet,
Nemo vetet : jam jam privignum occidere fas est.
Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res,
Custodite animas, et nulli credite mensæ.
Livida materno fervent adipata veneno.
Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa,
Quæ peperit : timidus prægustet pocula pappas.
  Fingimus hæc, altum satira sumente cothurnum
Scilicet, et finem egressi legemque priorum
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,
Montibus ignotum Rutulis cœloque Latino.
Nos utinam vani! sed clamat Pontia: «Feci,
Confiteor, puerisque meis aconita paravi,

ac tela, quibus in homines sæviret, postulabat; senatum et equestrem ordinem tristissima carnificina laniabat. Tanto pretio emitur unum hippomanes, tanto una venefica!

626. Mulieres oderint filios, per me licet, quos ex aliqua pellice maritus ipsarum susceperit; hoc illis concedatur; nemo prohibeat: prope jam iisdem impune licet virorum filios ex alia legitima uxore susceptos interficere : at suis ipsarum filiis parcant. Ego vero vos esse monitos volo, pupilli, quibus opes solito majores obtigerunt, ut vitæ vestræ consulatis, neque oblatas in mensis promiscue dapes attingatis. Illa, quæ cernis livido colore suffusa fercula, pinguia in speciem et probe condita, venenum a vestris matribus immixtum et fervidum tegunt. Auctor igitur vobis sum, ut cibos, quoscumque mater vobis obtulerit, aliquis ante degustet, ac senex sapiens et amicus pateras non sine timore primoribus labris delibet.

634. Erunt fortasse qui putent monstra hæc scelerum a nobis fingi, nosque tragico more, instar Sophoclis alicujus, declamare, ac nulla ratione habita terminorum, intra quos satirici veteres consistebant, flagitia montibus Rutulis ignota, nec in Latio unquam visa, magno ore et cothurnato stylo describere. Utinam vero ista fingeremus! sed ecce Pontia palam et aperte se hæc fecisse

Quæ deprensa patent : facinus tamen ipsa peregi. »
Tune duos una sævissima vipera cœna?
Tune duos? Septem, si septem forte fuissent.
Credamus tragicis, quidquid de Colchide torva
Dicitur et Procne : nil contra conor; et illæ
Grandia monstra suis audebant temporibus; sed
Non propter nummos. Minor admiratio summis
Debetur monstris, quoties facit ira nocentem
Hunc sexum, et rabie jecur incendente feruntur
Præcipites; ut saxa jugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.
Illam ego non tulerim, quæ computat, et scelus ingens
Sana facit. Spectant subeuntem fata mariti
Alcestim; et, similis si permutatio detur,
Morte viri cupiant animam servare catellæ.
Occurrent multæ tibi Belides atque Eriphylæ

prædicat. « A me, inquit, venenum liberis meis propinatum; deprehensum est crimen; constat; neque ipsa illud dubito confiteri. » — Duos tu filios, crudelis vipera, una cœna sustulisti! Tu duos, inquam? — Immo septem, si septem ex me nati essent. Jam nihil est tam incredibile, a tragicis vatibus de feroci Medea, de Progne cantatum, cui fidem ego abrogem. Equidem non diffiteor ab ejusmodi feminis in theatrum sæpe productis, ævo suo edita fuisse monstrorum simillima scelera; nihilominus eo adductæ non sunt lucri et nummorum caussa : minus habent admirationis immania facinora, quoties ab ira percitis mulieribus admittuntur : furore incensa mulier præceps rapitur, saxi ritu, quod a montis cacumine sensim divulsum, et diu pendulum, denique abrumpitur et deorsum rapido impetu per lateris clivum proruit.

651. Illam longe nocentiorem puto, quæ rationes perficiendi sceleris subducit secum, et prudens sciensque scelere se obstringit. Alcestim, quæ mortem obire loco mariti non dubitavit, placide in theatro considerant; ac si qua se offerat occasio similis permutationis, mori virum suum, quam catellam aliquam, malint. Ubivis Belidas complures et Eryphilas reperies : cras, si lubet, percurre vicatim urbem prima luce; nullus erit vicus in quo aliqua Cly-

Mane; Clytæmnestram nullus non vicus habebit.
Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem
Insulsam et fatuam dextra lævaque tenebat.
At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ;
Sed tamen et ferro, si prægustabit Atrides
Pontica ter victi cautus medicamina regis.

tæmnestra non sit. Hoc unum est inter illam nostrasque discrimen, quod illa Tyndari filia bipennem in manus ad maritum enecandum sumpserit, furore cæco et insano abrepta; sed Romanæ uxores negotium conficiant unico rubetæ pulmone; paratæ nihilominus rem agere ferro, si earum conjux Atrides regem Ponti ter a nobis victum imitatus, antidotis efficacibus contra veneni vim improvisam sese prudenter instruxisset.

VARIÆ LECTIONES
ET NOTÆ
IN SATIRAM SEXTAM.

Notæ. 1. In aureo seculo, in quo Saturnus rex Latii fuit, *Pudicitia* cum reliquis virtutibus in terra et inter homines versata creditur.[1] — *Credo*, de re adhuc dubia. — *Rege*, regnante.

Not. 3 seq. De aurea ætate pauca quidem poeta, sed, ut solet, festive et ad consilium suum apte dicit. Animo autem oculisque ejus obversabatur præclarus locus Lucret. V, 905—1026, de vita, ingenio moribusque primorum hominum, e terra natorum. — *Frigida . . . . . domos;* nam prisco ævo sylvæ, *antra et specus erant pro domibus*, Plin. VII, 56. Cf. Lucret. V, 951 seq. Neque in habitationibus spectabatur magnificentia et elegantia, sed, quæ summa rei est, tutela contra aeris injurias præstanda. — *Frigida*, quoniam sub terra est; et hinc aptior ad vim solis arcendam ædibus nostris. — *Ignem*, focum. — *Larem* familiarem.

Variæ lectiones. 4. Abest a 14. — *Communis*, 22, et Lactantii schol. ad Statii Theb. I, 583, idque elegantius videbatur Wakef. ad Lucret. lib. V, 954, non nobis.

Not. 4. *Pecus*, ut apud Fest. voc. *caulæ:* « Antiquitus ante usum tectorum oves in antris claudebantur. » — *Communi umbra*, scil. speluncæ, vel sylvæ, speluncam continentis et obumbrantis.

Not. 5 sqq. Illis temporibus pudicitia servata est labore, aspero vitæ cultu, propria liberorum nutricatione et agresti parcoque victu. Cf. VI, 286 sqq. et XIV, 161 sqq. Cf. Valer. Fl. I, 137; Ovid. Art. Am. II, 475, et Amor. III, 10, 10, ubi v. Heins. — *Montana*, in montibus eorumque cavernis habitans. — *Sternere* voc. propr. de lecto, unde *stratum*. — *Culmo*, palea, stramine. — *Pellibus ferarum*, quibus et prisci homines, non tamen feri adhuc et per sylvas vagantes, qui frondibus foliisque tecti, vel nudi erant, sed jam mitiores facti, vestiebantur. Non, ut hodie, culcitis plu-

[1] De qua fabula satis nota vid. Heyne Exc. III et IV ad Virg. Æneid. VII; Exc. II ad Virg. Æneid. VIII, 314—329, et ad Tibull. I, 3, 35 seq. Conf. infra XIII, 38 seq. et de seculis, seu ætatibus mundi ad XIII, 28 seq. De *Pudicitia* cf. Prop. II, 23, 108, al. 32, 52, et Ovid. Ep. Her. IV, 131 seq. de *Saturno Creuzer's Symbolik* t. II, p. 7, 242 sq. 373 sq. 484; t. IV, p. 464 sq. — Huic satiræ conferendi sunt Luciani Amores, cap. 33 sq. et 38 sq. Ed.

meis, vel mollibus stragulis *torum*, lectum, sternebant. — *Vicinarum ferarum*, quæ eadem in sylvis et vicina habebant latibula. Ovium et caprarum : forte melius leonum et tigridum, ut ostendatur priorum hominum robur ; Ach.

Not. 7 sqq. Mulier illa montana non erat mollis et delicata, sed dura et horrida. Cf. Lucret. V, 923 sqq. *Cynthia* puella, a Propertio amata, cujus verum nomen Hostia erat, et quæ modo hunc, modo illum amabat. Vid. Barth. in edit. Propert. p. 78 sqq. et 368.

Var. 8. *Turbabat*, 28. *Turpavit* conj. Schurzfl. et Schrader. ; quod et nobis in mentem venit. Sed vulgata quoque lectio haud spernenda.

Not. 8. Designatur *Lesbia*, amica Catulli poetæ, quæ propr. Claudia vocabatur, et mortem *passeris* diu multumque deflebat. Conf. Catull. III, 18; al. Martial. VII, 13. — *Cujus exstinctus*, mortuus, *passer*, hoc est, cui mors passeris *ocellos turbavit*, contristavit, quod verbum a cælo, vel mari, ventis turbato, ad animum vultumque transfertur. Conf. Heins. et Heyne ad Virg. Æneid. VIII, 223. Græc. συμφοῦν ὄμματα comparavit Grang. — *Ocellos*, blande, et de pulchris oculis, ut apud Catull. loco citato,

. . . . Meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli,

et al. passim.

Not. 9. Conf. omnino egregia ac prolixa dissert. Favorini philosophi apud Gell. XII, 1, qua suadet nobili feminæ, ut liberos, quos pariat, non nutricum, sed suo lacte alat. Idem præcipiunt Macrob. V, 11; Plut. et al. — *Potanda*, non tantum sugenda, adeoque plena lactis. — *Infantibus magnis*, adultis ; non enim tam cito, ut nunc, arcebantur a mammis ; Grang. Alii coll. XV, 69, 70, et Lucret. V, 925, epitheton eo referunt, quod primis seculis grandiores nati sint infantes.

Not. 10. *Horridior* ingenio, et in victu atque amictu; non, ut nunc, mollior et delicatior. — *Glandes* aliique fructus arborum et herbarum primi erant cibi. Plin. VII, 56; XVI, pr. Virg. Georg. I, 8, 148. — *Ructante*, quia multas glandes et avide comedit. Delicatiores Romani ructabant aves, aprum, etc. [1]

Not. 11. Verba Lucret. V, 905.

Not. 12, 13. Facete ac per risum poeta memorat fabulas de origine hominum, et inde docet, cur primis illi temporibus caste ac pudice vixerint ; quod scil. durum adhuc horridumque fuerit ingenium eorum, non luxu corruptum, quodque (nati scil. e robore, seu terra et luto) nondum *habuerint parentes*, qui lascivum ipsis sanguinem infuderint, vel pravis eos exemplis et educatione enervaverint. — *Rupto robore nati*, ut

Gensque virum truncis et duro robore nata,

[1] Vide Varron. Re Rust. III, 2, 3; Martial. IX, 49, 8, et al. Heins. ad Ovid. Metam. XIV, 211.

apud Virg Æneid. VIII, 315, ubi vid. intpp. qui recte jam monuerunt, hoc commentum inde esse ortum, quod feri homines cavis arborum truncis loco ædium utuntur. — *Rupto* melius quam *duro* apud Virg. (ubi et *rupto* in tert. Rottend. forte ex nostro loco), ut roboris quasi partus simul exprimatur, ut apud Ovid. Metam. X, 15, 511:

Arbor agit rimas, et fissa cortice vivum
Reddit onus; ....

Grang. — Robore nati, ἐκ δρυὸς προελθόντες et γεγηθότες; vid. Jacobs in Anal. ad Lucil. Epigr. 83, et Palladæ Epigr. 13, nec non Cl. *Boissonade*, ad Nicet. tom. II, p. 77, 78.

Anal. 13. Alia de origine hominum, eaque notissima fabula memoratur, de qua vid. ad IV, 133. Hinc homo ὁ πηλὸς Προμηθέως vocatur in Callim. fragm. 87.

Var. 13. *Compositique*, 10, 17, 19—23, 25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77.

Not. 14 sqq. In argentea quoque ætate, qua Jupiter regnavit (vid. Ovid. Metam. I, 113 sqq. et Tibull. I, 3, 49 sqq.), sanete etiamnum ac pudice vixerunt homines, sed primis tantum ejus temporibus; unde poeta facete et salse dixit *Jove nondum barbato*, adhuc impubere, nondum adulto et toties adulterante. Conf. vers. 59, et ad XIII, 41 et 58.

Var. 15. *Exstiterant*, 25, 27, 45—50, 54—59, 71—74, 77.

Var. 16. *Necdum*, 26.

Not. 16—18. Quum homines adhuc juste viverent, ac sine fraude; neque perjuria et furta, hoc est, scelera, vel essent ac vigerent, vel timerentur.

Var. 18. *Aut pomis*, 25, 27, 46—50, 55—69, 71—74, 77. *Ac pomis*, 10, 12, 17, 21—24, 26, 45. — *Et aperto* legitur in omnibus MSS. et Editt. ante illam Henninii, qui ex emendat. Barth. Advers. 22, 7, reposuit:

Caulibus et pomis; sed aperto viveret horto.

Neutrum h. l. convenire videri possit: nam subjectum est *nemo*, quod cum *aperto viveret horto* neutiquam jungi potest. Hinc olim conjiciebam *et operto*, quo omnis difficultas tollitur. Sed vid. Comm.

Not. 18. *Nondum Græcis jurare paratis*, ut nunc. Hæc verba vulgo, nec male explicant de perfidia ac perjuriis, a quibus non abhorrebant mores et ingenia Græcorum, qualia describuntur III, 58—125 (conf. ad XIV, 240), et inpr. a Cicerone in Orat. pro Flacco. Non tamen veteres, sed seriores tantum Græci tam male audiisse videntur: nam olim *Græca* et *Attica fides* vel proverbii loco optima, *Punica* vero mala dici solebat [1]. Rubenius (Elect. II, 26, p. 74) verba illa ad adulationem referenda esse putabat, notarique Græculos ejus ævi, qui passim in magnis domibus et

[1] Vide Vellei. II, 23, et Gronov. ad Plaut. Asinar. I, 3, 47. Conf. Guys literar. Briefe, p. II, p. 27.

per salutem geniumque heri sui juraverint, eumdem scil. ei honorem, quem diis aut principi, habentes. Græcorum ars adulandi notatur sup. III, 86 sqq. Sed verba *parata jurare*, et *jurare per caput alterius* ad levitatem potius in jurando spectare videntur. Recte Seneca, de Consol. ad Helv. cap. 10: «Majores nostri, inquit, per fictiles deos religiose jurabant, et qui illos invocaverant, ad hostem morituri, ne fallerent, redibant.» Sed posteri eorum, more Græcorum hujus ævi, perjuria sæpe faciebant, et, ut pœnam eorum effugerent, non per deos jurabant, sed per homines eorumque *capita*, oculos, ossa, cinerem, per genium, fortunam vitamque hominum, inpr. Imperatorum, immo per res non modo vivas et caras, sed etiam inanimas et nullius fere pretii. Conf. XIII, 90 sqq. — *Quum furem nemo timeret*, tam ob inopiam, quam ob justitiam integritatemque animorum, *caulibus*, oleribus, *aut pomis*, cibo illorum hominum, *et* quisque *aperto viveret horto*, non clauso, neque apposito ejus custode, Priapo. Conf. Tibull. I, 3, 43, 44; Plin. XIX, 4, et loc. Calpurnii, ab Hein. laud. Ecl. I, 37, 45 seq. Subjectum quidem h. l. est *nemo*, quod alienum est a verbis *aperto viveret horto*. Sed ex *nemo, nolo, nego, ne* sæpe in proximo orationis membro assumi significationem, quæ affirmet, recte monuerunt Hein. et, quos hic laudavit, Manut. ad Cic. pro Quinct. 26; Gron. obss. IV, 2; Heusing. ad Corn. Nep Eum. 6, et Dat. 6; Cort. ad Sall. 6, Jug. 14, in exc. et ad c. 106; Burm. ad Quintil. X, 16, et Ruhnken. ad Rutil. Lup. 1, 13.

Var. 19, 20. *Astræa recessit, Hac comite atque duæ . . . . . sorores.* Interpungendum videbatur H. Valesio.

Not. 19 sqq. *Paulatim*, exeunte ætate argentea, et durante ærea. Nam quatuor ætates earumque mores adumbrantur. Deos inter homines in aureo seculo versatos esse, eorumque improbitate præter modum crescente terram reliquisse, vel tironibus nota fabula est. *Astræa*, Justitia, *recessit ad Superos paulatim* et postremo.[1] — *Recessit hac* Pudicitia *comite*, *atque* sic *duæ pariter fugere sorores*, Astræa et Pudicitia (male Schol. vet. Grang. et al. Fides et Pudicitia), ut apud Hesiod. Ἐργ. καὶ Ἡμ. 199, quem locum poeta in animo habuisse videtur, Ἀθανάτων μετὰ φῦλα ἴτην, προλιπόντ' ἀνθρώπους, Αἰδὼς καὶ Νέμεσις. Proprie hæc expressa infra XI, 54, 55. Astræa, Ἀστραίη, et Νέμεσις, nec non Δίκη, Παρθένος et Erigone a poetis confunduntur. Conf. Herrmann. Mythol. tom. III, pag. 134, 140 et al. Fides soror Justitiæ apud Horat. Od. I, 24, 6. — Hunc locum gallico carmine transtulit satiricus noster, *Boileau*, Sat. X, vers. 26:

«Que, dès le temps de Rhée,
«La chasteté déjà, la rougeur sur le front,
«Avoit chez les humains reçu plus d'un affront;

[1] Conf. Ovid. Metamorph. I, 105, et Fast. I, 249; Virgilii Georg. II, 473; Hygin. Astron. II, 25; Manil. Astronom. IV, 542; Senecæ Octav. 422; Herrmanni Mytholog. tom. II, pag. 136, 141.

« Qu'on vit avec le fer naître les injustices,
« L'impiété, l'orgueil, et tous les autres vices;
« Mais que la bonne foi dans l'amour conjugal
« N'alla point jusqu'au temps du troisième métal. »

Sequentia quoque Juvenalis verba in principio satiræ imitatus est, ad quam recurre. Ed.

Var. 21. *Postume*, 14, 21, 22, 23. *Posthume* in reliquis libris. Sed vide Cellar. Orthogr. lat. p. 318 ed. Harles. *O Postume*, 14.

Not. 21 sqq. *Antiquum* jam *est* adulterium; jam in argentea ætate, hoc est, priscis temporibus, adulteria viguere. Conf. Horat. Sat. I, 3, 107 sqq. — *Ursidius Postumus*, amicus Juvenalis, non aliunde notus. Conf. vers. 28, 38, 42.

Not. 22. *Concutere*, vexare, turbare, *lectum alienum*, jura conjugalia aliorum adulteriis; nisi malis, libidinando quatere lectum. Cf. Catull. VI, 10, 11. — *Genium sacri fulcri*, conjugalis tori, hoc est, religionem connubii, quam violare nefas est. — *Fulcrum* lecti pro ipso lecto.[1] — *Geniorum*, qui genitos tuentur, iisque adsunt perpetui custodes ac comites, præcipua quoque religio esse debuit in nuptiis: unde et *lectus genialis* X, 334, et al. dicitur nuptialis, quia genio erat et Junoni sacer, vel ominis caussa, a genendo, seu gignendo: vid. Festus; Lips. Elect. I, 17; Heyne ad Tibull. I, 7, 49 sqq.; intpp. Horat. Od. III, 17, 14, sqq. *Creuzer's Symbolik*, t. III, pag. 4 sqq. 36 sqq. 50, 432 sqq. Idem lectulus *sacer*, quia religiose servabatur, tanquam connubii monumentum et quasi pignus, et quia nefas est, temerare thalamos pudicos et fœdera lecti, ut utar verbis Ovid. Am. I, 8, 19, et Ep. Her. V, 101.

Var. 23, 24. Hi versus transponendi videbantur Schradero in emendatt. p. 139, 140, et nobis. Sed nunc ordinem, quo leguntur in omnibus libris, præter 13, cujus nulla est auctoritas, restituimus, suadente Ach. Conf. Comm. Nota vero Hein. est hæc: « Verissima Schraderi conjectura, si uterque versus Juvenalis est. Sed versus 24, *Viderunt*.... *mœchos* spurius; nil est enim nisi mera repetitio eorum, quæ jam supra dicta erant. » Equidem malim versus 21 et 22 ponere post v. 23, 24, et in fronte orationis ad Postumum conversæ.

Not. 23, 24. *Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas*: sed *viderunt*, etc. Conf. Ovid Metam. I, 127 sqq. et Var. Lect.

Not. 25 sqq. Etsi inde a Jovis temporibus, vel seculo argenteo tot jam commissa sunt adulteria, *tamen* nuptias paras, et quidem *nostra tempestate*, ætate pessima, qua virgines et matronæ, juvenes et mariti fere omnes impudice vivunt? Quæ hæc est insania? — Verba prisci juris huic rei propria: quum enim solus esset *conventus*, et de conditionibus ageretur, puella

[1] Ut XI, 95; Prop. IV, 7, 3, et Lotich. Eleg. III, 3, 22, ubi vid. Burm.

speratæ; quum *pactum*, quo sponsus stipulabatur, et pater se filiam ei daturum spondebat, *pactæ;* quum *sponsalia*, mutuus contractus, qui vel solo perficiebatur consensu, vel in tabulas, a signatoribus obsignandas, *sponsæ* dicebantur.

Not. 26. Jam nitidus esse cupis, et placere puellæ. — *Tonsores* non modo barbam, capillos unguesque tondebant (de quo triplici eorum negotio vid. Boettigeri Sabina, pag. 330 sqq.), sed crines quoque *pectebant*, et in gradus formabant, vel calamistro convertebant. Romani anno demum U. c. CCCCLIV tonderi comique cœperunt (Plin. VII, 59); antea barbati erant atque intonsi, cultumque corporis negligebant. Delicati autem et formosuli homines comam non modo alere, sed et colere, et comto *pexoque* capillo nitidi esse solebant. Confer. Tibull. I, 8, 9—16, et infra ad vers. 105. Voc. *magistro* adjective positum et exquisite, significans crimen summa arte comtum, vel a *docta manu artificis*, ut apud Tibull. loc. laud. — *Tonsore magistro*, forte tondendi peritissimo, nisi leg. *tonsore ministro;* H. Vales.

Not. 27. *Pignus*, annulum pronubum, qui sponsalibus rite factis obsignatisque tabulis sponsæ *pignoris*, vel arrhabonis sponsaliumque loco, aut in fidem mutui amoris, a sponso dabatur, vel mittebatur, et Plinii temporibus ferreus, sed postea aureus fuit.[1] — *Digito*, qui in manu sinistra minimo proximus erat; de quo vid. Gell. X, 10, et Macrob. VII, 13.

Var. 28. *O Postume*, 14, ut v. 21. — *Duces*, 12, 15—17, 19—22, 45, et X Codd. Paris.

Not. 28. *Certe sanus eras* adhuc; at nunc insanis, qui de uxore ducenda cogitas; nisi malis *certe sanus eras*, quum hoc consilium caperes? Sic et Menand. apud Athen. XIII, 1 (8), p. 559:

A. Οὐ γαμεῖς, ἐάν γε νοῦν ἔχῃς,
Τοῦτον καταλιπὼν τὸν βίον· γεγάμηκα γὰρ
Αὐτὸς, διὰ τοῦτό σοι παραινῶ μὴ γαμεῖν.
B. Διδυγμένον τὸ πρᾶγμ'· ἀνερρίφθω κύβος.
A. Πέραινε· σωθείης δὲ νῦν· ἀληθινὸν
Εἰς πέλαγος αὐτὸν ἐμβαλεῖς γὰρ πραγμάτων
Οὐ Λιβυκὸν, οὐδ' Αἰγαῖον [οὐδ' Αἰγύπτιον]
Οὗ τῶν τριάκοντ' οὐκ ἀπόλλυται τρία
Πλοιάρια· γήμας δ' οὐδὲ εἷς σέσωσθ' ὅλως.

Eubulus ibidem:

Καλῶς ἀπόλοιθ', ὅστις γυναῖκα δευτέραν
Ἔγημε· τὸν γὰρ πρῶτον οὐκ ἐρῶ κακῶς.

[1] Conf. Plinius, XXXIII, 1; Tertull. Apolog. Clem. Alexandr. Paedag. III, 11; Isidor. Orig. XIX, 32; Selden. Uxor. Hebr. II, 14; Scaligeri Poeticon III, 100; Long. et Kirchman. de Annulis.

Ὁ μὲν γὰρ ἦν ἄπειρος, οἶμαι, τοῦ κακοῦ·
Ὁ δ', οἷον ἦν γυνὴ κακὸν, πεπεισμένος.

Var. 29. *Exagitere*, 12, 17 a m. pr., 19 a m. sec. 23, 26, et quidam Codd. Paris. Sed sæpissime indicativum hoc modo usurpari, et hoc a Donato ad Terent. Eun. III, 3, 23,

Aut dicat, quid vult, aut molesta ne siet,

passimque a viris doctis demonstratum esse, monet Hein. — *Agitere*, 24. *Quibus exagitate colubris Ferre potes*, etc. conj. H. Vales.

Not. 29. *Tisiphone* pro quacumque Furia, et pro insania: nam homines a Furiis in furorem insaniamque impelli credebantur. — *Dic, quibus exagitare* (vid. Varr. Lectt.) *colubris*, quia Furiæ *ὀφιοπλόκαμοι*, de quo vid. Herrmann. Mythol. tom. II, p. 488. Interrogationes augent vim hujus loci, et *δεινότητα*.

Not. 30—32. Nonne insanis, qui perpetuam servitutem et longam quasi mortem eligis, quum tot tamque faciles ac breves ad mortem pateant viæ? vel qui tam miseram tolerare possis vitam, quum eam finiendi tot sint modi? Multone satius est, necem sibi consciscere, quam ducere uxorem? Similis orationis color apud Valer. Flac. VII, 331 seq. et Senec. Ep. 41: *Ego illam* (fortunam) *feram, quum in manu mea mors sit? — Dominam* dixit poeta, non ut Homerus *ἄλοχον δέσποιναν* (Germ. *Gebieterin*), vel quoniam Romanis primum nobiliores feminæ, inde ab anno ætatis XIV, ipsæque Imperatorum conjuges, mox vero et plebeiæ mulieres dictæ sunt *dominæ*, ut Angl. *miss* et *mistress*, Germ. *gnädiges Fräulein, gnädige Frau* (conf. VI, 376; IX, 78; Epict. Enchirid. c. 40, 62, et Boettigeri Sabina, pag. 31, 32, edit. pr.), sed ut significet uxorem, inpr. divitem, quæ marito imperet. Conf. ad vs. 43, 136, 157. Amicæ quoque vocabantur *dominæ*, et amor cum servitute, illinsque ærumnæ cum hujus malis comparantur.[1] — *Salvis tot restibus*, quum tot in promtu sint laquei, quibus fauces tibi elidere, vel te suspendere queas.

Not. 31. *Altæ fenestræ*, e quibus, et *pons*, a quo te præcipitem dare possis. — *Fenestræ caligantes*, quæ tam altæ sunt, ut quasi excæcent, et despici vix sine oculorum animique vertigine possit, ut fere *caligat in altis obtutus saxis* apud Sil. III, 492. — *Æmilius pons*, quod ibi lupanaria essent; vet. Schol. Conf. Tac. Ann. XIII, 47. Sed hoc loco pro quovis potius ponte ponitur, et epith. simpl. ornat. Est autem proprie pons, qui Tiberim jungit, et tum *Æmilius* a M. Æmilio Scauro censore, tum Milvius, seu rectius Mulvius dicitur. Conf. Aurel. Vict. de Vir. illust. c. 72, 8, et Cort. ad Sall. Cal. 45.

Not. 33 sqq. Sed *si exitus* vitæ *de multis*, quos dixi, hoc est, mortem tibi consciscere ullo modo, non *placet; nonne melius putas*, cum puero pa-

[1] Conf. Tibull. II, 4, 1 seq. et Lips. Exc. P. ad Tac. Ann. II, 87.

thico, ut soles, quam cum conjuge dormire? nonne satius est, cum scortis, etiam exoletis, rem habere, quam uxorem ducere? Illud cur melius sit, variis probatur rationibus. Hanc autem non veram poetæ mentem esse, sed salse potius et scoptice ita notari Postumum, *notissimum mœchorum* (vs. 42), quilibet vel me non monente intelliget. — *Pusio* puerulus, ut apud. Cic. Cœl. 15, ac Tusc. I, 24, et quidem hoc loco, catamitus, quem Postumus prædicat. — *Dormit*, non *dormiat*, de eo, qui re vera παιδεραστής fuit.

Var. 34. *Putes*; 45. — *Pugio* pro *pusio* conj. Valla, ut sit nomen proprium. Vetus scholion est: *Pusio a facto nomen*. Hinc aliud quiddam latere non male suspicabatur Rutgers. Var. Lectt. II, 17, et quidem *pygio*, verbum effictum a πυγή, nates, clunes, unde πυγαιος, salax, seu cinædus.

Not. 35. *Litigat*. Conf. infra vs. 268 seq.

Not. 36. *Illic*, in lecto. In ipso actu, non post opus; Grang. coll. Ovid. Art. Am. III, 805 seq.

Not. 37. *Quod lateri parcas*, hoc est, libidini non satis indulgeas: nam *latera* dicuntur vires, quarum defectus in *latere* potissimum percipitur; unde *latus deficit*, *rumpitur*, etc. de oratoribus, cantantibus, currentibus, potantibus, et amori obsequentibus, vel intemperanter Venerem exercentibus.[1] — *Anheles* in concubitu, ut in Epithal. Laurent. et Mar. vs. 76 (Wernsdorf. Poet. min. tom. IV, pag. 498):

Exercentque toris Veneris luctamen anhelum.

Conf et Tibull. I, 8, 37.

Var. 38. *Urcidio*, 48. *Ursiodo*, 16. *L. Fursedio Postumo* inscripta est hæc Sat. in 8, et tribus Codd. Paris. Sed metri leges *Fursedii* nomen non admittunt. Conf. Comm. ad vs. 21.

Not. 38—40. Facete et ὑφαντικῶς poeta (nam ejus verba hæc sunt, non Postumi) consilium uxoris ducendæ ab *Ursidio* Postumo propterea captum dicit, quod adulteria non amplius voluptati sint ipsi, vel suspicionem nefandæ libidinis effugere cupiat, et tam præmia, *lege Julia* iis, qui uxores duxissent liberosque, *heredes* bonorum suorum, procreassent, proposita affectet, quam pœnas eadem lege in adulteros constitutas (relegationem scil. in insulam et publicationem dimidiæ partis bonorum) metuat; quasi hæc lex illis adhuc temporibus magnam habuerit vim, quam *dormire* dixerat sup. II, 37. *Julia* autem *lex* hoc loco non modo videtur esse illa *de adulteriis* ab Augusto, anno DCCXXXVII lata, sed etiam *lex Julia et Papia Poppæa* de *maritandis ordinibus*, anno DCCLVII perlata, qua

[1] De his vid. Ovid. Art. Am. II, 413, 673, et Amor. II, 10, 25, 29; III, 11, 13 (*lassus amator, Invalidum referens emeritumque latus*); Auct. Priap. LXXXIII, 45; Catull. VI, 13 (*latera exfiututa*, viribus defecta et exhausta); Martial. XI, 105, 6. Conf. Ern. Clav. Cic. voc. *latus*.

Augustus illam legem severius emendavit, auxitque præmia, ut cives ad justa matrimonia contrahenda vel adigeret, vel alliceret; quaque etiam præter cetera cautum erat, ut cælibes neque hereditatem, neque legatum ex testamento nisi proximorum caperent.[1] — Cf. ad IX, 87 seq. — *Tollere*, creare, gignere. Infantes recens nati, ut vulgo putant, humi deponebantur, et, quos pater *tollebat*, agnoscebat pro suis liberis; quos vero non tollebat, exponebantur. Ritus tamen ille dubius est, et *tollere* forte idem quod educare, alere; unde et matres *sustulisse* dicuntur liberos apud Plaut. Truc. II, 4, 45; Terent. Heaut. III, 5 (alit. IV, 1), 14, 15, et al. De his vide Satir. IX, v. 84, ubi de Dea Levana dicemus. Ed. — *Dulcem* et *δεινῶς* et *εἰρωνικῶς*.

Not. 39. *Cogitat heredem*, etc. Cf. epigramma, ab Hein. laudatum, in Burm. Anthol. tom. I, pag. 685:

Cogitat Ursidius, sibi dote jugare puellam,
Ut placeat domino, cogitat Ursidius.
Cogitat Ursidius, heredem tollere parvum,
Ut placeat domino, cogitat Ursidius.
Cogitat Ursidius, domino quacumque placere
Virgine vel puero: quam sapit Ursidius!

Heredem, filium legitimum e conjuge. — *Cariturus turture*, etc. hoc est, donis, quæ ab heredipetis mittuntur iis, qui divites sunt, nec liberos habent. Conf. IV, 28 seq. V, 98, 137 seq. et al. — *Turtur* avis in deliciis erat Romanis[2]. Hanc itaque avem hoc loco designari crediderim, non piscem illum rapacem, qui vulgo *pastinaca*, Græcis *τρυγὼν*, Gallis *pastenaque*, seu *pâtenaque* et *tareronde*, nobis *Giftroche*, seu *Stachelroche* (nam species est raiæ, *Roche*), nec nisi Ambrosio in Hexaem. lib. IX, c. 48, *turtur* dicitur, et in cujus cauda aculeus est venenatus[3]. Ephiteton *magno* non pisci tantum convenit, sed et avi; apud Martial, loc. cit. *pinguis turtur*, qui *immodicis te clunibus implet*.

Not. 40. *Mullorum jubis*, hoc est, mullis jubatis, vel propr. *barbatis*, quorum corpora rubra squamis et cirris geminis auratisque tecta sunt. « *Mulli barba gemina insigniuntur inferiori labro*, » Pin. IX, 17, seu 30; unde *barbati* vocantur Cic. ad Att. II, 1, et Varr. Re R. III, 17. Non omnes quidem mulli sunt barbati, sed hi erant delicatiores. *Γενεᾶτιν δ' ἔφη τὴν τρίγλην Σώφρων* (mimographus Syracusius), *ἐπεὶ αἱ τὸ γένειον ἔχουσαι ἡδίονές εἰσι μᾶλλον τῶν ἄλλων*, Ath. VII, 21, p. 325 (VII, 126, ed. Schweigh.). Cf. ad IV, 15 seq. — *Captatore macello*, obsoniis quæ in macello emuntur vendunturque ut inf. XI, 64), et quibus *captantur* orbi eorumque hereditates.

[1] De utraque lege et præmiis pœnisque propositis vide præter alios Bach. Hist. Jurispr. Rom. lib. II, 1, sect. 2, § 2, 7 et 8, et Lips. Excur. ad Tacit. Ann. III, 25.

[2] Vid. Plaut. Most. I, 1, 41; Mart. III, 60, 7, 82, 21; XIII, 53.

[3] Vid. Harduin. ad Plin. IX, 42, seu 67; et cap. 42, seu 72; Schneid. ad Oppiani halieut. pag. 104.

Nor. 41 seq. Jam omnia vel præter naturam fieri posse crediderim, si Ursidius uxorem ducit, vel si *ulla* reperitur mulier, quæ tali mœcho nubere velit. Color orationis ductus e simili loco Virg. Eclog. VIII, 26 seq. — *Jungitur* matrimonio, ut apud Virg. Æneid. IV, 192 et al.

Var. 42. *Mœchorum turpissimus* edidit *Maittaire*, quod nescio unde habuerit.

Nor. 43. *Stulta*, stultus, demens, vel dementer. — *Capistrum maritale*, jugum et vincula perpetuæ servitutis, quam matrimonium ei injungit. Cf. Palladæ Epigr. XIII, in Brunck. Anal. tom. II, p. 409. Metaphora petita est a tauris, vel equis, qui *dant mollibus ora capistris*, Virg. Georg. III, 188. — *Ora stulta porrigat;* vide ad IX, 5.

Var. 44. *Periturum*, 16 et 83, prob. Schradero. *Perjuri* bene conj. H. Vales. et Heinrich. Vid. Comm. ad I, 36.

Nor. 44. Ursidius mœchus, *quem toties* adultera superveniente marito in *cista* abscondidit, ne ab eo deprehenderetur et *periret;* qualem adulterum *Latinus* mimus celeberrimus egit: vid. ad I, 36, et conf. Horat. sat. II, 7, 59 seq. — *Perituri* manu irati mariti, nisi tectus fuisset cista. Sic dicimus, *le sac de Scapin*. Ed.

Nor. 45 seq. Summa est stultitia Ursidii, qui *uxorem antiquis moribus*, hoc est, castam et pudicam, *quærit* temporibus nostris, quibus nemo talem reperire potest. — *Antiquis moribus uxores*, quales vixere priscis Romanorum temporibus.

Nor. 46. Facete, quo sensu infra XIV, 252, dicitur *ocius Archigenem quære*, et XIII, 97, *eget Anticyra et Archigene*, vel apud Horat. Sat. II, 3, 166: *naviget Anticyram*. In furore et delirio *vena media*, in fronte, *pertundi*, hoc est, feriri, seu secari solebat [1]. Physici tradunt, in brachiis tres esse venas descendentes ab hepate, *basilicam*, *cephalicam*, et, quæ in *medio* harum est (et cum iis ab hepate descendit), *mediam* (vulgo *medianam*), seu *nigram* et *communem;* Brit.

Nor. 47. *Delicias hominis*, en delicatum nimis hominem; vel ridiculum, qui speret, sibi uni daturam esse fortunam, quod haud ulli detulerit, hoc est, castam a se uxorem inventum iri, quam omnes alii frustra quæsierint. Conf. XIII, 140.

Nor. 47—49. Non sine singulari deorum providentia ac favore continget tibi tam felici esse, ut castam invenias uxorem, quod nescio an ulli contigerit; et quidem *tibi*, mœchorum notissimo, qui indignissimus es tali fortuna. Conf. X, 65 seq. — *Limen Tarpeium*, templi Jovis in monte Tarpeio, seu Capitolino, *adora pronus*, ut apud Ovid. Metam. I, 375:

> Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
> Pronus humi [2], gelidoque pavens dedit oscula saxo.

[1] Vid. Aetius, lib. VI, cap. 8, et Paul Æginet. lib. III, cap. de Phreneticis

[2] Προσκυνεῖ, תשתחוה.

Var. 48. *Bidentem* pro *juvencam* quidam, forte quia noverant, bidentem Junoni sacram esse. Sed *auratis cornibus hostias majores dumtaxat immolatas esse,* præter alios docet Plinius, XXXIII, 3.

Not. 48. *Junoni*, quæ scil. ζυγία erat, et γαμηλία, τελεία, προτελεία, *pronuba*, *juga*, *jugalis*, *jugatina;* unde et verba *Tarpeium limen adora* ad eam referri possunt: nam in Capitolino templo tres cellæ erant, Junonis, Minervæ, et, inter eas, Jovis. At huic deæ etiam ab iis, quibus quæcumque uxor contigerat, sacrificabatur, et primaria potius notio ac mens poetæ spectat ad summas, quæ pro tali fortuna diis dicendæ sint ac referendæ, gratias; e diis vero principes eorum, Jupiter ac Juno, memorantur. — *Juvencam auratam*, cornibus auratis [1]. Magnitudo beneficii divini et gratiæ, pro illo persolvendæ, adumbratur eo, quod tum victima, et quidem maxima, non tus, vel ovis, tum auratis cornibus, sacrificanda est diis. Junoni autem, cui vincla jugalia curæ, vaccæ immolari solebant. Confer. Virg. Æneid. IV, 59, seq. et Ovid. Amor. III, 13, 3 seq.

Not. 49. *Si tibi contigerit.* De mulierum pudicitia pariter jocatus est *Boileau,* Sat. X, vs. 43 seq.

« Sans doute, et dans Paris, si je sais bien compter,
« Il en est jusqu'à trois que je pourrais citer. » Ed.

Not. 50. Tam paucæ hodie sunt pudicæ. Vetus Schol. *quæ possint sacerdotes Cereris esse,* prob. Spanhem. ad Callim. H. in Cer. vs. 5; ubi copiose docet, has sacerdotes vittis olim in Thesmophoriis redimitas fuisse, et caste etiam vivere debuisse. Sed hoc loco notio potius pudicitiæ inde petita videtur, quod Cererem, deam castam, ejusque effigiem sacram, vittis in capite ornatam, *contingere*, hoc est, manibus impuris contrectare nefas sit; et poetæ ante oculos fuit locus Virg. Æneid. II, 167:

Corripuere sacram effigiem [2], manibusque cruentis [3]
Virgineas ausi divæ contingere vittas.

Ceres autem casta erat dea, unde et Thesmophoria aliaque ejus sacra non nisi a castis matronis virginibusque agebantur. Confer. omnino XV, 140, 141 (ubi vide not.), et Spanh. ad Callim. Hymn. in Cer. vs. 1 et 5.

Not. 51. *Quarum oscula non timeat pater,* quas filias osculari non horreat pater ob pestiferum halitum et corpus tabidum libidinibusque enervatum. Grangæus oscula innui putabat non magis casta, quam quæ patri dederit Myrrha, de qua vid. Ovid. Metam. X, 344, 362 seq. Nota C. Valesii est: « Gellius, X, 23 (ubi vid. intpp.), ex Catone refert (quod etiam tradunt Plin. XIV, 13, et Plut. Quæst. Rom. VI), « mulieres olim Romæ atque in La-

[1] Vid. Clark. ad Homeri Odyss. III, 384, 426, 437; Broukhusius, ad Tibullum IV, 1, 15; intpp. Valerii Flacci I, 89; III, 431; Plinius, XXXIII, 3; Socrates apud Plat. Alcib. II, pag. 176, ed. Nürnbergeri: Οἱ μὲν ἄλλοι ἕλληνες χρυσόκερως βοῦς παραστησάμενοι, etc.

[2] Minervæ, ut h. l. Cereris.

[3] Hoc loco, impudicis.

tio abstemias fuisse, institutumque, ut cognatis osculum ferrent reprehendendi (al. deprehendendi) caussa, ut odor indicium faceret, si bibissent: » malo tamen vel de famosis intelligere, quas cognati non osculabantur (Cic. frag. 4 de Republic.), vel de spurcis et impuris fellatricibus. » Ad fellationem hæc verba referunt etiam Burm. ad Petron. 9, et Heins. Conf. ad vs. 301, 306; X, 238; Martial. II, 28, 4; XI, 62, 1 seq.

Not. 51 seq. *Necte coronam postibus*, etc., hoc est, jam igitur duc uxorem, quum talis sit ævi nostri conditio. Per ludibrium hæc dicta. In nuptiis vero aliisque solemnibus, et in lætitia tam publica quam privata fores templorum ædiumque ornari solebant *coronis*, seu sertis, corollis, floribus frondibusque *corymborum*, hoc est, hederæ, lauri, oleæ, myrti, rosarum[1]. — *Necte*, adnecte, applica *postibus*, vel *necte coronam* in ornatum *postium*.

Var. 52. *Necte* pro *tende*, 15, 16, 17, 25, 26, 45—48, 55—61, 63, 64, 65, et quidam Codd. Paris. Sed ita idem verbum repeteretur.

Var. 53. Post *sufficit* Grangæus et alii vel punctum, vel signum exclam. non interrogat. ponunt, ut sint verba Postumi *unus Iberinæ vir sufficit*, hoc est, mea uxor casta est, vel erit, et erras, qui nullam putas inveniri pudicam.

Not. 53 seq. Num *Iberina*, quam ducturus es uxorem (vel verum, vel fictum sponsæ nomen) uno viro contenta, hoc est, casta erit, ut putas ac speras? Immo vero *ocius illud extorquebis*, facilius illam in hanc impelles mentem, seu eam perpelles, ut *uno oculo*, quam ut uno viro *contenta sit*.

Not. 54. Conf. Horat. Sat. II, 5, 35; Sil. IV, 758, 759.

Var. 55. *Cujusquam*, 73. Legendum videtur *cujusque in rure pat. Viventis*.

Not. 55 sqq. At dicat forsan aliquis, virginem vel matronam ruri viventem (qualis forte sponsa fuit Postumi) castitatem servare, et in agris, ubi mores minus, quam in oppidis, corrupti sint, mulieres etiam nunc pudicitiæ *fama*, existimatione ac laude, conspicuas reperiri. Audio: sed quæ *in agro* caste *vixit*, ita etiam *Gabiis* et *Fidenis*, hoc est, in oppidis, *vivat!* (nisi malis: at eadem mulier, quæ in agro caste vixit, jam vivat in oppidis, quamquam parvis ac desertis, vel adeo Romæ; quomodo tum vivet?) *Et in agello* quidem *paterno* eam caste vixisse *credo*, concedo. *Quis tamen affirmet*, contendet, *in montibus aut speluncis*, agro paterno vicinis, et, si non palam, certe clam, *nihil* impudici cum et ab ea *actum*, vel labem pudicitiæ ejus adspersam, stuprum ei illatum esse? Manso monet, nihil horum poetæ in mentem venisse, sed eum, de omnium mulierum virtute et illæsa pudicitia dubitantem, amico, rus rurisque mores laudanti, respondere: «Lubenter fateor, in agris minus peccari, quum peccandi

[1] Conf. infra vs. 79, 227, 228; IX, 85; X, 65, XII, 84, 91; Gierig. ad Ovid. Metam. IV, 759; Dempster. ad Coripp. p. 150; Wernsdorf. ad Rutil. Itin. I, 424; in Poet. lat. min. tom. V, pag. 152, et Koenig. ad Claud. X, 208.

locus et occasio ibi desint; nec is sum, qui negem, si sedem fortunarum tuarum in vicis desertis, quales sunt Gabii et Fidenæ, non Romæ collocares, pudicitiam uxoris eamdem ob caussam magis salvam et incolumem tibi fore. At quis præstet, nihil jam antea in montibus commissum fuisse? Adeo prona est in libidinem omnis mulier et tantus undique numerus corruptorum, ut nemo sanus pro certo affirmare possit, integram et intactam esse, quam matrimonio sibi jungat.» Hanc vero interpretationem multum a mea differre, eive præferendam esse, non satis mihi liquet. Confer. Var. Lect. — *Gabii* opp. Latii, et *Fidenæ* Sabinorum. Utraque urbs Romæ propinqua, et olim magna fuit ac frequens; vid. Dionys. Hal. II, pag. 1.6; sed postea ignobilis et deserta. Conf. infra X, 100, et Horat. Epist. I, 11, 7, 8.

Var. 56. Suspicabar olim legendum esse: *Vivet Gabiis* (hoc est, vivetne in oppidis, quamquam parvis ac desertis, nedum Romæ), *ut vixit in agro? Vivet* ita *Fidenis? Et agello*, etc. Mutata tamen distinctione (nam vulgaris est hæc:

Magna tamen fama est cujusdam rure paterno
Viventis. Vivat Gabiis, ut vixit in agro;
Vivat Fidenis, et agello cedo paterno.
Quis, etc.)

expeditiorem feci sententiam h. l. de qua interpretes parum fuere solliciti.

Var. 57. *Cede*, 20, 61, 77.

....Vivat Gabiis, ut vixit in agro;
Vivat Fidenis, ut agello cedo paterno

legendum censet Manso, ut sibi constent oratio orationisque membra, et neminem id vidisse miratur. Mihi potius verba sic languere videntur.

Not. 59. *Jupiter et Mars*, qui in montibus, speluncis silvisque tot virgines corrupisse dicuntur, *adeo senuerunt*, adeone viribus præ senectute exhausti sunt, ut non amplius amori indulgere possint? hoc est, putasne, ruri et in locis agrestibus non amplius, ut olim et jam antiquissimis temporibus (conf. Tibull. II, 1, 67, seq.), stupra et adulteria committi, omnesque ibi mœchos senes esse, quorum pectora non amplius amoris ignibus incalescant? Facete enim poeta, quæ ad mœchos spectant, Jovi Martique tribuit; et hominum, non deorum, amores poetarum fabulis declarari innuit. Similiter Seneca apud Lactant. I, 16: «Quid ergo est, quare apud poetas salacissimus Jupiter desierit liberos tollere? utrum sexagenarius factus est, et illi lex Papia fibulam (vid. ad vs. 73) imposuit?»

Not. 60 seq. Poeta jam describit libidines mulierum Rom. ac primum loca, quæ frequentent, et ubi casta reperiatur nulla. De his, sc. porticibus, theatris, circis, foris, conf. simil. loc. Ovid. Art. Am. I, 49 seq. 67—264. *Porticus* ambulationes columnis suspensæ exedrisque instructæ circa et ante templa ædificiaque tam publica quam privata, vel in atrio et impluvio, quæ solis ardorem pluviamque arcebant.

Not. 61. *Spectacula*, theatra et amphitheatra. — *Cunei* ordines ac se-

dilia theatri, de quibus vid. Lips. de Amphit. c. 13. — *Excerpere*, eligere, capere.

Not. 63—66. Feminæ etiam castissimæ, Vestales et rusticæ, impudicitiam, libidines lasciviamque discunt in ludis scenicis, in primis ab Atellanarum histrionibus et pantomimis, eoque citius et facilius, quo majore hi arte res obscœnas in scena saltando gesticulandoque exprimunt, et quo facilius discuntur ea, quæ oculis subjiciuntur : nam, ut verba Horat. Art. Poet. 180 seq. mea faciam,

> Segnius irritant animos demissa per aurem,
> Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, et quæ
> Ipse sibi tradit spectator....

Conf. Cyprian. Epist. II, 2; Lact. I, 20; Tertull. de Spect. c. 17; Senec. ep. 7., et Colum. Præf. Henninius hos versus ita illustravit : « Quum *Bathyllus* scienter *saltat*, et manuum totiusque corporis erudito motu exprimit *Ledæ* delicias Jovi blandientis, usque adeo pruriunt insanæ spectatrices, ut præ Veneris impatientia *Tuccia* (dedita opera Juvenalis hic nomen Vestalis illius usurpat, quæ hausta cribro aqua pudicitiam suam asseruit, quam per transennam et sub ejus nomine omnium Vestalium secretas libidines et infames ardores notare videtur) *vesicæ non imperet*, quasi dicat, aquam non contineat (respicit enim oblique ad historiam Tucciæ), sed resolvatur et liquescat; ut *Appula*, matrona, in Venerem resoluta absque ullo pudore *gannientia* quasi in medio opere subantis murmura non vereatur illic in publico ludo exhalare : denique ut *rustica* etiam, si forte *Thymeles*, doctissimæ saltatricis, exosses, tremulos venereosque motus tunc spectet, mira ingenii ad nequitias facilitate celerrime arripiat eosdem motus, et τὰ τῆς Ἀφροδίτης σχήματα, adeo ut, quæ *rustica* ludum intrarit, ex isto spectaculo *Thymele*, seu æque perita ac Thymele, discedat. Ejusmodi gesticulationis artificiosum exemplum vid. apud Apulei. Miles. X, ubi dearum libidinantium judicium pæne oculis subjicitur. » Alio sensu capit, vid. 60 seq. Manso, cujus nota est : » Locus hic de scena et frequenti, quam præbeat, peccandi occasione agit. Nulla femina, inquit poeta, quæ spectacula adit, *secure*, hoc est, sine timore, ne fidem fallat et pudorem abjiciat, a marito amari potest. Tot enim sunt incitamenta voluptatis, tot tamque nefandæ omnis generis nequitiæ, quas saltando in theatro mimi exprimunt, ut summæ libidinis vis statim spectatrices invadat et teneat. Quæ dicta ut illustret et probet Juvenalis, adjicit exempla, vs. 63 seq. cujus loci verus sensus hic est. *Thymele*, *rustica*, puella rudis et imperita, rure forte in urbem missa, et theatrum ingressa (ita etiam Bahrdt et alii), *quum Bathyllum Ledam saltantem videt*, fixis oculis totaque mente in ejus gestibus motibusque hæret, et inde artes modosque discere cœpit, quibus ipsa postea in scena inclaruit, laudesque immodicas meruit. Viri docti non in *Thymele* tantum falluntur, sed etiam in *Bathyllo*, dum de Mæcenatis liberto multum amato cogitant, quem Thymele, sub Domitiano in theatro regnans, spectare et mirari sane non po-

tuit. Salmasius autem ad Vopisci Carin. tom. II, pag. 833, ed. Hack. recte inter alia monet, quemadmodum a Pylade, tragicæ saltationis inventore, omnes ejus successores ac discipulos *Pyladas*, ita, qui a primo Bathyllo saltationem comicam per manus traditam accepissent, *Bathyllos* esse vocatos. » Enimvero poeta diversorum quoque similiumque temporum mores adumbrare potuit, et *Appula* potius *rustica* videtur puella esse, quam *Thymele*, de qua vide ad I, 36. Hinc forte retinenda fuisset lectio, quam olim e tribus libris antt. receperam : *longum Attendit Thymelen* : *Thymelen* (ejus artem) *tunc rustica* (Appula) *discit*, non restituenda vulgaris, quæ, si vera est, sic explicanda videtur : *Thymele*, rustica puella, *attendit*, attente spectat, illud *subitum, miserabile* et *longum*, hæc sensum gestuumve genera, a pantomimo aliquo expressa (ut *verbis sonat plorabile quiddam ultra nequitiam fractis* apud Claud. XVIII, 261, et

Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat et tenero supplantat verba palato,

apud Pers. I, 33 seq.), et *tunc Thymele rustica discit* illa, quæ videt, eorumque exprimendorum rationem. — *Bathyllus* et *Thymele* in saltatione comica, etsi variis temporibus, præ ceteris excelluerunt; quare nomina eorum junxisse videtur poeta. Confer. de hoc loco, de *Tuccia et Appula*, Var. Lect.

Var. 64—66. Conf. Not. sequent. ad h. l.

Not. 64—66. *Tucia* 22; *Tutia* 27, 47, 54, 63, *Tuscia*, 11, 19, 23, 25, 46, 48, 56—60, quam lect. multi probant, quia cum *Appula* jungitur. Huic tamen voci responderet potius *Tusca*, et illa matronarum nomina non petita a regionibus populisque Italiæ, sed a Juvenale conficta videntur; nisi potius hic matronam, seu puellam peregrinam *Appulam* eo sensu dixit, quo Horat. Epod. II, 39 seq. *pudica mulier... Sabina qualis aut perusta solibus Pernicis uxor Appuli*. Conf. infra ad X, 299. *Tuccia*, quod jam alii monuere, videtur hoc loco Vestalis illa esse, quæ hausta cribro aqua pudicitiam suam probavit; qualia et Plin. VII, 35; Sueton. Tib. 1, aliique de Claudia narrant : vid. Val. Max. VIII, 1, 5 (ubi conf. interpp.), et Plin. XXVIII, 2 et 8 (ubi conf. Harduin.), quibus locis similiter libri variant, et *Tutia*, *Tuscaa*, *Tuccia* exhibent. Conf. Ernesti. Clav. Cicer. in Ind. Histor. voc. *Tutia*.... *Apula*, 19, 21, 22, contra leges metri.

Not. 65—66. Retinui etiam nunc vulgatam lectionem, nisi quod maximam distinct. posui post *amplexu*, et verba *Subitum*, *Miserabile* et *Longum* majoribus literis initial. exprimenda curavi. Possis etiam scribere : *Subitum et miserabile longum* (diu) *Attendit*, vel interpungere : *Appula gannit, sicut in amplexu, subitum et miserabile*, subito et miserabiliter. Sed nostra et scriptura et distinctio præstare videtur, et ellipsis copulæ ante *Longum* Juvenali frequentissima est : vid. ad IV, 63, in Var. Lect. *Subat et miserabile longum Attendit* rustica mulier, et minus experta delicias, emend. Barth.

Advers. XXIV, 5, ubi monet, verbis *subare*, *catulire*, *adhinnire* et similibus belluinam effrenemque hominum libidinem exprimi. Conf. Plin. X, 63; Lucret. IV, 1193; Horat. Epod. XII, 11, al. Aptissimum est hoc loc. *subat*, quoniam cum *gannit* jungitur (ut in Anthol. Lat. vid. Comm.); sed reliqua tum verba sic interpungenda :

.... Appula gannit,
Sicut in amplexu, subat et miserabile[1] : longum
Attendit Thymele; Thymele tunc rustica discit.

Ita omnino legendum putat Manso, qui monet, se non videre, quid me moverit, ut, rejecta præclara emendatione, *subitum* meum *et miserabile longum* tuerer, quum quemque suus sensus doceat, quam durum sit vixque ferendum illud, cum uno eodemque verbo *attendit* conjunctum. Enimvero moverunt me leges modestæ criticæ, quæ sæpius mihi inculcavit, et quod ille contendit quidem, non vero probavit, lectionem a me servatam, quæ tamen non mea est, sed vulgaris omnium librorum, plane ineptam esse, neque tres voces uni verbo commode jungi posse. Veritatem quoque hujus emendationis in dubium vocavit vir doctus in Ephem. Hal. (*Allg. Lit. Zeit.* ann. 1814, pl. 223), ubi monet, verba *longum attendit* nimis tenuia esse et languida post illa *vesicæ non imperat*, *gannit* et *subat*, majoremque forsan obscœnitatem in iis latere, ad verbum vero *discit* omnino supplendum esse, quod a pantomimo expressum sit, et a se visum. — *Attendit Thymelen*, 31, b. 48, 49; *Tymele*, 19, a m. pr.; *Timele*, 21, 22. — *Dum rustica*, 16; *tum rustica*, 47, 54, 57, 58, 64. — *Bathyllus* (Mæcenatis libertus ac deliciæ; unde *mollis*, quod tamen epitheton ad communem quoque pantomimorum mollitiem referri potest), et Pylades Augusti temporibus, si non primi, certe clarissimi fuere *pantomimi*, hoc est, actores, seu histriones, ludii, saltatores, qui non, ut *mimi*, verbis, sed sola *saltatione* et manuum corporisque gestibus, quidquid in scena ageretur, muti exprimere, et mores hominum imitari (μιμεῖσθαι) solebant.[2] — *Saltare Ledam*, τοὺς μοιχοὺς ὀρχεῖσθαι Λήδᾳ, ut *saltare Satyrum*, *Medeam*, etc. ὀρχεῖσθαι τὴν Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεως μοιχείαν, et τὸν Αἴαντα, etc. apud Lucian. περὶ ὀρχήσεως § 63 et 83; ὀρχεῖσθαι τοὺς Ἔρωτας ἐπὶ Θήβας apud Athen. I, 39; hoc est, Ledam ejusque amores manuum gesticulatione exprimere, χειρονομεῖν, unde hoc loco *Ledæ cheironomos*, χειρονομος.[3] — *Vesicæ non imperat*, urinam (propr.

[1] Hoc est, miserabiliter.

[2] Conf. Macrob. Sat. II, 7; Plut. Sympos. VII, 8; Lips. ad Tac. Ann. I, 54; Voss. de Arte poet. Salmas. ad Vopisci Carin. c. 19; Scalig. ad Euseb. pag. 169, et Poet. I, 18; Schweigh. ad Athen. I, 17 (37), p. 20 seq. Ad pantomimicam saltationem a Cassiodoro, IV, bene referuntur *loquacissimæ manus*, *linguosi digiti*, *silentium clamosum et expositio tacita*. De pantomimorum arte vide inpr. Lucian. de Salt. (præcipue c. 63, 64), et Burm. Anth. lat. tom. I, pag. 622.

[3] Vid. sup. ad V, vs. 121; Macrob. et Salmas. loc. laudat. Casaubon. ad Pers. V, vs. 123; Heins. ad Ovid. Art. Amat. I, vs. 501, et Remed. Am.

pudenda, *κύστιν*; vid. ad I, 39), non continet, ut

Auribus atque oculis concepta urina movetur,

infra XI, 168, ubi vid. not. — *Appula*, spectans lascivos pantomimorum gestus, *gannit*, subat, vel vocis murmure libidinem exprimit, quasi esset *in amplexu* cujusdam. In Anthol. Lat. III, 231, 14, *feminæ inter gannitus et subantis voculas*. Apul. Metam. II, pag. 119, 8, ed. Elm. *Molles interdum voculas, et assidua suavia, et dulces gannitus cum morsicantibus oculis iteraverat illa*. Auson. Epigr. CVIII, 4:

Principio tremulis gannitibus aera pulsat, etc.

Gannire id. quod garrire; propr. de murmure canis adhibetur. — *Amplexus* honestum voc. quo res Venereæ ac turpes, et amores illiciti exprimuntur. Vid. Drak. ad Sil. XI, 399.

Not. 65—66. Grangæus hæc verba non male interpretatus est: « Si *Thymele* cum maxima artis *attentione* exprimit (immo *attendit*, attente videt) modos saltationum gestuumque, *Subitum*, *Miserabile* et *Longum* (de quibus modis vid. Pollux, qualia etiam nomina nostris saltationibus dari videmus), spectatrix, quantumvis *rustica*, hos gestus conatur imitari, et ita se movet, ut mox futura sit gesticulatrix: unde festive illa mulier per anticipationem *Thymele* nuncupatur, sive quod *Thymelen* exprimat (de qua vid. ad I, 36), seu quod *Thymele* futura sit. » Bahrdt: *Wo Thymele das Heftige, Das Mitleidregende, Das Sehnsuchtsvolle der Umarmung merkt, Und, noch ein ländlich Mädchen, schon lernt.* Prateus designari dicit motus varios ac gestus a mimo expressos, vel etiam voculas, nunc *subito*, nunc *miserabiliter* enunciatas, nunc in *longum* tractas ad luctum exhibendum. Reliqui intpp. fere tacent.

Not. 67 sqq. Aliæ matronæ virginesque, quoties ludi publice non dantur, ipsæ privatis in ædibus eos agunt. *Aulæa*, vel picta in ædibus, porticibus ac theatris (de quibus vide loca class. Ovid. Metam. III, 111 seq. Virg. Georg. III, 25, et Lucret. IV, 73 seq.), unde hoc loco pro ipsis theatris ludisque.

Var. 68. *Sonant aulæa theatro*, 26.

Not. 68. *Sonant sola fora*, in foris tantum, ubi caussæ aguntur, strepitus auditur, non in theatris.

Not. 69. *Megalesia* sacra et ludi (ut *Megalesia ludi* apud Ovid. Fast. IV, 357; Liv. XXIX, 14; XXXIV, 54, al.), quæ in honorem et memoriam Magnæ Matris deum, *μεγάλης μητρὸς*, Pessinunte Romam translatæ, vel prid. Non. Apr. (vid. Ovid. Fast. IV, 179 seq. et Calend. Rom.), vel prid. Id Apr. (vid. Liv. XXIX, 14, ubi conf. Duker. et Drak.), agebantur. — *Longe*, sc. distant. — *Plebeii*, sc. ludi (*quos exactis regibus pro libertate plebis, aut pro reconciliatione plebis post secessionem in Aventinum* institutos

v. 334; Meurs. in Orchestra, et Schweigh. ad Athen. XIV, 6 (26), pag. 629.

tradit Ascon. in Verr. II), ab ædilibus pleb. XIII vel XVII Cal. Nov. (vid. Fasti veteres) adeoque sex fere integris mensibus ante Megalesia edebantur. In longo hoc intervallo nullos Romæ ludos celebratos esse vulgo putant, et hinc poetam *longe* ac *tristes* matronas dixisse. Sed in illo intervallo Saturnalia, compitalia, sacrum Veneris Genitricis (in quo ludi Palatini per triduum celebrabantur), quinquatrus aliaque festa, et in iis ludi agebantur. Plebeios quoque ludos non statis diebus, sed sæpius uno eodemque anno ab ædilibus editos esse, ex Livio (vid. ejus Ind.) aliisque scriptoribus rom. probabile fit. Juvenalem vero *a plebeiis* sc. distare *longe Megalesia* dixisse, quod illud plebis, hoc patriciorum fuerit festum, putabat Heins. ad Ovid. Fast. IV, 353, coll. Gell. II, 24, et XVIII, 2. Nota Ach. est: per illud intervallum festa quidem agebantur, sed nullus edebatur ludus major scenicus.

Var. 70. *Thyrsumque petunt*, 19. — *Arci*, 27, 47. *Anci*, 21. *Axi*, 16. *Accum*, 22. *Acne*, 75, 76. *Æne*, 1. *Actii*, 23. Nam varie scribebatur *Accius*, *Actius*, *Attius*, *Atius*: de quo vid. Burman. ad Virg. Æneid. V, 568, et ad Sueton. August. cap. 4.

Not. 70. *Personam*, ut III, 175, ubi vid. not. — *Thyrsi*, hastæ pampinis et hedera cinctæ, quibus utebantur histriones, partes Bacchi vel Baccharum, quibus propria sunt hæc arma, agentes. Poeta etiam eo forte respexit, quod prima theatra Baccho fuere sacra, et ab eo originem duxere; unde et primi ludi dicebantur διονυσιακὰ, et histriones διονυσιακοὶ τεχνῖται, *peruncti fæcibus ora*, Horat. Art. Poet. vs. 277. *Subligar*, περίζωμα, tegumentum pudendorum. «Scenicorum mos tantam habet a vetere disciplina verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo: verentur enim, ne, si quo casu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, adspiciantur non decore;» Cic. Offic. I, 35. Conf. Rhod. de Acia Celsi, c. 6, pag. 86. — *Accius*, poeta tragicus et Annalium scriptor, qui circa an. U. c. DC floruit; sed hoc loco histrionis forte, vel pantomimi nomen.

Not. 71. *Urbicus*, poeta apud Martial. I, 42, 11, sed hoc loco exodiarius, qui *exodio Atellanæ risum movet* (de quo vid. ad III, 174, 175), et quidem vel nomen ejus, vel synon. — *Atellana*, sc. fabula, ab Atella, ant. oppido Oscorum in Campania, sic dicta, plena joci (*Farce*, *Possenspiel*), cui *exodia*, saturæ (*Intermezzi*, *Nachspiele*) inseri vel adjungi solebant. Vid. Liv. VII, 2; Suet. Tib. 45, et sup. ad I, 3; III, 174, 175; Ferrar. Elect. II, 11, ad hunc locum hæc notavit: «Quod aiunt Urbicum gestibus saltasse fabulam Autonoes, quæ fuit soror Cadmi (vid. Apollodor. III, 4, 4, et Hygin. f. 184), ineptiunt. Nam neque Urbicus (exodiarius) saltabat fabulas, et gesticulabatur, ut histrio, sed pronunciabat, et urbanitate jocisque populum detinebat: neque *Autonoes* tragœdia ad movendum risum; sed nomen matronæ confictum, quam poeta vult adeo studiose gestum pronunciantis exiodiarii (ejus verba jocosque extemporales *gestibus* histrionum more) expressisse, ut populum risu quateret. Exodio Atellanarum etiam saltabantur, uti constat ex Suet. Ner. c. 39. Verum Atel-

lanus ipse non saltabat, sed ejus verba jocosque histrio gesticulatione exprimebat (vid. Liv. VII, 2); unde etiam non erant infames, nec tribu movebantur. — *Hunc diligit Ælia pauper*, quia, quum Atellanus non caneret, sicut tragœdi et comœdi, qui matronis divitibus magno solvebantur, magno sumptu opus non erat ad eos Atellanos refibulandos. » Conf. Gons. ad Petron. p. m. 359. *Achaintre* vs. 71 et 72 ita interpungendos censet et explicandos : *Urbicus* (scurra mimarius) *exodio risum movet Atellanæ, gestibus Autonoes*, et gestibus suis risum excitat Autonoes, Αὐτονόης, pantomimus, gesticulatione sua exprimens jocos exodiarii seu Atellani : *hunc*, sc. Autonea, Αὐτονόα, *diligit Ælia pauper*. Non male! — *Ælia* matrona. *Ælia* gens *pauper* fere et plebeia [1]. Paupertas vero matronarum non obstat, quo minus libidini indulgeant; sed commendat iis amorem, qui non tanti, seu *tanto constat* pretio, quanto *comœdi fibula*.

Not. 73. *Solvitur his*, ab aliis matronis ditioribus, *magno* pretio *comœdi fibula*, hoc est, magno pretio corrumpit histrionem, seu cantorem et citharœdum, ut fibulam, quæ a coitu eum prohibet, solvat, atque cum ipsis tum concumbat; *sunt, quæ*, hoc est, aliæ, *vetant cantare Chrysogonum*, hoc est, histriones coitu, qui voci nocet, ita delassant, ut rauci facti in scena *cantare* nequeant. Cantores olim valetudinis et vocis conservandæ caussa infibulari, hoc est, glandes, sive summas partes genitalium *fibulis* muniri ac transfigi solebant, ut a coitu abstinerent, qui valde nocet voci. De magna cura, quam olim histriones, oratores et recitatores et conservandæ et emendandæ voci impendebant, vid. Fülleborn. ad Pers. I, p. 23. Flamines etiam *infibulati sacrificabant propter usum æris antiquissimum æreis fibulis*; Fest. *Fibula* zona, qua ligantur inguina; duo Schol. vet. (id. quod *subligar*, vs. 70). Ita *subligar*, vs. 70, quæ tamen vocis notio dubia est. *Fibula* circulus, vel tenuissimum filum, æneum, seu argenteum, seu aureum, quod præputio virilium ab utroque latere super glandem perforato addebatur, ut etiam nunc a Turcis, conservandæ vocis et valetudinis gratia; Brit. et Grang. unde *fibulam solvere*, ut al. *refibulare*, et contra *infibulare* [2].

Var. 74. *Vetant*, 15, 16, 17 a m. sec. 19, 22, 45.

Not. 74. *Chrysogonus*, citharœdus (ut infra VII, 176), forte quia hoc nomen fuit insignis citharœdi, qui Alcibiadis ævo vixit, palmamque tulit in Pythiis ludis; de quo vid. Plut. Opp. tom. I, pag. 209, et Athen. XII, 9 (49), pag. 535. — *Hispulla* nomen matronæ, ut XII, 11. Nota illa, cujus fratris filia nupserat Plinio minori. Vid. ejus Epist. IV, 19. — *Gaudet*, delectatur, hoc est, amore ejus capitur.

[1] Vid. Valerius Maximus IV, 4, 8, 9; Reines. Ep. ad Hofm. et Rup. Ep. 48; Rupert. ad Pompon. Enchir. III, 4, et Dukerus ad Liv. lib. XXXII, cap. 7.

[2] Confer. ad vs. 59 et 379; Cels. V, 26, sect. 23; VII, 4, 19 extr. et 25 3; Mart. VII, 81; IX, 28, 12; XIV, 215; Ferrar. R. V. IV, 18; inpr. Rhodius de Acia Celsi, c. 6, p. 76.

Var. 75. *Exspectes*, 14, 26.

Not. 75. *An exspectas, ut Quintilianus ametur*, sperasne, vel putasne, a lascivis istis mulieribus virum castum, gravem ac doctum, qualis *Quintilianus*, insignis ille rhetor, fuit, magis amatum iri, quam lascivos histriones? — *Exspectas*, ut vs. 239, et XIV, 25. Confer. Heins. ad Ovid. Art. Am. III, 749. *Quintiliani* nomen pro quovis rhetore hoc loco et infra, vs. 280, vel potius pro quovis erudito et gravi viro positum, ut *Palæmonis* pro grammatico, vs. 452 [1].

Var. 77. *Fiet*, 21. — *Ambrosiusve*, emend. H. Vales.

Not. 76—77. Conf. Martial. Epigr. in Cinnam, VI, 39. — *Uxorem, de qua* non tu, aut vir aliquis eximius (quod majori esset solatio), sed mimus *pater fiet*, e qua liberos suscipiet; Grang. — *Glaphyrus* tibicen clarissimus ævi Augustei. Vid. Martial. IV, 5, 8, et Antipatri Epigr. 28, 29; in Brunck. Anal. tom. II, pag. 116; ad quæ vid. Jacobs, in Animadv. ad Anthol. Gr. Vol. II, P. I, p. 310. Græcum putant nomen esse. Γλαφυρὸς scitus, elegans, venustus. Nomina *Echionis* et *Ambrosii* ignota. — *Choraules*, χοραύλης, qui in choro tibiis canit.

Anal. 78—81. Quæ quum ita sint, nuptias, suadeo, faciant viri nobiles, ut uxores eorum ex histrione vel gladiatore liberos pariant. Quod non sine amara irrisione suadet poeta.

Var. 78. *Figantur*, 77, et ita emend. C. Vales.

Not. 78. Verba obscura. — *Figamus pulpita*, erigamus theatra in vicis, ubi in honorem talium nuptiarum ludi celebrentur; Grang. qui verba Apuleii (Metam. IV, pag. 157, ed. Elmenh.), *feralium nuptiarum miserrimæ virgini choragium struitur*, ad hunc ritum referebat: de quo tamen nihil legere memini; quamvis non ignoro, *pulpitum* dici quodlibet suggestum, inpr. in theatro, ut III, 174; VII, 93; XIV, 247. Probabilior forte est

[1] Ferrarius Elect. II, 11, ridiculum putat, quod hæc de rhetorum summo accipiant interpretes, quasi decus illud togæ vilissimum caput fuerit, et indignum matronarum amore; existimatque nomen fuisse alicujus plebeii citharœdi aut tragœdi, ejusque, qui vocem prætori, fibulam matronis vendiderit, ut mox *choraules Ambrosius*, nobilissimum nomen commune viro sanctissimo et cultissimo sortitus. Enimvero Quintilianus, vir sapiens, non *amatur* a matronis, quoniam earum amore indignus est, sed quia illæ tam lascivæ sunt ac perditis moribus, ut histrionum, lasciverum hominum, magis, quam virorum doctorum, qui a tali lascivia et impudicitia abhorreant, et tempus studiis potius, quam Veneri, impendant, amore capiantur; neque assequor, quo sensu commodo hæc verba accipi possint, si *Quintilianus* hoc loco nomen citharœdi est. Aptissima contra sunt, si Postumus, quod suspicor, similis fuit Quintiliano rhetori, viro sanctis moribus nostissimo, vel certe vir doctus, qui hoc nomine innuitur.

conjectura C. Valesii : « Hinc discimus, in vicis, qui Romæ angusti erant, *pulpita longa* tumultuarie facta, exstructaque esse secundum parietes magnarum domorum (non transversis vicis, ne transeuntibus impedimento essent; quod et significat vox *longa*), in quibus pulpitis poetæ epithalamia a se composita recitarent, quoties aliquis inter principes civitatis uxorem duxerat. » In *conopeis* vero fetas jacuisse Romanas opulentas, patet etiam ex Varr. Re R. II, 10, 8 : *Fetas nostras, quæ in conopeis jacent dies aliquot, esse lenuncidas* (forte *ejuncidas*, *ἐξιτήλους*) *ac contemnendas.*

Nor. 79. Conf. supra ad vs. 51. — *Grandi lauro*, ut *recto proceras stipite laurus* apud Catull. LXIV, 290; nam non rami tantum laurei, sed arbor etiam integra postibus apponebatur; Grang. Conf. XII, 91.

Nor. 80. *Lentulus*, cognomen gentis Corneliæ, hoc loco pro quovis nobili viro, qualis Postumus fuisse videtur. Conf. ad VIII, 188. — *Testudineo conopeo*, in cunis, vel lecto puerperæ, testudinis segmentis ornato, putaminibusve dissectis. Conf. ad vs. 89, et XI, 94 seq. intpp. Mart. IX, 60, 9; XII, 67, 5; XIV, 87. *Conopeum*, *κωνωπεῖον*, non velum, vel papilio, sed, ut verbis Schol. Crucq. ad Horat. Epod. IX, 16, utar, « Genus retis ad muscas et culices (*κώνωπας*) abigendos, quo Alexandrini potissimum utuntur propter culicum illic abundantiam. » Conf. Antholog. IV, 32. Ejusmodi rete tenuissimum super lectum expandi, et aurea ei fila intexi solebant. Conf. Plut. Ant. pag. 927. Schol. vet. hoc loco *linum tenuissimis maculis* (hoc est, foraminibus, germ. *Maschen;* vid. ad VII, 40) *nauctum*, pro quo non *distinctum*, vel *variatum*, sed *netum* legendum videtur[1].

Var. 81. *Et mirmilonem*, 11. *Aut mirmillonem*, 10, 14—17, 19—23, 25, 27, 45—49, 54—60, 64, 65. *Aut myrmidonem*, 24.

Nor. 81. *Nobilis infans*, qui de te nobili natus existimatur, quum tamen adulterinus et quidem gladiatoris filius sit. — *Exprimat*, ore, seu vultu, referat; quæ dictio petita est e re statuaria, in qua *signa expressa*, quæ *adumbratis* opponuntur, sunt ea, quæ plane elaborata sunt, ut confestim appareat, quem referant. *Mirmillonem*. Vid. ad VIII, 200. — Hunc mimorum amorem feminis quoque objicit *Gilbert*, in satira inscripta *Le Dix-Huitième Siècle* :

« J'aurais pu te montrer nos duchesses fameuses
« Tantôt d'un histrion amantes scandaleuses,
« Fières de ses soupirs obtenus à grand prix,
« Elles-même aux railleurs dénonçant leurs maris. » Ed.

Var. 82. *Ippia*, *Yppia*, *Eppia*, *Appia*, *Hyppia*, *Hispia*, *Hippida*, *Oppia* alii h. l. v. 104, 114, et X, 220. — *Ludum*, 10, 11, 14—17, 19—24, 27, 45, 46, 47, 49, 50, 54, 55, 62, 64, 72, et multi Codd. Paris. prob. Salmas.

[1] Confer. Lessing. in *Berlin Monatsschrift*, *Jun.* 1788, p. 602; Varr. Re Rust. II, 10, 8, et Prop. III, 9 (al. 11), 45, ubi vid. intpp.

quem in Comm. laudavi, ut *ludus* dicatur pro *ludio*, quemadmodum *regna* pro *regibus*, et similia passim obvia. Sed *ludum* reposuisse videntur librarii metro timentes. *Ludium* vero διστύλλαβος vox est, efferenda per συνίζησιν. Conf. XI, 20, et sup. ad IV, 37. *Ludia* tamen, v. 104, τριστύλλαβος est.

Not. 82 sqq. Quod universe de matronarum effrenata libidine dixit poeta, jam probat illustratque exemplis, et quidem hoc loco *Hippiæ* (cf. X, 220), quæ uxor Fabricii Veientonis *senatoris* (de quo vid. vs. 113, et ad IV, 113) cum Sergio gladiatore in Ægyptum migravit. Simile quid narrari a Parthen. Erotic. c. 27, de Alcinoe et Xantho, monuit Hennin. — *Ludii*, seu *ludiones* olim dicebantur histriones et saltatores, serioribus vero temporibus propr. gladiatores, horumque schola *ludus;* unde et *ludia* infra vs. 104. Hippia, ludii, hoc est, Sergii gladiatoris, uxor.[1]

Var. 83. *Formosique*, 16. *Formosaque*, 22, 85.

Not. 83, 84. Ægyptus designatur more poetarum. — *Pharos* nunc continens, at olim parva ins. Ægypti, cum Alexandria aggere (heptastadio) et ponte juncta, ubi turris fuit excelsa et marmorea ejusdem nominis, jussu Ptolemæi Philad. a Sostrato Cnidio exstructa, cum specula et ignibus nocturnis. — *Famosa mœnia*, Alexandria, urbs *Lagi*, hoc est, Ægypti, vel ubi Ptolemæus Lagi filius e græcis regibus primus regnavit post Alexandri Magni mortem. Sic et *amnis Lageus, flumina Lagi*, et similia. Vid. ad Sil. I, 196, et Salmas. Exerc. Plin. pag. 682. — *Famosa*, vel infamia ob luxum perditosque mores incolarum regumque (ut *famosus Canopus*, XV, 46), vel, quod malim, inclyta, seu clarissima. Conf. ad I, 26.

Var. 84. *Clamante*, 46, 47, 48, 58, facili solennique permutatione literarum *cl* et *d*.

Not. 84. Ita ut ipsi Canopitani, quamvis libidinibus et luxu infames (de quo vid. ad I, 29), *prodigia et mores*, hoc est, prodigiosos mores, *Urbis*, Romæ, damnarent. Conf. ad vs. 286.

Not. 85 sqq. Scelus et insania Hippiæ vividis adumbratur coloribus. *Nil patriæ indulsit*, patriæ nihil eorum, quæ petere quasi ac postulare videbatur, concessit, vel nihil officiorum, patriæ debitorum, nihil pietatis et amoris præstitit.

Var. 87. *Ludum*, 14. *Paridem ludosque*, 25, 27, 46, 47, 48, 54—60, 64, 65.

Not. 87. Σαρκαστικῶς poeta monet, illud maxime esse mirandum, quod ludos circenses et scenicos, nec non ludiones relinquere potuerit; quo taxatur insania et Hippiæ, illos pluris, quam conjugem liberosque, facientis, et Romanorum, inexplebili ludorum spectandorum cupiditate

[1] Confer. Salmas. ad Trebell. Poll. Claud. 5, tom. II, pag. 362; ad Vopisc. Carin. pag. 843; et Burm. ad Ovid. Art. Am. I, 112.

ardentium, de quo vid. ad III, 223. — *Paris*, celeberrimus histrio, et deliciæ Domitiani, a quo ad magnas opes eximiamque potentiam evectus, sed deinde, quum Domitia Augusta ejus amore arderet, occisus est. Vid. VII, 87 seq. Suet. Domit. 3, 10; Dio Cass. et Martial. XI, 14. Alius ejusdem nominis histrio inclaruit sub Nerone, et ab eo interemptus est. Vide Sueton. Ner. 54; Tacit. Annal. XIII, 20, 22, 27 et al.

Not. 88 sqq. Quamvis Hippia molliter esset educata in domo paterna, lascivus tamen amor tam audacem eam fecit, ut pericula navigationis sperneret. Conf. Ovid. Met. VII, 62—68. *Pluma* lectus pulvinusque, plumis tumens, vel fartus, adeoque mollissimus: vid. ad I, 159. — *Segmentatæ cunæ*, ornatæ *segmentis*, quæ cunis seu stragulis adsutæ sunt ornatus caussa, et de quibus vide ad II, 124.

Var. 90. *Contempserit*, 16.

Not. 90. Non mirum est, eam varia maris discrimina sprevisse, quippe quæ famæ pudorisque jacturam nihili fecit; quam qui pro nihilo putat, facile omnia contemnit et audet.

Not. 91. Quæ tamen famæ jactura minima videtur *mollibus cathedris*, hoc est, feminis, quæ in mollibus sellis sedere, vel per urbem ferri solent. Conf. ad I, 65; IX 52; Martial. III, 63, 7, et XII, 38, 1.

Not. 92. *Ionium* mare, inter Italiam, Siciliam Græciamque, austro patet, et *late sonat* impetu fluctuum, scopulis illisorum. *Sonantem Ionium*, sc. sinum, ut apud Horat. Epod. X, 19, vel fluctum, vel pontum, ut ὁ Ἰόνιος, sc. πόντος. Conf. Var. Lect.

Var. 93. Bentleius ad Horat. Epod. X, 19, hæc notavit: « *Ionium* mare Græcis et vincta oratione et soluta ὁ Ἰόνιος dicitur, subaudito πόντος. At Latini neutrum magis amant, quippe quibus *mare* subintelligitur. Masculino genere effertur h. l. sed aut refingi fortasse debet *lateque sonorum*, aut ex verbo præcedente substantivum sibi adsciscere potest *fluctum*, aut certe ob raritatem non temere Horatio affingendum est. » Sed mare etiam Romanis *pontus* dicitur, et quum Horatius tum Juvenalis docte ac græce loqui amant. Ita etiam *Ægæus* apud Claud. in Eutrop. II, 334, quod monet Hein.

Not. 94. *Mutandum toties mare;* nam Romanis in Ægyptum trajicientibus tria transmittenda sunt maria, Tyrrhenum, seu Inferum, Ionium et Ægæum.

Not. 94 seq. Eædem mulieres, quæ libidinis explendæ caussa tam audaces sunt, anxiæ ac trepidæ esse solent, ubi honesta navigationis periculorumque subeundorum ratio et occasio offertur. — *Gelantur pectora* pavore, ut *rigere*, *dirigere*, *frigescere*, *glaciari*, *torpere*: vid. Heins. ad Ovid. Metam. I, 548.

Var. 95. *Pavidæque*, 26. Fuere qui legere mallent *pavidæque gelantur Pectora*, improb. Schurzfl. qui laudavit Jan. Bernart. ad Stat. p. 129.

VAR. 96. *Corpore*, 85. — *Possint*, 22. — *Consistere*, 14.

NOT. 97. Conf. vs. 284, 285, et Plaut. Mil. Glor. II, 5, 54 seq. Schurzfl. lectores remittit ad Jo. Filesaci uxorem justam, pag. 73, quem librum ab iis, qui nostram satiram enarrare velint, perpetui instar commentarii dicit consulendum esse. Doleo itaque, eum mihi non ad manus esse.

NOT. 98. *Durum est*, uxori videtur.

NOT. 99. *Sentina*, aquarum sordiumque colluvies in fundo navis, cujus odor *gravis* est et teter. *Sentinæ navium odorem procul fugiunt pisces*, Plin. X, 70, s. 90. — *Summus vertitur aer*, vertiginem simulat oculorum animique, quæ faciat, ut cælum verti, summaque ejus pars ima fieri sibi videatur. [1]

NOT. 100. Hippia *stomacho valet*, non laborat vomitione, vel nausea, quæ viris etiam navigantibus obrepere solet. *Illa* mulier, quæ invita et jussu conjugis cum eo navigat, nauseans *maritum convomit*, vomitu conspurcat.

VAR. 101. *Evomit*, 26.

NOT. 101. *Hæc*, quæ mœchum sequitur, *inter nautas prandet*. — De *prandio* Romanorum (Frühstück, a dor. πράν pro πρωΐ, mane), vid. Bottigeri Sabina, pag. 302, 303. — *Rudentes tractare*, funes ducere.

VAR. 102. *Puppim*, 11, 65.

VAR. 103. *Juventa est*, 10, 11, 12, 14, 15, 21—25, 45—50, 54—60, 62 64—69, 71—74. In reliquis libris non legitur τὸ *est*, quod tamen facile excidere potuit propter compend. scrib. quodque nos inseruimus, ne quatuor certe ὁμοιοτέλευτα jungantur.

NOT. 103—112. Hippia Sergii amore capta est, non ob formam et juventutem, quod justiorem haberet excusationem (nam deformis ille est, et provecta jam ætate), sed quia gladiator est, et arma tractat. — *Exarsit forma*; vid. ad Sil. V, 15. *Forma* et *juventa* pro formoso homine et juvene. — *Ludia*, nunc ludii concubina aut uxor, quum antea senatoris esset. Vide supr. ad vs. 82. — *Sustinuit*, passa est, non recusavit.

NOT. 105. *Sergiolus* festive appellatur *Sergius*, et blando nomine, quo Hippia nunc uti solebat; vel εἰρωνικῶς de homine, qui fuerat juvenis, et hinc dictus olim *Sergiolus*, sed nunc non amplius erat: *nam cœperat jam guttur*, mentum, barbam, *radere*, quod viri tantum faciunt. Quæ verba nemo intpp. quod mireris, intellexit: quare hæc tenenda sunt. Prisci Romani intonsi erant, barbamque alebant usque ad a. U. C. CCCCLIV, quo primum tonsores Romam adduxit e Sicilia P. Ticinius Meno (f. Titinius

[1] Grangæus, qui hæc mera somnia putabat, coll. Prop. II, 5, 12 (*Nec dubio nubes vertitur atra Noto*), hunc locum interpretatur ita: dicit marito, jam tempestatem oriri, et aerem verti. Sed illa explicatio huic præferenda, tum propter epith. *summus*, tum ob sententiæ præstantiam.

Mæna, unde illi vocantur *intonsi*, *barbati* et *capillati*[1]. Ratio *barbæ tondendæ*, seu *metendæ* (III, 186), duplex erat, vel strictim, seu ad cutem, quod proprie *radere* dicitur, et gr. σκαφίον, sive ξυρᾶν τὸν πώγωνα, et ἐν χερὶ κείρειν, vel paullo longius a cute, interposito pectine, quod propr. est *tondere*, et gr. κῆπος. Conf. Plaut. Capt. II, 2, 16 seq. Pueri autem et juvenes lanuginem, seu barbulam, summa alebant cura, fovebantque usque ad annum ætatis XXI (conf. Ferrar. Elect. II, 12; Ovid. Art. Am. I, 518 seq. Martial. II, 36, 3 seq. et Augustin. de Civ. Dei, IV, 1, qui vota etiam ab iis eam ob caussam *Fortunæ Barbatæ* facta memorat), quo illa poni non sine solennitate, et deo alicui sacrari solebat: vid. ad III, 186, et XIII, 58. Hinc *nondum barbatus* dicitur puer supra vs. 15, 16; *barba* juventus infra vs. 215 (*senior, cujus barbam*, juventutem, hoc est, quem juvenem, *tua janua vidit*, qui a juventate tuas ædes frequentavit); *prima barba* iniens juventa VIII, 166; *barbati* et *barbatuli* juvenes, qui nondum lanuginem deposuere, vel tondentur, XIII, 56; vide ad XIII, 58. Hanc vero mollem teneramque barbam juvenes tondebant tantum (conf. I, 25; X, 226) usque ad virilitatem, vel annum ætatis XL, quo, quum viri vellent videri, primum *radebantur;* quare hoc loco innuitur, Sergium ad virilem jam pervenisse ætatem. Quotidie radi primus instituit Scipio Africanus minor, ut levis esset facies; unde et psilothro aliove medicamento postea pili exstirpabantur, de quo vide ad II, 107.[2]

Var. 106. *Fesso* pro *secto*, 14.

Not. 106. *Lacerto secto*, vulnerato, vel exciso nervo, *sperare requiem*, missionem; quam sperare ac petere licebat gladiatoribus, membro aliquo mutilatis, vel gravi vulnere ictis.

Var. 107. *Faciem*, 25, 27, 46—50, 55—63, 65—69, 71—73, 77. — *Sinit* pro *sicut*, 85.

Not. 107. *Sicut*, verbi caussa.

Var. 108. H. Valesii nota est: « Legé *Adtritus galeæ*, hoc est, a galea fronti invectus, seu crebro ferreæ galeæ usu nimioque pondere fronti impressus; saltem tria hic vitia in facie Sergii notantur, nec jungenda *Adtritus galea gibbus*, quasi galea vetus romana usque ad medias nares pertingere, ibique gibbum creare, aut incumbendo premere potuerit. » Lectio illa videtur recipienda esse. *Adtritus* dicitur etiam vitium, damnum, vulnus, ex attritu ortum;

[1] Conf. ad III, 186; IV, 103; V, 30; VI, 26; XVI, 29; interpretes Horatii Od. I, 12, 41; II, 15, 11; Brouckhusius et Vulp. ad Tibull. II, 1, 25; Varr. Re Rustica II, 11, 10; Plinius, lib. VII, 59; Lipsius ad Taciti Annales, lib. XIV, cap. 15.

[2] Conf. Ferrar. Elect. II, 12; Lips. Excurs. B. ad Tacit. Ann. XIV, 15, Gell. III, 4, et Hard. ad Plin. VII, 59.

et frons adtrita galea, vitiumve faciei h. l. aptius est, quam adtritus galea homo. — *Mediis*, 13, 15, 16, 85.

Not. 108. *Galea adtritus* fronte. At vide Var. Lect. Apparet eum secutorem fuisse; vet. Schol. Sed *galea*, si non omnes gladiatores, præter retiarium (conf. VIII, 203), plerique certe utebantur.

Var. 109. *Graviter* pro *semper*, 14. — *Sæpe stillantis*, 11 ad marg. 17 a m. pr. 21, 22, 23, 26, 45, prob. Schurzfl. qui monet, ita etiam legisse Nic. Ferretum Opusc. Gram. p. 3, et mutationem ex eo ortam videri, quod librarii versum ruere putaverint, si *sæpe* legeretur, quum debuerint meminisse, græcam positionem hic locum habere. Conf. ad VIII, 107; XVI, 22; Drakenb. et nos ad Sil. Ital. VII, 618; IX, 575, et XVII, 547, ubi multis exemplis probavimus, syllabam finalem, per se brevem, sequentibus duabus vel tribus consonis, modo corripi, modo produci. — *Fœdè* pro *semper*, conj. Jacobs.

Not. 109. *Gibbus*, tumor, forte ex percussione crebra. *Acre*, grave, vel pertinax *malum*; nisi potius epitheton ad acritudinem succi humorisque spectat. — *Stillantis*, lippi; quo oculorum morbo multi laborabant Romæ. — *Ocelli*, non *oculi*, quo deformitas augetur, inprimis ob *ingentem gibbum* in medio naso.

Not. 110. Lector dudum suspenso animo exspectat, quæ tandem caussa insani amoris, quæ Sergio dotes fuerint, virtutesque vel animi, vel corporis, quibus capta sit Hippia: et jam repente nihil aliud in laudem ejus dici posse audit, quam: *gladiator erat*. — *Illos*, gladiatores. *Hyacinthos*, formosos et amabiles, ut *Prometheus*, IV, 133, pro figulo perito. *Hyacinthus*, puer formosissimus, cujus amore capti Zephyrus, Apollo et Thamyris.[1]

Not. 112. *Ferrum*, gladius et gladiator, *est, quod amant* tales feminæ, qualis Hippia fuit. Amant eos, qui arma pertractant, ut viros ad coitum validos; Brit. Multæ mulieres romanæ insanierunt in hoc hominum genus, in gladiatores: notantur præcipue Faustina senior, M. Antonini Pii, Faustina junior, M. Aurelii Anton. Lucilla, L. Aurelii Veri uxor, et aliæ; Grang. et Ach.

Not. 113. *Idem Sergius accepta rude*, signo libertatis, missione, hoc est, si missus esset e ludo, vel desiisset gladiator esse, et arma tractare, quod tantopere Hippiæ placet, *cœpisset* ei *Veiento*, tam vilis quam maritus, *videri*, Hippia eum æque ac maritum fastidivisset et dereliquisset. Conf. supra ad vs. 82. *Rudis*, vel gladius ligneus, quo batuebant tirones, vel ferula, qua utebantur lanistæ, et qua donati gladiatores seu vacationem dumtaxat a pugna munusque lanistarum, seu libertatem impetrabant.[2]

---

[1] Vide Ovid. Metam. X, 162 seq. Apollod. III, 10, 10; Heyne, *Antiq. Aufsätze* P. I, et *Creuzer's Symbolik*, tom. IV, pag. 59.

[2] Confer infra ad Satiram VII, vers. 171; Lipsium Saturn. Serm. I, 15; II, 23 et Schott. Nod. Cic. II, 6.

Nor. 114 seq. Si jam miraris et indigne fers libidines privatæ mulieris, audi nunc simile exemplum Messalinæ, Augustæ, uxoris Claudii Imper. Hujus libidines notæ.[1] — *Privati* magistratibus, et temporibus Imperatorum etiam his opponuntur. Conf. I, 16; IV, 66; XII, 107, et Ernesti Clav. Cic. — *Rivales divorum* salse hoc loco dicuntur vel ipsi Imperatores, divinam sibi majestatem arrogantes, inpr. Claudius (de quo vide ad vs. 622 seq.), vel potius, propter ea, quæ mox memorantur, omnes, etiam infimi generis, homines, concumbentes cum uxoribus Imperatorum romanorum, qui post obitum inter deos referri, *Divique* appellari solebant; non solus Silius, de quo vide X, 329 seq. *Rivales* proprie vocantur, qui eamdem amant mulierem.

Nor. 116 sqq. *Virum*, Claudium. — *Uxor*, Messalina. — In optimis editionibus post voc. *uxor* comma, post *una* vs. 119, colon vel semicolon, et vs. 120, post *Sed* et *galero* commata reperiuntur: quo scabra et hiulca efficitur oratio. Nonnulli, vs. 117, post *cubili* punctum ponunt, aut saltem *sumere*, vs. 118, pro *sumebat* dictum putant: quo non tolluntur difficultates, sed augentur. Ego distinctionem mutavi: at ne sic quidem omnia bene procedunt ac fluunt; nam deest copula *et* ante *Sumere* (cujus tamen ellipsis Juvenali solennis est; vid. ad IV, 63), et verbum *linquebat*, duobus versibus interjectis, non satis commode ad *virum* dormientem, vs. 116, videtur referri posse. Male etiam tempora verborum subito mutari, *linquebat*, *intravit*, *prostitit*, *ostendit*, monet Ach. Sed tales orationis duritiæ passim in poetis concoquendæ, neque sunt tantæ, ut propterea necesse sit, vel versus 117 et 118 parenthesi includere, quod Lubinus, vel versum 119 post vs. 116 ponere, quod Schurzfleisch. suadebat. Pro *Linquebat*, vs. 119, Hein. conj. *Inde ibat*, vel *Atque ibat*. Manso hunc locum sæpius tentatum ita emendandum putat et constituendum:

> .... Dormire virum quum senserat uxor,
> Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
> Linquebat, comite ancilla non amplius una.
> Sumens nocturnos meretrix Augusta cucullos,
> *Sed* nigrum flavo crinem abscondente galero,
> Intravit calidum....

Ita vero hunc locum non emendasse videtur, sed depravasse; quod etiam aliorum est judicium, verbi caussa, viri docti in *Hall. Allg. Lit. Zeit.* a. 1814, pl. 223, qui tamen, si non parenthesin illam, certe vulgatam distinctionem et minorem post *uxor* revocandam, versum vero 118:

> Sumere nocturnos, meretrix Augusta, cucullos

interpungendum putat et verbum *abscondente* cum *ancilla* jungit, quia sic illud *Sed* aptius sit. Enimvero hoc etiam vulgari interpretationi satis con-

---

[1] Vid. Sat. X, 331 seq. Tacit. Ann. XI, 12, 26, 30; Suet. Claud. 26, 29, 36, 37; Dio. Cass. LX, 14 seq. Plin. X, 63, seu 83; Aurel. Vict. Cæs. 4.

venit, et dura mihi videtur ellipsis *abscondente* scil. *ei*, et quidem jam eunti.

Not. 117. *Palatino*, imperatorio, in palatio. — *Tegetem;* vide ad V, 8.

Not. 118 seq. Conf. Hor. Sat II, 7, 53 seq. Suet. Ner. 26; Calig. 11, et Oth. 12. Manso hæc adnotavit: « *Sumit Augusta cucullos* (vid. ad III, 170), quo facilius lateat obviosque fallat, sed *flavi galeri* non obliviscitur, quo, detractis cucullis, mœchorum gratiæ se commendet; nam *flavo* meretrices, *nigro* matronæ utebantur. *Palatino cubili* opponitur *calidum veteri centone lupanar*. Illud, ut cum Mart. XIV, 147, loquar, purpureis tapetis lucet et calet, hoc vilibus pannis vix a frigore et ventis defendit. *Cella*, quam *vacuam*, hoc est, modo derelictam occupat Messalina, proprie est, ut e versu 123 constat, *Lyciscæ;* sed in ea Augusta haud secus habitat, ac in *sua:* adeo frequenter eam jam adiit, et quasi sedem ac domicilium ibi fixit. *Linquebat*, licet apte suppleri possit *cubile*, rectius tamen ad *virum* referri puto. » — *Meretrix Augusta*, ut *meretrix regina* Cleopatra apud Prop. III, 11, 39, et Plin. IX, 35, seu 58. Ferrarius (de Re Vest. IV, 20): « *Cucullus*, inquit, ad latendum et dissimulandam personam aptissimus, ideo fere *noctu* in discursationibus sumebatur. *Galerus* autem hoc loco est quid diversum a cuculo; est enim idem quod galericulum, seu adscititium capillamentum. Vetus Schol. interpretatur crinem suppositum, rotundum muliebre capitis tegumentum in modum *galeæ* factum, quo utebantur meretrices. Quod vero adjicit, ideo *flavum* sumptum, quia *nigro crine* matronæ, *flavo* meretrices utebantur (quod etiam Servius notavit ad Virg. Æneid. IV, 698), grammatici deliramentum est. Credibile est, Messalinam, quum *nigris* capillis esset, *flavum galerum* sumpsisse, sive ne dignosceretur, sive ut formosior amantibus videretur. » Vid. ad V, 115, et inpr. ad XIII, 164, 165. *Galerus*, περούκη (*perruque*), *crines empti* apud Ovid. Art. Am. III, 165, et *gausape* apud Pers. IV, 37; VI, 46; quo priscis temporibus non nisi meretrices fere utebantur, donec necessitas primum, et deinde mos usum fecit honestiorem. Vide ad XIII, 164; Salmas. ad Tertull. de Pall. pag. 317 seq. Lips. ad Tacit. Germ. c. 4; et inpr. Bottig. Sabinam, pag. 104, 121, 122, 140, 141, 145, 262, ed. pr. — *Comite ancilla non amplius una*, ne agnosceretur Augusta, quæ multis famulis et in publico et in palatio stipari solebat.

Var. 120. *Et* pro *sed*, 10, 17, 19—22, 24, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 77, 85: et XXXII Codd. Paris. unde illud restituit Ach. — *Nigro flavum*, 11.

Var. 122. *Tum*, 11. Rectius, puto. — *Capillis P. auratis* (flavo galero tectis, aut qui ramentis auri ad ornatum inspersi erant) emend. C. Vales.

Not. 122. *Papillæ auratæ*, aureis catellis ornatæ et tectæ. Vid. Bottigeri Sabina, pag. 408. — *Nuda*, ut XI, 170; nam nuda prostabant scorta, ne occulta labes fraudi esset amatoribus.

Var. 123. *Prostitit*, 1, 24; MS. Schegk. (qui id probat in Præmiss. Ep. V) quinque Codd. Paris. et LXX, unde recipiendum videri possit. Est utique vo-

cabulum propr. Sed idcirco e marg. *forsan* irrepsit. — *Liciscæ*, 24. *Lycistæ*, 47, 48, 64, 85. *Licissæ*, 14—17, 19, 23, 25, 45. *Lucisce*, 12. *Lycisæ*, 61.

Nor. 123. *Prostitit* voc. prop. de scortis publicis ac venalibus, quæ corpore quæstum faciunt, ut I, 47; III, 65; IX, 24. Vid. Lips. ad Tac. Ann. XV, 37, et Wernsdorf. in Poet. min. tom. III, pag. 69. *Constitit* quidam libri; ut *stare* XI, 170, et apud Claudian. XVIII, 95. — *Titulum mentita*, commenta, hoc est, falso addito titulo, ut pro Lycisca haberetur. Cellis meretricum, in fornice prostantium, præfigebantur *tituli*, in quibus nomina earum ac stupri pretium (*æra*, vs. 125) consignata erant: unde Martialis, XI, 46, 1: *inscriptæ limina cellæ*. Conf. locus class. Senecæ, Controv. I, 2; Wernsdorf. loc. laud. p. 78, et infra ad VIII, 168. — *Lycisca*, meretrix famosa, nota etiam ex Martial. IV, 17.

Nor. 124. *Ostendit ventrem* in loco non plane tenebroso, *sub clara nuda lucerna*, Horat. Sat. II, 7, 48. — *Tuum ventrem*, in quo tu conceptus, et e quo natus prodiisti: nam *Britannicus* Claudii et Messalinæ filius, princeps juventutis; unde *generosus*. Conf. ad II, 145.

Nor. 125. *Blanda*, blande, more meretricum. — *Poposcit æra*, stupri mercedem, earumdem more, et ut pro Lycisca haberetur.

Nor. 126. Conf. Plin. X, 63, seu 83. *Resupina jacens*, ut III, 112, et VIII, 176. — *Absorbuit*, ut *exsorbere viros* (gallic. *épuiser*), X, 223, et *vorare puellas*, apud Martial. II, 51, 6; VII, 66, 3 et 15. — *Absorbuit ictus multorum*, ut *excepit turgentis verbera caudæ*, apud Hor. Sat. II, 7, 49. — Vs. 124 post vs. 126 ponendum censebat Schurzfleisch. Ego potius eum post vs. 125 legendum crediderim, quod etiam Rigaltio et Achaint. placuisse video. Sed vulgaris quoque verborum ordo bene se habet. *Tibi* pro *tuum* legitur in 11, quod melius et satirice omnino dictum videbatur Schurzfleischio. Barthius (Advers. XXX, 2) putans verbum *ostendit* nimis leve, et ab hoc loco alienum esse, emend. *offenditque*, quod sensu obscœno dicitur Varroni in Marcipore apud Nonium. Sed cur lux lucernæ non sufficit ad ostendendum ventrem? et cur hoc alienum a tantis libidinibus? *Sub clara nuda lucerna*, etc., de eadem re dixit Horat. Sat. II, 7, 48 seq. et Senec. de Ben. VII, 9, extr. «Matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendunt.» — Vs. 126 post vs. 129 legitur in 74, et post vs. 128 in vetustis codicibus, e quibus eum primi restituere Jos. Cuspinianus in Vita Sigismundi Cæs. pag. 400, et Pulmannus: nam plane abest ab 10, 11, 14—17, 19—23, 25—27, 45—73, 75—77, et XXX Codd. Paris. Henninius monet, se retraxisse eum in suum locum, unde monstrante viam sensu exciderit ob prætextatam licentiam, mox vero a curiosulis receptus eo migraverit, quo non quadraret. Ejectus est ab iis, qui rei obscenitate offendebantur: eodem tamen, quem nunc occupavit, loco jam exstat in 24 et 84, ad margin. In utroque vero cod. legitur *Continueque jacens*, et præterea in illo *cunctorum*, pro *multorum*.

Nor. 127. *Dimittente puellas*, sub vel post mediam noctem. Aditus ad

fornices, vel ex more, vel ex lege, patebat a nona hora; unde meretrices *nonariæ* dicuntur Pers. I, 133, ubi vid. Casaub.

Var. 128. *Quoad et potuit*, 24. — *Sed* pro *et*, 10, 11, 15, 19, 22, 23, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 76, 77, 85, et quidam Codd. Paris. — *Tandem*, 16. *Tantum*, 11, 46, 47, 48, 50, 55, 57, 58.

Not. 128. *Tristis*, nondum expleta libidine. — *Quod potuit* solum, non denegante lenone. *Quod*, quoad, *potuit*, quantum licuit per lenonem; Ach. — *Tentigo* non solis virorum, sed mulierum quoque pudendis tribuitur (Vid. Hennin.); at illis propr. *rigiditas;* unde forsan legitur *rigidæ tentigo venæ*, ut apud Martial. VI, 49, 2, et XI, 17, 5. — *Vulvam* abusive, pro parte genitali virorum, quæ *extendatur*, dici putabat Brit.

Var. 130. *Nondum*, 14, 15, 19, 22, 46—50, 54—69, 71—74, 85. *Sed non* pro *necdum*, 45.

Var. 131. *Obscenisque* suspicari possis.

Not. 131. *Obscuris*, obscuratis fumo lucernæ, vel potius *turpis obscuris genis*, turpatis ac sordidis squalore et illuvie, crebris oculis et tactu impurorum hominum. — *Fœda*, fœdata, *fumo* et fuligine *lucernæ*, notæ lupanaris, solitæ suspendi ad lenonias ædes et januas; nam scorta olim ad vesperam prostabant. [1]

Not. 132. *Pulvinar*, torum in palatio, cujus pulvini mollibus plumis farti sunt. — Hunc locum gallico carmine imitatus, haud infeliciter cum Juvenale luctatus est nostras *Thomas*, quem non transcribere non potui :

« Quand de Claude assoupi la nuit ferme les yeux,
« D'un obscur vêtement sa femme enveloppée,
« Seule avec une esclave, et dans l'ombre échappée,
« Préfère à ce palais, tout plein de ses aïeux,
« Des plus viles Phrynés le repaire odieux.
« Pour y mieux avilir le sang qu'elle profane,
« Elle emprunte à dessein un nom de courtisane;
« Son nom est Lycisca. Ces exécrables murs,
« La lampe suspendue à leurs dômes obscurs,
« Des plus affreux plaisirs la trace encor récente,
« Rien ne peut réprimer l'ardeur qui la tourmente :
« Un lit dur et grossier charme plus ses regards
« Que l'oreiller de pourpre où dorment les Césars.
« Tous ceux que dans cet antre appelle la nuit sombre,
« Son regard les invite, et n'en craint pas le nombre.
« Son sein nu, haletant, qu'attache un réseau d'or,
« Les défie, et triomphe, et les défie encor.

[1] Vid. ad vs. 127; Lips. Elect. I, 3; Horat. Sat. II, 7, 48; Martial. IV, 4, 9; Senec. Controv. I, 2 extr.: « Redoles adhuc fuliginem fornicis; » in Priap.: « Ergo quilibet huc licebit intret, Nigra fornicis oblitus favilla. »

« C'est là que, dévouée à d'infâmes caresses,
« Des muletiers de Rome épuisant les tendresses,
« Noble Britannicus, sur un lit effronté,
« Elle étale à leurs yeux les flancs qui t'ont porté!
« L'aurore enfin paraît, et sa main adultère
« Des faveurs de la nuit réclame le salaire.
« Elle quitte à regret ces immondes parvis:
« Ses sens sont fatigués, mais non pas assouvis.
« Elle rentre au palais hideuse, échevelée,
« Elle rentre; et l'odeur autour d'elle exhalée
« Va, sous le dais sacré du lit des empereurs,
« Révéler de sa nuit les lubriques fureurs. » ED.

VAR. 133. *Hippomanes carnemque loquar*, 11, 16, unde Schurzfl. conj. *Hippomanis carnemne*. Idem tamen recte monet, antiquam lectionem retinendam, alteramque e glossa ortam videri. Fortasse hæc etiam stupori vel incuriæ librariorum debetur.

NOT. 133. Poeta breviter hoc loco (sed copiosius infra vs. 610 seq.) alia memorat mulierum scelera, adulteriis graviora, philtrorum usum, incantationes, veneficia. — *Hippomanes*, τὸ ἱππομανὲς, vel herba arcadica, qua gustata equi in furorem incidunt (vid. Theocrit. II, 48, 49); vel liquor virulentus, ab inguine equæ, ardore coeundi flagrantis, distillans;[1] vel caruncula nigra, caricæ magnitudine, fronti pulli recens editi adhærens, quam equa feta statim edito partu devorare, quaque prærepta in rabiem olfactu agi, nec partum ad ubera admittere dicitur[2]. His omnibus superstitio utebatur in veneficiis et philtris, quod ex locis infra laudatis intelligitur. Præterea sagæ adhibebant *carmen*, magicas formulas, ἐπῳδὰς, et *venenum*, τὰ κακὰ φάρμακα.

NOT. 134. *Privigno datum* a sæva noverca, bonis ejus inhiante.

Ἐχθρὰ γὰρ ἡ πτοῦσα μητρυιὰ τέκνοις
Τοῖς πρόσθ' ἐχίδνης οὐδὲν ἧπιωτέρα,

Euripid. in Alcest.[3] — *Faciunt graviora* adulteriis flagitia mulieres *coactæ imperio sexus*, muliebri cupiditate imperandi, vel potius dominatu, impetu, vi, *sexus* sui, qui acrioribus incenditur cupiditatibus affectibusque, ira, odio, dominandi cupiditate, superbia, invidia, etc., eorum imperio facile obsequitur, et sic ad omne rapitur scelus, quia nimis infirmus est, quam ut illis resistere possit; *minimumque libidine peccant*, peccata libidinis, vel quæ sola libidine impulsæ committunt, sunt minima.

[1] Vid. intpp. Plin. lib. XXVIII, cap. 11, seu cap. 80; Virg. Georg. lib. III, v. 280 seq. Ovid. Am. I, 8, 8; Tibull. lib. II, 4, 58; Propert. lib. IV, 5, 18.

[2] Conf. infra vs. 616; intpp. Plin. VIII, 42, seu 66, et Virg. Æneid. IV. 515, 516.

[3] Conf. vs. 628; Virg. Georg. II, 128; III, 282; Horat. Od. II, 24, 17, 18; V, 5, 9; Tacit. Annal. XII, 2: Ovid. Metam. I, 147.

VAR. 135. *Nimiumque*, 16, 22.

VAR. 136. *Cesennia*, 14, 15, 26, 27, 61—63, 65 (Paris. 1512), 66, 67, 70—74, 82. *Cæsennia*, 81 et al. Alteruntra lectio videtur probanda. Gens certe *Cesennia* nota est e Tac. Ann. XV, 6 (ubi vid. Lips.); Cic. Phil. XII, 9; Joseph. Bell. Jud. p. 848, et *Cæsennia* e Cic. Cæcin. 4 et 8 sq. *Montfaucon*, *Antiquité expliquée*, tom. V, p. 110 sqq., et Gruteri Inscr. Vid. Ryck. et Ernesti ad Tacit. Annal. XIV, 29. *Censennia*, 3, 11, 20, 21, 75, 76. *Censonia*, 2, in interstit. 10, 16, 17, a m. pr. 19, 25, 45—48, 56—60, 65, 85. *Cæsonia*, 17 a m. sec. 28, 49, 50, 54, 55, 64, 68, 69. Gens *Cæsonia* memoratur a Cic. in Pis. 6; in Verr. I, 10; II, 18; ad Att. I, 1; XII, 1; a Tacit. Annal. XIV, 29 (ubi vid. interpp.); XV, 71, et al. Sed hoc nomen forsan e v. 616 hujus Sat. huc translatum est; vid. ibi not. *Cessennia*, 17 a m. sec. *Cessania*, 22. *Cesenia*, 24.

ANAL. 136—141. Mulieres, ob grandem ductæ dotem, omnia agunt ex arbitrio, et avari ita libertatem imperiumque vendunt. Confer. vs. 30, et 457 seq. Plaut. in Asin. I, 1, 74; in Menæchm. V, 2, 15 seq. in Aulul. III, 5, 60, et inpr. similia Alexidis verba apud Athen. XIII, 1 (7), pag. 558:

Ὦ δυστυχεῖς ἡμεῖς (μὲν οἱ) πεπρακότες
Τὴν τοῦ βίου παῤῥησίαν καὶ τὴν τρυφὴν,
Γυναιξὶ δοῦλοι ζῶμεν ἀντ' ἐλευθέρων.
Ἔπειτ' ἔχειν προῖκ', οὐχὶ τιμὴν πάσχομεν;
Πικράν γε καὶ μεστὴν γυναικείας χολῆς.
Ἡ τῶν γὰρ ἀνδρῶν ἐστι πρὸς κείνην μίλι.
Οἱ μέν γε συγγνώμην ἔχουσ' ἀδικούμενοι·
Αὗται δ' ἀδικοῦσαι καὶ προστεγκαλοῦσ' ἔτι.
Ὧν οὐκ ἐχρῆν ἄρχουσιν, ὧν δ' ἄρχειν ἐχρῆν
Ἁμαλοῦσιν· ἐπιορκοῦσιν· οὐδὲ ἓν κακὸν
Ἔχουσι, καὶ κάμνειν λέγουσιν ἑκάστοτε.

Anaxandrides apud Stob. *πένης, τὴν γυναῖκα πλουσίαν λαβὼν, ἔχει δέσποιναν, οὐ γυναῖκ' ἔτι.* Contra apud Scythas Getasque *non regit virum dotata conjux*, Horat. Od. III, 24, 19.

NOT. 136. Verba, vel poetæ, vel Postumi, ut et infra vs. 142, 161, et al. — *Optima* mulier et pulcherrima censetur, seu jactatur *teste marito*, judicio mariti. — *Cesennia*, nomen divitis mulieris. Conf. Var. Lect.

NOT. 137. *Dedit*, attulit marito avaro grandem dotem, *bis quingenta*, mille sestertia, vel, ut Romani dicunt, decies sestertium: infra X, 335. — *Decies centena*, scil. sestertia, vel sestertiorum millia. Quæ ab Augusti inde temporibus fuit summa census senatorii; hoc loco posita pro maxima dote, vel ingenti. Eumdum numerum in dote inter honestiores quasi legitimum fuisse et solennem, putabat Lips. ad Tacit. Annal. II, 86[1]. Sed

[1] Id colligebat ex X, 335; Senec. ad Helvet. 12 ext. Martial. II, 65, 5; XI, 24, 3, et al. locis. Confer. etiam Plin. Ep. II, 4; L. VI, § 1; D. de Usur. et Fruct. Papinin. Quæst. l. 29, et Novell. Constit. D. Just. 22, c. 18.

quomodo summa dotis certa ac solennis esse, vel adeo legibus constitui potest? Verba autem *ritu decies centena dabuntur antiquo* X, 335, ita interpretor : ritu antiquo dos dabitur, et quidem amplissima ; ut verba *ritu antiquo* ad morem dotis dandæ, non ad solennem ejus summam spectent. Conf. ad II, 117. — *Tanti*, tanto pretio, ob tantam dotem.

VAR. 138. *Pharetris Veneris*, 10, 11, 12, 14—17, 19, 21—27, 45—49, 54—60, 64—70, 75, 76, 85. — *Est* perperam omissum in 61, 62, 66, 67. — — *Haud* pro *aut*, 19, 23.

NOT. 138, 139. Non incalescit et flagrat amore uxoris, sed opum ejus; non uxorem amat, sed dotem. — *Pharetræ* respondent *sagittis*, et *lampas facibus*. *Sagittas* (et quidem ardentes, *ἰους πυρφόρους* [1]) poetæ ac sculptores non modo Amoribus et Cupidini, et *lampadem* seu *facem* non modo iisdem et Hymenæo [2], sed et *Veneri* tribuunt. [3] — *Macer est* acri amore, qui macerat, urit, consumit, conficit. [4] — *Inde*, ob dotem, et ab ea.

VAR. 139. *Venient*, 24.

NOT. 140. *Libertas* impune ex arbitrio omnia agendi, et imperium *emitur* ab uxore grandi dote. Conf. ad vs. 136. *Coram*, præsente marito, *licet* uxori ut *innuat* mœchis, seu amatoribus, *atque rescribat* literis eorum. [5] — *Locuples*, bene donata mulier, *quæ nupsit avaro*, *vidua est*, quibuscum libuerit concumbit, et æque libera est, ac si esset vidua et sui juris, nec maritum haberet; *vivit tanquam vicina marito*, infra vs. 509. — Eodem sensu *Gilbert, le dix-huitième Siècle:*

« . . . . L'hymen n'est qu'une mode,
« Un lien de fortune, un veuvage commode, etc. » ED.

NOT. 142. Aliæ uxores ob solam amantur pulchritudinem, quæ forma pereunte repudiantur, sed, quamdiu illa viget, imperiose agunt, et, quodcumque libuerit, a marito exposcere vel extorquere solent. — Cf. ad vs. 136.

VAR. 143. *Si verum inspicias*, 14.

NOT. 143 sqq. Conf. Terent. Heaut. II, 3, 9, et supra ad II, 138. — *Excutere*, scrutari, expendere; propr. videre, si quis quid absconditum secum habeat, quod fere fit excutienda toga. Vid. Ernesti in clav. Cic.

VAR. 144. *Si* pro *se*, 26, 27, 46—48.

---

[1] De quibus vid. ad Sil. V, 19, et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 8, 15.

[2] Vid. Phurnut. Nat. Deor. c. 25; Catull. LX, 6, et al.

[3] Vid. Maffei Gem. ant. fig. P. III, tom. 8; Beger. Thes. Brand. tom. I, pag. 170, et Bothon. Chron. apud Leibnit. Script. rer. Brunsw. tom. III, pag. 287.

[4] Conf. Horat. Od. I, 13, 8; V, 14, 16; Virg. Ecl. III, 100 seq. al.

[5] Conf. ad I, 55 seq. Tibull. I, 2, 21; Ovid. Am. I, 4, 17 seq.; II, 3, 23 seq.

Nor. 144. *Tres*, vel paucæ, *rugæ subeant*, veniant, a senectute, aut morbo. — *Cutis arida*, succo exhausto, *se laxet*, fiat laxior, macilenta et flaccida. Conf. Ovid. Art. Am. III, 73, et Plaut. Mil. glor. II, 1, 45, 46.

Nor. 145. *Dentes fiant obscuri*, putrescant et nigrescant. [1] — *Oculi fiant minores*, contrahantur, ob defectum humoris et senectutem.

Var. 146, 147. Absunt a 14. *Dicit*, 17, 23.

Nor. 146. Ejusmodi mulier ædibus exigetur. Solennes divortii formulæ erant, *collige sarcinulas; exi, vade foras; res tuas tibi habeto; res tuas tibi agito*, ut *migra* infra vs. 171 [2]. Divortia vero, a Romulo plane interdicta (vid. Plut. in Rom. pag. 31), et lege X Tab. VI, non sine gravissima caussa concessa, nec ante ann. Urb. condit. DCC (vid. Valer. Max. II, 1), vel DXXIII (vid. Dionys. II), vel DC (vid. Tertull. in Apolog.) consueta, moribus Romanorum corruptis tam vulgaria erant, ut mariti, quin et uxores (quibus olim ea facere non licebat), sæpe ea vel levissima, vel adeo sine caussa facerent per diffarreationem, aut remancipationem, aut usurpationem, utque Seneca de Ben. III, 16, conqueratur, «nullam jam repudio erubescere, postquam illustres quædam ac nobiles feminæ non consulum numero, sed maritorum, annos suos computent, et exeant matrimonii caussa, nubant repudii.» Conf. infra vs. 229, 230. *Sarcinæ* et vasa *colliguntur* a militibus, iisque, qui in alium locum migrant. — *Dicet libertus*: nam dimissuri uxorem cum septem testibus ad eam mittebant libertum, qui illam jubebat res suas sibi habere. Paulus in L. IX ff. de Divort. «Nullum, inquit, divortium ratum est, nisi septem civibus Romanis præsentibus, præter libertum ejus, qui divortium faciet.»

Var. 147. *Ut sæpe emungeris!* non male emend. Heins. ad Claudian. Cons. I Stilic. II, 327.

Nor. 147. *Jam nobis es gravis*, fastidio. — *Sæpe emungeris*. Emungis nasum mucoris plenum; mucosa es, seu mucida et vetula, ut contra mox *altera sicco naso*, nova nupta, cui cedas, pulchrior et juventute florens. Apud Plaut. Mil. glor. III, 1, 52:

Minime sputator, screator sum, itidem minime mucidus.

Var. 148. Abest a 22.

Nor. 149. *Interea*, dum, seu quamdiu ætate floret ac specie, *calet*, fervet, *et regnat*, imperitat; ardenter omnia et imperiose agit; fervida est ingenio et superba. — *Poscit maritum*, vel a marito, res pretiosissimas, et quodcumque ipsi placuerit [3].

[1] Conf. Horat. Od. II, 8, 3; Ovid. Art. Am. III, 197 et 279.

[2] Vid. Brisson. ad Leg. Jul. de Adult. et de Form. Leg. VIII; Cujac. Obss. I, 19; VIII, 26, et Schott. Obss. IV, 4 et 39.

[3] Conf. Plaut. Aulul. act. III, sc. 5, vs. 24—61; Propert. lib. III, 13; al.

Not. 150. *Ovem* et lanam *Canusinam*, quæ nobilissima erat et pretiosissima. *Lana laudatissima Apula.... Tertium locum Milesiæ oves obtinent.... Circa Tarentum Canusiumque* (opp. Apuliæ) *summam nobilitatem habent;* Plin. VIII, 48, seu 73. [1] — *Ulmos*, vites, ulmis fultas: vid. infra ad VIII, 78. — *Falernus* ager in Campania ferax vini generosissimi. Vid. ad Sil. VII, 162—211.

Var. 151. *Omnes pueros*, 19.

Not. 151. *Quantulum in hoc*, sc. poscit? Hæc, quæ dixi, quam parvi momenti sunt præ aliis, quæ postulat! *Pueros omnes*, et *ergastula tota*, scil poscit, hoc est, servos quam plurimos, tam in urbe, quam in agris ac villis. Quindecim plerumque servos confecisse *ergastulum* ex Apuleio docet Lips. Elect. II, 15. Conf. infra ad XIV, 24.

Var. 152. *Sed habet*, 14, 22. *Quod habet*, 15. — *Amatur*, 22.

Not. 152. Avara atque invida mulier appetit, quodcumque alius habet, et jubet, ut *ematur* sibi.

Var. 153. *Mense quidem Numæ*, 4, et sic legit Sidon. In 4 reperitur vetus hoc scholion: « Ita Februarius dictus, quem Februo, i. e. Plutoni consecravit Numa. » Idem vero rex Januarium quoque instituit, Janoque consecravit. Sed quis unquam hunc, vel illum mensem Numæ propterea dixit? — *Cum* vel *quum*, pro *quo*, 10, 11, 14—17, 19 in marg. 20, 21, 22, 25, 27, 45—50, 54—63, 65—69, 71—74, 77.

Not. 153—157. Verba obscura, quæ non male ita exponunt: *Mense brumæ*, hiberno, vel Decembri, in quo est *bruma*, solstitium hiemale, adeoque ipso tempore hiemali, quo *mercator Iason*, audax mercator et longinqua trajiciens maria, vel proprie ipsum mare *clausum* est frigore (nam hiems gelu rura et *maria* a III Id. Nov. ad VI Id. Mart. *claudere*, *ver* autem *aperire navigantibus maria*, ejusque *grata vice hiems solvi* dicitur Veget. IV, 39; Plin. II, 47 pr. et Horat. Od. I, 4, 1), et *nautæ* quidem *armati*, ad navigandum jam parati sunt (nam *arma* et *armamenta* dicuntur omnia navium aliaque instrumenta, et *armari* omnia ea, quæ rebus necessariis instruuntur); sed a navigatione prohibentur frigore (*nautis obstat casa* in navi *candida*, conspersa nive, vel tugurium pruinis albicans, hoc est, frigus), ornamenta pretiosissima et peregrina, vel transmarina, non sine summis difficultatibus impensisque paranda, uxor sibi jubet comparari et afferri, vel ab ipso peti marito. Sed veram hujus loci sententiam e veteri Scholio satis perplexo (vid. not. 42) eliciendam esse monuit Lenz, in Ann. liter. Goth. ann. 1802, pag. 262, scil. hæc: Decembri mense Saturnale festum excipiebant *Sigillaria*, quibus sigillarii et mercatores sigilla, seu

---

11; Ovid. Amorum lib. I, vs. 10, et Tibull. lib. II, vs. 4.

[1] Conf. Colum. VII, 2, et Martial. XIV, 155.

imagunculas cereas gypseasque, libros aliaque mercium et munusculorum, quæ sibi invicem missitabant Romani, genera exponebant venalia (vid. Macrob. Sat. I, 10 extr. intpp. Gell. II, 3; V, 4, et Bottigeri Sabina, pag. 217, 218, 236, 237), plerumque in tabernis linteis, seu linteo obductis (*casis candidis*), quæ tum aliis Urbis locis, tum in primis in porticu Neptuni, seu Argonautarum (vid. Reimar. ad Dion. Cass. LIII, 27), poni solebant, et hujus parietibus ita se acclinare, ut conspectum tabularum, quibus illi erant ornati, et navigatio Argonautarum depicta, eriperent: hinc *mercator Iason*, qui mercaturæ potissimum caussa Colchidem petiit, *clausus, et nautis*, qui fere heroes et *armati* erant, vel proprie conspectui eorum in pictis tabulis, aut cælaturis *obstat casa candida*. Saturnalibus autem et Sigillaribus munera mitti solebant, et uxor itaque hanc occasionem, pretiosissima munuscula *tollendi*, hoc est, emendi, vel potius auferendi et extorquendi a marito, non prætermittit [1].

Nor. 155. *Crystallina* vasa; nisi simul innuuntur globi crystallini (*Krystallkugeln*), quos delicatiores feminæ manibus gestabant, ut refrigerarentur, et immenso pretio emebant: vid. Plin. XXXVII, 2, seu 10, 11 (ubi etiam hæc leguntur: «non alibi crystallus reperitur, quam ubi maxime hibernæ nives rigent et glacies, unde et nomen Græci dedere;» nam κρύσταλλος, de quo vid. Græv. ad Flor. IV, 3, 76, propr. *gelu*, seu *glacies*, dicitur); intpp. Prop. II, 18, 60; IV, 3, 52; Beckman. ad Marbodi librum Lapidum, seu 41, pag. 71, et Bottigeri Sabina, pag. 432 seq. et 450 seq. ed. pr. — *Murrhina*, seu *myrrhina*, *murrhea*, *murrea*, *myrrhea*, scilic. vasa, et quidem potorii potissimum generis [2]. Quibusdam *murrha* videtur

[1] Vulgo hunc locum ita explicant: Uxor luxuriosa etiam tempore hiemali, quo summa navigantibus imminent pericula, et frigus obstat, maritum navigare jubet, ut peregrina sibi conquirat supellectilia. Vetus Schol. «Illud significat, quod Romæ in porticu Trajanarum thermarum tempore Saturnaliorum sigillaria sunt. Tunc mercatores *casas* de linteis faciunt, quibus picturæ *obstant*. Ideo autem dicit *mercator Iason*, quoniam antea in porticu Agrippinarum sigillaria proponebantur, in qua porticu historia Argonautarum depicta est, et casæ quum fierent, picturæ obstabant.» — *Tolluntur*, ex mercatoris officina elevantur, ut Gall. *enlever de chez le marchand*; Grang.

[2] De *murrha*, vasisque inde confectis, et immenso pretio emptis vid. intpp. Plin. XXXIII, 2; XXXVII, 2, 7 et 8; Suet. Aug. 71, et Prop. III, 10 (al. 8), 22; IV, 5, 25; Rader. ad Martial. XIV, 113, p. 860; *Mariette: Recueil des Pierres gravées, à Paris*, 1750, tom. I, pag. 218 seq. *Le Blond: Diss. sur les Vases murrhins; Biscari ragionamento dei Vasi murrhini*, 1782; Schellhorn. Amœn. Eccl. t. II, p. 890; *Raspe in d. Einleit. zur Beschreib. von Tassie's Gemmen*, pag. 47; Salmas. Exercitat. Plin. pag. 144, 769, 1063; Rezzonici Disquis. Plin. t. II, p. 213; *Caylus*, de Lapid. Obsidion. Ernesti Archæolog. liter. part. I, cap. 3, § 7, 8, 25, 26; inprim. Christ. Dissertat. de Vasis murrhinis Lips. 1743. Vid.

esse crystallus, a quo tamen hoc loco, et apud Plinium distinguitur, aliis porcellana Sinica, aliis onyx, species marmoris, non gemmæ, aliis scoria ferri, Christio dendrachates, Veltheimio lapis, qui vulgo *Chinesischer Speckstein* dicitur. Hæc conjectura arrisit S. V. Gurlitto et aliis, eamque ceteris prætulit ill. Bottiger in Sabina, pag. 85 et 307, ed. pr. qui tamen nunc (vid. *Morgenblatt für gebildete Stände*, ann. 1807, n° 87, 88) probat, quæ *Mariette*, loco infra laudato, scite disseruit de perantiqua porcellana Sinica, quo refert *picta murrhina* Martial. XIII, 107. Idem fervida vina ex ejusmodi pateris, seu vasis potoriis, commodissime sorberi potuisse monet, et in dubium vocat conjecturam Hageri (*Description des Médailles Chinoises du Cabinet impérial de France, Paris*, 1806, in-4°, pag. 150 seq.) de pretioso lapide Sinico, qui *Yu* dicitur, et ex quo vasa conficiuntur ingentis pretii. Conf. *Ideen über die Politik u. s. w. von Heeren*, I, 1, p. 124.

Var. 156. *Myrrina*, 27, 46, 47, 59, 64. *Mirrina*, 23, 24, 45, 60, 65, 85. *Myrina*, 48. *Myrrhia*, 50. *Murrhina*, 74, quod recepi pro *Myrrhina*. Cf. ad VII, 133. — *Berenices*, 49, 61, 62, 63, 65—69, 71, 72, 76, 77; quæ vulgarior est scriptura. Sed *Beronices* in omnibus fere libris legitur. Sic etiam quibusdam scriptoribus Græcorum Βερονίκη, et aliis, ut in numis, Βερενίκη dicitur. *Beronicis*, 12, 15, 17, 19, 20, 21, 27, 45—47, 85.

Not. 156 seq. Conf. *Goguet*, *Origine des Lois*, tom. II, pag. 117, ed. Paris. in-4°, et Bottigeri Sabina, p. 394 et 413, ed. pr. — *Deinde adamas notissimus*, etc. hoc est, talis, qualis fuit ille *notissimus et pretiosior factus*, etc. De *adamante*, qui duritie, nitore ac pondere in gemmis primum tenet locum, cujusque usus primum in solis annulis et monilibus, postea vero et in vasis potoriis aliisque supellectile fuit, vid. Plin. XXXVII, 4, et Ernesti Archæol. liter. P. I, c. 3, § 5. Annulis magnum dabat pretium fama et dignitas priorum possessorum. Mordaci hinc joco poeta dicit, pretium adamantis, vel annuli adamantini, quem Bibula, seu uxor superba poposcerit, eo auctum esse, quod eum in digito gestaverit *Beronice*, seu Berenice (vide Var. Lect.), quæ regina quidem, sed *incesta* fuerit, eumque ab incesto fratre dono acceperit. Nam Agrippa major, rex Judææ, filius Aristobuli et Berenices, neposque Herodis Magni, tres filias, *Beronicen*, Mariam, seu Mariamnem, et Drusillam (uxorem Claudii Felicis, qui frater fuit Pallantis) habuit, unumque filium, *Agrippam* minorem, seu juniorem, ultimum Judæorum regem, qui multum auctoritate apud Claudium Imperatorem valuit, quemque incestus cum Berenice sorore commissi suspectum fuisse et accusatum, memorat Joseph. Ant. Jud. lib. X, p. 673; unde præterea discimus, hanc Berenicem primum Herodi, patruo

---

Veltheim in d. Abhandl. über die murrhinischen Gefässe Helmst. 1791 (*Sammlung seiner Aufsätze*, tom. I, pag. 191 seq.), et *Gurlitt über die Gemmenkunde*, Magdeburg. 1798, pag. 5 seq.

suo, deinde Polemoni, regi Pontico, nupsisse, bisque fuisse Romæ, ut Titum Cæsarem amore inflammaret; de quo vid. Dodwell. Annal. Quint. § 18 [1]. Poeta autem, hoc loco, verba *hunc dedit* in affectu repetiit, et jungenda sunt *barbarus Agrippa* et *incestæ sorori*. Plerique intpp. perperam hoc loco vel aliam innui putant Berenicen aliumque Agrippam (nam plures utriusque nominis fuere), vel annulum duplicem Berenicæ a duobus datum, alterum a *barbaro*, Herode, ejus patruo et marito, vel Ptolemæo, Philadelphi filio, ejusque marito ac fratre, alterum ab *Agrippa*, fratre illius. Barbari Græcis dicebantur peregrini, qui haud Græci; Romanis, qui nec Romani, nec Græci erant. — *Incestæ*, vid. ad IV, 9.

Var. 159. *Sabbata* sic dicta ab hebr. שבת *quievit* ab opere, unde propr. scrib. *sabbatha* et σάββαθα pro vulg. σάββατα.

Not. 159. *Ubi*, hoc est, in Judæa, ubi ipsi *reges mero*, puro ac nudo (quæ tamen vocis significatio insolens est), *pede sabbata observant festa*, festa agunt, seu celebrant. Nam Josephus, Bell. Jud. II, 15, et Hegesippus, Bell. Jud. lib. II, tradunt, Berenicen reginam, Agrippæ regis sororem, ut Deo vota solveret pro salute, Hierosolymam venisse, ac pro more hostiis cæsis capillisque derasis nudipedem tum sacra fecisse, tum ante tribunal Festi, præsidis Syriæ, atroci cæde in Judæos sævientis, stetisse, ut pro his supplicaret. Eo respexisse videtur poeta hoc loco, ubi obiter Judæos ritusque eorum ridet. Ἀνυποδησίαν, vel nudipedalia in sacris antt. populorum (conf. vs. 525, et Casaub. ad Sueton. Aug. 100), inpr. Hebræorum, in gravi luctu, vel statis jejuniis, et quum vota solverentur; usitata fuisse; sed Juvenalem ignoratione Judaicorum rituum eam in genere ad *sabbata* retulisse, vel hac voce significasse jejunia, copiose et erudite docuit Spanhem. ad Callim. Hymn. in Cer. vs. 125. Conf. infra ad XIV, 96; Perizon. ad Ælian. V. H. XII, 35, et Kœnig ad Pers. V, 185, ubi notat, sabbatorum religionem apud Romanos frequentissimam, Judæos autem in propagandis cærimoniis ritibusque suis ambitiosos fuisse. Bynæus, de Calc. Heb. II, 4, poetam imperitiæ arguit, et Braun. de Vest. Heb. I, 3, § 2, eum commoda interpretatione juvare ac defendere conatur. Plathnerus hæc adnotavit: «Merula Judæorum nudipedalia denotari opinatur: sed hæc extra sabbatum celebrabantur, ut tradit Scalig. Emend. Temp. III. *Sabbatum*, hoc loco, quamlibet festivitatem, et septimum cumprimis diem, qui semper

[1] De Agrippa majore vid. Joseph. Ant. Jud. XVIII, 1—9; XIX, 17, p. 638, 642 seq. 670 seq. Act. Apost. XII (ubi *Herodes* dicitur); Dio Cass. LX, 17, pag. 545 et 607; *Mém. de l'Acad. des Inscrip.* tom. XIX, p. 428; tom. XXI, pag. 289 seq. de Juniore Joseph. l. c. pag. 679, 683, 690 seq. Dio Cass. pag. 752; Tac. Annal. XII, 23; XIII, 7 et Hist. II, 81; V, 1; Act. Apost. XXV et XXVI. Conf. Noldius de Vita et Gestis Herodum ad calcem Opp. Josephi ed. Haverc. tom. II, pag. 333, et Schleusneri Lexicon in Nov. Testamentum, vocabb. Ἀγρίππας et Ἡρῴδης.

sanctus Judæis, notat. Per *reges* autem intelligo sacerdotes, qui sanctum intrabant sanctorum : nam qui Agrippam hic notari putant, non audio ; nec id ex Hegesippo, minime vero ex Josepho probari potest. »

Not. 160. Et ubi Judæi, clementia ducti, jam a priscis temporibus et ritu a majoribus tradito suibus parcunt, eosque senescere patiuntur, unde *senibus porcis ;* nisi forte poeta Judaicorum rituum æque ignarus fuit, ac vetus Schol. qui monet, Judæos majoribus porcis parcere, et minores manducare. Non minus urbane Augustus dixisse fertur : *Melius est, Herodis porcum esse, quam filium.* Conf. ad XIV, 98.

Var. 161. *Ullane,* 23. Non male, ut hæc quoque poetæ, non Postumi, verba sint.

Not. 161. Verba Postumi, quibus poeta, vs. 162 seq. respondet. Conf. supra ad vs. 136. — *Gregibus,* multitudine puellarum, ut infra vs. 175.

Var. 162. *Facunda,* 22, 85.

Not. 162 seq. Fac in una eademque muliere plures inesse dotes fortunæ ac virtutes (quod tamen rarissimum est), propter eas ipsas superba erit, qua uxore nihil est intolerabilius. Fastum vero gignunt mulierum pulchritudo (vid. Ovid. Fast. I, 429 et al.), divitiæ (vid. infra 457 seq.), fecunditas (vs. 172 seq.), nobilitas generis et castitas (vs. 167 seq.). *Formosa* et *decens* hoc loco junguntur tanquam diversæ significationis vocabula, ut *pulcher* et *decens* apud Suet. Dom. c. 18, pr. Bene Jani ad Horat. Od. I, 18, 6 : « *Decens,* perpetuum Veneris et Gratiarum (verbi caussa, Od. I, 4, 9) epitheton, quum perfectam totius corporis pulchritudinem designans, tum gratiam illam pulchritudini adjunctam, quæ te tibi subripiat. » — *Vetustos porticibus disponat avos,* eorum imagines ; hoc est, sit nobilis. Vid. ad VIII, 1. — *Intactior,* castior, ut apud Prop. II, 6, 21 : *rapere intactas Sabinas, κουριδίας ἀλόχους* ; nam *tangere* feminam de re Venerea dicitur honesto vocabulo, ut *γυναικὸς θίγειν*, apud Eurip. Hipp. 1044 : vide Mitscherl. ad Horat. Od. III, 11, 10. Conf. Horat. Od. I, 7, 5, et Sat. I, 2, 54; Virg. Æneid. I, 345, et Calpurn. Ecl. II, 1, ad quem Wernsdorf. in Poet. lat. min. tom. II, pag. 90, monet, *intactas* non solum dici integras et castas, sed et severas ac duriores adversus amantium illecebras. Hinc non est, quod *sit castior* reponatur pro *intactior,* suadente Marklando, cujus nota ad Stat. Silv. II, 3, 73, est : « Virgo *intacta* est, id est, a viro non tacta (quod versum in sensu obsceno accipitur) ; matrona vero non potest esse *intacta,* sit casta licet, quando conjugi fidem servat. Sabinæ autem, quum bellum Sabinos inter et Romanos diremerunt, matres erant, ergo non *intactæ.* Quam emendationem firmat vetus Schol. cujus est glossa : *sit castior Sabinis.* Quum igitur Prop. II ; 6, 21, dixit :

Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas,

de Sabinis adhuc *virginibus* ideoque *intactis* locutus est, non de iisdem *bellum dirimentibus,* quæ tunc *matres* erant, ideoque *tactæ.* » Juvenalem quo-

que quæsiisse istam argutiam, nemo credat; Ach. Heinecke monet, *intactam Sabinam* esse non tactam ab alio, quam a viro suo, et vulgatam bene defendi a Schradero ad Musæum, p. 204, 205, coll. Stat. Silv. III, 5, 6, ubi idem loquendi usus.

VAR. 163. *Sit castior omni* conj. Markl. Vid. supra.

NOT. 164. « Sabinæ mulieres (a Romanis raptæ), quarum ex injuria bellum (inter Tatium et Romulum) ortum erat, crinibus passis scissaque veste, ausæ se inter tela volantia inferre, dirimere infestas acies, etc. » Liv. I, 13, pr. Sabinarum autem castitas, et ipsarum virorumque rigidi mores passim laudantur. [1]

VAR. 165. *Cycno*, non *cygno*, 20; quam scripturam revocavi, quia Græcis κύκνος dicitur.

NOT. 165. Qualis mulier admodum rara est, phœnicis instar nigrive cycni, et vix ac ne vix quidem reperitur. Proverbiales poetæ locutiones passim obviæ. [2]

VAR. 166. *Ferat*, 16, 26, non male.

NOT. 166. *Quis ferat* (ut supra vs. 30) *mulierem*, h. e. superbiam mulieris, *cui omnia* corporis animique bona *constant*, sunt, insunt; ut passim. Ita jam Serv. ad Virg. Æn. III, 518.

Si qua voles apte nubere, nube pari;

Ovid. Heroid. IX, 32, ut τὴν κατὰ σαυτὸν ἴλαε apud Suid. et Plut. tom. II, p. 13, F; et Callim. Epigr. 37, in Brunck. Anal. tom. I, p. 170. [3]

NOT. 167. Repetitio verbi *malo* auget ejus vim. *Mato* uxorem ducere *Venusinam*, h. e. pauperem atque humilem, seu simplicem, peregrinam et rusticam, cujus animus et incorruptus est, et a superbia alienus. Conf. ad I, 51. Ei cum delectu opponitur *Cornelia*, Scipionis Africani majoris filia, Tib. Sempronii Gracchi uxor, Tiberii et Caii *Gracchorum mater*, quæ ornata quidem fuit *magnis virtutibus*, nobilitate, opibus, eximia castitate, facundia, fecunditate (nam XII liberos peperit), pietate, animi magnitudine, etc. [4], sed non sine fastu nobilium feminarum, quæ majorum cognatorumque facta laudabilia, vel stemmata sua crepare solent et jactare.

---

[1] Vide III, 169; infra X, 299 et ad XIV, 180; Mart. I, 63, 11 (*Casta nec antiquis cedens Calvina Sabinis*); IX, 41, 5; Liv. I, 18; Ovid. Metam. XIV, 797, et Am. I, 8, 39, 40; II, 4, 15; III, 8, 61; Horat. Epod. II, 39 seq. et Epist. II, 1, 25.

[2] Confer. VII, 202; Pers. I, 46; Erasm. Prov. II, 1, 21.

[3] Quidam: quæ novit, sibi omnia hæc bona inesse. Alii: quæ singulis magnum quasi pretium constituit.

[4] Vid. Plutarch. in Vit. Tib. et C. Gracchi Opp. tom. I, pag. 824 et 843; Quint. I, 1; Val. Max. IV, 4, 1 et 6, 1; Sen. Cons. ad Marc. c. 16; Pighii Annal. tom. III, pag. 43, 44, et Cic. Brut. 27.

Quod vulgo probatur e Plut. in vita Tib. et C. Gracchi Opp. t. I, p. 843. Magis tamen huc spectat, quod idem Plut. l. l. p. 827, E, memorat, eam sæpe filiis, ut ad res magnas gerendas eos excitaret, exprobrasse, quod a populo romano nondum *Gracchorum mater*, sed socrus Scipionis vocaretur. His occisis, eidem statua ænea publice posita cum inscriptione, CORNELIA MATER GRACCHORUM, quo poeta respexisse videtur. Conf. Plut. loc. laud. pag. 836, E; Plin. XXXIV, 6; Gentilis Orig. p. 395, et Senec. l. l. Alia Cornelia, non minus fere clara, jactantius de se et gente sua loquitur apud Prop. IV, 11.

VAR. 168. *Graccorum*, 85. Vid. ad II, 24.

VAR. 169. *Cum dote*, 13, 46, 47, 48, 50, 64.

NOT. 169. *Supercilium*; vid. ad II, 15. — *Numeras in dote triumphos*, gloriam majorum cognatorumque in dotem quasi imputas, loco dotis, vel pro dote habendam censes. Poeta ipsam alloquitur Corneliam; quo vivida fit oratio.

VAR. 170. *Annibalem*, 22. Vid. sup. ad IV, 39.

VAR. 171. *Cartagine*, 22, 85, et *Kartagine*, 21, sine adspirat. ut in quibusdam inscriptt. Cicer. in Orat. c. 48 : « Quin ego ipse, inquit, quum scirem, ita majores loquutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, adspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros*, *Cetegos*, *triumpos*, *Kartaginem* dicerem : aliquando, idque sero, convicio aurium quum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi. » Non convenit etiam inter viros doctos scriptura *Carthago* et *Karthago*. In numis, inscriptt. et marmor. orthographia variat, neque tanta est auctoritas eorum, ut certa scribendi regula inde repeti queat. *K* non vera litera, sed *quorumdam nominum nota* dicitur Quintil. Inst. Or. I, 4, 9, ubi vid. Spalding. Conf. Drakenb. et nos ad Sil. I, 3.

NOT. 170, 171. Apage te cum laudibus patris tui, quem prædicas devicisse *Hannibalem*, *Syphacem* (vid. Liv. XXX, 5, 11, 13, 17) et *Carthaginem*. — *In castris*, quæ Scipio et Masinissa concremarunt : vid. Liv. l. l. et ad Sil. XVII, 88 seq. Verba *cum tota Carthagine* etiam simul ad Scipionem Africanum minorem referri possunt, qui hanc urbem diruit, et cui nupta erat Sempronia, Corneliæ filia. — *Migra*, vid. supra ad vs. 146. — Hunc locum felicissime imitatus est noster *Boileau*, Sat. X, vs. 471 sqq.

« Si quelque objet pareil chez moi, deçà les monts,
« Pour m'épouser entrait avec tous ces grands noms,
« Le sourcil rehaussé d'orgueilleuses chimères,
. . . . . .
« Je ne suis point si sot que d'épouser mon maître.
« Ainsi donc, au plus tôt délogeant de ces lieux,
« Allez, princesse, allez avec tous vos aïeux,
« Sur le pompeux débris des lances espagnoles,
« Coucher, si vous voulez, aux champs de Cerizoles :
« Ma maison ni mon lit ne sont point faits pour vous. » En.

Var. 172. *Tu, Dea, pone sagittas* ex emend. Grævii recte, opinor, edidit Hennin. quem sequuti sumus. In libris tum scriptis tum editis legitur *tu depone sagittas*, et pronom. *tu* vulgo ad eamdem deam Dianam refertur; quæ ratio admodum dura est. Audi tamen Heineckium: « Egregius profecto locus, ubi subita sententiarum conversio, dum Amphionem loquentem inducit poeta, lectorem mirum in modum afficit, ut eum in optimis Juvenalis esse statuam. Mallem igitur interpretes eum intactum reliquissent. Hi vero, elegantem loquendi rationem non intelligentes, lectionem optime se habentem sollicitavere. *Tu* non referendum ad Dianam, sed ad *Apollinem*, qui præcedit. In his et similibus pronomen *tu* abundat. Conf. XI, 32; Senec. Herc. fur. XII, 48; Lucan. II, 639, et inpr. Bentl. ad Horat. Od. I, 9, 17. *Apollinem* autem dum poeta alloquitur, intelligit etiam Dianam, quæ una cum illo opus perfecit. Et in his nemo hærebit, qui in memoriam venit illius tantopere decantati Virgiliani Æn. IX, 525, et Siliani III, 222. Mutatio numeri autem in *parce, depone* et *configite* multis exemplis probari posset, nisi id jam pæne ad fastidium docuissent critici. Conf. Burman. ad Virg. Æneid. II, 32. » Quæ quum legissem, in memoriam potius mihi rediit decantatum illud : *si tacuisses*, etc. et *parturiunt montes*, etc. Ut alia taceam, bene novi et ad Sil. l. l. monui, a poetis aliisque scriptoribus, quum verba ad collegium pluresve conjunctos faciant, sæpius unum dignitate priorem compellari, reliquos autem adjecto plur. numero simul innui et comprehendi. Sed talis enallage, vel syllepsis numeri aliena est ab hoc loco, ubi sermo est de fratre et sorore.

Not. 172—177. Aliarum mulierum arrogantiam gignit fecunditas, et nonnunquam eam, quæ ipsos lacessat Deos, et totam eamque innoxiam familiam in perniciem agat. Id probatur exemplo *Niobes*, quæ filia Tantali et *Amphionis*, Thebani regis clarissimique lyricinis, uxor, multitudine atque insigni forma liberorum ferox, *Latonam*, matrem Apollinis et Dianæ, insolenter despexit, et ita offendit Deos, ut liberos omnes, Apollo mares, Diana filias, sagittis transfigerent : nam antiquus sermo, quod acuta febri factum est, sagittis et iræ illorum deorum tribuit. Recte Gellius XX, 7, hæc notavit : « Mira et prope adeo ridicula diversitas fabulæ apud græcos poetas deprehenditur super numero (et nominibus) filiorum Niobæ : nam Homerus pueros puellasque ejus bis senos dicit fuisse, Euripides bis septenos, Sappho bis novenos, Bacchylides et Pindarus bis denos : quidam alii scriptores tres fuisse solos dixerunt. »[1] Egregie autem (quæ *πρεσπτοσία* vulgo dicitur) Amphion ejusque sermo inducitur : *Parce* liberis meis, qui *nil* mali *faciunt*, commiserunt, nulla injuria affecere vos et ma-

[1] Conf. de hac re et de tota fabula Hom. Il., *ω*, 602 seq. (ibique Eustath. et Heyne) Schol. Eurip. Phœn. 160 seq. Eudocia, pag. 306, 307; Hygin. Fab. 11 et 69; Tzetza Chil. IV, 420 seq. Ælianus Var. Hist., XII, 36; interpretes Ovid. Metamorph. lib. VI, vs. 146 seq. 271 seq. et Horat. Od. lib. IV, 6, 1; Heyne ad Apoll. III, 5, 6.

trem vestram. — *Pæan*, nomen Apollinis, deinde hymnus, carmen.[1] — *Dea*, Diana. Conf. Var. Lect.

Not. 173. *Matrem*, quæ sola est noxia. In ed. Ach. est nota F. Didoti: «Satiricum magis aliud sub his latere opinor, scilicet: jam dudum *mater ipsa* (nota *ipsam*, non *solam*) gravis fuit mihi, jam dudum sua me quoque superbia lacessivit; vestræ illam iræ libenter permitto.» Hanc conjecturam versibus 169 et 181 seq. firmari putat.

Not. 174. *Sed Pæan*, nil motus Amphionis precibus, *arcum* (propr. ejus cornua) *contrahit*, adducit, intendit, ἴλκει, s. ἀνέλκεται νεῦρα, s. τόξον.

Var. 175. *Sic tulit*, 22. — *Gregem*, 11, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 77, 85. — *Ipsamque parentem*, 11, 14, 15, 27, 57, 61, 62, 63, 66, 67, et XV Codd. Paris. (in VI *ipm̄* vel *ip*3), quod recepit Ach. probaruntque Schurzfl. et viri docti in edit. Juven. cum notis Variorum Amst. 1684, ne Amphion se ipse extulisse dicatur. Enimvero verbum *extulit* non referendum ad Amphionem, sed ad *Nioben* (*extulit Niobe greges*, etc.), quæ liberos ipsumque eorum parentem, qui omnes innoxii luerunt noxam Niobes, extulit, antequam in saxum verteretur. Negatur Ach. cui nos nugari videmur, et qui h. l. ita interpretatur: *extulit* e terra, et telis confodit Pæan *greges*, etc.

Not. 175. *Extulit* domo mortuos, ut I, 72. — *Gregem natorum*, ut sup. vs. 161. — *Ipsumque parentem* liberorum, Amphionem, qui ferro per pectus adacto vitam doloremque finiit (vid. Ovid. Met. VI, 271), vel una cum liberis ab Apolline sagittis est confixus. Vid. Heyne ad Apollod. III, 5, 6, qui aliter hoc ab aliis tradi docet.

Var. 176. *Cum*, 20.

Not. 176. *Nobilior Latonæ gente*; conf. ejus verba apud Ovid. Metam. VI, 172 seq.

Var. 177. *Niobe scrofa*, 14.

Not. 177. Hæc non sine sarcasmo dicta, quasi fecunditas tam justa superbiæ caussa sit, quum eadem et vel major in animalibus iisque immundis reperiatur. — *Scrofa*, seu sus *alba*, triginta enixa fetus, quæ h. l. innuitur, notissima e Virg. Æn. III, 388 seq. VIII, 42 seq. 81 seq. ubi vide Heyne Exc. II ad lib. VII, 29 seq.

Not. 178 seq. *Gravitas* uxoris (h. e. auctoritas, quam debet splendori natalium et morum honestati, qualis Corneliæ fuit), vel *forma* non *tanti* est facienda, ut propterea feras superbiam ei admixtam, qua inflata perpetuo *tibi se* suamque nobilitatem et formam *imputet*, jactet exprobretque, quantum illi debeas (vid. ad V, 14). *Hujus* enim, quamvis *rari summique*,

---

[1] Vid. Valcken. ad Euripid. Hippolyt. 313; Hoepfner. ad Euripid. Cycl. 660; *Creuser's Symbolik*, tom. II, p. 337, 361.

boni, nempe gravitatis et formæ, *nulla* est *voluptas*, etc. — *Plus aloes*, amaritudinis (vid. P in. XXVII, 4), *quam mellis*, dulcedinis. Forsan poeta simul respexit ad *Amorem et felle et melle fecundissimum*, et ad ejus γλυκύπικρος, de quo vide Kœnig. ad Claudian. X, 69.

Not. 181. *Deditus*, ut infra vs. 206. — *Uxorius*, uxori obnoxius, vel ejus amore captus. — *Quam laudibus effert* propter nobilitatem et formam. — *In die*, quovis die, *horis septenis*, septem, adeoque maxima parte diei naturalis (nam is in XII horas dividitur), h. e. magis *oderit*, quam amet.

Var. 183. *Dies*, 13, 15, 17, 20, 21, 22, 25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et plurimi Codd. Paris. e quibus id recepit Ach. *Die*, 12, 16, 18, 19, 24, 85. *Diem* reliqui, etiam 82. *Inque die* rectius dicitur pro uno quoque die, quotidie, quam *in diem*; unde nunc recepi. Ita quoque legendum monuit C. Valesius. — *Oderis*, 22.

Var. 184. Abest a 13 et 22. *Parca*, 25, 46, 48, 49, 54, 57, 59, 60, 65, idque conj. Lubin. ut sensus sit: quædam mulier parca quidem est, non sumptuosa, superba et magnifica; sed tamen non toleranda est, quod Græco utatur sermone, ut blandior videatur. *Quædam parva loquar* emend. Pontan. ad Macrob. Sat. III, 10, perperam coll. Tibull. II, 6, 11. Vulgata lectio bene se habet.

Not. 184. *Quædam*, alia mulierum vitia, sunt *parva*, etc.

Var. 185. *Putet*, 11.

Not. 185—199. Ridet poeta stultitiam feminarum, quæ tum temporis Græcorum (ut hodie Francorum) sermonem moresque affectabant. Conf. III, 58—125. — *Rancidius*, ingratius vel putidius: nam rancida, ut σαπρά, propr. dicuntur cibaria, oleum, carnes aliæque res diutius adservatæ et corruptæ; hinc etiam res deformes et ingratæ, quæ fastidio sunt, vel ineptæ, turpes ac malæ. [1]

Not. 186. *Formosam*, satis venustam atque delicatam, secundum mores geniumque sæculi. — *Tusca* et *Sulmonensis* pro Romana et Italica, vel provinciali. *Sulmo* Pelignorum opp., patria Ovidii. Conf. ad Sil. VIII, 510. — *Græcula*; vide ad III, 58.

Not. 187. *Mera*, pura, vera ac tota, *Cecropis*, Attica, seu Atheniensis: nam Cecrops Athenarum conditor primusque rex fuit; hujus autem urbis incolæ urbanitate et elegantia sermonis morumque ceteris antecellebant Græcis. — *Omnia Græce* (ut hodie Gallice) exprimunt et loquuntur mulieres *nostræ*, *quum* tamen *turpius sit* iis, *nescire Latine*. Grangæus verba vs. 188 per parenthesin non solum in feminas, sed in omnes Romanos, patrium sermonem contemnentes ac negligentes, dicta putat, et confert

[1] Conf. XI, 135; Casaub. ad Pers. I, 33; Hard. ad Plin. XXII, 22 extr. et Jacobs. ad Anth. Gr. vol. II, P. II, pag. 506.

verba Cic. Brut. c. 37 : « Ipsum Latine loqui, est illud quidem in magna laude ponendum ; sed non tam sua sponte, quam quod est a plerisque neglectum : non enim tam præclarum est scire Latine, quam turpe nescire ; neque tam id mihi oratoris boni, quam civis Romani proprium videtur. »

Not. 188. Barthius in Advers. XXIV, 5, hunc versum putabat spurium esse et alienum ab h. l. ubi optima sic interpoletur sententia. « Scilicet, inquit, quidam semi-Gallus, aut Italus, aut adeo Germanus doluit illo ævo scisse Græce delicatas illas loqui, suo vero turpius esse nescire Latine loqui, quæ barbaræ alioqui non nimis essent. » Neque ego dissimulo, mihi semper displicuisse hunc versum, qui magis acumen orationemque rhetoris, vel etiam interpolatoris, qui loci Cicer. in Comm. laudati memor erat, quam satirici poetæ redolet, atque a Codd. 13 et 22 abest. Importuna etiam est vox *magis*, et manca h. l. sententia, quæ quomodo commode expleri possit, vix adsequor. Num sensus est, turpius esse Romanis Latine, quam Græce, nescire ? an turpius esse iis nescire Latine, quam Græce loqui ? an, quod Ach. monet (cui versus videtur ad rem aptissimus), quam Romanos multo magis dedeceat, Latine nescire loqui, quam deceat Græce scire, et Græca Latinis intempestive miscere. Omnia hæc non modo languent, sed etiam male expressa sunt. Olim arbitrabar, fraudem librarii in hoc versu latere ; idemque suspicati sunt Henr. Stephanus (in dialogo de bene instituendis Græc. ling. studiis, p. 92) et Lubinus. Ille emendabat, *Quo sit turpe magis ;* hic melius, *Quum sit turpe minus*, quod recepit Marshall. ut mens poetæ sit : Quandoquidem minus turpe et inhonestum esse reputatur, linguam vernaculam ignorare, quam sermonem græcum non intelligere. Ego olim tentabam : *Omnia Græce*, scil. proferunt, seu loquuntur, *Quum sit turpe magis nostris ea scire Latine*, vel *Quæ sit turpe magis* (turpius) *nostris* (nostratibus) *nunc scire* (quod compendiose scribitur nc̄ *scire*) *Latine*, quam Græce eloqui, quoniam tam fœda sunt et inhonesta. Sed nihil horum nunc mihi arridet, et vix dubito, quin versus hic pannus sit, a scholastico quodam adsutus, quo rescisso expedita sunt omnia.

Not. 189. *Hoc*, Græco, *sermone pavent*, hoc est, pavorem exprimunt, reliquosque animi affectus et sensus.

Not. 190. *Effundunt*, proferunt, indicant, inprim. ea, quæ ante reticuerant, aut quæ reticenda erant ; qui verbi significatus h. l. aptissimus. — *Quid ultra*, sc. faciant, vel facere possint ? quid ultra est, quo progredi possit stulta Græcorum imitatio et æmulatio ? Venuste pro simpl. immo, quin adeo, vel quod pessimum est et turpissimum.

Var. 191. *Concumbunt Græce : non est hic sermo pudicus*, 22, omissis verbis mediis. Error inde ortus, quod et v. 191 et 193 voc. *Græce* legitur. Conf. ad II, 24.

Not. 191. *Concumbunt Græce*, græco more ; Græcos non in sermone tantum, sed in omnibus, etiam turpibus, æmulantur rebus, et in his quoque lingua eorum utuntur. — *Dones*, condones, condonanda sunt et excusanda.

VAR. 192. *Tunc*, 47, 50.

NOT. 192, 193. At quis condonabit id vetulis? — *Pulsat*, sollicitat, vexat, vel debilitat. Sic *senectus pulsat* apud Sidon. Apoll. Epist. V, 9, et carm. II. Similiter *quatere*, *quassare*, *ferire*, etc. Conf. Barth. ad Stat. Theb. IV, 477. — *Adhuc Græce;* sc. loqueris, vel loqui affectas? — *Pudicus*, honestus, qui vetulam, seu anum deceat.

VAR. 194 seq. Olim conjiciebam: *In vetula. Toties*, etc. Nunc mutavi vulgatam distinctionem: *In vetula, quoties .... Ψυχῇ. Modo*, etc. Etsi ne sic quidem oratio satis placet et bene fluit.

NOT. 194. *Quoties intervenit* sermoni, verbis, *lascivum illud* dictum Ζωὴ καὶ ψυχή, quo meretrices uti solent; v. 197. Vox blanda et nequam, λόγοι πορνικοί in Straton. Epigr. VI (in Brunck. Anal. tom. II, p. 360). Sic et:

Ζωὴ καὶ ψυχὴ lascivum congeris usque

apud Mart. X, 68, 5, ubi tamen Gron. ex Thuan. Cod. legendum putabat:

Κύριέ μου, μέλι μου, ψυχή μου congeris usque.

— De vocabulorum eroticorum, Ὀφθαλμοί, Φῶς, Ψυχή, et Ζωή, blanditiis vide Bourdel. ad Heliod. p. 11; Ficoron. in Gemmis, p. 39 et clarissim. *Boissonade* ad Nicet. VI, 58, pag. 287, 288. — *Modo sub lodice relictis*, h. e. verbis, quibus paullo ante in lecto usa es, *uteris in turba*, cœtu hominum, palam. Conf. Martial. l. l. et Ovid. Am. III, 14, 7 seq. — *Lodix* propr. opertorium lecti.

VAR. 195. Græca verba in primis Codd. recte scribuntur; in recentt. corrupta sunt, aut plane absunt.

VAR. 196. *Excitat*, 11, 15, 16, 18, 19, 23, 24, 27, 45, 49, 54, 61, 62, 63, 66—74, 77.

NOT. 196. *Excitet inguen*, ejus pruritum et tumorem, *vox*, etc. Conf. Martial. IV, 5, 6; inpr. VI, 23, et XII, 99, 6 seq. — *Vox blanda et nequam*, seu improba, ut apud Ovid. Art. Amat. III, 795, 796. De proprio voc. *nequam* usu, etiam in libidinibus, vid. Gell. VII, 11. *Vox* illa etiam *habet digitos*, h. e. vim digitorum, qui palpando excitant inguen.[1]

VAR. 197. *Sit tamen*, 19. Locus perplexus, qui valde torsit interpretes. Lucebit, opinor, modo *et* pro *ut* substitueris: *et tamen omnes Subsidant*, vel *Subsident pennæ, dicas .... Carpophoro:* (nam) *facies tua computat annos.* Vid. Notam. *Et tamen omnes Subsident pennæ*, seu *penes* (super te omnes penes jacebunt) emend. H. Vales. *Attamen* conj. Hein. quod non minus aptum est.

NOT. 197. *Ut*, forte *Et* (vide Var. Lect.) *tamen omnes subsidant pennæ*, h. e. vereor, ne tua voce non excitetur inguen, seu libido, sed potius flaccescat. Conf. ad X, 205, 206. Proverbialis locutio, cui fere respondet

[1] Vid. Mart. VI, 23; IX, 42; XI, 23. Conf. Casaub. ad Pers. I, 20, 21.

illa : *incidere alicui pennas*, sive *pinnas*, quæ in piscibus natationis et in avibus volatus instrumenta sunt. Sic et nos dicimus, *die Flügel hängen oder sinken lassen*, et, *einem die Flügel beschneiden*. Metaphora illa petita videtur ab avibus, quæ, vel volatu fatigatæ viribusque exhaustæ, vel correptæ morbo, alas demittunt. Conf. Gonsal. ad Petron. p. m. 392, 393. *Subsidant pennæ, quamquam hæc* blanda verba *dicas mollius*, lascivius, vel dulcius, delicatius mollibus mimis, vel histrionibus *Hæmo* (cujus et III, 99, mentio fit) *et Carpophoro* : nam *facies tua* senilis et rugosa *computat*, indicat, *annos*, numerum annorum tuorum, senectutem tuam, te arguit vetulam; ut apud Martial. VI, 23, 3 :

Tu licet et manibus blandis et vocibus instes;
Contra te facies imperiosa tua est.

Computare proprie significat rationem putare, ponere, inire, subducere, et hinc numerare, ut X, 249. Conf. infra vs. 651. — Alii aliter, sed, ni fallor, minus apte obscurum hunc locum interpretantur.

Var. 198. *Pinnæ*, 1. Vetus scholion est : « *Subsidant* longa ætate *pinnæ*, metaphora, quia vetulæ flaccescunt. » Lubinus : « Metaphora, inquit, ab avibus. Ingenii nervi, vel pinnæ quasi ex superiori loco deorsum vocentur. Possumus etiam *pinnas* h. l. intelligere in cacumine turrium rotundos apices. Quamvis illa, quæ suprema sunt, sermone tuo quasi deorsum voces. » — *Dicas hoc*, 24. — *Hæmo*, 77. *Hæmo*, 14, 17, 18, 27, 45, 47, 57, 64. *Hemo*, 15, 16, 19, 20, 21, 23, 24, 58. *Hæemo*, 45, 48. *Œmo*, 56, 59. *Emo*, 60, 65. *Æmo* alii, etiam Hennin. qui tamen *Hæmo* edidit sup. III, 99, ubi vid. Not.

Var. 199. *Computet*, 12, 16, 22.

Not. 200 sqq. Poeta Postumum ferit hoc dilemmate : aut uxorem amaturus es, aut non : si non amaturus es, non est cur eam ducas, et inutiles facias sumptus; si amaturus es, miser eris, et veluti servus; Brit. et Prat. *tabellis* nuptialibus, ut II, 119. — *Ducendi* rite, matrimonio legitime contracto, et nuptiis paratis.

Not. 202. *Cœnam* nuptialem. — *Perdas*, quia magni illi sumptus inutiles sunt. — *Mustaceum*, sc. libum, s. *mustaceus*, sc. libus (*μυστάκια ἐξ οἰνομέλιτος, μυστάκια σησαμᾶτα* apud Athen. XIV, 15, s. 57), genus placentæ nuptialis, de quo Cato, Re Rust. cap. 121, ita : « Mustaceos sic facito. Farinæ siliginеæ modium unum musto conspergito; anisum, cuminum, adipis P. II casei libram, et de virga lauri deradito, eodem addito; et ubi definxeris, lauri folia subtus addito, quum coques. » Hinc *laureolam in mustaceo quærere* proverbii loco apud Cic. ad Att. V, 20, dicitur pro, gloriam quærere in rebus minimis. Conf. Hard. ad Plin. XV, 30, 203. — *Labente officio*, quod jam monuere vet. Schol. et Grang., dilabente, dissoluto cœtu eorum, qui *officii* caussa convenerant (vid. ad II, 132) : nam convivis discedentibus dabantur apophoreta; de quibus vid. Martial. XIV, et Potteri Archæol. lib. IV, c. 20, extr. — *Crudis*, convivis cruditate laborantibus ob lautiores epulas. — *Danda*, concoctionis adjuvandæ caussa.

VAR. 205. *Dacius*, 15, 16, 20, 24, 25, 56, 57, 58, 66. *Datius*, 18, 19, 21, 22, 27, 45, 47. — *Sculpto radiat Germanicus auro*, 57. *Scutilo r. G. auro* e vet. Cod. suo legit Pontan. ad Macrob. Sat. III, 10; ubi monet, *scutilum* propr. esse variegatum instar telæ aranearum. Conf. sup. Comm. ad II, 97.

NOT. 204, 205. Solidi ita signati, qui pro virginitate deposita novæ nuptæ donantur; vet. Schol. Donum illud matutinale h. l. notatur, quod Græci ὀρθρινὸν δῶρον, leges Longobard. *morganaticam* et nos hodie *Morgengabe* vocamus; Plathner. qui laudat Cujac. lib. IV, Feud. tit. 32, et Godofr. ad L. IX, § 11, ff. de Jur. Dot. Conf. Brisson. de Ritu Nupt. — *Lanx*, in quam cognati aureos conjiciunt numos. — *Quum* in *lance beata*, divite, pretiosa, argentea, seu aurea (vid. ad I, 39), *radiat Dacicus et Germanicus*, ut *Philippus* et *Darius* apud Auson. Ep. V, XVI, et al., ac Gallice *Louis d'or*, scil. numus, et quidem cusus, seu signatus effigie Domitiani, qui cognomina *Dacici* sumpsit et *Germanici*, quibus tamen titulis indignissimus fuit.[1] Sed nota Ach. est hæc: «Nullum reperi numum Domitiani Imp. cum inscript. *Germ. Dac.*, sed passim obvia Trajani Imp. numismata cum hoc titulo; unde de ejus numis h. l. agi verisimile magis existimo, et hanc satiram Trajano imperante scriptam esse videtur.» — *Auro scripto*, in numis aureis, quibus literæ sunt quasi inscriptæ, hoc est, insculptæ. Inscriptione circum caput, *la légende*; Ach. Sic et γράφειν pro insculpere dicitur, et ap. Martial. XI, 5, 3: *scriptus æterno Jupiter auro*. Conf. ad XIV, 291, et Var. Lect.

VAR. 206. *Ac deditus*, 18. Recte forsan. Possis etiam interpungere:

Si tibi (simplicitas uxoria) deditus uni
Est animus....

vel cum Jacobs. legere *Si est animus*. Sed vid. ad IV, 68.

NOT. 206. *Si tibi* est *simplicitas uxoria*, stolidum obsequium uxorium (nam *uxorius* dicitur, qui totus pendet ab uxoris arbitrio, Virg. Æn. IV, 266, et Horat. Od. I, 2, 20), vel cupiditas femineæ voluptatis, mulierositas, φιλογυνία (Cic. Tusc. IV, 11); Brit. Sed Grangæus: «Ludit in ambiguo; vocat enim *simplicitatem uxoriam*, unam et simplicem uxorem habere, at ironice, quum nihil sit minus *simplex*, quam femina.» — *Deditus*, ut sup. vs. 181. — *Uni* mulieri, uxori.

NOT. 207. *Submitte*, inclina, *caput cervice parata ferre*, ad ferendum, *jugum*, servitutem et imperium uxoris, vel simpl. amorem conjugalem: poetæ enim amantes pullis, seu equis, juvencis et bobus, sub jugum missis, amorem vero jugo comparant, unde πῶλος, ἄζυγος, seu ἀδάμαστος κόρα, *jugare*, *conjugium*, etc.[2]

[1] De quo vid. Suet. Dom. II, 6, 13; Tac. Agric. 39 seq. Mart. II, 2; VIII, 26, 65, al. Stat. Silv. I, 1; II, 180; IV, 1, 89, al. Dodwell. Ann. Stat. § 8.

[2] Conf. ad XIII, 22 et intpp. Hor. Od. I, 33. 12; 35, 28; II, 5, 1.

Not. 208. *Quæ amanti parcat*, non molesta sit viro, et quidem eam amanti.

Not. 209. *Ardeat*, ardenter maritum amet. — *Gaudet tormentis amantis et spoliis*, vexare virum et spoliare. Conf. v. 149 seq.

Not. 210, 211. Uxor tanto gravior erit et damnosior marito, quanto melior is est.

Not. 212 seq. Conf. Plaut. Men. I, 2, 5 seq.

Var. 213. *Nollet*, 27. *Nolit*, 13—17, 21, 22, 24, 25, 45, 49, 50, 54—62, 65—69, 81—74, 77, et plerique Codd. Paris. *Nolet* in reliquis. Nil interest. *Volet*, 18 a m. sec. 23, 46, 48.

Var. 214. *Hæc* recepi ex 17—25, 27, 45—50, 54—63, 65—74, 77; et *excludetur* ex 10, 13, 15, 16, 21, 22 a m. sec. 25, 27, 46, 47, 48, 50, 55—74, 77. Eadem leguntur in Codd. Paris. tantum non omnibus. *Hac* et *excludatur* in aliis libris, etiam ed. Hennin. — *Effectus*, 12, 19, 22, 47, 48.

Not. 214. *Hæc dabit*, imperabit quasi et injunget marito *affectus*, jubebit eum odisse et amare, quem ipsa volet. — *Excludetur*, ejicietur e domo tua, non amplius amittetur.

Not. 215. Vid. sup. ad vs. 105.

Not. 216 seq. *Testandi* ex arbitrio potestas, *libertas quum sit lenonibus*, *lanistis* et *arenæ* (h. e. arenariis, qui in arena amphitheatri depugnant) hominibus sordidissimis atque infamibus, *tibi* contra testamentum scribendum erit ad arbitrium uxoris, quæ tibi *rivales* tuos, mœchos suos, et quidem *non unum*, sed plures, *dictabit*, quos scribas heredes.

Var. 217. *Contingit*, 16, 27, 46, 47, 48, 58.

Var. 218. *Ditabitur*, 11 ex rasura, 15, 18, 23, 29, 45, 49.

Anal. 219—223. Imperiosa et obstinata mulier servum, sibi invisum, quamvis innocentem, jubebit occidi. Verba uxoris *pone crucem servo*, et mariti *meruit* . . . . *longa est*, quibus deinde illa respondet *O demens* . . . . *voluntas*.

Not. 219 seq. *Crux* apud Romanos supplicium hominum viliorum, pluriumque servorum: vide Lips. de Cruce, inpr. I, 12. *Crucem pone*, fige (ut apud Cic. Verr. V, 6), *servo*, eum cruci, seu in cruce fige, affige, subfige. Conf. X, 69, 70. — *Quis detulit* nomen ejus et crimen ad prætorem, h. e. quis accusavit eum? Nam qui aliquem accusare suscipit; *nomen* ejus *defert*, sc. ad prætorem, ut illud *recipiat*, h. e. inter reos scribat. Cf. infra vs. 552. — *Audi* partes et testes, delationem et defensionem.

Var. 220. *Qui* . . . . *qui*, 17, 20.

Var. 221. *Nulli*, emend. Heins. ad Ovid. Metam. VII, 453. — *Est* abest a 12 et 16.

Not. 221. *Nulla cunctatio*, deliberatio, *de morte hominis* nimis *longa est*, quæstio de tam gravi re non subito et inconsiderate, sed lente et accurate

habenda. Nonnulli putant, hæc esse verba poetæ; alii uxoris, quæ dicat, de nece hominis, ne ingenui quidem, nedum servi, diu deliberandum esse. Sed præstat, ea marito tribuere, blande roganti uxorem, ut non temere agat in re tam gravi, quæ ad mortem hominis, quamquam servi, spectet. Tum hoc vs. 222 refellit mulier, cui id stolidum videtur.

Nor. 222. Demens es, qui servum putas esse hominem. His verbis et superba mulier, et Romani taxantur, qui servos vix hominum loco numeroque habebant.[1] — *Ita*, itaque, vel ita, ut putas et dicis. — *Esto* autem, quod *nil* mali *fecerit;* fac, eum nihil mali, vel flagitii commisisse.

Var. 223. *Sic volo*, 19, 27, 28.

Nor. 223. Verba, ut tyrannis, ita ea mulieri, qualem poeta adumbravit, aptissima.

Nor. 224.—230. Uxores nonnunquam, primis maritis relictis, aliis et multis nubunt. — *Regna*, maritum, cui imperaverat, vel domum ejus lectumque, in quo regnare et deliciis frui solebat.[2] — *Permutat domos* maritosque crebris divortiis. — *Flamea conterit;* vide ad II, 124.

Var. 225—227. Absunt ab 18. *Domus*, 14, 16, 48. — *Flammea*, 22, 45—50, 62, 64, 65, 68, 69, 71, 72, 73. *Flamea* al. Conf. Comm. ad II, 124.

Var. 226. *Evolat*, 20. *Avolat* (a novo marito discedit), 29, 50, 65, 69, et Cod. viri docti, quem vid. in Miscell. Obss. Crit. in Auct. vett. Amst. 1734, vol. V, t. I, p. 122. — *Lecti repetit vestigia spreti*, 21, *Refugit vestigia*, conj. Schrader.

Nor. 226. Ad priorem maritum revertitur.

Nor. 227 seq. *Ornatas fores, et in limine ramos;* vide supra ad vs. 51. — *Vela* (ut IX, 105, *vela tegant rimas*), aulæa, peristromata, seu peripetasmata, vel proprie παραπετάσματα (*Gardinen und Teppiche zu Vorhängen*), prætenta conclavibus thalamisque in interiori ædium, in quibus olim paucæ, vel nullæ erant fores; unde ut *ostiarii*, sic et *velarii* servi. Vid. Pollux, X, 32; Pignori de Servis. p. 227 seq. Winkelmann, *Storia delle Arti*, tom. III, p. 60, ed. Fea, et Bottigeri Sabina, p. 37, 38, 327, 328, ed. pr. — *Pendentia.... et adhuc virides*, adeoque paullo post nuptias.

Var. 228. *Vel* pro *et*, 11, 14, 16, 19.

Nor. 229, 230. *Octo mariti*. Conf. ad vs. 146. De illa divortiorum frequentia sæpius Martialis queritur: sed Epig. VI, 7, quum dixit;

Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege est;

nihil solemnius illo versu noverim, nisi forte sententiam hanc Gallicam simul et Christianam, quæ contra legem tunc divortiis faventem recenter

[1] Conf. XIV, 16, 17; Senec. epist. 47; Macrob. Sat. I, 11; Flor. III, 20; Dionys. Cato Distich. IV, 45, et verba Menandri ibid. a Scalig. laudata; Bottigeri Sabina, pag. 34 et 442, ed. pr.

[2] Conf. Prop. II, 16, 28; IV, 7, 50, et Græv. ad Cic. Ep. ad Div. IX, 18, n. 6.

emissa pugnat : LE DIVORCE EST LE SACREMENT DE L'ADULTÈRE. ED. — *Numerus* maritorum. — *Auctumnos*, annos. — *Titulo res digna sepulcri* mordaci joco dixit poeta, ut Martial. IX, 161 :

Inscripsit tumulo septem celebrata virorum
Se fecisse Chloe : quid potuit simplicius?

Mulieres univiræ in laude erant apud Romanos.[1] Nomina autem maritorum inscribi solebant sepulcris uxorum.

VAR. 230. Post hunc versum in 16 insertus est alius :

Si fierent comites citius, quam nuberet uxor.

« Non male et satirice admodum, si legeretur *Nec fierent*, etc. ut esset sensus : Istiusmodi uxor sibi citius maritos faceret, quam nos amicos. » Ach.

VAR. 231. *Salva est*, 16. *Est salva*, 27.

NOT. 231—241. Nulla est conjugalis fides et concordia, *Salva*, id est, vivente socru, quæ præterea filiam malis artibus moribusque instituit.

VAR. 232. Versus ab alia manu scriptus in 10, et abest ab 22.

NOT. 232. Cf. vs. 149 sq. et 210. *Docet* filiam suam. — *Nudi*, nudati opibus, ad paupertatem redacti ab uxore. — Nota antithesis *spoliis* et *nudi*; Ach.

VAR. 233. Versus excidit e 46, 48, 49, 56, 59, 60, 65. Caussam vid. supra in Comm. II, 24. — *Libellis*, 16.

NOT. 233. sq. Cf. 277, 278; XIV, 25—30, et verba Luciani adscripta ad vs. 434 seq. — *Tabellis*, literis amatoriis : Romani in tabulis cera inductis scribebant; unde et *tabellarii* dicti, et *ceræ* eodem sensu XIV, 29.

VAR. 234. *Nil simplex*, 19, 22 a m. pr. 23, 24, 25, 27, 46—50, 54—66, 68, 71—74, 77.

NOT. 234. *Rescribere*, ut supra vs. 141. — *Nil rude*, rusticum et impolitum, hoc est, scite, concinne, venuste. — *Nil simplex*, stolidum, h. e. callide, cum arte et ingenio.

NOT. 235. *Custodes* pudicitiæ, uxori a marito adhibitos, *illa* socrus aut *decipit* variis commentis artibusque, *aut ære domat*, pecunia expugnat et corrumpit. Conf. ad vs. 347, 348. — *Corpore sano*, quum filia sana sit et salva, *advocat* socrus *Archigenem* medicum, simulans morbum filiæ, maritumque a congressione filiæ prohibens, ut aditum locumque det mœchis, qui specie officii vel absente marito adveniunt, et in ipso lecto latent. Cf. Ovid. Art. Amat. III, 641 seq. et al. — *Archigenes* h. l. et infra XIII, 98; XIV, 252, pro quovis medico ponitur, ut *Heliodorus* infra vs. 373. Clarissimus fuit medicus, ab Apamea, Syriæ oppido, oriundus, qui multos physici ac medici argumenti libros scripsit, artemque suam Romæ exercuit temporibus Domitiani, Nervæ ac Trajani. Conf. Bottigeri Sabina

[1] Vid. Koppiers. Obss. phil. p. 161; Broekh. et Santen. ad Prop. IV, 11, 36, et Ge. Fabricii Antiq. Monum. pag. 208.

p. 309, ed. pr. Henninius et alii putant, obiter h. l. taxari medicos, adulteria exercentes sub specie faciendæ medicinæ : de quo vid. Plin XXIX, 1 ; Martial. XI, 72, et al. — *Pallia*, stragula, operimenta. [1] — *Jactat*, rejicit, sc. uxor, *onerosa pallia*, quasi nequeat ferre, quod in febris æstu fieri solet. Ita Grang. et alii, coll. Ovid. Ep. Her. XXI, 169, 170. Sed reliqua verba, *docet*, *decipit*, *domat* et *advocat*, ad matrem spectant ; unde rectius forte interpretaberis : mater multa pallia filiæ, velut ægræ, injicit, quæ ei sunt oneri. Conf. Plaut. Truc. II, 5, 26.

Var. 236. *Archigenen* recepi e 60, 65 et 68. *Archigenem* alii. Sed quamvis non ignoro, hiatus frequentes esse Juv. (vid. ad I, 151), vereor tamen, ne illi sine necessitate ei ab imperitis librariis obtrusi sint ; et ea forma doctior est.

Var. 237. *In terra*, 16, 21 a m. pr. — *Et secretus* revocavi, tanquam lectionem omnium fere librorum, ex 1, 10, 11, 12, 14—26, 45, 46, 48, 49, 50, 54—63, 65—77. Languet tamen, quoniam synonyma *abditus* et *secretus* junguntur. *Et securus*, 27, 47, 64, non improb Schurzfl. modo mox vs. sq. *silet*, non *pavet*, legatur. *Accersitus* e conj. reposuit Marshall, rectiusque *arcessitus* Hennin. ut mens poetæ sit : Interea dum medicus arcessi fingitur, mœchus sub persona medici veniens clanculum intrat, atque ita custodes decipit. Sed illas lectiones ex *accersitus* degenerasse, non mihi persuasit Hennin.

Not. 237. Interea, dum hæc agitur comœdia, *adulter secretus*, secreto introductus, vel sub palliis, *latet abditus*, donec testes omnes amovcantur ; et *impatiens moræ* (ut v. 327) *pavet*, fluctuat inter spem et metum.

Not. 237, 238. Conf. Var. Lect. *Præputia*, virilia, *ducit*, extendit, paratus ad rem veneream ; Grang. Sed rectius, puto, Ferrarius Elect. II, 19. « Præ impatientia masturbat, *μαστροπεύει*, sive, ut vetus interpres, manu sua penem sibi *fricat*, quæ vox nunc quoque Romæ inter cacophata ; unde *ducere* et *ductare* obsceno intellectu non absimili voce apud Italos, etc. »

Var. 238. *Pavet* restitui ex 1 (cujus glossa certe est *metuit*), 10, 12, 14, 15, 17—23, 25, 26, 27, 45—50, 54—69, 71—74 ; plerisque Codd. Paris. et tribus MSS. Nic. Heinsii, qui ad Sil. Ital. XVI, 432, hanc lectionem probat, monetque, *pavorem* esse aliquid medium inter spem metumque, et hinc *lætum pavorem* atque *horrorem* dici Stat. Theb. I, 493 ; Sil. III, 215 ; XVI, 432, eumque describi a Stat. Theb. VI, 392 seq., 802 seq. *Silet*, 16, 24, 70, 75, 76, 82. — *Discit* pro *ducit*, 12, 14, 17. Vetus Schol. docet, totum hunc versum in quibusdam Codicibus non legi ; et lubens eum deleverim propter obscenitatem, quæ tamen ipsa illius rei caussa fuisse videtur.

Var. 239. *Exspectes*, 20, 26.

Not. 239 seq. Conf. simill. loc. XIV, 25 seq. — *Scilicet exspectas ;* vid. ad vs. 75, et II, 104.

[1] Ut apud Ovid. Am. II, 2, et Ep. Her. XXI, 170 ; Prop. IV, 3, 31 (ubi vid. Passerat.), et 8, 87. Sic et *ἱμάτιον*. Vid. Ferr. de Re Vest. VII, 3.

Var. 240. *Aut*, 13, 14, 21, 22, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74.

Not. 240. *Utile porro*, præterea, est *vetulæ*, matri, *turpi*, *filiolam turpem producere*, quoniam ex adulteriis et scortationibus filiæ quæstum facit. — *Producere*, parere[1], vel potius educare, instituere, formare.[2]

Var. 243. *Manulia*, *Mamilia* et *Mamilla* legitur in bonis libris Gell. IV, 14, ubi vid. Gronov.

Not. 242, 245. Femina prompta est ad lites contrahendas, ut ait Valer. Max. unde eis interdictum postulationibus, propter Caiam Afraniam Licinii Bructionis uxorem; Grang.

Not. 243. Exemplum hoc (præter quod alia vide apud Valer. Maxim. VIII, 3) notum putant e Gell. IV, 14. Ibi tamen in bonis quoque libris *Manulia*, *Mamilia* et *Mamilla* legitur, et designatur a poeta mulier litigiosa, quæ non modo causam suam ipsa agit, si rea est, sed alios quoque, *si rea non est*, *accusat*. Conf. verba Alexidis ad vs. 136, adscripta.

Not. 244. *Ipsæ per se*, non adjuvante pragmatico, seu juris perito, *componunt libellos* accusatorios, seu petitorios.

Not. 245. Juris adeo peritæ sunt, ut vel summos JCtos, quæ scribenda sint, docere possint. — *Dictat* propr. magister discipulis. — *Principia et locos*, modum actionis instituendæ caussæque probandæ. — *Loci*, ut Gr. τοποι, in arte tam oratoria quam memoriæ dicuntur fontes sedesque argumentorum, quibus res aliqua vel probatur, vel refutatur.[3] — *Celsus*, orator illis temporibus, qui VII libros Institutt. scripsit; Schol. Designatur forte *Celsus* æqualis poetæ, P. Juventius Celsus, prætor a. U. C. DCCCLIV sub Trajano, et consul II a. U. C. DCCCLXXXII sub Hadriano, celeberrimus JCtus, qui Commentarios librosque Epistolarum, Quæstionum et Digestorum scripsit (vid. Heineccii de eo Diss.); vel pater ejusdem nominis, cujus nonnunquam in Digestis fit mentio. — Hanc quoque litigantium feminarum imaginem non prætermisit *Boileau*; immo vividis coloribus expressit, Sat. X, vs 726 sqq.

« Ce n'est point tous ses droits, c'est le procès qu'elle aime.
. . . . . .
« Avec elle il n'est point de droit qui s'éclaircisse,
« Point de procès si vieux qui ne se rajeunisse;
« Et sur l'art de former un nouvel embarras,
« Devant elle Rolet mettrait pavillon bas. »

Hic ultimus præsertim versus latini poetæ verbis : « Principium atque

[1] Ut infra sat. VIII, vers. 271; Cic. in Verrem act. I, 12; Sil. Ital. I, 112 et al.

[2] Ut XIV, 228; Plaut. Asin. III, 1, 40, et Bacch. III, 3, 51, al. Alii, prostituere, προαγωγεύειν.

[3] Conf. Ernesti Clav. Cic. et Wernsdorf. Poet. lat. min. tom. IV, p. 252. *Principia et locos* legum, quarum initialia tantum verba veteres, ut nostri, pragmatici allegabant (vid. Godefr. ad XII Tab.); Platn.

locos, etc.» præstare mihi videtur, quippe qui satiricum quid magis redolet. Ed.

Not. 246 seq. Mulieres etiam non pudet, artes inhonestas et gymnicas athletarum vel gladiatorum exercere. Conf. ad I, 23. — *Endromidas*; vide ad III, 103. — *Tyrias* vulgo explicant purpureas et molliores, refrag. Ferrar. de Re Vest. IV, 11, ubi monet, omnes omnino endromidas pingues crassasque fuisse, quippe arcendo frigori, sed divites, ut saltem colore distinguerentur, eas absurdo luxu purpura suisse, quales fuerint purpureæ χλαῖναι heroum Hom. vel Petronii *coccina gausapina*, et suprà III, 283, *coccina læna*. De *ceromate* vide ad III, 68.

Var. 247. *Aut* pro *vel*, 12, 14, 15, 16, 23, 25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, prob. Schurzfl. quum verba quarti ordinis in tertiis personis, etiam extra perfecti contractionem, sæpius producantur. Hiatus etiam amat Juvenalis. Vid. ad I, 151. Nec tamen illi temere ei videntur obtrudendi.

Not. 247 seq. Commentarii instar sint verba Vegetii I, 11 : «Antiqui ad palos exercebant tirones. Scuta de vimine in modum cratium corrotundata texebant, ita ut duplum pondus cratis haberet, quam scutum publicum habere consuevit : iidemque clavas ligneas, dupli æque ponderis, pro gladiis tironibus dabant..... Palorum autem usus non solum militibus, sed etiam gladiatoribus (quo poeta h. l. respexit) plurimum prodest. A singulis tironibus singuli pali defigebantur in terram, ita ut nutare non possent, et sex pedibus eminerent. Contra illum palum, tanquam contra adversarium, tiro cum crate illa et clava velut cum gladio se exercebat et scuto : ut nunc quasi caput, aut faciem peteret..... In qua meditatione servabatur illa cautela, ut ita tiro ad inferendum vulnus insurgeret, ne qua parte ipse pateret ad plagam.» Itaque *vulnera* hoc loco sunt imaginaria *palo* inflicta *sudibus*, h. l. clavis ligneis, quibus tirones utebantur pro gladiis; unde *rudibus* suspicari possis.[1] — *Scuto*, texto de vimine in modum cratis rotundato. Vid. sup. Veget.

Var. 248. *Rudibus* pro *sudibus*, conj. Lips. Mil. Rom. V, 14, ut nos Sil. VIII, 552. Conf. Comm. et Serv. ad Virg. Æn. X, 494, qui *rudibus* h. l. legit.

Var. 249. *Numeros implet*, 19, 45.

Not. 249. *Omnes implet numeros*, omnia lanistæ dictata peragit, et simul perfecte, accurate, secundum regulas artis.[2] — *Dignissima prorsus Elorali*

[1] Conf. Liv. XL, 6 extr. et 9 extr. Sil. I, 321; VIII, 552; Ovid. Art. Am. III, 515; Veget. II, 43; Prop. VI, 1, 29. *Vectes* dicuntur Veget. I, 9 (ubi vide Schwebel.), et ῥάβδησις παχεῖς Xenoph. Cyrop. II; forte et *rudes* Liv. XXVI, 51, nisi *rudes* ubivis pro *sudibus* substituendas censueris. Confer. Var. Lect. sed et Heins. ad Ovid. Fast. II, 367. Vetus Schol. «Obtundendo illum ferulis in meditatione pugnandi.»

[2] Ut apud Plinium Epist. lib. IX, 38, et Paneg. 71; Ciceronem Div. I, 14, al.

tuba cum gravi indignatione dictum pro : hæc *matrona*, quæ ad palum ita exercetur, *dignissima* est, quæ sit inter impudicas mulieres ac meretrices, quæ summa lascivia et petulantia verborum celebrant *Floralia*, et flagitante populo nudæ etiam prodeunt in scenam.[1] Qua ratione admissa, *tuba* paulo durius dicta pro ipsis ludis Floralibus, qui, ut omnes ludi, etiam scenici, tuba canente committebantur vel incipiebant; nam tuba non nisi signum erat hujus commissionis, non ad ejus cantum in his ludis saltabatur, quod nonnulli h. l. monuere.[2] Forsan tamen proprio hæc verba sensu et sic capienda sunt : dignissima, quæ tubæ cantu ad ludos Florales cum meretrecibus agendos vocetur.

Not. 250, 251. Festive dicit poeta : *nisi si in illo pectore* muliebri *quid plus*, aliquid virilius et magis masculum, altior sensus animusque, *agitat* h. e. se agitat, seu movet, agitatur, movetur. Ita enim sæpe verba activa passive, absolute et intransit. adhibentur.[3] — *Nisi si*, ut passim. Vide Heins. ad Ovid. Her. IV, 111. — *Veræ arenæ*, ad veram gladiaturam justamque pugnam in arena amphitheatri, omissa illa umbratili figurataque pugna, vel exercitio ad palum. — *Paratur*, se præparat.

Var. 251. *Agitat* pro *agitet* restitui ex 10—12, 14—27, 45—50, 54—76: nam *paratur* mox sequitur. *Paretur*, 16, 21.

Var. 252. Possis etiam ita distinguere :

Quem præstare potest mulier galeata pudorem?
Quæ fugit a sexu, vires amat....

Not. 252 seq. Omnem exuet pudorem femina, quæ, muliebribus armis, exercitiis officiisque contemptis, virilia eaque inhonesta amat et sectatur: nisi malis cum vet. Schol. « Si nudo vultu pudorem non capit, cooperta quando erubescat? » — *Galeata* : nam *galea* non modo militibus, sed et gladiatoribus, excepto Retiario, communis erat (vide ad I, 168). — Alio sensu fere iisdem verbis (*mulier galeata pudorem*) usus est *Gilbert*, *le Dixhuitième Siècle* :

« Et, du vice endurci témoignant l'impudence,
« Sous leur casque de plume étouffer la décence. » Ed.

— *Fugit*, abhorret, *a sexu* suo et studiis ejus; spernit et repudiat, quæ mulieribus conveniunt. — *Vires amat*, h. e. appetit fortitudinem virorum, eorumque exercitationes et studia, quæ duriora sunt, majoresque exigunt vires.

Var. 253. *Viros*, 16, 24. — *Et* pro *hæc*, 26.

---

[1] De hoc festo et origine ejus vide Lactant. Inst. I, 20; Ovid. Fast. V, 183—330; Valer. Max. II, 10, 8; Senec. Ep. 97; Plin. XVIII, 29; Varr. Ling. Lat. IV, 10; VI, 3, et Nardin. Rom. ant. IV, 6.

[2] Conf. X, 214; Virgilium Æneid. lib. V, vs. 113, et Lips. Sat. Serm. II, 19.

[3] Vide ad Sil. I, 47, 288, 539; 647, 693; III, 466; XVI, 373, et Burm. ad Petron. c. 47.

Var. 254. *Nolet*, 23, 46, 47, 50, 64. — *Tantula*, 22. — *Vestra voluptas*, 11, non improb. Schurzfl. ut sit ἀνθυποφορὰ mulieris galeatæ. Sed idem recte prætulit vulgatam lectionem.

Not. 254. Lepida ratio: *nam quantula*, quam parva, *nostra*, virorum, *voluptas* rei venereæ præ feminea?[1]

Var. 255. *Fiet*, 16, 19, 45. *Quale decus, rerum* etc. interpungere malebant H. Vales. et alii.

Not. 255 seq. Salse dicitur: Quam pretiosæ *res* venderentur, et quantus earum apparatus, *si conjugis*, h. e. armorum seu instrumentorum opumque ejus *auctio* fieret?

Var. 256. *Manicæ, cristæ*, 11, 24. *Tunicæ* pro *manicæ* vetus Schol. cujus glossa est hæc: *balteus et tunicæ* retiarii scilicet, si personam aut officium ejus susceperit. Conf. Comm.

Not. 256. Hæc sunt arma gladiatoria et quidem omnia Samnitium, quorum armaturam, ut nobiliorem, forte affectabant feminæ nobiles; quod non male suspicabatur Lips. Sat. Serm. II, 11, ubi etiam comparavit loc. class. Liv. IX, 40, de Armis Samnitium: «Duo exercitus erant: scuta alterius auro, alterius argento cælaverunt.... spongia pectori tegumentum (h. l. balteus), sinistrum crus ocrea tectum, galeæ cristatæ (h. l. cristæ), quæ speciem magnitudini corporum adderent, tunicæ auratis militibus versicolores, argentatis linteæ candidæ..... Et Romani quidem (cæsis Samnitibus) ad honorem deum insignibus armis hostium usi sunt: Campani, ab superbia et odio Samnitium, gladiatores (quod spectaculum inter epulas erat) eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine compellarunt.» Eadem itaque, quæ h. l., arma memorantur a Livio, non vere *manicæ*, sed *tunicæ*; et ita h. l. recte forsan legit vet. Schol., nisi *manicæ* non sunt chirothecæ, seu χειρίδες, manuum tegmina, quæ feminis quidem, non vero gladiatoribus in usu fuisse novimus (vid. tamen Ruben. R. V. 1, 4), sed tunicæ manicatæ seu manuleatæ, χειριδωτοὶ, quod genus tunicæ mollius erat, feminisque aptius quam viris.»[2] Tunica vero eaque sola induti erant retiarii (vide ad II, 143, et VIII, 200—208), et forsan alii quoque gladiatores. Conf. ad vs. 263. — *Cruris sinistri dimidium tegimen*, seu *tegmen* ocrea, qua *dimidium* crus tegebatur, et quidem *sini-*

[1] Conf. XI, 166; Ovid. Metam. III, 320 seq. (ubi vide Burm.) et Art. Am. I, 342; Prop. III, 19; Heyn. ad Apol. III, 6, 7; Munck. ad Hygin. Fab. 75; Lucian. in Dial. Menippi, Tiresiæ et Ἔρωτες, Avicenn. de Anim. IX; Galen. de Morbis, IX. Aliter tamen sensisse Hippocratem, seu Polybum in libro περὶ γονῆς (Ἧσσον δὲ πολλῷ ἥδεται ἡ γυνὴ τοῦ ἀνδρὸς ἐν τῇ μίξει, πλείονα δὲ χρόνον), docent Grang. et Rigalt.

[2] Vid. Gell. VII, 12; Cas. ad Suet. Cæs. 45, et intpp. Virg. Æn. IX, 616.

strum, quod in pugna, vel certamine singulari protenditur.[1] Reliqui gladiatores (vet. Schol. retiarii aut secutores) utrumque crus ocreis tegebant, unde mox poeta *ocreas* in plur. num. dixit. — *Si* uxor *diversa* a Samnitium pugna, vel varia aliorum gladiatorum, *prælia movebit*, aliamve armaturam eliget, elegerit. Ironice autem, ut reliqua : *tu*, marite, *felix* prædicandus es, quoniam tum uxor non unam, sed plures *ocreas* in auctione vendit. — *Puella*, uxore adolescentula. Vide ad II, 59.

Var. 257. *Teginen*, 21, 22, 45, ut in optimis membranis ubique, unde recepi pro vulg. *tegmen*. Conf. Nic. Heins. ad Sil I, 402, qui tamen ad Virg. Æn. III, 594, et VII, 666, utramque scripturam damnat, et ubivis *tegumen* reponendum censet. — *Movebis*, 27, 46, 47, 58.

Var. 258. *Tum*, 23, 27, 46—50, 54—60, 64, 65.

Var. 259. *Hæc*, 61, 62, 63, 67, 71, 72, 73, prob. Pulmanno, ut sit enallage, ut inf. v. 592, et apud Terent. in Eun. III, 5, 34; in Andr. IV, 1, 32; in Heautont. IV, 4, 4, et in Phorm. V, 8 (al. 10), 23; quibus tamen locis meliores libri *Hæ* vel *Hæcine* exhibent.

Not. 258, 259. Eædem mulieres, quæ virorum robur et exercitationes, etiam inhonestas, sectantur, et tam fortiter arma tractant, nec ullum in turpi facinore sentiunt laborem, in aliis rebus temporibusque femineam produnt mollitiem, et tam delicatæ sunt, ut tenuissimis vestibus indutæ sudent. Conf. I, 27—29, et ad II, 65 seq.

Not. 259. *Cyclas*, κυκλὰς, tunica muliebris, cujus oram extremam ambiebat paragauda, seu limbus (κύκλος), auro intextus, eique in circuitu, κύκλῳ, adsutus : vid. Salmas. ad Lamprid. Alex. Sever. c. 41; Barth. ad Prop. IV, 7, 40 (qui ih ea rotundi quid fuisse nomine ipso innui dicit); Serv. et Heyne ad Virg. Æn. I, 649, et Burm. ad Prop. IV, 7, 40, p. 836.

Not. 260. *Delicias*, delicatum, molle tenerumque corpus. — *Panniculus bombycinus*, vestis, seu indusium tenue e telis bombycum textis araneorum modo. Conf. ad VIII, 101. De triplici genere bombycum, qui omnes toto genere, ortu, forma, nido et opere differunt a vermiculis nostris, seu moris, e quibus sericum ducitur, vide Aristot. Hist. Anim. V, 18, 19; Plin. XI, 22 et 23, ibique Harduin. qui præter alia dicit, hos bombyces perperam et inter se, et cum vermiculis illis confundi a Salmasio.[2] — *Urit*, propr. fervefacit; vel etiam vexat, premit, cruciat. Conf. Burm. ad Lotich. I, 2, 33.

Var. 261. *Præferat*, 47, 58, 66.

[1] Conf. Liv. IX, 40; Sil. III, 279; Lips. Mil. Rom. III, 7; Cerda. ad Virg. Æneid. VII, 689, et ibid. Heyne in not. et inpr. Exc. VIII.

[2] Ad Arist. loc. laud. p. 1148, et ad Tertull. de Pall. 85, 138, 226 seq. Conf. Voss. ad Melam, p. m. 266 seq. Barth. ad Claud. Eutrop. II, 337, p. m. 1363; Forster de Bysso antiq. Linn. et al.

Not. 261 seq. Graphica descriptio, seu imago pugnæ gladiatoriæ mulierum, ut virorum VIII, 200 seq. — *Adspice, quo fremitu*, clamore, anhelitu, gemitu et vociferatione (ut vs. 267 : *gemit ad palum uxor*), *ictus monstratos* a lanista gladiatoribus, ut militibus a campidoctore.[1] — *Perferat*, adversario inferat. Bene comparant Cic. Tusc. Quint. II, 23, extr. « Nec vero unquam ne ingemiscit quidem vir fortis ac sapiens, nisi forte ut se intendat ad firmitatem, ut in stadio cursores exclamant; quam maxime possunt. Faciunt idem, quum exercentur, athletæ : pugiles vero, etiam quum feriunt adversarium, in jactandis cæstibus ingemiscunt; non, quod doleant, animove succumbant, sed quia profundenda voce omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior. » Conf. ibid. cap. 24.

Var. 262. *Quanta .... curetur* errores operarum in edit. Hennin. quos tamen fideliter expresserunt editores Manhem.

Not. 262. *Galea* omnes utebantur gladiatores præter retiarium. — *Curvetur*, non, ut ictus declinet, sed quia tam gravis est galea.

Var. 263. Pro *fascia* forte leg. *fuscina*. Vid. Comm.

Not. 263. *Quanta*, quam grandis ac firma, seu valida, *poplitibus*, genibus positis, seu flexis, *sedeat*, subsidat in, seu sub clipeo aliisque armis, more mirmillonis, pugnantis cum Threce, qui contra ἐπιβαίνει, insurgit in eum.[2] Manso hæc adnotavit : « Unice probo et amplector verborum sponte sese offerentem juncturam : *quanta fascia* et *quam denso libro* vincta *poplitibus sedeat*, h. e. genua cingat; simulque affirmare audeo, hic non loricam, sed tegumentum aliquod significari, quo gladiatores, sive impetum in hostem facerent, sive factum exciperent, genua munire solerent. Cui interpretationi si quis controversiam movens locum e veteribus desideret, moneatque, notas quidem esse *fasciolas* tibiales, sed ægrotorum et mollium (vid. Pitisc. ad Suet. Aug. 82), non gladiatorum et militum, hunc jure suo mecum agere lubenter fateor et concedo. Verum eumdem mihi contra largiturum esse confido, nec *manicarum* apud veteres mentionem fieri, nisi cum contemptu et criminatione mollitiei et luxus (vid. loc. class. apud Gell. VII, 12), quas tamen ipse noster Juvenalis, vs. 256, inter arma corporisque præsidia ponit. » Probanda omnino videtur illa verborum junctura, neutiquam vero interpretatio eorum. Nam primum poetam illo sensu dixisse *sedeat poplitibus*, vix crediderim; deinde passim legimus quidem, crura gladiatorum ocrea, at nusquam, ea alio tegumento fuisse munita, neque hæc difficultas removetur eo, quod supra vs. 256, mentio

[1] De quo vide Salmas. ad Lamprid. Alex. Sever. 53; Scalig. ad Manil. IV, 227; Lips. de Re mil. V, 14; Lindenb. ad Ammian. Marcel. XV, 3, et intpp. Veget. c. 13.

[2] Conf. Lips. Saturn. Serm. II, 10, et de vi verborum *subsidere* (ὑφιζάνειν) et *insurgere*, not. ad Silium Italicum I, 401, 492; IV, 382, 610; V, 294.

facta est *manicarum*; præterea sic verba *quo fremitu* et *quanto galeæ pondere* minime congruerent cum his *quanta fascia* et *quam denso libro*, quibus non minor mollitiei pavorisve irrisio, quam illis laus virilitatis, a feminis illis affectata, contineretur. — Locus hic et lucidus foret, et venustus, si poeta rudem pro *fascia* memorasset, vel huic voci, quæ sola loco nostro tenebras offundit, alia ejusdem generis, saltem aptior, substitui posset. In mentem mihi venit *fuscina*, ex qua lectione hæc exoriretur sententia: *quanta fascina* et *quam denso libro*, ligno (nisi id potius reponendum), in *poplitibus sedeat*, posita sit in crure, quod in certamine protenditur (vide ad vs. 256): quo graphice designaretur status pugnantis. Nec tamen me fugit, quæ difficultates hanc conjecturam premant. Nam ad palum (conf. vs. 247 et 261) fortasse non nisi rudibus pugnabatur, et retiarii soli fuscina utebantur, non autem *galea*, cujus mentio fit vs. 262. Enimvero h. l. forsan tum de justa pugna sermo est, in qua mulieres (ad *veram arenam* præparatæ vs. 251) *monstratos* a lanista in exercitiis ad palum (vs. 247 seq.) *ictus perferunt*, adversariis inferunt, tum de duplici pugnantium genere, quarum aliæ horum, aliæ illorum gladiatorum partes agunt. — Verba *quam denso fascia libro* vulgo male interpretantur: quam densis voluminibus complicatas sinuatasque vestes colligat fascia, hoc est, ut succincta (*subligata* apud Martial. VII, 66, 4) pugnet[1]. Ferrarius Elect. II, 14, suspicabatur, quemadmodum Samnitibus, teste Liv. IX, 40, *spongia* fuerit pectori appressa pro lorica (vid. sup. 256), ita pro eadem lorica fuisse huic matronæ *fasciam*, ex pluribus tiliarum contabulationibus *densatam*, veluti quamdam tabellarum, instar *libri*, seu codicis, compaginationem, muniendo pectori adversus ictus.

Var. 264. *Scaphium positis* pro *positis scaphium*, 27, 46—50, 54, 55, 58, 61—69, 71—74: quos sequutus sum.

Not. 264. Ridebis, quum videris eam armis virilibus positis muliebria sumere, et mulierem esse, quam virum esse credideras. Hoc lepide expressit poeta, ut fere Plaut. Bacch. I, 1, 35 seq. — *Scaphium*, σκαφίον, vas concavum et oblongum, et hinc vel poculi rotundi genus (v Ernesti Clav. Cic.), vel trulla, seu matula, matella, vas, cui immeiunt mulieres, quodque iis proprium est, ut *lasanum* viris.[2] De hac matula plerique intpp. capiunt h. l. et nonnulli Plaut. l. l. vetus autem Schol. de vase potorio (neutrum vero h. l. satis convenire videtur), Turnebus Advers. II, cap. ult. de Capillitio *scaphæ* similitudinem et formam habente, meretri-

[1] Vetus Schol. volumen in specie libri, id est, longa fascia. Alius in Cod. Gud. I, *densum librum* vocat revolutionem crebram *fasciæ*, qua subligabantur feminæ.

[2] De his vasis, quæ et argentea erant, et de servis ἐπὶ τοῦ λασάνου, vid. Bottigeri Sabina p. 34—38, edit. pr. Ernesti Clav. Cicer. voc. *scaphium*; Martial. XI, 12, 6, et Pollux, X, 9.

cibusque usitato; et Grang. simpl. de Capitis muliebris ornamento, gall. *escoffion*, adjuncta hac ratione : « Tunc enim risui locus, quum positis armis videmus sumere vestimenta muliebria eas, quas antea viros credebamus. » Recte; sed hæc notio vocis non minus dubia est, quam quæ a Turnebo ei affingitur.

Var. 265. *Cæcique*, 16, 19, 24, 85. *Cæcive*, 27, 61, 63. *Creteive Metelli* (ut mox *Gurgitis Fabii*), 3, 4, non improb. Nicol. Heins. ad Ovid. Met. VII, 223, ut innuatur Q. Metellus Creticus, cos. a. 674, qui Cretam expugnavit; de quo vid. Dio Cass. XXXVI, pag. 8, et Sallust. Bell. Cat. 29. Possis etiam suspicari *Calvive Metelli*, hoc est, L. Metelli Calvi cos. a. 611. Sed vulgata quoque lectio bene se habet.

Not. 265 seq. Poeta præclare alloquitur ipsas feminas, *neptes* summorum virorum, et quidem vel turpes illas posteras, tunc temporis viventes, de quibus antea sermo fuit, quæque dedecorant majorum nobilitatem, vel probas potius honestasque principum antiquitatis virorum filias ac neptes. Has rogat, num suo ævo vel infimo loco natæ mulieres tam nefaria commiserint, quam nunc matronæ. Nomina autem virorum illorum cum delectu posita. M. Æmilius *Lepidus* censor a. U. DLXXIV, bis consul, Pont. Max. et princeps senatus Idem nomen etiam triumviro pluribusque consulibus fuit. De *cæco Metello*, vid. ad III, 139 — Q. (al. M.) *Fabii Gurgitis*, cos. a. 462 et 478, ac princ. Sen. qui juvenis a devorato patrimonio cognomen illud accepit, sed prioris ætatis vitia multis postea virtutibus compensavit[1]. Idem Fabius, Maximi Rulliani filius, aliquot matronas, stupri damnatas, mulctavit pecunia, et ex hoc mulctatitio ære Veneris ædem prope circum faciendam curavit : vid. Liv. X, 31. — *Ludia*, comœda, seu mima, nec non gladiatoris uxor (vid. sup. ad vs. 82); sed mox sequitur *uxor Asylli*, quod gladiatoris nomen esse putant. — *Hos habitus*, scil. gladiatorum. — *Ad palum gemat*; vid. sup. ad vs. 247 et 261.

Var. 267. *Gemit*, 11, 12, 14, 15, 16, 18, 19, 21—24, 26, 46—50, 54, 55, 59, 60, 64, 65, 85, et Codd. Paris. fere omnes. — *Asili*, 17, 19, 21—24, 27, 45—48, 50, 64, 85. *Asyli*, 49, 60—63, 65, 68, 71, 72, 73, 77. *Asili*, 20. *Assili*, 18.

Not. 268 seq. Conjux semper litigat cum marito, ita ut hic ne noctu quidem capere possit quietem.[2] — *Lectus habet lites*, in eo lites sunt, seu seruntur.

[1] Conf. Macrobius, Saturnal. II, 9; Plin. lib. VII, 41; Plutarch. Vit. Fabii.

[2] Conf. Ovid. Art. Amat. II, 155 seq. III, 373 seq. et Am. II, 22, 35 seq. Plaut. Casin. II, 5, 9 seq. et facetum epitaphium viæ Tiburtinæ, a Grang. laudatum : *Heus viator miraculum; hic vir et uxor non litigant; qui sumus non dico; at ipsa dicam; hic Bæbius ebrius ebriam me nuncupat; hei uxor etiam mortua litigas.*

Var. 270. *Tunc* revocavi ex 10, 13, 17—25, 37, 45—50, 54—69, 71—74, 85. *Tum*, 11, 77. *Cum*, 14, 15, 16, 26, 70, 75, 76, 82, et permulti Codd. Paris. — *Tum orba*, 11.

Not. 270. *Tunc*, quum in lecto jacet. — *Gravis*, molesta, irata, *viro*, maritum vexat. — *Tunc pejor*, iratior, sævior est, *tigride orba*, orbata catulis, a venatore subreptis : tum enim nullum animal nec velocius dicitur esse, nec truculentius.[1]

Var. 271. *Tunc simulat*, 21 a m. sec. 27, 46—49, 58. Non male, si minorem distinctionem posueris in fine versus præced.

Not. 271—278. Uxor *conscia* sibi *occulti facti*, h. e. adulterii, ut omnem de se suspicionem amoliatur, ultro *fictum* marito exprobrat adulterium, *simulat gemitus*, gemens ac plorans, quasi *pellex* ab eo magis ametur, *aut odit* vexatque *pueros*, servos, tanquam fidos ejus in furtivis amoribus ministros et adjutores, vel servos meritorios, quos marito in deliciis esse fingit, scorta masculina (non filios); qua *simulata* tristia et *zelotypia* ita illum decipit, ut utramque ex vehementi in se amore proficisci lætus sibi persuadeat. Conf. Ovid. Art. Am. III, 677 seq. et Am. I, 8, 79, 80.

Not. 273, 275. De *lacrymis* mulierum manantibus, quo tempore et *quo modo jubeant*, conf. ad XIII, 132 seq. Ovid. Am. I, 8, 79, 83, 84; Art. Amat. III, 291, 292, 677 seq. et Epist. Her. II, 51, 52; Martial. I, 34; Prop. IV, 1, 144.

Var. 274. *Atque spectantibus*, 12. *Semper spectantibus*, 2. *Ac semper spectantibus*, 17. *Ipsis spectantibus*, 29, 45. *Ipsisque spectantibus*, 26. *Atque ipsis spectantibus*, 10, 15, 16, 19, 21, 23, 85. *Atque illis spectantibus*, 18. *Atque suis spectantibus*, 22. *Ipsis exspectantibus*, 3, 74. *Atque viris spectantibus*, c. Mediol. non improb. Ach. *Nec non spectantibus*, c. Put. quod recepit Ach. qui *spectantibus* pro *exspectantibus* dictum putat. *Atque ipsis exspectantibus*, 27, 47, 54, 64, et IX Codd. Paris. *Atque iis exspectantibus*, 24. *Velut exspectantibus*, 18. Sed *atque exspectantibus*, 5, 14, 20, 25, X Codd. Paris. iique antiq. et editt. tantum non omnes. Hæc lectio mutata videtur ab iis, qui metro metuebant, nec memores erant multorum in Juvenali hiatuum. Vid. sup. ad I, 151. Scabra tamen est oratio. *Exspectantibus, illas Quo jubeat manare modo*, conj. H. Vales. ut hæc dicta sint pro : quo modo *se* manare velit. Suspicari potius possis, legendum esse *exspectantibus, illa Quo jubeat*, etc. Conf. tamen Comm.

Not. 274. Metaphora desumpta a militibus, qui *stationes*, seu custodias excubiasque agunt, vel, acie disposita, parati stant in loco sibi designato, et signum profectionis, aut impetus *exspectant*. — *Exspectantibus illam, quo jubeat manare modo*, doctius et Græcorum more dictum videtur, pro *ex-*

[1] Conf. Plin. VIII, 18, seu 25; Mela, III, 5; Solin. cap. 17; Senec. Med. 861 seq. Lucan. V, 405; Martial. III, 44, 6 seq. VIII, 26.

spectantibus, *illa*, etc. « Usitata et optimo cuique frequentata est loquendi ratio, qua accusativus, qui a verbo prægresso pendet, infertur, ubi exspectares nominativum; » Hein. qui laudavit Munck. ad Hyg. fab. 34; Davis. ad Cæs. Bell. Gall. I, 39; Perizon. ad Sanct. II, 5, et Ursin. Institutt. tom. II, pag. 556.

Nox. 275 seq. Conf. ad XIII, 132 seq. Ovid. Art. Amat. III, 679 seq. — *Jussæ prosiliunt lacrymæ*, Martial. I, 34, 2. Facete autem poeta adumbrat credulitatem, et incautum stolidumque errorem mariti, qui fraudes uxoris non intelligit. — *Tu tibi tunc places*, gratularis, et gaudes, quod tantopere ab uxore ameris. — *Curruca*, seu *caruca*, ut vulgo putant, avicula dicitur (gr. ἐπιλαΐς vel ὑπολαΐς, germ. *die singende Grasmücke*, Linn. motacilla modularis), fovens pullos alienos, scil. cuculi, qui in ejus nido ova parit[1]. Quæ si vera sunt, sensus h. l. est: tu similis curucæ, adulterinos educans liberos, quos tibi uxor tanquam tuos peperit; qualis nobis *Hahnrey*, Gallis *cocu* dicitur. Aptissima sane sententia, modo et vox ipsa, et notio ejus minus dubia esset.

Var. 276. *Tum*, 2, 22. *Nunc*, 16. *Tunc tibi tu*, 3. — *Labelli*, 26. De *curruca*, vid. infr.

Not. 276. Locus obscurus et a librariis forte corruptus; *corruca*, 16, 48; *coruca*, 23; *caruca*, 13. Rectius forsan *curuca*, 17—22, 24, 59, 60; vel *curruca*, 2, 3, 5, 10—12, 14, 15, 25, 45—47, 50, 54, 56—58, 64, 68, 70, 74, 77, 81, 82. Neutra vera vox alibi reperitur, et barbaræ videbantur Alciato Parerg. Jur. VII, 5, qui vel *urtica*, vel cum aliis *eruca* reponendum censebat. *Eruca*, 61—63, 65—67, 69, 71—73. Ita dicitur insectum minutissimum, brassicas depascens, gr. κάμπη, germ. *Raupe*; non *uruca* vel *huruca*, quæ tamen scripturæ in quibusdam libris Juvenalis, ut et Columellæ aliorumque, reperiuntur. *Uruca* 1, 75, 76; *huruca*, 49, 55. Vellem tamen Alciatus verborum simul illorum, quæ substituit, sententiam adjecisset, quam haud facile expedias; nisi forte hominem nihili stolidumque *erucam* vocari censeas, quemadmodum Plautus, Truc. V, 5, 50, *campas* pro *nugis* dixerit. — *Cucurra*, seu *cocurra* emend. Scriver. et sic a Carisio h. l. citari monet. Vetus scholion h. l. est: « *Uruca* mimologi stupidi nomen finxit, quia ferme quasi frequenter fallitur, quum agit personam mariti (aut ex emendat. Schurzfl., qui a femina sua sic frequenter fallitur, quum adsciscit personam mariti): vel, ut alii dicunt, genus est animalis fœdi, spinosi, ut ericius. *Uruca* autem est proprie illud, quod in faba nascitur, ut gurgulio. » Conf. Stewech. ad Apulei Apolog. p. 495; Salmas. Exerc. Plin. p. 893, et ad Tertull. Pall. p. 187. — *Fletum*, lacrymas uxoris falsas, *tabellis*, ore et osculando, *exsorbet*, consolans plo-

[1] De quo vid. Aristot. Hist. Anim. VI, 7; XI, 29 et 37; Hard. ad Plin. X, 9; Bochart. de Animal. p. II, l. I, c. 12, p. 88.

rantem. Conf. Ovid. Art. Am. II, 325 seq. et Fast. III, 509, et Ep. Her. XI, 54. — Similia prope expressit *Boileau*, Sat. X, vs. 205 sqq.

« Pour la voir aussitôt, de douleur oppressée,
« Déplorer sa vertu si mal récompensée.
. . . . . .
« Que répondre? Je vois qu'à de si justes cris,
« Toi-même convaincu, déjà tu t'attendris, etc » ED.

VAR. 277. *Et quot* pro *et quas* revocavi ex 7, 10, 11, 13, 15, 17—20, 22—25, 29, 45, 47—50, 54—60, 64, 65, 75, 76, 85. Vid. Comm. *Quot lecture tabellis*, 47. *Quas visure tabellas*, 77.

NOT. 277. *Scripta et tabellas*, litteras a mœchis scriptas. Conf. supra ad v. 233. Vox *quæ* ad indolem argumentumque epistolarum, et *quot* ad earum mœchorumque, a quibus scriptæ sunt, multitudinem spectat. — *Zelotypæ*, quæ zelotypam simulaverat, ut ita te deciperet, suaque celaret adulteria.

VAR. 279. *Atque equitis*, 45.

NOT. 279—285. Uxores non modo ad quævis flagitia et adulteria, cum *servis* et *Equitibus*, h. e. infimis ac summis viris promiscue committenda, propensæ sunt; sed etiam in iis deprehensæ mira audacia defendunt caussam suam, quæ tamen tam anceps est, ut vel *Quintilianus*, summus rhetor, *hæreat*, h. e. nesciat, quo pacto quibusque argumentis rem adeo manifestam turpemque excusare, nedum tueri possit. Colorem orationis e veteri aliqua comœdia ductum esse suspicabatur Schurzfl. — *Jacet in servi complexibus*; conf. Petron. c. 126. — *Dic Sirus* repetitur. Judice Weicherto (in C. Valerii Flacci Argon. lib. VIII, Misnæ 1818) recentiores nostri poetæ editores, qui contra meliores Codd pro *tic, Quintiliane*, scripserunt *hic Quint.* locum vi sua privarunt; et in his repetitionibus notandis probe consideranda est poetæ cujusvis indoles. Nolim pertinaciter contendere; in locis tamen a viro docto laudatis (Stat. Achil. II, 266 sq. et Claudian. in Rufin. II, 239 seq.) ter, non quater, neque in tam paucis verbis eadem vox repetitur. *Quintilianum* h. l. et VII, 186. seq. ob invidendas opes eamque artem, quam profitebatur et mire callebat, struendi ac destruendi versutia ancipitem, a poeta perstringi irato, quem nusquam laudaverit in opere suo, aut hoc factum esse propter iram Quintiliani in poetam, suspicabatur Rigalt. in Diss. de Sat Juven Verba tamen h. l. etiam in laudem tanti rhetoris dicta videri possunt, et satiræ Juvenalis nondum scriptæ erant, saltem non editæ, quum scriberet Quintilianus. Conf. ad VII, 188 seq. et Dodwellus in Annal. Quintil. § 45. De voce *sodes* vide Schelleri Lexic. — *Colorem*, χρόαν, speciem honestatis, prætextum, excusationem, speciosa ac splendida verba, quæ culpæ huic prætendere possis. Forma loquendi ducta a picturis, quibus *colores* inducuntur. Hinc Quintil. III, 8, 3 (10), dixit *colorem dare rebus deformibus*, ut nos, *der Sache eine Farbe, einen Anstrich geben*. Conf. ad VII, 155. —

Sic gallice dicimus, *colorer un mensonge*, *donner une couleur*, etc. Sic *Racine*, *Athalie*, act. I, sc. 1 :

« Et par là de son fiel colorant la noirceur, etc. »

Var. 280. *Dic* pro *hic*, 12, 15—25, 27, 45—50, 56—69, 71—74, 85. Sed idem verbum jam bis positum est, et mox denuo repetitur.

Not. 281. Respondet Quintilianus : *hæremus*, hæreo, dubius ac nescius, qua ratione rem tam manifestam possim defendere (vel *hæremus*, sc. ego, poeta, et Quintilianus); itaque *dic ipsa*, uxor. — *Olim convenerat.... homo sum* verba uxoris protervæ, adulteria sua argute non minus, quam audacter excusantis.

Var. 282. *Quod tu velles*, 16, 85.

Not. 283. *Indulgere*, concedere, *mihi*, sc. quod vellem, vel *indulgere*, obsequi, *mihi*, animo et cupiditatibus meis. — *Mare cœlo confundas*; vid. ad II, 25. — *Homo sum*, qui erroribus obnoxius est, et mulier, quæ ex imbecillitate sexus peccat, adeoque digna sum, cujus peccatis, ex infirmitate humana profectis, veniam des. Conf. Terent. Heaut. I, 1, 25; Cic. Off. I, 9, et Plaut. Merc. II, 2, 46 seq. — Notandus est hic sensus, quem istis verbis subesse suspicatur vir cl. *Méchin* : magis acutum et satiricum ei videtur, si femina dicat : quum matrimonio juncti sumus, conditio ea fuit ut arbitrio nostro uterque ageremus; pares ergo sumus. Quid nunc tibi vis, o marite? non sum femina tibi obnoxia, sed *homo*, id est, vir, sicut tu. Videant docti. Ed.

Not. 284, 285. Acerbe notatur ingenium quarumdam mulierum, quæ *deprehensæ in crimine* non animo perturbantur ac mente concidunt, sed *iram* potius inde concipiunt *atque animos*, animum, h. e. audaciam superbiamque; quod summæ est protervitatis improbitatisque perditæ.

Var. 285. *Deprehensis*, 15, 18, 27, 47, 49, 56, 63. — *Animum de crimine sumunt*, 85. — *Ducunt*, 19.

Var. 286. *Aut quo*, 17. *De quo fonte*, 15, 19, 25, 27, 46—50, 55, 57—60, 64.

Not. 286 sqq. *Hæc* vitiorum flagitiorumque muliebrium *monstra* luxu, opulentia et otio gignuntur, unde priscis Romanis, caste ac frugaliter viventibus, ignota erant. Præclara autem h. l. est veterum recentiorumque temporum morumque descriptio et comparatio. Conf. ad XI, 77—180. — *Monstra*, ut *prodigia* sup. vs. 74. Conf. ad II, 122. — *Quo de fonte* profluxerint, *requiris*, quæras forsan, Postume.

Not. 287 seq. Conf. sup. vs. 5—24. Paupertas laboris, castitatis aliarumque virtutum mater, magistra et custos[1]. — *Contingi*, contaminari, pollui.

[1] Conf. Horat. Od. I, 12, 41 seq. loca vid. intpp.); Ovid. Remed. Am. III, 2, 1 seq. et 6, 17—48 (ad quæ vs. 135—168, et 745 seq.

VAR. 288. *Sinebat*, 11, 15—23, 25, 27, 45—50, 55, 57—63, 65—69, 71, 72, 73.

NOT. 289. *Tecta parva*, casæ humiles, ædesque lateritiæ, h. e. homines in iis habitantes, laboriosi et frugales. — *Vellere*, lana, h. e. lanificio, *vexatæ*, fatigatæ, et *duræ*, induratæ. — *Tusco*, epith. ornans ut paullo ante *Latinas*. Latium et Etruria pro tota Italia poni possunt : non memini certe, lanam lanificiumque Etruscum ab aliis laudari. Lanificium autem *Tuscum* dici a vico Tusco, quod in eo potissimum Romæ illud exercitum sit, parum probabile est.

VAR. 290. *Et proximus*, 77, 85.

NOT. 290, 291. *Metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat*, Sallust. Bell. Jug. 41 (45). Pro bello metuque hostili exquisite dicitur *proximus urbi H.... mariti*. Res ipsa nota, vel ex Liv. XXVI, 10, et Sil. XII, 541 seq. — *Collina in turre*, ad portam Collinam turribus munitam, vel in castris, quæ ad portam Collinam posita erant, turribusque munita.

VAR. 291. *In turre*, 11, 25, 50, 56, 57, 59—63, 65—69, 71, 74, 85.

VAR. 292. *Longe*, 46, 47.

NOT. 292. *Longæ pacis mala;* nam nimium otium gignit luxuriam, et hæc multa mala. Conf. ad I, 87, et Kœnig ad Claudian. XV, 99, ubi dicitur *perfert miserabile pacis supplicium*, sed non sensu plane eodem.

VAR. 293. *Ulciscimur*, 29.

NOT. 293. *Luxuria* cum malis, quæ inde proficiscuntur, *incubuit*, ingruit, irruit in nos, Romanos, nos oppressit : præclare de vi et gravitate mali. Nam res noxias poetæ comparant hostibus, vel exercitui hostili irruenti, omniaque infestanti. Conf. X, 218, et Horat. Od. I, 3, 31, ibique intpp. — *Sævior armis :* nam plura, quam bellum, gignit mala, ipsosque victores vincit ac domat, ut olim Alexandrum, Hannibalem, Romanos, Græcos. — *Ulciscitur orbem* terrarum, a nobis *victum*, et injurias malaque ei a nobis illata, dum nos victores domat ac perdit. Conf. Rutil. Itin. I, 395 seq. et Horat. Epist. II, 1, 56. — *Orbem* (τὴν οἰκουμένην), quem totum a se subactum esse Romani jactabant.

NOT. 294 seq. Conf. Hor. Od. III, 24, 42 seq. ibique intpp. Liv. Præf. extr. et Petron. de Mutat. Reipub. Rom. — *Hinc*, inde, ex eo tempore, *fluxit ad istos colles*, h. e. Romam, in septem collibus conditam (conf. IX, 131). — *Sybaris, Rhodos, Miletos et Tarentum*, h. e. luxus, deliciæ et vitia istarum urbium, quæ cum delectu nominantur, quippe quum omnes luxuria fuerint infames. Conf. III, 62, et 69 seq. *Sybaris* opp. Lucaniæ, cujus perditos mores Athenæus atque Ælianus copiose descripsere, et a quo *luxus, libelli, sus* et *mensa Sybaritica* vel proverbii loco dicuntur. *Rhodos;* vide ad VIII, 113. *Miletus*, caput Ioniæ, urbs clarissima divitiis mercatura partis. *Tarentum*, vel *Tarentus*, opp. antiquissimum ac celeberrimum Mes-

sapiæ, seu Calabriæ, cujus luxuria h. l. tribus epithetis adumbratur. Ex his *coronatum* spectat ad lautas epulas, in quibus convivæ sertis redimiuntur; *petulans* ad ebrietatem, vel jocos, sales hilaritatemque, aut dicax ingenium; *madidum* ad eamdem ebrietatem (ut uvidum, βεβρεγμένον, fluere, diffluere, et alia, de quibus vide ad Sil. XII, 18, in Var. Lect. et Mitsch. ad Horat. Od. III, 21, 9; IV, 5, 39), ad unguenta et divitias affluentes. Similiter Tarentum dicitur *molle* et *imbelle* Horat. Sat. II, 4, 34, et Epist. I, 7, 44; it. *unctum* Sidon. V, 430, ut *uncta Corinthus* infra VIII, 113. [1]

Var. 295. *Fluxit ad Istros*, 19, 20, 25, 49, 56, 57, 59—62, 65, 66. *Histros*, 10, 12, 15—18, 26, 45—48, 50, 54, 55, 58, 64, 67—69, 71—74, 85. *Hystros*, 13, 21, 24, 27. *Histos*, 22. *Instros*, 23. *Indos*, 9, 75, 76, non improb. Pithœo, si mox, suadente Jac. August. Thuano, reponatur *Rhodon et Mileton*, ut sensus sit, paupertatem Roma excedentem fluxisse ad illas civitates, quæ ante deliciis et voluptatibus insignes fuerint. Sed *istos* idem Pithœus, et jam ante eum Hieron. Nogarola apud Parrhas. in Quæs. per Epist. 28, et Balbus ad Valer. Flacc. III, 555, recte, opinor, conjecerunt, idque receptum in 70 et 82.

Var. 297. *Et* abest ab 25, 27, 46—50, 54—61, 64, 65, 85.

Not. 298 seq. Liv. XXXIX, 6: «Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu asiatico invecta in Urbem est: inde primum lectos æratos, etc.» Poetæ ante oculos fuisse verba Phocylidis et inpr. Creontis in Soph. Antigona, putabat Hennin. verissime autem dixisse Eurip. in Phœn.

Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα
Δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει.

— *Obscœna pecunia*, quæ mores primum molles et effeminatos efficit, ac deinde obscœnos, quum homines, voluptatibus licitis satiati, sese in fœda obscœnitatis atque impudicitiæ fœce volutant, *intulit peregrinos mores* Græcorum et Persarum; Ach.

Not. 299. *Fregerunt*, corruperunt, propr. enervarunt, emollierunt, quo sensu τὰ ὦτα κατεαγότας dixit Phot. c. 242; τὰ κατεκλασμένα μέλη, molles effeminatosque modos, et τὴν κατεαγυῖαν μουσικὴν oppositam τῇ ἀνδρώδει Plut. de Mus. Opp. tom. II, p. m. 1136 et 1138.

Frangitur ipsa suis Roma superba bonis,

Prop. III, 13, 60. — *Divitiæ molles*, quæ homines faciunt molles et effeminatos.

Var. 301. *Sunt*, 16, 21, 22, 85.

Anal. 300—351. Nonnunquam et *Venus ebria*, hoc est, libido vinolen-

[1] Conf. Strab. VII; Athenæus passim, et Barth. ad Claud. Cos. Manl. vs. 158, p. m. 150.

tiæ juncta est, et sic furor furore auctus nihil *curat*, nullam honestatis rationem habet, nec ulla turpitudine abstinet. Conf. infra ad vs. 418 seq. Valer. Max. II, 1, 5; Senec. Ep. 83; Prop. II, 33, 25 seq.

Not. 301. *Inguinis et capitis*, coitus et fellationis, obscœnissimi generis libidinum, quod Græcis dicitur τὸ λείχειν, seu λειχάζειν, λεσβιᾶν, seu λεσβιάζειν, φοινικίζειν, μολύνειν τὸ στόμα, seu τῷ στόματι μολύνεσθαι, Latinis *ore morigerari*, et *capiti illudere* (Suet. Tib. c. 44 et 45), vel *basium Florentinum*, osculum, lingua in os alterius inserta, linguamque ejus lambente, datum, de quo vide Michaelis Biblioth. orient. tom. VII, p. 169, 170. Aristoph. in Equit. Act. IV, extr. de Ariphrade fellatore, seu irrumatore:

Τὴν γὰρ αὐτοῦ γλῶτταν αἰσχραῖς ἡδοναῖς λυμαίνεται,
Ἐν κασαυρίοισι λείχων τὸν ἀπόπτυστον δρόσον,
Καὶ μολύνων τὴν ὑπήνην καὶ κυκῶν τὰς ἰσχάρας. [1]

De *mediis noctibus et Falerno mero* vide ad IV, 137, 138. — *Ostrea* et vinum ardens, quale *Falernum* est, Venerem excitant. *Grandia ostrea et mediæ noctes* ad rem augendam pertinent.

Var. 302. *Grandiaque a mediis*, 16. — *Sorbet* pro *mordet*, 11, 16.

Var. 303. *Percussa*, 16, 85. — *Spument*, 75, 76.

Not. 303. *Unguenta* olim delicatuli in potus addebant, μύρῳ οἶνον μιγνύντες οὕτως ἅπινον, qui οἶνος μυρρινίτης seu μυρρίνης dicebatur: vide Ælian. V. H. XII, 31; Plin. XIII, 3, seu 5; XIV, 3; Martial. XIV, 110 et 113, et infra ad IX, 128, et XI, 122. — *Merum* vinum bibebant ebriosi, aqua mixtum sobrii homines.

Not. 304. *Concha*, vas ad conchæ formam factum, et forte h. l. amplum. Conf. ad vs. 419.

Var. 305. *Exurgit gemma*, 85.

Not. 304, 305. Egregie adumbratur conditio temulentorum hominum, quibus *vertigine* correptis omnia *ambulare* (hoc est, circumagi, ἀναστρέφεσθαι), et simul, nervis oculorum nimio potu debilitatis ac distentis, radiisque eorum distractis, vel musculis oculorum nimio vini ardore contractis, solutisve humiditate, congeminari videntur. Conf. Sen. Ep. 83; Hor. Sat. I, 2, 25, et Theogn. Sentent. vs. 503 seq. (Οἰνοβαρῶ κεφαλήν, — τόδε δῶμα περιτρέχει). [2] Similia de furiosis vide in Eurip. Bacch. vs. 916 seq.

Not. 306—313. Turpissimi ebrietatis effectus nimis ad vivum quasi resecantur, summusque, qui tum temporis vigebat, deorum contemptus

[1] Conf. Lamb. ad Horat. Epod. 8, extr. et Brodæi Miscell. II, 21.

[2] Conf. Jacobs ab Anthol. Gr. Vol. II, P. III, p. 87; Voss. et Burm. ad Val. Fl. III, 66, 67; Heyne ad Virg. Æneid. IV, 469, 470; Farnab. ad Senec. Agam. vs. 728; Lactant. de Opif. Dei, c. 9.

et libidinis furor adumbrantur. — *I nunc;* verba reprehendentis et irridentis, vel irati, ut X, 166, 310; XII, 57. — *Sanna*, derisio, μῶκος, cum distortione oris, vel crispatione et corrugatione nasi, vel nudatione dentium, vel alio gestu. Hinc *subsannare*, græce μυχθίζειν, μυκτηρίζειν, χλευάζειν, naso suspenso deridere. Conf. Pers. I, 58 (ubi de variis sannarum generibus et origine vocis disputavit Casaub.), 62; III, 86; V, 91. — *Qua sorbeat aera sanna;* his verbis Grangæus et alii non, ut Schol. vetus, morem stertentis temulentiæ et rhonchos ducentis exprimi putant, sed gestum irridentium, qui extentis paululum labiis cum certo sibilo aera sorbere soleant; ut adeo sensus sit, Tulliam ore distorto et hiante respirare, quum *prætereat aram Pudicitiæ*, hoc est, cum contemptu et irrisione eam præterire. C. Valesius comparat verba Ammiani, XIV, 6, « turpi sono fragosis (f. rugosis) naribus introrsum reducto spiritu concrepantes), Petri Alex. apud Theodoret. eccl. Hist. IV, 22 : Τὴν ῥῖνα σιμώσαντες, ψόφον ἀσελγῆ διὰ τῶν μυκτήρων μακρὸν, καὶ, ἵν' οὕτως εἴπω, ὡς ἀπὸ κρουνοῦ προχέοντες, et Severi epist. in Baronii Annal. tom. V, ad ann. Christ. 418, de Meletio quodam, qui verba profana et turpia loquatur, et nunc *naribus corrugatis aerem sorbens inhonestos strepitus promat*, nunc fœtidis risibus cachinnetur.

Var. 307, 308. Hi versus transpositi in omnibus libris, præter 22, et duos Codd. Paris. e quibus nunc ordinem eorum haud dubie verum restitui suadente Ach. Versus 308 plane abest ab 8 (in quo recentior manus eum adscripsit), a tribus Codd. Paris. et ab aliis collatis a Pulmanno.

Not. 307. *Pudicitiæ* templum, seu sacellum, duplex Romæ erat, *vetus* majusque patriciæ in foro boario, recentius minusque plebeiæ in vico Longo; et in utriusque templi *ara* priscis temporibus non nisi spectatæ pudicitiæ matrona, et quæ uni viro nupta erat, jus sacrificandi habebat : quæ religio dein vulgata a pollutis, nec matronis solum, sed omnis ordinis feminis, postremo in oblivionem venit : vide locum class. Liv. X, 23, et Fest. voc. *Pudicitia* et *Plebeia*. — *Maura præterit aram* ridens, non ritu antiquo et religioso, quo adorandi gratia manus labris admovetur.

Var. 308. *Nocte*, 19, 23. — *Collactea*, 2—5, 8, 10, 11, 14—16, 18, 20—25, 27, 28, 45—50, 54—60, 64, 65, 68—70, 74, 85, et omnes Codd. Paris. unde recepi, prob. etiam Hennin. Vid. Comm. *Collacia*, 26, 61, 62, 65, 71, 72, 73, 75, 76, 77, 82.

Not. 308. *Cōllactea*, σύντροφος, ὁμογάλακτος, eodem lacte nutrita. Hinc et *notæ*, familiari; nisi malis, famosæ. Conf. Var. Lect.

Not. 309. *Hic*, ante aram ædemve Pudicitiæ, *ponunt lecticas*, lecticis vectæ conveniunt, et egrediuntur, ut micturiant et concumbant. — *Micturiunt*, mictum eunt, vel simpl. mingunt in aram, in contemptum Deæ, et ob furorem libidinis, ut deinde coeant. Conf. ad I, 131.

Not. 310. *Siphon*, græce σίφων, canna, seu stipula, deinde canalis, tu-

bus et fistula, a sono, quem efficit, sic dicta, qua vinum e pleno dolio elicitur, vel per quam emittitur liquor, ut cernimus in salientibus aquis (*la fontaine*): h. l. forte urina diu retenta, ac deinde longo tractu projecta, et quidem *in effigiem* deæ venerabilis. [1]

Not. 311. *In vices equitant*, se invicem ineunt, ut Ασσιάδες, vel τριβάδες (*frictrices* apud Tertull. de Pall. 4, extr. Gall. *tribaudes*), quæ se mutuo solebant ὀλίσβῳ τρίβειν (membro virili, quod ex corio effictum erat, fricare), vel masculam libidinem exercere, quæ τριβακὴ vel τριβαδικὴ ἀσέλγεια dicitur Luciano in Ἔρωτες, ob cujus inventionem Philænis, et exercitium mascula Sappho male audiit. [2] — Hinc istos versus legere est apud satiricum nostrum *Gilbert, le dix-huitième Siècle*:

« De nouvelles Saphos, dans le crime affermies,
« Maris de nos beautés sous le titre d'amies. »

Ed.

— *Equitare* de re venerea (ut nostrum *reiten*, et gall. *chevaucher*), *in vices*, ut *facere vicibus*, VII, 240. — *Luna teste* ac conscia flagitiorum, quæ matronæ pudoris oblitæ ne obscura quidem nocte, sed splendente luna committunt. Sidera *testes* esse, et, tanquam oculi cæli, videre omnia ac despectare dicuntur. [3] — *Moventur*, agitantur voluptati indulgentes et equitantes.

Τὴν κεφαλὴν σείεις καὶ τὴν πυγὴν ἀνασείεις·
Ἓν μὲν μαινομένου, ἓν δὲ περαινομένου.

Epigr. XXV, in Huschkii Anal. crit. pag. 246.

Var. 312. *Domus adeunt*, 85.

Not. 312. *Conjugis* tuæ *urinam calcas*, præteriens aram Pudicitiæ, et *visurus*, salutaturus, *amicos magnos*, potentes ac nobiles, patronos, qui a clientibus *luce* prima salutantur. Conf. I, 33, et III, 184.

Not. 314—345. Alii nec minus fœdi describuntur, nimisque ad vivum quasi resecantur effectus ebrietatis, et stupra nefanda, quibus sacra etiam et cæremoniæ deorum, impr. *Bonæ Deæ*, polluuntur. De hac dea ejusque sacris, quæ in summam sensim turpitudinem degenerabant, vide ad II, 86 seq. — *Nota* propter summa flagitia, in his sacris committi solita. Et hæc utique notiora sunt, quam ipsæ, quibus dea colebatur, cæremoniæ. *Nota* autem facete dicuntur *secreta*, hoc est, arcana deæ sacra, a solis feminis, et hinc in locis *secretis*, forte subterraneis ac fornicatis, ut Priapi sacra non minus impura in cryptæ recessu, celebrata, unde *antrum* infra

[1] Conf. Scalig. ad Varron. p. 102; Intpp. Plin. Epist. V, 6, 22; X, 42; Kuster. ad Aristoph. Thesmoph. 564; Musgrav. et Hoepfner. ad Eurip. Cycl. vs. 438.

[2] Conf. ad vs. 322; Phædr. IV, 14, 1 seq. (ubi vide intpp.); Mart. I, 90, VII, 65 et 69; Koppe ad Pauli Epist. ad Rom. I, 26, 27.

[3] Conf. VIII, 149; Manil. I, 283; Zinzerling. Critic. juvenil. p. 202, et Heins. ad Ovid. Fast. IV, 885.

vs. 328, et *opertum* Cic. Parad. 4, et Lactant. de falsa Relig. I, 22. Conf. Gonsal. ad Petron. p. m. 42. — *Tibia incitat lumbos* ad saltandum (nam ad tibiam in his sacris saltasse mulieres, et hinc Claudium quoque habitu psaltriæ iis affuisse, præter alios docet Plut. in Cæs. et Cicer.), vel potius ad libidinem et pruritum venereum, ut *crissent* lumbis (ut mox vs. 322); nam *lumbi* sedes libidinis, et hæc maxime excitatur lascivo cantu sonoque: unde ἡ ὀσφὺς ἡμῖν ὑγρῶς ἐπικινεῖται, Lucian. Asin. aur. 6. Confer. IX, 59; Koenig ad Pers. I, 20 (*carmina lumbos Intrant*); IV, 85, et Burm. Anthol. lat. tom. II, pag. 495.

Not. 315. *Cornu* forte idem quod *tibia*, nisi in his sacris utriusque fuit usus. Conf. ad II, 90. — *Vino*, ut *magno cratere*, II, 87; *vino attonitæ*, ut apud Liv. XXXIX, 15. *Attonitus*, ut ἐμβροντηθείς, seu ἐμβρόντητος, voc. propr. de sensuum stupore ac furore, etiam sacro, vel enthusiasmo divinitus immisso. Conf. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 19, 4. — *Ferri* inpr. dicuntur furentes, quique animo ita commoventur, ut nesciant, quid agant. [1]

Var. 316. *Ululantque Priapi Mænades*, 1, 70, 75, 76, 81, 82. *Ululante Priapo*, 10, 11, 12, 14—27, 45—50, 54—69, 71—74, 85, omnesque Codd. Paris. quod Britann. exponit: sacerdote Priapi edente sonos et ululatus musicis instrumentis, ne scil. quiritantis vox, per vim stuprum patientis, exaudiatur. *Ululantque Priapo*, 44, 83, 84, ut conj. *Bahrdt*, a quo tamen hæc lectio eodem sensu capta, quo recepta a nobis. Vid. Comm. Ita vero malim *ululantque Priapum*, ut *quem ululat Gallus* apud Martial. V, 42, 3, et *ululare tristia* apud Lucan. I, 567; unde *ululata Hecate* et *Lucina* dicitur Virgil. Æn. IV, 609, et Stat. Theb. III, 158.

Not. 316. *Crinem rotant* saltantes, et jactantes capita. Quintil. XI, 3: «Caput jactare, et comas rotare, fanaticum est.» Poeta ad has matronas transtulit verba Lucani, I, 366, de Gallis, fanaticis sacerdotibus:

....Crinemque rotantes
Sanguineum populis ululârunt tristia Galli.

Apul. Met. VIII, p. 204, ad Elmenh. de sacerdotibus Isidis: «Demisso capite cervices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos rotantes in circulum.» In Antipatri Sidonii Epigr. XXVII, 2 (Anal. Brunck. tom. II. pag. 13), Gallus ῥομβητοὺς δονίων λυσσομανεῖς πλοκάμους, et vs. 18, ἰδίνησε δ' εὐστροφάλιγγα κόμαν. Confer. Epigr. adscriptum sup. adv. 311; Catull. LXIII, 23: illud ῥίψαι πλοκάμους apud Eurip. in Bacch. vs. 150, 864, et Iphig. in Aul. 758, aliaque loca, quæ laudavit Ill. Huschke in Anal. crit. pag. 108 seq. — *Ululare* de quovis sono et cantu, vel clamore, tam læto quam tristi, adhibetur, ut ὀλολύζειν et ὀλολυγή: vide intpp. Callim. Hymn. in Del. vs. 258. — *Mænades*, ut Μαινάδες, propr. furiosæ et

[1] Vide Ernesti Clav. Cic. et Burm. ad Ovid. Her. XV, 140.

ἔνθεοι mulieres, inprim. Bacchæ, ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι sic dictæ. *Mænades Priapi* facete dicuntur matronæ tam vino quam libidine furentes, et Priapum, deum impurum, tum colentes, tum in sacris Bonæ Deæ, quæ Priapeiis et Bacchanalibus similia erant (vide Plut. in Cæs. et Cicer.), ut Bacchæ Bacchum, cum *ululatu* invocantes. Vetus Schol. « Non Liberi patris Bacchæ (seu Mænades), sed Priapi. » Conf. tamen Var. Lect. et de *Priapo* infra ad vs. 375.

Not. 318. *Quæ vox*, quam lascivæ sunt et canoræ voces earum! Verbum *saltare* de vehemente cupiditate dicitur, ut καρδία πηδᾷ, vel ἐκπηδᾷ, Aristoph. Nub. vs. 1393 (ubi vide Kuster.) et Aristæn. Epist. II, 5, forte et ἅλλεται ὄφθαλμὸς, Theocrit. III, 37; inpr. vero καὶὰ δ' ἐξάλλετο γαστὴρ, apud Callim. H. in Cer. vs. 89, ubi vide Ernesti. Confer. Moll ad Longi Pastor. pag. 53.

Not. 319. Quantum *meri veteris* (utrumque cum delectu) ad pedes defluit matronis lascivis, se commingentibus!

Var. 320. *Saufeia*, 1, 61, 70, 75, 76, 77, 82. Romæ fuit *Saufeia* gens, notique *Saufeii* e Plin. VII, 53, et Cicer. Rabir. Perd. 7, et Epist. ad Att. I, 3; II, 8; IV, 6; XIV, 18; XV, 4; XVI, 3. *Laufeia*, 50, 64. *Laufera*, 17 a m. pr. 20, 22. *Laufela*, 14—17 a m. sec. 18, 21, 27, 46, 47, 48, 58, 85. *Laufella*, 10, 11, 19, 23, 24, 25, 45, 49, 54—57, 59, 60, 62, 63, 65—69, 71—74, 77, et omnes Codd. Paris. unde id recepi cum Ach. Eadem lectionis varietas est inf. IX, 117, et apud Martial. III, 72.

Not. 320. *Saufeia*, vel *Laufella* (vide Var. Lect.) matrona lasciva et tribas, cujus etiam mentio fit IX, 117, et apud Martial. III, 72. Confer. infra ad XII, 45. Restituenda forte lectio *Saufeia*. Nota cl. *Boissonade* ad Nicetam pag. 92 est hæc: « *Achaintre* pro *Saufeia* revocavit lectionem *Laufella* ex omnibus, ait, Codd. suis. Equidem inveni in Thuaneo, qui est ex illis, quos suos vocat, *Saufega* cum scholio *matrona*. Rursus ad vs. 322 pro *fluctum* ait rectius forte habere *frictum* codices suos. Equidem inveni in Thuaneo vetustissimo *fluctum*, quæ vox ad subsaltationes atque fœdas subagitationes non male detorta illustrari potest Dioscoridis Epigr. 54, in Anthol. Pal. c. 5:

Μήποτε γαστροβαρῆ πρός σὸν λέχος ἀντιπρόσωπον
Παιδογόνῳ κλίνῃς Κύπριδι τερπόμενος.
Μεσσόθι γὰρ μέγα κῦμα, καὶ οὐκ ὀλίγος πόνος ἔσται,
Τῆς μὲν ἐρεσσομένης, σοῦ δὲ σαλευομένου.

Hæc editorum incuria in conferendis Codd. passim a cl. *Boissonade*, et a me notata est. Ed. — *Lenonum ancillas*, meretriculas, prostibula, *provocat* in certamen libidinis, *posita corona* in medio, vel potius proposito victoriæ præmio, ut τιθέναι ἄεθλα apud Hom. Il. ψ, 653, 740, et *corona* apud Virg. Æneid. V, 355; Sil. XVI, 299, 505. Possis etiam exponere, deposita corona convivali: nam, a vs. 300—351, sermo est de Venere ebria, lautisque conviviis, in quibus veteres coronari solebant. Sed illa ratio fir-

matur verbis *præmia* (coronam) *tollit*, hoc est, accipit victrix, *pendentis coxæ*, ut quæ scitius pluresque subagitarit, ceterasque Ασσιάδας, seu τριβάδας in hac muliebri κλινοπάλῃ vicerit, vel, ut Photius apud Apul. Met. II, pag. 122, 19, ed. Elmenh. «Crebre subsiliens, lubricisque gestibus mobilem spinam quatiens, pendulæ Veneris fructu se satiaverit.» Poeta autem h. loc. respexisse videtur simile certamen victoriamque Messalinæ (vide supra ad vs. 126), nisi ei h. loc. *Laufellæ* nomen dedit. Bahrdt perperam cepit *coronam* de mitra matronali, ante certamen deposita; vetus autem Schol. *coxam pendentem* de perna in carnario suspensa, et præmii loco proposita (vide ad XI, 82). — *Corona*, servantibus virginitatem data, nunc proponitur tribadibus: *coxæ pendentis*; nam quæ succumbit, sublimi coxa excipit tribadem incumbentem; Brit. [1]

Var. 321. *Et tollit* revocavi ex 10, 11, 14—25, 27, 45—50, 54—69, 71—74. *Attollit*, 70, 75, 76, 77, 82.

Var. 322. *Ipse*, 27, 46—49, 57. — *Medullinæ*, 23. — *Fluctum*, 1, 75, 82. *Frictum*, 18, 19 a m. sec. 20, 21 a m. sec. 23, 24, 25, 27, 46—50, 54—74, 76, 77, 85, omnesque Codd. Paris. Britann. «*adorat frictum*, quia genibus ad frictum incurvatur.» Farnabius: «γνὺξ ἐπικλινομένη τρίβεται λείχει τε.» Inde tribades dictæ *frictrices*. Vid. Comm. apud v. 311. *Fructum*, 17, 21 a m. pr. 22, 45. *Factum*, 19 a m. pr. *Rictum* (eo sensu, quo apud Martialem aliosque vox illa adhibeatur) omnino legendum putabat C. Valesius. — *Crisantis*, 1, 17, 21, 22, 23, 46, 47, 48, 64, ut apud Martial. X, 68, 10.

Not. 322. *Ipsa* Laufella, s. Saufeia, subigitur et agitatur subsultu frequenti a *Medullina*, sub qua jacet, cujusque *fluctum*, h. e. motum fluctuantem, *adorat*, maximi putat, tanquam nihil eo divinius dici, aut cogitari possit. — *Fluctum* pro vulgo *frictum* (vide Varr. Lect. et ad vs. 311), substitui cum Pith. et Henninio, prob. Wakef. ad Lucr. III, 721, et IV, 1264, ubi hanc flexibilem corporis mollitudinem designari etiam notat verbis Priap. carm. 18,

Crissabit tibi fluctuante lumbo:

Virg. Cop. vs. 2,

Crispum sub crotalo docta movere latus:

Apul. Met. III, pag. 213, *membris leviter fluctuantibus*; Arnob. lib. II, pag. 73; *coxendicibus sublevatis lumborum crispitudine fluctuare*: lib. VII, pag. 239: *clunibus fluctuare crispatis*: Achill. Tat. I, 12, ὁ δὲ ἵππος τοῖς νώτοις ἐκυμαίνετο. Conf. et Martial. XIV, 203:

Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, ut ipsum
Masturbatorem fecerit Hippolytum.

Vetus Schol. «*adorat fluctum*, habet potiorem in obscenis moribus motum

[1] *Coxa*, membrum virile, propter magnitudinem, Omnib. et Gloss. in Cod. Alex. teste Ach. Sed hoc mihi nec verum, nec probabile videtur. Ed.

sive sinum; *crissare* autem mulierum, *cevere* virorum est, unde *cevetes* molles et obsceni appellantur.» Grangæus: «*Crissare* verbum Tarentinum, quod *prurire* significat, a Gr. κνισσᾶν, seu κνιζᾶν.» — *Medullina*, mulier impudica, vel ficta, vel vera. Alia, opinor, fuit sponsa Claudii, de qua vide Sueton. Claud. 26. [1]

Var. 323. *Virus* (hoc est, succus genitalis, ut apud Virg. Georg. III, 281, *lentum destillat ab inguine virus*) pro *virtus* conj. Schrader. et Bahrdt. qui ita h. l. exponit: lascivi succi abundantia ei majus videtur bonum, quam nobilitas. Nobis tamen neque conjecturam, neque interpretationem hanc persuasit.

Not. 323. *Inter dominas* et matronas, quæ tam turpiter de principatu in libidinis exercitio contendunt, nulla nobilitatis ratio habetur, sed *virtus*, major ars, vel vis et potestas coeundi, et masculam libidinem exercendi, *palmam*, seu victoriam in hoc obsceno certamine *æquat natalibus*, summæ nobilitati; hoc est, talis victrix non minoris æstimatur, quam quæ nobilissima est. Conf. Var. Lect.

Var. 324. *Tibi* pro *ibi*, 10, 16, 20, 23, 24, 54, 63, 68, 71, 72, 73. — *Similabitur* forte scribendum pro *simulabitur*. Vid. sup. ad II, 3. — *Fiunt*, 19.

Not. 324 seq. Non simulacra ibi rei Venereæ effinguntur, vel ludus phantasiæ; sed *omnia fiunt ad verum* ac vivum, verus est ac manifestus concubitus mulierum cum mulieribus, tanquam cum viris; *quibus incendi* ad libidinem vel decrepiti possint senes.

Var. 326. *Vel Nestoris*, 77. — *Hirnea*, 9, quod vasis potorii genus est. Conf. Intpp. Virg. Catal. IV, 8, ubi eadem deprehenditur lectionis varietas.

Not. 325, 326. Conf. Ovid. Amor. III, 7, 41, 42, et Martial. VI, 71, 3; XI, 61, 3, 4; XIV, 203; Jacobs in Anal. ad Rhiani Epigr. II, et cl. *Boissonade* ad Nic. II, 81, pag. 91, 92. Eo. *Frigidus æva*, senectute, ut contra *calidus* et *fervidus juventa*. — *Laomedontiades*, filius Laomedontis, Priamus, ut apud Virg. Æneid. VIII, 158. — *Nestoris hernia* (ut *pondus Nestoris* apud Plaut.), h. e. Nestor, quamvis herniosus; quo rei miraculum augetur. — *Hernia*, tumor scroti (κήλη), qui, delapsis in scrotum intestino (ἐντέρῳ) et omento (ἐπιπλόῳ), *ramum* (ἔρνος) facere videtur, unde dicta *hernia*, *ramex* (inf. X, 205 et al.), *enterocele*, gr. ἐντεροκήλη, ἐπιπλοκήλη, ἐντεροεπιπλοκήλη. Cf. Cels. III, 24, 9; V, 18, et intpp. Mart. XI, 85, 5.

[1] Male Schol. vetus: «Duæ Medullinæ eodem fuerunt tempore, ex quibus una Val. Claudio nupta fuit, altera Neroni: prior nota omnibus probris, quam hic significat; posterior famæ honestioris.» Error a nemine notatus, et a Bahrdtio aliisque adscitus. Messalinæ fuerunt illæ, non Medullinæ, et quidem Valeria Messalina et Statilia Messalina. Hinc in Scholiaste pro *Valerio* legendum est profecto *Valeria*; sed ipsum *Messalinæ* nomen respuit versus, et aliena ab hoc loco est nota.

Var. 327. *Tum prurigo,* 15, 46, 47, 49, 50. — *Tum femina,* 27, 60—63, 65, 68, 71, 72, 73.

Not. 327 seq. Ad sacra Bonæ Deæ, de quibus vs. 314—345 agitur, non nisi mulieres admittuntur. Quæ itaque postquam aliquamdiu rebus divinis interfuerunt, et masculam exercentes libidinem eam excitarunt magis quam satiarunt, *morœ impatientes* (ut vs. 238), et *prurigine*, seu lascivia ac libidine incensæ virorum præsentiam verumque desiderant coitum. — *Tunc femina simplex* est; ingenue prodit desideria animi, concubitus cum viris; vel potius *tunc femina*, qualiscunque simplex est, inscita, imperita sanationis artisque desideratæ, quam soli viri callent, quoniam, ut verbis Mart. XI, 61, 5 (et 72, 7), utar, harum mulierum *ulcus* (pruriginem, lasciviam) *sanare Criton* (medicus), *non Hygeia* (medica) *potest.*[1]

Var. 328. *It*, 48, 55, 57. — *Pariter toto,* 10, 11, 18, 20, 22, 23, 25, 26, 59—63, 65, 66—69, 71, 72, 73, 77. — *Clamor repetitus*, 10, 19, 23, 26, 85. *Repetitur,* 45, 56, 57, 60, 65, 67, 68, 71, 74. *Reperitur,* 73. *Reparatur,* 69, 72.

Var. 329. *Dormitat* pro *jam dormit*, 10, 11, 14—27, 45—50, 54—69, 71—74, 85, et XXX Codd. Paris. prob. Schurzfl. *Si jam dormit*, 9 a m. pr. *Si dormit*, 9 a m. sec. Non male! Sed vulgata forte lectio exquisitior est, et illud *si* ortum videri potest e glossa ac supplendum (unde comma pro puncto posui post *adulter*): nisi potius hæc verba sunt ædituæ respondentis, vel etiam earumdem feminarum, cum interrog. legenda: *Dormitat adulter?* Ita Ach. *St! dormit adulter?* emend. Voss. ad Catull. p. m. 139; nt *st!* sit silentii nota. Conf. ad I, 161.

Not. 328, 329. *Clamor* mulierum *ab antro* (vide sup. ad vs. 413) *repetitus! admitte viros! Jam fas est*, eos admitti ad nos sacra Bonæ Deæ agentes, ex quo admissus est Clodius, et nec ipse pœnam culpæ luit, nec Pompeia: vide infra ad vs. 337 seq. 345. Verba hæc mulierum, sacra Bonæ Deæ agentium, ædituæ vel ancillæ dicta; quæ mox respondet, *jam dormit adulter!* Hæc tamen et ita exponi possunt: si *jam dormit adulter* (vide ad XI, 30 seq.), non adest, spemque mulieris eum exspectantis fallit, *illa jubet* alium quemcumque, et quidem *juvenem*, *properare*, quam primum arcessi et accedere; nisi *juvenis* est potius ipse *adulter*, e somno excitandus et arcessendus.

[1] *Femina simplex* ab aliis alio sensu capitur. Lubinus: nihil virile potens, sed virum desiderans, quæ ante virili quidem instrumento se armarat, sed videt illud fictitium instrumentum non sufficere, et feminam illo armatam esse tamen et manere *simpliciter feminam*. Grangæus: ironice, quæ virum nondum cognovit (ut apud Martial. Epigr. lib. IX, 41, 4; lib. XII, 35, 3), vel quæ non agit virum, non tribas, non frictrix, sed partes suas sustinere contenta. Britan. tunc simpliciter omnia agit mulier, neque turpitudinem aliquo pudoris velamento tegit.

Var. 330. *Juvenem sumpto*, 16, 85. — *Sumpto cucullo;* vide ad III, 170.

Not. 331. *Si nihil est*, si inanis est illa spes, venturum esse adulterum; aut si nihil est amatorum et ingenuorum, qui venire velint, aut cupiant, *incurritur servis*, cum iis concumbitur, et quidem summo cupiditatis ardore. Lipsius in Epistol. Quæst. lib. II, Epist. IX, vs. 331, 332, expressos putabat ex Aristoph. Θεσμοφ. vs. 491, 492; ubi Mnesilochus, simulata mulier, eadem de hoc sexu fatetur:

Ταῦτ' οὐδεπώποτ' εἶφ', ὁρᾶτ', Εὐριπίδης
Οὐδ' ὡς ὑπὸ τῶν δούλων τε κώρεωκόμων
Σποδούμεθ', ἢν μὴ 'χωμεν ἕτερον, οὐ λέγει.

— Si *abstuleris* his mulieribus *spem servorum*, *venit aquarius*, arcessitus ab iis et *conductus*. Henninius: « *Aquarii* aquam in ædes portabant, qua mulieres ad balnea utebantur: inde illi male cœperunt audire, tanquam πορνοδιάκονοι. Glossæ: *aquaculat; lenocinatur*. Festus: « Aquarii sunt impudicarum mulierum sordidi asseclæ: iis enim tanquam amorum internunciis solebant uti mulieres. » Hinc patet, cur Noster *conductum* vocet.[1] « Plathnerus huc refert loca Ovid. Amor. III, 7, 84, et Art. Am. III, 629.

Var. 332. *Veniet* recepi ex, 7, 10, 14—16, 21—25, 27, 45—50, 54—75, 77, 85, et Codd. Paris. tantum non omnibus. *Venit et*, 76, 82. *Veniat*, 11, et duo Codd. Paris. rectissime, judice Schurzfl.

Var. 333. *Et si absunt*, 19. — *Illam*, 16, 85.

Not. 333. *Mora nulla per ipsam*, *quo minus submittat*, h. e. non cunctatur, nec dubitat submittere, etc., ut XII, 111.

Var. 334. *Supponat*, 15, ex interpret.

Not. 334. *Clunem submittat*, succumbat, *asello;* cujus prodigiosæ libidinis mentio quoque fit in libris Mosaicis (Exod. XII, 19; Lev. XVIII, 23; XX, 15, 16; Deut. XXVII, 21), in Luciani Asino, et Apul. Miles. X et XI.[2] Per gradationem poeta pervenit ad ultimum infamiæ et libidinis gradum: primum *amator* requiritur, eo deficiente quivis *juvenis*, deinde *servus*, post *aquarius*, demum *asinus*, vel quodcumque jumentum. *Voltaire* hinc in poema nimis notum monstra libidinum transtulit. Ed.

Not. 335 seq. Etiam sacra tali turpitudine polluuntur, et vel antiquissima ac publica. — *Ritus* religiosi.

Var. 337. *Noverint*, 14. Sed male.

---

[1] *Aquarii*, seu *aquarioli*, qui in lupanaribus, ut mediastini in balneis, aquam ministrabant, θαλλίωνες, περιχύται, παραχύται. Conf. Salmas. ad Vopisci Carin. c. 21; Casaub. ad Lamprid. Comm. c. 22, et Turneb. Adv. XIV, 12.

[2] Conf. Michaelis Jus Mos. § 258, et And. Tiraquelli legum connub. comment. p. 235.

Nor. 337. *Omnes Noverunt Mauri atque Indi* proverbii loco dicitur de re pervulgata, ut *omnibus et lippis et tonsoribus notum* apud Hor. Sat. I, 7, 3. Res autem eo augetur, quod populi nominantur tam longinqui, ad quos fama hujus rei pervenerit. — Innuitur Clodius, qui habitu *psaltriæ* sacris Bonæ Deæ interfuit, stuprumque intulit Pompeiæ, Cæsaris uxori. Vide Sueton. Cæs. 6.

Var. 338. *Sint*, 15, 27, 45, 46, 47, 49, 50, 56, 60—65, 68—74, 77.

Nor. 338. Mentem poetæ recte cepit Grangæus: «Facete significat mentulam Clodii duplo majorem Cæsaris mentula fuisse, et propter tam opulentum peculium Pompeiam Cæsaris uxorem magis dilexisse Clodium, quam Cæsarem. Quare autem Cæsaris mentulam *Anticatonem* vocet, in promptu est. Nam Cæsar corrupit Serviliam, Catonis sororem; unde merito illius penis *Anticato* (vide ad X, 319). Præterea Cæsar librum adversus librum Ciceronis, cui titulus *Cato*, composuit *Anticatonis* nomine. At studiosi antiquitatis sciunt, libros (qui ob id dictu *volumina*) in orbem plicatos, et penis quodam modo, seu longitudine, seu rotunditate, similitudinem præ se tulisse.» *Duo Anticatones;* nam duo fuere libri: vide Suet. Cæs. 56. At totius quoque operis titulus *Anticato* fuit, et ita h. l. *ἀνάργεια* augetur. [1]

Var. 339. *Illic*, 27, 45—49, 58, 60.

Nor. 339. Facete et ad sceleris Clodiani atrocitatem declarandam apte fingit poeta, tantam Bonæ Deæ pudicitiam et sacrorum ejus religionem fuisse, ut non modo baud admitti fas fuerit animalia mascula, nedum viros, sed illa quoque sponte sanctissimo e loco sacrorum profugerint: plurimum etiam salis orationi eo admiscuit, quod non canem memoravit, sed *murem*, nec masculum dixit, sed *testiculi sibi conscium*, qui meminerit, se habere testiculos.

Var. 340. In 7, post vs. 337, legitur, et una cum vs. seq. abest a 16. — *Versari*, 19.

Nor. 340, 341. De iisdem Bonæ Deæ sacris Seneca Epist. XCVII, «Submotis extra conspectum omnibus viris, ut picturæ quoque masculorum animalium contegantur. etc.» — *Alterius*, masculini, *sexus*, maris, *figuram*, imaginem, *imitata est*, expressit, exhibuit.

Var. 341. *Est* non exstat in 25.

Var. 342. *Sed quis*, 24. *Ecquis*, 25, 57, 60. — *Nunc*, 45. — *Et quis*, 77.

Nor. 342 seq. Et pauci jam *tunc*, Clodii temporibus, ita, ut ille, antiquam sacrorum religionem spernebant: at *nunc Clodii*, h. e. scelesti ho-

[1] Conf. Plut. Vit. Cæs. Opp. tom. I, p. 733, C; Gell. IV, 16; Cic. ad Att. XII, 41; XIII, 48, et de Div. II, 9, it. Top. 94.

mines, Clodio similes (conf. ad II, 39), qui ipsa templa et aras adulteriis probrisque profanent, ubivis reperiuntur. Nam Clodii temporibus jam magna quidem, nec tamen tanta, quanta iis, quibus poeta vixit, morum corruptela fuit. Vulgo *tunc* de prisco, vel adeo aureo accipitur seculo, cui et reliqua verba magis conveniunt. Sed nulla ejus mentio præmissa est; nisi forte existimes, poetam inde a vs. 286 descriptionem commutationis temporum morumque persequi.

Var. 343. *Simpuvium;* vid. not. ad h. l. — *Numen*, 7. — *Nigrumve*, 2, 3, 10, 11, 14—17, 20—24, 45, 85. Parum interest. *Priscumque* legebat Hadr. Junius Animadv. II, 1.

Not. 343 seq. Nemo olim contemnebat ridebatve adeo vel ipsa nomina, vel vasa parva, sive lignea, sive fictilia, quorum usus in sacris servabatur. Conf. Apul. Apol. p. 285, 41, ed. Elm. — *Simpuvium* restitui ex 1, 10, 17—20, 24, 68, 69, 71—73, quæ scriptura etiam reperitur in Plin. XXXV, 12, seu 46; Cicer. apud Non. 4, n. 434, et Varr. ibid. 15, n. 12. Vetus scholion h. l. est: « *Simpuvium*, vas sacrificiis aptum, in quo pontifices lavare (leg. *quo p. libare*) solebant: *simpuvium* autem, quia omnes sacerdotes *simul bibebant;* unde *simpuviatrix* illa dicitur, quæ porrigit poculum ipsum » *Sympuvium* 11, 12, 14—16, 22, 25, 26, 45, 47, 48, 50, 54, 56—67, 74, 77, 81, 82; *Sympinium* 49, 55, quod a συμπίνειν, combibendo, dictum putant; *Sympluvium* 21, 23; *Symptuium* 46; *Sympullum* 70. At forte scribendum *Simpulum*; vel, si veteres Romani, ut vulgo putant, secundam syll. hujus voc. non produxere, sed corripuere, *Simpullum*, quod etiam editum in 75 et 76. Festus: Sympullum, inquit, vas parvum (forte *simplum*, seu simplex), non dissimile cyatho (vel ligneum, vel fictile), quo vinum in sacrificiis libabatur, unde et mulieres rebus divinis deditæ simpulatrices dicuntur. » Varro L. L. IV, 26: « Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis *guttum* appellarunt; et quo sumebant (vinum) minutatim, a sumendo *simpulum* nominavere. In hujusce locum in conviviis e Græcia successit epichysis et cyathus, in sacrificiis remansit guttum et simpulum. » In Fulgent. de prisco Serm. et in Isidorii Glossis *simpulo* conviva dicitur, et *simpulator* amicus sponsi assiduus cum eo in convivio. In Inscriptt. *simpulariarius*, qui simpula facit. Figuram simpuli exhibet Causeus Mus. Rom. tom. II, pag. 3, tab. 2. Conf. Harduin. ad Plin. XXXV, 12, seu 46, et Ernesti Clav. Cic. — *Numæ*, qui sacra cum cæremoniis, totumque deorum cultum instituit. — *Catinus*, seu *catinum nigrum*, vas fictile e nigra terra. — *Patellas*, bene; non *patinas; fragiles*, non aureas, sed fictiles, quales in *monte Vaticano*, et ex ejus terra argillosa fingebantur.

Var. 344. *Aut*, 16, 85.

Var. 345. *Claudius*, 10, 14—17, 19—24, 27, 45—48, 85. Vetus Schol. hæc notavit: « *Clodius* pro *Claudius:* licet nam per communionem, ut *Clodius*

et *Claudius*, ut *cotes* et *cautes*, ut *origa* et *auriga*.» Hinc Rutgers. Var. Lect. II, 17, colligit, eum *Claudius*, et Valla, eum *lodius* vel *ludius* legisse. Sed monet tantum, veteres etiam *Clodium* dixisse pro *Claudio*, quod vel tironibus notum. Conf. sup. ad II, 36.

Not. 346—351. *Audio*, non ignoro quidem, quale consilium mihi *olim*, h. e. jam dudum (ut IV, 96 et al.), tanquam optimum ac primum, dedissent *amici veteres*, ætate et usu docti; sed illud vanum est et inutile nostris temporibus, quibus *summæ* æque ac *minimæ*, h. e. infimæ mulieres ad quamcumque libidinem pronæ sunt. — *Pone*, appone, *seram* januæ conjugis (vide Heins. ad Ovid. Am. III, 14, 10), et *cohibe*, include eam, adhibitis etiam custodibus, more græco (vide Potter. Archæol. IV, 13).

Var. 347. *Custodiat*, 45, 60, 85. Forte rectius.

Not. 348 seq. Lepidus lusus verborum: *custodire custodes*. — *Ab illis incipit uxor*, custodes vel pecunia corrumpens, vel adeo ad concubitum sollicitans.[1]

Var. 349. *Namque*, 17 a m. pr. — *Libido est*, 77.

Var. 350. *Pedibus silicem*, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74.

Not. 350. Describitur puella vaga et paupercula, quæ *pedibus* nudis incedit per *silicem atrum*, h. e. plateas lutulentas silice stratas, ut apud Prop. II, 23, 15, et Prudent. contra Symm. vs. 582. — *Silicem atrum* ad pavimentum Rom. ex liquefactis montium ardentium ejectamentis congelatisque compositum refert Wakef. ad Lucret. I, 316.

Var. 351. *Quamquam*, 46, 47.

Not. 351. Descriptio matronæ nobilis, quæ lectica vel sella vehi, et a *Syris*, h. e. servis, gestari solebat. — *Longorum Syrorum*; vide ad III, 240, et I, 64.

Var. 352. *Oculnia*, 10, 14, 15, 17—21, 24, 25, 49, 54—59, 65, 85. *Oculnea*, 11, 16. *Oculina*, 23, 27, 45—48, 50, 60, 64. *Ocullina*, 22. Nota est gens *Ogulnia* e Livio et aliis.

Not. 352—365. Vitium aliud mulierum notatur, quod, quamvis pauperes, tamen prodigæ, in libidines potissimum, et ambitiosæ sint, adeoque divites nobilesque videri cupiant. Conf. ad III, 180—183. — *Conducit vestem*, etc. Conf. VII, 143, et ad III, 180, 181. Μὴ πρίασθαι θρασπαίνας, ἀλλὰ μισθοῦσθαι εἰς τὰς ἐξόδους, apud Theophr. Char. XXII, ἀνελευθερίας, illiberalitatis, ut h. l. stolidæ ambitionis, indicium est. Conf. ibi

[1] Confer. supra vs. 235; Lips. et Gronovium. ad Tacit. Annal. lib. XI, cap. 35; Ovid. Amor. lib. Eleg. III, 4, 1 seq. et Art. Am. Eleg. lib. III, 611—658; Propert. Eleg. lib. II, 6, 37 seq. ibique Broekhus.

Casaub. qui etiam monet, raro olim matronas in publicum prodiisse, nisi stipatas gregibus *comitum*, ancillarum. — *Sellam*, in qua deferatur in publicum et theatrum, ibique sedeat.[1] — *Cervical*, προσκεφάλαιον, pulvillus sericus, quo brachium negligenter jacentis fulcitur. Conf. ad I, 65; Scheffer. de Re veh. II, 4, p. 75, et Bottigeri Sabina, pag. 436 et 455. — *Amicas*, quas *honestas clientas* dixit Horat. Od. II, 18, 8, ubi vide intpp.

Var. 354. Abest ab 26. *Faveam* pro *flavam* conj. Scalig. ad Prop., Vulcan. et Wouwer. ad Petron. *Favea*, seu *fabea* et *abra* in Gloss. vett. dicitur puella, quæ dominæ in deliciis erat. Sed non adsequor, cur vulgata lectio displiceat, et poetæ obtrudenda sit vox insolita ac forte recentioris originis. — *Dat*, 85.

Not. 354. *Nutricem*, ut tam dives ac nobilis, quam fecunda videatur mater. — *Flavam*, pulchram : vide ad V, 115. — *Puellam*, etc., quæ in Gloss. *abra* et *favea* dicitur.

Not. 335 seq. Conf. Martial. IV, 28. — *Athletis*, quos amat, et quibuscum concumbit. Grangæus : Hoc est obscenum verbum pro iis, qui cum ea caput limarent; gall. *les piqueurs*. — *Lævibus* (vide modo Var. Lect.), mollibus, teneris, imberbibus (vide ad III, 111), vel depilibus, seu vulsis, qui, exemplo mollium virorum, glabri ut essent, barbam pilosque sibi vellebant, vel evelli curabant. — *Vasa novissima*, extrema, quæ adhuc reliqua sunt. Conf. XI, 42.

Var. 356. *Levibus* scripsi pro *Lævibus;* v. ad III, 111. — *Et vasa*, 10, 14, 17—24, 45, 77, 85.

Var. 357. *Domi est* pro *domi*, 13, 14, 18, 19 a m. sec. 22, 25, 46, 48, 49, 56, 57, 59—63, 65, 66—69, 71—74, 77.

Not. 357—365. *Multis* mulieribus uxoribusve est *res* familiaris *angusta*, exigua, parva; sed *nulla* earum *habet pudorem paupertatis*, reformidat ejus turpitudinem et infamiam, vel nullam pudet paupertatis, in quam se sua culpa, prodigalitate luxuriaque, detrusit; nisi malis, *nulla habet pudorem paupertatis*, modestiam honestatemque, quæ cum paupertate conjuncta esse solet. Judice Britann. ille *non habet pudorem paupertatis*, qui non timet, ne reprehendatur paupertatis, si quid ultra modum facultatum fecerit. Alio ac proprio sensu *pudor paupertatis* dicitur Horat. Epist. I, 18, 24.

Not. 358, 359. Conf. XI, 38 seq. *Ad modum* rei familiaris (ut *mensura census*, XIV, 316) *se metitur*, vitam disponit.

Not. 361. *Formica magistra;* conf. Horat. Sat. I, 33, seq.

---

[1] Conf. ad I, 65; Lips. Elect. I, 19, et Wernsdorff. in Poet. lat. min. tom. II, pag. 166 seq.

Var. 363. *Et*, 85. *Ac*, 11, 13, 21—25, 43, 47, 49, 50, 56—60, 64—68, 72, et XXV Codd. Paris. Hoc cum Ach. recepi et vs. 365. *Reputat* ex 60 et 65, pro vulg. *At reputant*. — *Recidivus* pro vulg. *redivivus* restitui ex 15, 27, 46, 47, 48, 50, 64, et quibusdam Codd. Paris. tanquam difficiliorem exquisitioremque lectionem, quæ ab indoctis librariis passim corrupta est. Vid. Comm. Festus *redivivum* exponit : ex vetusto renovatum, v. c. ædificium, seu lapis. Conf. Ernesti Clav. Cicer. Sed ista notio ab h. l. aliena; neque etiam παλίμβιος est *numus*, sed παλιμβλαστὴς, seu παλίμβλαστος, hoc est, πάλιν βλαστάνων, iterum quasi *pullulans*.

Var. 364. *Semper tollatur* pro *tollatur semper* recepi ex 10, 11, 14—25, 27, 45, 47, 49, 50, 54—69, 71—74, 85. *Semper tollantur*, 46, 48.

Var. 365. *Nonnumquam*, 1, 50, 61, 62, 63. *Non repetunt umquam*, 26. *Non reputant umquam*, 10. *Reputat*, 60, 65. *Repetent*, 13. *Repetunt*, 1, 7, 12, 14, 16, 17, 20—23, 26, 29, 85. — *Sua* pro *sibi*, 13, 17, 19—22, 25, 45, 57, 59, 60, 65, 85. *Jam* pro *sibi*, 27, 46, 47, 48, 50, 58, 64. — Vetus est scholion: *Hic versus in quibusdam non est*. Eum quoque transfigendum obelo, et vs. 363 *Dat* pro *At* scribendum, vel potius versum 362 ponendum esse post v. 364, suspicabatur Schurzfl.

Nor. 363 seq. Conf. Var. Lect. Versus 363 pulcherrimus delectu verborum. Vox *recidivus* et metaphora vel petita est a *cædendo*, et surculis, seu plantis arboribusque, quæ recidendo renascuntur, vel e radicibus repullulant (unde et h. loc. *pullulat*), vel potius, quoniam syll. sec. brevis est, a *cadendo*, et a seminibus, quæ, etsi temere cecidisse, aut penitus adeo interiisse videantur, tamen resurgunt ac renovantur.[1] — *E pleno semper tollatur acervo*, ut apud Horat. Satir. I, 1, 51. — *Gaudia*, voluptas Venerea, ut apud Tibull. I, 5, 39 et al.

Var. 366. *Et mollia*, 77, 85.

Var. 367. *Delectant*, 10, 11, 12, 16, 85.

Nor. 366—378. Aliæ mulieres amore *eunuchorum* capiuntur, quod molles sunt isti, et ad libidinem, non vero ad generationem idonei.[2] — *Imbelles*, inutiles ad concubitum; vet. Schol. coll. Virg. Georg. III, 98 seq. Immo effeminati. Conf. Claudian. in Eutrop. I, 271—283. — *Oscula mollia*, suavia, vel muliebria, quia os imberbe et glabrum est, unde ea *duro ori* opponit Martial. XI, 23, 1. — *Desperatio barbæ*, quod nulla iis

[1] Conf. Heins. ad Claud. Phœn. 66, et Ovid. Fast. IV, 45; Intpp. Virgil. Æneid. IV, 344; et Gron. ad Senec. Troad. 472.

[2] Conf. ad I, 22; Martial. Epigr. lib. VI, 6; Mureti, Var. Lect. X, 11; Brodæi Miscellan. lib. IV, 21, et Scalig. Exerc. 157. « Si puerum quis castraverit, et pretiosiorem fecerit, Vivianus scribit, cessare Aquiliam; » Ulpianus, I, 27, § 28, D. ad legem Aquiliam.

spes est barbæ alendæ, quod barbam alere nequeunt, vel semper sunt imberbes.

Anal. 368. *Quod abortivo* medicamento, quo conceptum abigant (ut II, 32), *non est opus*, quia scilicet non concipiunt, vel gravidæ fiunt ex spadonibus.

Not. 368 seq. Matronæ Rom. ut eo majorem ex et cum eunuchis voluptatem caperent, vernas suos non, ut vulgaris mos ferebat, ab ipso ubere materno raptos, sed jam bene adultos, quorum genitalia satis grandia, et ad rem Veneream aptiora essent, castrandos curabant. Domitianus (non tam amore virilitatis, quam odio Titi fratris, cui spadones in deliciis), aliique post eum Imperatores mares castrari vetuere. [1] — *Calida juventa*; vide ad vs. 325. — *Matura*, justæ magnitudinis, et ad coeundum generandumque idonea.

Var. 369. *Quando* pro *quod jam* conj. Schrader. *Calida quod jam*, 10. — *Et matura*, 50, 56, 59—63, 65, 68, 69, 71—74, 77.

Var. 370. *Pectine magno*, 85.

Not. 370. *Traduntur*, ut testiculi exsecentur. — *Pectine nigro*, inguine nigris crinibus horrido; ut græce κτείς: vide Polluc. II, pag. 126.

Var. 371. *Exspectatos*, 11, 14—25, 27, 45—47, 49, 50, 54—58, 61—69, 71, 72, 73, 76, 77, 85, et plerique Codd. Paris. prob. Ach. et solenni varietate. Vid. Intppr. Virg. Æneid. VI, 687. — *Et jussos*, 60, 65, 77.

Not. 371. *Spectatos*, insignes, justæ magnitudinis. — *Spectata*, certis experimentis, an proba sint, nec ne, explorata et cognita, dicuntur proprie metalla, numi, histriones ac gladiatores; unde *spectatio*, *spectamen*, *spectaculum*. Conf. Ernesti Clav. Cic. in his vocabulis.

Not. 372. *Bilibres*, ut *pugillares*, XI, 156. Sic *pondera* dicuntur genitalia Catull. LXII, 5; Stat. Silv. III, 4, 77 et al.

Var. 373. *Tantum damno*, 10, 11, 14—24, 45, 85. — *Eliodorus*, 22, 23, 24, 45, 85.

Not. 373. *Tonsoris damno*, quia tum in genis spadonis barba non crescit, e cujus tonsura lucrum capere possit: unde *leves genas* eunuchis tribuit Claudian. XVIII, 341. Eodem joco Aristoph. in Nub. dicit, Socraticorum nudipedalia sutoribus fraudi esse; quod monuit Hennin. *tantum* tonsoris damno, non matronarum. — *Rapit*, avellit, excidit chirurgus, *tantum*, solius, unius *tonsoris damno*, ut I, 136, *tantum ipse*, i. e. ipse solus; quæ parum latina sunt omnino; H. Vales. — *Heliodorus*

---

[1] Vide intpp. Suet. Domit. c. 7, et Mart. VI, 2; IX, 7 et 9; Barth. ad Stat. Silv. III, 4, 53—80; IV, 3, 13 seq. Xiphil. 67, 2; Philost. Vit. Apoll. VI, 17; Phot. in Bibl. p. 529; Ammian. Marcel. XVIII, 4, 5, ibique Lindenbr.

pro quovis medico vel chirurgo (nam veteres medici omnes erant chirurgi) et castratore, ut *Archigenes* supra V, 236. De eo vid. Paul. Ægineta, IV, 49.

Not. 374. *Conspicuus* et *notabilis*, insignis, spectabilis tam genitalium, quam staturæ et corporis magnitudine, qualis spadonibus esse solet; unde *grandes Galli*, Pers. V, 186, et *ingens semivir* infra vs. 512, ubi Grangæus notat, semen, in veris viris effluens, proceritatis caussam esse eunuchis. — *Balnea*, quæ probris infamia erant, *intrat*, nudus, ut adspectu grandis mentulæ oculos pascant lavantes mulieres virique molles. Conf. IX, 35; XI, 156; Martial. I, 97, 11 seq. et al. — *Provocat* magnitudine penis ipsum *custodem vitis et horti*, Priapum, cujus mentula enormis fingitur, et cui non modo hortorum, sed etiam vinearum, agrorum villarumque custodia committebatur.[1] — *A domina*, ejus jussu. *Domina*, uxor. Conf. supra ad vs. 30.

Var. 377. *Durum jam*, 21. — *Postume*, non *Posthume*, 17—22, 85, quos sequutus sum. Conf. sup. ad vs. 21.

Var. 378. *Tondendum* revocavi ex 14—24, 56, 60, 62, 64, 65, 68, 69, 70, 72, 77, et omnibus Codd. Paris. *Tundendum* in plerisque editt. etiam Hennin.

Not. 376—378. Obscurus locus, cujus sensum ita recte mihi cepisse videor: Talis eunuchus, etsi bene mentulatus, *dormiat*, concumbat cum *domina*, conjuge tua, Postume, quæ ex eo non gravida fiet; sed *Bromium*, puerum, vel servum, concubinum tuum (forte juvenem, ut putant, delicatum, formosum et comatum, ut Βρόμιος, Bacchus), qui *jam durus* est, hoc est, duratus ac firmus ad labores corporis, vel robustus ac virilis; *jamque tondendus*, hoc est, barbatus, hujusmodi *eunucho committere noli*, hoc est, cave patiaris, illum quasi cum hoc descendere in certamen stupri, uxori tuæ inferendi, quum verendum sit, ne hæc ita confestim concipiat. — *Committere* est idem quod *componere* et *comparare*, quæ sunt verba theatri, arenæ et certaminis publici (ἀγῶνος μουσικοῦ), de poetis, histrionibus, mimis, musicis et inpr. gladiatoribus, quorum paria componebantur, ut invicem pugnarent. Similis locus supra I, 162, 163, ubi vide notam.[2]

[1] Confer. Antipatri Epigr. IV, in Brunck. Anal. tom. II, pag. 7; Heyne in Obss. ad Tibull. I, 5, 27; Catull. XIX, 15; Diod. IV, 6, et al. De Priapo vide *Creuzer's Symbolik*, t. II, p. 46 seq. 107 seq. t. III, pag. 225.

[2] Interpretationi meæ paucis subjungam alias. Scalig. ad Catull. monet, quemadmodum ibi *asino tradere* significet facere asinum, vel ut asinus pistrinarius sit, vel *asino tradi*, in locum asini, qui verset molas, suffici, ita h. l. Juven. *committere eunucho* dici pro eunuchum tradere, seu facere, castrare, et exprimi proverbium βρόμιον σὺνουχίζειν, q. d. noli castrare catamitum jam grandiorem, ne forte uxori tuæ usui sit. Suffragantur ei Grang. et Voss. ad Catull. p. 164, et inpr. 526, nisi quod ille putat, ado-

Var. 379. *Dura est*, 25, 57, 59, 60, 65, quo sensum non mutari putabat Ascens. *Nullius fabula durat* emend. Plathner. ut sensus sit : nullius mimi, in theatroc antantis, vel personam suam saltantis, et canendo exprimentis, fabulam ongam videri illis, quæ cantu gaudeant, mulierculis.

Not. 379—397. Aliæ mulieres maxime delectantur citharœdorum histrionumque cantu, ac musicis instrumentis, quæ in maximo pretio habent. Nota Britann. est: « *nullius fibula durat*, id est, nullus adolescens vel cantor infibulatus potest tam diutinum canendi laborem perferre. Alii interpretantur, quod mulieres pretio corrumpant citharœdos et cantores ad coitum, ut sic fibulam solvere cogantur : at poeta h. l. non mulieres notat, quæ citharœdos amant, ut coeant cum iis (quas jam vs. 73 seq. taxavit), sed ut voluptatem ex cantu eorum capiant, adeoque eas, quæ studio citharœdorum canentium tenentur. » Cf. vs. 398. Mulieres tamen, de quibus hoc loco agitur, musicis instrumentis potissimum gratia eorum, qui illis utuntur, et cantu propter canentium pulchritudinem, qua capiuntur, delectari videntur; unde exponere malim : nullus est citharœdus vel cantor, qui non, pretio ab ea corruptus, ad fibulam solvendam impellatur, ut cum illa coeat. De *fibula* et infibulatis cantoribus vide ad vs. 73. — *Nullius* cantoris, *vocem vendentis Prætoribus*, qui ludos ac munera edunt, et hinc cantores, histriones et gladiatores emunt, vel pretio conducunt. Similiter *funera sua vendere* lanistis et *Prætoribus*, VIII, 192 (ubi vide not.), *vendere verba sollicitis reis*, et *vendere vocem Siculis plausumque theatris* apud Martial. V, 16, 6; VII, 63, 9, et *voces prostituere foro* apud Ovid. Am. I, 15, 6. — *Organa*, ὄργανα, instrumenta quævis, inpr. musica. — *In manibus* mulierum sunt.

Not. 381. *Testudo*, lyra, χέλυς, sic dicta a testudine, ex qua eam primum Mercurius fecisse dicitur, intensis nervis ovium vel boum Apollini abactarum. [1]

Var. 382. *Crispæ*, 56, et ita corrig. Plathner. ut indicetur tremor chordarum, dum gradatim pectine pulsentur, et veluti numerentur.

---

lescentes puberes castrandos doceri h. l. non exoletos et jam barbatos; hic vero, ipsis eunuchis traditos fuisse castrandos, et illorum id fuisse officium. Lubinus, Farn. et Bahrdt, quibus Ach. adsentitur, hunc locum ita explicant: talis eunuchus dormiat cum conjuge tua, quæ illius membri enormitatem facile sustinere et tolerare poterit; at concubinum tuum Bromium cave hujusmodi eunucho tradas: nam si cum illo dormiret, eum enormitate mentulæ suæ prorsus diffinderet et corrumperet. C. Valesius planissimum omnino sensum putabat esse hunc: spadoni, qui consuevit uxori tuæ, concubinum tuum instar Bacchi capillatum, sed *jam durum* et exoletum, noli committere, ne a spadone, ut uxor tua, corrumpatur. Alii interpretes vel his adsentiuntur, vel prorsus tacent.

[1] Vide intpp. Horat. Od. I, 10, 6, et III, 11, 3.

Nor. 382. *Sardonyx* gemma pretiosissima (conf. XIII, 138, 139), lapis Sardius (Σάρδιος), colorem humani unguis (ὄνυχος) referens : vide *Heeren's Ideen über d. Politik u. s. w.* I, 1, p. 119, 120, et *Brückmann über den Sardor, Onyx und Sardonyx*, pag. 3. Sensus h. loc. est : tota cithara pretiosis gemmis adornata est; non, quod alii putant, mulieris testudinem pulsantis digiti, gemmis et annulis ornati, in testudine micant. — *Chordæ* lyræ, s. citharæ, a muliere *numerantur*, numero, hoc est, ordine justo scite pulsantur, *pectine*, plectro, *crispo*, fisso, vel potius chordas crispante, hoc est, tremulo celerique motu agitante ac percutiente. Sic *linguæ bisulcæ jactum crispum* dixit Pacuv. apud Non. *crispum movere latus*, Virg. Cop. 2; *crispare hastilia*, Virg. Æneid. I, 313.

Var. 383. *Hidymeles*, 18, 61, 62. *Hydimiles*, 17, 85. *Hidimeles*, 20, 45, 46, 48. *Hydimeles*, 10, 24, 57, 66. *Hydymeles*, 25, 60. *Idimeles*, 19, 23, 26. *Hidimenes*, 21, 22. — *Operam*, 24, 25, 27, 46—50, 55, 57—69, 71, 72, 73, 77.

Nor. 383. *Tener*, ut supra I, 22, ubi vide not. vel juvenis, vel delicatus, hoc est, pulcher, jucundus, dilectus. — *Hedymeles*, citharœdus, cujus nomen a dulci cantu (ἡδὺ μέλος) fictum videtur. — *Operam dedit* cantui, in canendo usus est. — *Hunc* pectinem *tenet*, semper in manibus habet, memor amoris et consuetudinis cum citharœdo, vel absente, vel mortuo, cujus et grato plectro, vel cithara *solatur se;* hoc est, amati viri desiderium et absentiam, vel mortem, gaudens se instrumenta, vel reliquias tam *grati* carique viri possidere, quæ ipsi tam gratæ sunt, ut et *basia* iis *indulgeat*, hoc est, frequenter oscula det. Proprie amori *indulget*, dum osculatur.

Var. 385. *Et nominis*, 77, 85. *Nominis Appi*, 1. Non male, quia gens Claudia, in qua Appii fuere, antiquissima nobilissimaque fuit, et apte cum *Lamiis* conjungitur. *Nominis Aeli*, vel, ut in vetustis numis ac marmoribus frequenter scribitur, *Aili* pro *Aelii*, ingeniose conj. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 305, quia *Lamiæ* cognomento *Ælia* gens dicta. Conf. intpp. Horat. Od. III, 17, 1. Favet ei etiam MS. Scriver. in quo legitur *Alli*. Vulgata tamen lectio h. l. non sollicitanda videtur. Vid. Comm.

Nor. 385 seq. Fuit matrona quondam nobilissima, quæ deos, facto prius sacrificio (ut voti sui fieret compos), rogaret, an Pollio citharœdus, cujus amore arderet, victoriam consecuturus esset in certamine Capitolino. Poeta forte historiam veram, nobis ignotam, memorat. — *Lamiarum*, hoc est, nobilium. Vide ad IV, 154. — *Nominis alti*, antiqui, hoc est, veteris originis ac nobilitatis. [1]

Var. 386. *Cum farre* pro *Et farre* restitui ex 10, 11, 14—27, 45—50, 54, 55, 57—69, 71, 72, 73, 77, 85. — *Ac vino*, 11.

[1] Confer. VIII, 40, 131, et, qui multa exempla congessit, Heins. ad Ovid. Fast. IV, 305.

Not. 386. *Farris,* vel molæ salsæ, ac *vini* perpetuus fere usus fuit in sacris. — *Janum Vestamque* cur potissimum e diis memoravit poeta? In eo non argutandum est, vel ratio potius petenda ex Cic. Nat. D. II, 67 : « Quum in omnibus rebus vim habeant maximam prima et extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt. — Vestæ vis ad aras et focos pertinet; itaque in ea dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis et precatio et sacrificatio extrema est. » Præterea *Janus* antiquissimus divum (vide ad vs. 393), et qui ad quoscumque deos aditum dare (Ovid. Fast. I, 172 seq.), primusque in Italia tum diis templa fecisse, tum ritus instituisse sacrorum, et ideo in sacrificiis præfationem perpetuam meruisse credebatur. Vide Macrob. Sat. I, 9. A *Vesta* autem Græci principium sumpserunt sacrificiorum, et, quum hæc non sine igne essent, in omnibus eam invocaverunt : vide Lips. de Vesta, c. 2. *Vesta*, symbolum ἑστίας et ignis, deaque tutelaris ædium et familiarum, sanctissime olim et ante omnes deos colebatur, potissimum libationibus : unde ortum proverbium ἀφ' Ἑστίας ἀρχόμενος, et ἀνέστιος dictus impius. Vide Pausan. V, 14; Spanhem. ad Callim. H. in Cer. vs. 123; *Creuzer's Symbolik*, tom. II, p. 152, 418 seq. 489; tom. III, p. 225, 278, 448 seq. 493. De *Jano*, ibid. tom. II, pag. 450 seq. 489. *Janus* forsan propr. prudentia in personam mutata, ut Prometheus (vide ad IV, 133).

Not. 387. *Capitolinam quercum*, hoc est, coronam quernam, præmium victoris in agone Capitolino, quem Domitianus exemplo Olympicorum ludorum instituit, quique quinquennalis et triplex fuit, musicus, equester ac gymnicus. [1] Similiter *Tarpeias quercus* et *frondem* dixit Mart. IV, 1, 6; 54, 1, 2; VIII, 82, 7; IX, 4, 8; 41, 1. — *Pollio* citharœdus, cujus et mentio fit, VII, 179, et apud Martial. IV, 61, 9.

Var. 388. *Faciat*, 19.

Not. 388. seq. Amor conjugalis ac maternus non major, quam amor, quo citharœdum complectabatur, esse, aut luculentius significari, nec mulier magis anxia esse poterat pro salute et convalescentia ægrotantis mariti ac filii, quam pro fama victoriaque citharœdi fuit! Exclamatio poetæ cum justa indignatione.

Not. 389. *Medicis tristibus*, si medici tristes essent *erga*, propter, *filiolum* ejus, de cujus salute desperant. — *Medicis* autem poeta dixit, non *matre*, quæ adulteri magis, quam filii cura et amore tangitur.

Not. 390, 391. Qui precabantur deosque salutabant, primum *aram* tangere (vide ad Sil. III, 82), et *stare* ante eam *capite velato*, ne sacrificii religio malis ominibus turbaretur, [2] tum corpus dextroversum in orbem

[1] Conf. ad VII, 86; Intpp. Sueton. Domit. 4; Scalig. de Emend. Temp. lib. V, pag. 476 seq. et Auson. Lect. I, 10.

[2] Conf. Martial. XII, 77, 1, 2; Intpp. Virg. Æneid. III, 425 seq. Plut. Quæst. Rom. 2, 10 et 13; Macrob. Sat. I, 8; III, 6.

circumagere, procumbere etiam dextramque ori admovere (adorare) solebant. Conf. Suet. Vitell. 2. — *Cithara*, citharœdo.

Var. 392. *Protulit*, 10, 16, 18, 19, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 77, 85, et XI Codd. Paris. quod probat, præter H. Valesium et alios, *Dorléans*, quia agatur de proferendis voti verbis solennibus. At vid. Comm.

Not. 392. *Pertulit verba dictata* a sacerdote, seu haruspice, qui precantibus solemnes precum formulas de scripto præire solebat, ne quid præteriretur verborum, aut præposterum diceretur. Ita Plin. XVIII, 2. — *Pertulit*, ab initio ad finem repetiit, vel ad deos. Ita Schol. prob. Gronov. ad Plin. XVIII, 4, qui id dictum putabat genere loquendi Satiram admodum decenti in precibus præsertim parum probatis. — *Dictata magistri omnia peragere* poeta dixit V, 122. Cf. Var. Lectt. — *Palluit* anxia de responso haruspicis, ex *apertæ*, h. e. dissectæ, sive mactatæ *agnæ* extis futura mox divinaturi.

.... Pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta;

Virg. Æneid. IV, 63, 64.

Not. 393 sqq. Apostrophe ad Janum cum summa indignatione, nec sine irrisione deorum. Conf. II, 126—132, ibique not. Magna vis inest in repetitione vocis *dic*, et in verbis *antiquissime Divum*. Janus *antiquissimus* Italiæ deus, vel heros: vide Heyne Exc. V ad Virg. Æneid. VII. Hinc et κατ' ἐξοχήν *pater* dicebatur: hoc enim est voc. honoris, reverentiæ, amoris ac religionis, quod proprie et primum senioribus majoribusque diis (etiam maris ac fluviorum), deinde vero et reliquis inditum est. [1]

Not. 394. *His*, tam putidis nefariisque mulieribus, et de talibus rebus, responsa das, vel adeo talibus votis *respondes*, talesque preces exaudis? Quod si facis, *magna* sunt utique *otia cœli*, hoc est, magnum est otium deorum, nec aliud gravioris momenti, quod *agant* et curent. Poeta respexisse et irrisisse videtur dogma Epicureorum, qui deos in perpetuo otio tempus feliciter transigere, neque res humanas curare putabant. [2] At multo invidiosius dicit, deos quidem curare res humanas, sed eas tantum, quæ ipsorum cura indignissimæ sint, gravissimas vero negligere.

Var. 395. *Quid*, 11, 16, 22, 24, 25, 45—50, 54—69, 71—74, 85.

Var. 396. *Comedo*, 24.

Not. 396. *Hæc* et *illa* sc. mulier, *consulit te*, propr. haruspex exta et deinde, his inspectis, deum. — *Varicosus* dicitur, qui *varices*, hoc est,

[1] Confer. XIII, 81; Intpp. Virgil. Æneid. I, 155; Valer. Fl. I, 11, et Petron. c. 41.

[2] Confer. Lucret. VI, 57; Horat. I, 5, 101 seq. Sen. de Ben. IV, 4; Menag. ad Diog. Laert. lib. X, § 77.

venas intumescentes in cruribus (*flemina*, apud Plaut. Epidic. V, 2, 5, ubi vide Gron.), habet, sanguine crassiore, propter diuturnam potissimum stationem, deorsum in pedum venas delapso,[1] quales fuere Cicero,[2] Marius[3] et alii; hoc loco, *haruspex*, quem importunæ mulieres, responsa ab eo petentes, nimis diu stare cogunt. Male alii: dum diutius stare cogitur haruspex, fiet *varus*, sive *varicus*, pedibus cruribusve divaricatis, hoc est, præter justam mensuram late extentis, seu distentis, et introrsum retortis; quod vel naturæ vitium est, vel rusticæ consuetudidis; quam h. loc. innui pntabat Heins. ad Ovid. Art. Am. III, 304, qui tamen jam recte vidit, *varicum* a *varo*, et *varicosum* a *varicibus* dici, et in illis vocibus primum produci syllabam, in his corripi: de quo vide etiam Salmas. Exerc. Plin. p. 363.

Var. 397. *Fiat*, 14. — *Aruspex*, 21, 22, 64. Conf. ad II, 121.

Var. 398. *Potius cantet*, 22.

Var. 399. *Posset quæ*, 17, 23, 45. *Quæ posset*, 14, 22. *Quæ possit*, 18, 26. *Possit perferre*, 19 a m. pr. *Quam ferre* pro *quæ ferre* recepi ex 10, 24, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 77, et plerisque Codd. Paris.

Anal. 398—412. Magis tamen toleranda est uxor, quæ musicam artem tractat, et summam ex ea voluptatem capit, quam vagabunda et curiosa, quæ vagatur per urbem, et res novas perscrutatur.

Not. 398, 399. Mulieres ingenuæ Romanorum non in gynæceis quidem includebantur, ut in Græcia; eas tamen in publicum conventumque virorum prodire nefas habebatur et inhonestum. — *Ducibus paludatis*, jam ad iter paratis; nam consules prætoresque paludati, vel chlamydati, Roma proficiscebantur ad bellum.

Var. 401. *Illa*, 16, 85. — *Siccisque mamillis*, 1—4, 14, 17, 20, 21, 22, 29, et XV Codd. Paris. h. e. sine lacte materno. Utraque lectio explicari videtur vet. scholio: *adhuc nudis* (quæ voc in Cod. Schurzfl. additur) *exstantibus, vel sine sudore*. C. Valesii nota est hæc: Pro *strictisque* omnino legendum *rectisque*, i. e. stantibus, ut nudatas intelligi oporteat, quæ elegans allusio est, vel *exertisque*, scil. e sinu, quod unum idemque est cum *rectis*.

Not. 401. *Loqui facie recta*, erecta, ut *rectis oculis intueri*, ὀρθοῖς τοῖς ὀφθαλμοῖς s. ὄμμασιν, ἀκαρδαμυκτὶ βλέπειν, ἀντοφθαλμεῖν, quod vel audaciæ animique intrepidi, vel impudentiæ signum est: nam pudibundi ac ti-

[1] Vid. Hippocrat. Aphor. VI, 21; Cels. VII, 17 et 31; Ægineta, VI, 82, et Avicenna passim. Ad militarem corporis speciem et rusticitatem refertur hoc epitheton Pers. V, 189.

[2] Vide Quinctil. XI, 3, 143; Macrob. Sat. II, 3; Sidon. Ep. V, 5.

[3] Cic. Tusculan. Quæst. II, 15; Plutarchus in Vit. Marii pr. et Plinius lib. XI, 45, seu 104.

midi oculos nonat tollunt, sed demittunt in terram, et avertunt.[1] — *Mamillis strictis*, hoc est, *strophio, mamillari fascia*, ταινίᾳ (*Busenbinde*), nimis constrictis papillis, et ita turgentibus, exsertis ac nudatis; more impudicarum mulierum.[2] Ita coarctatis, ut in summo natent sinu; Brit. — — *Strictis mamillis*, ut τοὺς ἀμόρφως προπεπτωκότας μαζοὺς ἀεὶ περιφέρουσι δεσμώτας in Luciani Amor. cap. 41. Lege etiam, si potes, antiquum et singularem librum Pet. *Juvernay*, sic inscriptum: *Discours particulier contre les femmes débraillées de son temps, contre les filles mondaines découvrant leur sein, et portant des moustaches.* Paris, 1637 et 1640, in-8°. Ed.

Var. 402. *Fiet*, 15, 16, 18. *Toto quid fiat*, 24. *Tota . . . urbe*, 27, 47, 85.

Var. 403. *Senones* pro *Seres* legisse vet. Schol., cujus nota est, *Galliarum gentes, aut Scythæ*, vel sic iterum utramque exposuisse lectionem, suspicabatur Schurzfleisch. — *Thraces quid*, 16, 85.

Var. 404. *Diripiatur*, 1, 15, 16, 26, 61, 63, 70, 75, 82. *Decipiatur*, scil. ab ea, quam amat, 10, 12, 13, 14, 17—25, 27, 45—50, 54—60, 62, 64—69, 71—74, 76, 77, 85, et XVI Codd. Paris. prob. Ach. Non male! Sed illa lectio videtur præferenda, nec tam facile pro hac, quam hæc pro illa, ab indoctis librariis substitui poterat.

Not. 402.—412. Venusta ac luculenta summæ curiositatis, vel πολυπραγμοσύνης, et λογοποιίας descriptio. Conf. Theophr. Char. 8; Theocr. XV, 64; Martial. IX, 36; Plaut. Trinum. I, 2, 168 seq. — *Seres* (Sinenses) et *Thraces* pro extremis orientis septemtrionisque populis, in Scythia asiatica et europæa. — *Secreta*, secretos amores, *novercæ et pueri*, privigni.[3] — *Quis diripiatur adulter*, a pluribus ametur mulieribus; Ruben. et post eum Græv. qui recte jam viderunt, *diripi* eleganter dici, qui multis sint in amoribus et deliciis.[4] Quis spolietur a mœcha, quis ab amica sua denudetur; H. Vales.

Var. 406. *Concumbant*, 24. *Concumbunt*, 25, 48, 56, 57, 59, 60, 65.

Not. 406. Conf. Ovid. Am. II, 8, 27, 28, quem locum poeta ante oculos habuisse videtur. — *Quibus verbis*, colloquiis. Alii: Græcis an Romanis, coll. vs. 191.

Var. 407. *Armeniæ*, 77. — *Cometem*, 60, 65. *Cometam*, 19, 21, 77.

Not. 407—412. Ex hoc loco Lipsius in Epist. Quæst. IV, 20, conji-

---

[1] Vide ad X, 189, et Bentl. ad Horat. Od. I, 3, 18.

[2] Conf. Mart. XIV, 66, et 134, 1; Catull. LXIV, 65; Heins. ad Ovid. Art. Am. III, 274; Magius Var. Lect. III, 3; Ernesti clav. Cic. voc. *strophium*, et Bottigeri Sabina. pag. 376.

[3] Conf. Tiraquell. de legg. connub. IX, 103.

[4] Conf. Mart. VII, 75, 1; Senec. de Brev. Vit. c. 7, et de Ira III, 23; Stat. Theb. V, 722, et Sil. V, 3, 129. Sic et nos dicimus, *sie hum einen, oder etwas, reissen.*

cit, Juvenalem Trajani temporibus vixisse, et Ach. hanc quoque satiram eo regnante fuisse scriptam: hæc enim referenda esse ad Trajani expeditionem in Armenios ac Parthos, et ad famosum terræ motum, qui eodem tempore Antiochiam et vicina loca concusserit, et in quo subsederint montes, fluviique eruperint.[1] Sed nostro loco similior est ille Suetonii de Vespas. c. 23: « Ne in metu quidem ac periculo mortis extremo abstinuit jocis: nam quum inter prodigia cetera Mausoleum Cæsarum derepente patuisset, et stella in cælo crinita apparuisset; alterum ad Juliam Calvinam, e gente Augusti, pertinere dicebat, alterum ad Parthorum regem, qui capillatus esset. » Poeta enim h. l. tum superstitionem vulgi ridet, cometæ apparitione eversionem regnorum, clades, pestem, famem, aliaque mala generi humano portendi atque immitti credentis,[2] tum vanitatem et hujus divinationis, ex feminea interpretatione siderum ac superstitione suspensæ, et rumorum, et muliebris metus, qui illos augere solet, et affingit *diluvium* motumque terræ, quo urbes mutaverint, et subsederint terræ: de qua λογοποιΐᾳ vide loc. simil. in Theophr. Char. VIII, et ibi Casaub. Notanter autem ait, *cometen*, seu crinitum sidus, *instare regi Armenio Parthoque*, qui populi erant prolixa coma criniti; Hennin.[3] — *Instantem*, imminentem exitio eorum, et minantem illud.

Nor. 408. *Famam* Quintilianus Inst. Or. V, 3, dicit esse consensum civitatis, velut publicum testimonium; *rumorem* vero sermonem sine ulla auctore certo dispersum, cui malignitas ortum dederit, incrementum credulitas. — *Rumores excipit ad portas* urbis, sciscitans singulos peregre redeuntes, ecquid novi audierint. *Excipere* auribus *rumorem*, ut *sermonem* et *voces* apud Liv. II, 4; XL, 7; quod nos dicimus *auffangen*, *aufschnappen*, locutione desumpta a venatoribus, qui ex insidiis vel dolo ac fraude feras *excipere* solent, seu capere, δέχεσθαι et ἐκδέχεσθαι. — *Niphates*, mons Armeniæ majoris, et pars Tauri, unde Tigris oritur, sed h. loc. fluvius,[4] cujus tamen mentionem non faciunt geographi;[5] forsan ejusdem Armeniæ, vel ipse Tigris. — *Quosdam* rumores *facit*, ipsa fingit et affingit. — *Niphaten isse*, ivisse, h. e. irruisse,[6] *in populos*, vel eos inundasse.

Var. 409. *A portis*, 21. Vulgaris interpunctio est: *quosdam facit isse Niphatem In populos*. Quam bene emendarunt *Dusaulx* et *Achaintre*.

---

[1] Conf. Dio Cass. LXVIII, 24 seq. et Xiphil. LXVIII, 17—23.

[2] Vide Plin. II, 25 et 26; Cic. N. D. II, 5; Senec. Natur. Quæst. lib. VII tot. Plut. Placit. Phil. III, 2; Suet. Ner. 36, et Claud. 46; Tac. Ann. XIV, 22; XV, 47; Virg. Ge. I, 488; Lucan. I, 526 seq. Val. Fl. V, 370 seq. ubi conf. Burm.

[3] Vide Tristan. Comment. tom. II, p. 83, et Spanhem. de Usu et Pr. Num. Diss. V, pag. 427 et 459.

[4] Ut apud Lucan. III, 245 et Sil. XIII, 768.

[5] Conf. Plin. V, 27, et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 9, 20.

[6] Ut apud Virg. Æneid. IX, 424, et Ovid. Fast. V, 713.

Var. 410. *Simul* pro *illic*, 21.

Var. 411. *Valles* pro *terras*, 21.

Not. 411. *Urbes nutare*, concuti terræ motu. — *Subsidere terras*, in imum desidere, in profundum ruere, ut passim *sidere* (ad ima) et *desidere*. Conf. ad Tacit. Ann. II, 47, 3, et Cort. ad Sall. Frag. p. 1003.

Var. 413. *Hoc vitium*, 77. *Vitium est magis*, 21. — *Quam quod*, 10, 11, 13, 14, 17, 19—25, 27, 29, 45, 47, 50, 54—58, 60—69, 71—74, 77, et plurimi Codd. Paris. quæ lectio Schurzfl. et Achaint. visa est vera, et a nobis nunc recepta. *Quam quæ* (h. e. quam vitium ejus mulieris quæ) quidam Codd. et Edd. recentt. *Quam quo* emend. Schrader.

Not. 413—418. Gravius est iracundiæ sævitiæque vitium, cui aliæ mulieres obnoxiæ sunt. — *Id vitium* curiositatis credulitatisque.

Var. 414. *Vicinos homines*, 16.

Not. 414. *Vicinos humiles*, pauperes miserosque, *rapi* ad supplicium, vel corripi, comprehendi et *loris* cædi jubet, si forte somnus ei interruptus fuerit latratu canum. Tale quid tum temporis evenisse videtur, quod poeta respexit. Idem valet de vs. 418 seq. — *Exorata*, quamvis valde orata, rogata a miseris vicinis, qui immeritam deprecantur pœnam. Lubinus non male: quum exorata et quodammodo placata est, loris illos concidit, alias illos plane occisura, vel ad mortem mulctatura.

Var. 415. *Exhortata*, 29, 49. *Exornata*, conj. Scriver.

Var. 416. *Rumpantur*, 16.

Var. 417. *Ferire*, 14, 16.

Not. 417. *Dominum*, herum canis.

Var. 418. *Teterrima visu*, 11. Prob. Schurzfl. ut duo supina, *occursu* et *visu*, conjungantur. — In omnibus fere Editt., etiam Hennin., post *canem* colon positum.

Var. 419. *Spondas* pro *conchas*, conj. Schrader.

Not. 418—433. Eadem mulier sæva et imperiosa, de qua vers. 413 seq. sermo est, nocturno demum tempore lavat, et postquam diu convivas, frustra eam exspectantes, fame maceravit, tandemque domum rediit ex balneo, sitim ibi contractam largo vini haustu explet ante cœnam. Romani non modo post cœnam (cf. I, 143), sed et ante eam, et tum quidem ab hora plerumque octava ad nonam lavabant. Ante Imperatorum tempora nona hora balnei et decima cœnæ erat; sed postea hieme nona, æstate octava hora balnei haberi cœpta.[1] Mulieres autem vinum bibere, nefas

[1] Conf. infra XI, 205 seq. Lips. Excurs. ad Tac. Ann. XIV, 2; Salmas. Exerc. Plin. pag. 648; Intpp. Spartiani Hadrian. c. 22; Lamprid. Sever.

olim habebatur, nec minus, quam adulterium, vel mortis pœna dignum: abstemiæ etiam mulieres italicæ, bibaces potissimum græcæ.[1] — *Gravis occursu*, aspera et terribilis est occurrentibus. — *Balnea* privata, puto. — *Conchas et castra*, instrumenta balneatoria a servis ancillisque tanto tumultu ad balnea perferri jubet, quanto *castra moventur*. — *Conchæ* proprie vasa parva, formam concharum referentia, quibus unguenta, oleum aliaque servabantur; sed hoc loco forsan grandiora vasa, integro corpori lavando apta, ut λουτῆρες Veneris, quod suspicabatur Barth. ad Claud. Epigr. 14, p. m. 1030, ubi de vario voc. *conchæ* significatu copiose egit.[2]

Not. 420. *Gaudet magno tumultu*, labore motuque corporis vehementi, *sudare*, sudorem elicere in sudatorio, seu cella caldaria, quod potissimum fiebat, vel ferendo vel movendo pondera, inprim. halteres (ἁλτῆρας), seu *massas graves*, hoc est, plumbeas (μολυβδίνας χειροπληθεῖς apud Lucian. de Gymn.), quibus utebantur ad saliendum, seque velut librandum, aut agitandum corpus, manibus plumbo gravibus sive sublatis ac depressis, sive huc illuc jactatis.[3] Similiter Lucianus in Lexiphane, cap. 5: ὁ δὲ μολυβδαίνας χερμαδίους ἀράγδην ἔχων ἐχειροβόλει.

Var. 421. *Dum* emend. Schrader.

Var. 422. *Calidus*, 47. *Aut cristæ*, 85. *Christæ*, conj. Plathner. et alii, ut unguentum sit; quod tamen græce non χρίστη, quæ vox nihili est, sed χρίσμα dicitur: nisi forte poeta hoc verbum effinxisse censendus est. — *Impellit aliptes*, 22.

Not. 422. *Aliptes*, forte eunuchus et nudus, quales mulieribus ministrare solebant in balneis: vide ad III, 76; Terent. Eun. III, 5, 29 seq. et Claudian. XVIII, 107. — *Imprimere digitos*, infricare unguenta, *cristæ*, μεσομηρίοις, interfeminio scil. membro ap. Apul. Apolog. p. 296, ed. Elm. Grangæus: κλειτορίζειν; nam *crista* pars muliebris pudendi, Gr. νύμφη, μύρτον, ὑποδερμὶς, seu κλειτορίς. — *Callidus*, versutus et dolosus, qui sciat dominam suam hujusmodi titillatione et contrectatione gaudere, cujus mœchus forsan est; Lubin.

Not. 423. *Summum femur dominæ* (vid. ad vs. 30) *exclamare cogit*, hac fricatione flatus ejus (*les vapeurs*) expellit. *Exclamare*, resonare, seu crepare, ut *clamare*, *gemere* et βοᾶν de quovis sono et strepitu.[4] Similiter *cla-*

---

c. 24; Plin. Ep. III, 1, 8; Vitruv. V, 10; Artemidor. Oneirocrit. I, 66; Mart. III, 36; IV, 8; VII, 50; X, 48, 1 seq. 70, 13; XI, 53.

[1] Vide Athen. X, 11 (56, 57, 85), pag. 440, 1; Plin. XIV, 13, et supra ad vs. 300 seq.

[2] Confer Columellam lib. XII, 5 et 50; Catonem de Re Rustica, 13 et 66.

[3] Conf. Mart. VII, 66, 6; XIV, 49; Sen. Ep. 15, 56 pr. (ubi vide Lips.) 58; Aristot. de Anim. incessu, c. 3, et Problem. V, 8; Pausan. Eliac. I, 26, 27; Mercurial. de Arte gymn. II, 12.

[4] Vide ad Sil. I, 425; III, 471, et Gronov. Obss. II, 17.

mosus cunnus Gallæ, ejusque *garrulitas* et *poppysmata* dicuntur Martial. VII, 17. Nota H. Valesii est: *cristæ*, id est, labro pudendi, a colore *cristæ* galli gallinacei sic dicto; quod si *digito* trahas, necesse est, *summum femur*, i. e. pudendum vel naturalia *exclamare*, h. e. resonare ac κοκκύζειν. Poeta tamen designavit forte *crepitum manus aliptæ, humeris illisæ, quæ, prout plana pervenit aut concava, ita sonum mutat*, ut utar verbis Senec. Epist. LVI, pr.

Uncti verbere vapulat magistri,

Mart. VII, 66, 8. Cunnum certe, sive nates dici posse *summum femur*, vix crediderim.[1] Nullus in Juvenale locus difficilior. Ed.

Var. 424. *Interea miseri*, 16.

Not. 424. *Interea*, dum lavatur domina.

Not. 425. *Rubicundula* a balneis et sudore, vel quia ibi indulsit libidini, quod in balneis facere solebant viri et feminæ, quum promiscue lavarentur; quem morem fœdissimum, a Græcis petitum, sustulit Trajanus: vide Martial. III, 51; VII, 34; XI, 48; Plut. Cat. maj. c. 22; Xiphil. in Hadr. et Spartian.

Not. 426. Cf. Martial. VII, 66, 9 seq. — *Sitiens*, bibere gestiens, postquam sitim sudore collegit. — *Œnophorum*, οἰνοφόρον, vas, quo vinum fertur, vel propr. quod vinum fert; vas vinarium, et quidem hoc loco amplum. Romani, ut stomachum cibo large sumpto exonerarent, et provocarent appetitum, solebant statim a balneis uno ductu, vel ἀμυστὶ bibere, et post cœnam vomere; quod Erasistratus improbavit, quasi oculis noxium, et ventrem quoque sistens.[2] — *Quod tenditur*, plenum est, repletur, urnæ capax est. — *Urna* continebat quatuor congios, vel XXIV sextarios, et dimidiam amphoram.

Not. 427. *Admotum pedibus*, mensæ; vel advolutum pedibus dominæ, ob magnitudinem, non manibus allatum. Plerique intpp. perperam exponunt, appositum servis, ut pessimum vinum; idque putant bibisse, qui vomere voluerint. Immo a domina bibitur *Falernum* (vs. 430), deinde *ante*

[1] Minus tamen probanda est hæc Henninii interpretatio: « *Aliptes* dum *callide* matronæ *digitos* per blanditias *impressit cristæ*, seu acuminato operculo, vel et conchæ seu vasis unguentarii acuminí, *coegit dominam* ea impressione dolentem *femur* percutere, ut sonitum ederet: consueverant enim veteres in dolore et magna animi commotione femur percutere. » Si *crista* eo sensu capitur, aliptes certe, non matrona, digitos ei impressisse censendus est.

[2] Conf. vs. 429 seq. Cic. pro Dejot. 7; Senec. ad Helv. 9 extr. (*vomunt, ut edant; edunt, ut vomant, et vinum omne vomitu remetiuntur*); Cels. I, 3; Athen. XV, 1; Martial. V, 79, 16 seq. VII, 66, 10; Parrhas. Epist. 36; Ernesti ad Sueton. Aug. 77, et clav. Cic. in Ind. Gr. voc. ἐμετική; Casaub. ad Suet. Vitell. 13.

cibum, forte et vinum, aqua calida mixtum, more Romanorum (vide ad V, 63), denique *sextarius alter*, seu secundus, adeoque duo sextarii. Hinc vomitus. — *Sextarius* sexta pars congii, capiens XII cyathos, vel binas cotylas seu heminas.

Var. 428. *Rapidam*, 45, 60, 65. — *Vomitum* pro *orexim*, 22, ex interpr.

Not. 428. *Ducitur*, exhauritur, defunditur ex œnophoro; vel bibitur, ut passim, verbi caussa, apud Horat. Od. I, 17, 22, et IV, 12, 14. — *Ducere* hoc loco, et XII, 9, pro *bibere*, ut ἕλκειν, et *trahere pocula*. Vide cl. *Boissonade*, ad Eunap. pag. 293, et ad Nicetam, pag. 236. Ed. — *Rabidam orexin*, ὄρεξιν, appetitum, hoc loco, edendi, *facturus*, excitaturus, exinanito per vomitum ventriculo, alvoque exonerata. Virg. Æneid. IX, 64:

Ex longo rabies collecta fatigat edendi.

Var. 429. *Cum*, 20, 22. — *Reddit*, 17 a m. sec. 19. — *Et loto terram*, 1, 9, 11, 12, 17, 70, 75, 76, 77, 82. *Et luto terram*, 15, et XXVII Codd. Paris. teste ac prob. Ach. *Et terram luto*, 10, 18—21, 23—25, 27, 45—50, 54—69, 71, 73, 85. *Luto* antique dictum pro *lavato*, *lauto*, *loto*, ut *cludere* pro *claudere*. Cave intelligas oletum, vel sordes, et excrementa; nam de vomitu agitur, et leges metricæ repugnant, nisi forte reponendum *atque luto terram*, vel *terramque luto*. Illud exstat in 21 a m. sec. et 22, hoc in 14, 17, aliisque libris, quos vidit Pithœus, qui comparavit verba Salv. IV ad Eccl. Cath. *Natant triclinionum redundantium pavimenta, vino Falerno nobili lutum faciunt, mensæ coram ac toreumata mero jugiter madent. Ad terram luteo*, 26. *Et terram luteo*, 16, 74, prob. Pulmanno, qui perperam dicit hanc synizesin esse, ut inf. X, 133. *Et terram lato*, 72. *Epoto* pro *et loto*, conj. Schrader. Plathnerus vero ita legendum h. l. distinguendumque putabat: *Tandem illa venit rubicundula totum Œnophorum sitiens: plena quod funditur urna Admotum pedibus*, h. e. vinum crudum s. crucium, insuave, quod servi bibunt, admotumque pedibus domini, ad quos servi cœnitant (vid. Isidor. III, 20, et Senec. de Constant. Sap. cap. 15 pr.), *de eo sextarius alter Ducitur*, *ante cibum rabidam facturus orexin* (nam vinum crucium sumebant Romani, si appetitus excitandi caussa vomere vellent, quod etiam Seneca taxat Cons. ad Helvid. c. 9), *Dum redit et terram luto ferit intestino*, h. e. flavo, propter bilem, quo sensu *lutum* dicitur Virg. Ecl. IV, 44, et Tibull. I, 8, 52 (ubi vid. Broekhus. et Heyne).

Not. 429. *Dum redit* e stomacho, remittitur vomitu, evomitur. — *Loto intestino*, abluto ventriculo, et alvo purgata.

Var. 430. *Aut lata* restitui ex 7, 10, 11, 14, 15, 17—21, 23—27, 45—50, 54—69, 71—74, 85, et omnibus fere Codd. Paris. *Aut lauta*, 16. *Ut lata*, 22. *Aurata*, 12, 70, 75—77, 82. Sed ita deest copula verborum, et aptior est h. l. *lata*, h. e. ampla *pelvis*, vomitione repleta. Heineckio tamen lectio *aurata* aptior videtur, et vel ob ipsam copulæ ellipsin restituenda. Vid. ad IV, 63. *Abluta* conj. Schurzfl. quum literæ *V* et *B* frequenter a librariis permutentur: quod vereor ut multis arrideat, quia modo vox *loto* præcessit. — *Falerno*

Pelvis olet, 10, 18, 19, 27, 45—50, 54—57, 60—67, 85. Verbum *olere* et quarto et sexto casui jungitur. Vid. Heins. ad Ovid. Ep. Her. XV, 76.

Not. 430. *Marmoribus*, in marmoreo pavimento (quale in magnifico triclinio esse solebat), *rivi properant*, δεινῶς pro, multum vini fluit, ejectum ex *pelvi*, in quam illud inspuerat, quæque inde *olet*. — *Lata*, ampla, *pelvis*, vomitione repleta. — *Falernum* vinum exquisite dictum; est enim nobilius vini genus.

....Heres mero
Tinguet pavimentum superbum
Pontificum potiore cœnis,

Horat. Od. II, 14, 26 seq. *Natabant pavimenta mero*, *madebant parietes*, Cic. Phil. II, 41. Conf. XI, 173, et Var. Lect.

Not 431, 432. Serpentes avidissimi sunt vini, unde et eo in sepibus imposito olim capiebantur ebrii. [1] — *Vomit*, ut πίθους ὅλους παρ' ἐμοὶ πολλάκις ἐμεμεκὼς in Luciani Timone, c. 45.

Var. 433. *Apertis*, 15, 23, 24.

Not. 433. Maritus *oculis opertis*, clausis ob tantam turpitudinem, *substringit bilem*, iram et indignationem coercet ac reprimit: non effundit, metuens iram imperiosæ uxoris.

Anal. 434—456. *Gravior* tamen, hoc est, molestior et minus tolerabilis est uxor, quæ nimis docta esse aut videri vult, cujusque oratio est volubilis. Sic apud Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, c. 36: Αἱ δὴ οὖν γυναῖκες (καὶ γὰρ αὖ καὶ τόδε ὑπὸ τῶν γυναικῶν σπουδάζεται, τὸ εἶναί τινας αὐταῖς πεπαιδευμένους, μισθοῦ ὑποτελεῖς ξυνόντας, καὶ τῷ φορείῳ παρεπομένους) ἓν γάρ τι καὶ τοῦτο τῶν ἄλλων καλλωπισμάτων αὐταῖς δοκεῖ, ἢν λέγηται, ὡς πεπαιδευμέναι τέ εἰσι καὶ φιλόσοφοι, καὶ ποιοῦσιν ᾄσματα οὐ πολὺ τῆς Σαπφοῦς ἀποδέοντα· καὶ διὰ δὴ ταῦτα μισθωτοὺς καὶ αὗται περιάγονται ῥήτορας, καὶ γραμματικοὺς, καὶ φιλοσόφους. Ἀκροῶνται δ' αὐτῶν πηνίκα ἤτοι μεταξὺ κοσμούμεναι, καὶ τὰς κόμας περιπλεκόμεναι (ut fere infra vs. 483), ἢ παρὰ τὸ δεῖπνον· ἄλλοτε γὰρ οὐκ ἄγουσι σχολήν· πολλάκις δὲ καὶ μεταξὺ τοῦ φιλοσόφου τι διεξιόντος, ἡ ἄβρα προσελθοῦσα ὥρεξε παρὰ τοῦ μοιχοῦ γραμμάτιον· οἱ δὲ περὶ σωφροσύνης ἐκεῖνοι λόγοι ἑστᾶσι περιμένοντες, ἔστ' ἂν ἐκείνη ἀντιγράψασα τῷ μοιχῷ ἐπαναδράμῃ πρὸς τὴν ἀκρόασιν; quibus verbis conf. supra vs. 233 seq. et *les Femmes savantes de Molière*. — *Discumbere* ad mensam: nam modo sermo fuerat de uxore, quæ ante cœnam in balneum iverat. Antiquo autem et a Græcis recepto more etiam in conviviis de rebus, ad philosophiam aliasque artes ingenuas pertinentibus, disputari, et potissimum in missuum intervallis aut remotis mensis loca quædam poetarum recitari solebant; unde mox convivis occasio fabulandi data. Vide Wolf. ad Plat. Symp. IV, 1. Facile ta-

[1] Vide Aristot. Hist. Anim. VIII, 8; Plin. X, 72, seu 93; XXII, 23, et Erasm. Prov. III, 10, 98.

men intelligitur, quanti habenda sint hæc indicia, a parum sobriis profecta, et ab iis, qui, oblectandi sui caussa, non serio literas tractant. Tales tum temporis plerique procerum erant, iisque similis femina, quæ h. loc. describitur. Conf. ad vs. 488 seq XI, 177 seq. Petron. 56 et 59; Pers. I, 30, 31, ibique intppr.

VAR. 435. *Vergilium*, 60—62, 65, 71, 72, 73, 85. De qua nominis scriptura v. Heyne in vita Virgilii per annos digesta p. CLXXXIII edit. sec. — *Elissæ* recepi ex 10, 17, 18, 20, 21, 22, 25, 27, 46, 47, 48, 54, 56—60, 64, 65, et optimis Codd. Paris. *Elisæ*, 11, 12, 14, 15, 16, 19, 23, 26, 49, 50, 55, 61, 62, 63, 65—77, 82. *Elysæ*, 85. *Elyssæ*, 24, 45. Sed græce Ἔλισσα dicitur, eamque scripturam optimi scriptorum Rom. codices confirmant, et origo nominis. Vid. Heins. ad Virgil. Æneid. IV, 335; ad Ovid. Ep. Her. VII, 1, et ad Claudian. laud. Seren. v. 147.

NOT. 435. *Perituræ ignoscit Elissæ*, non tam miseretur Didonis, et excusat eam, quod ex impatientia amoris perire voluerit post discessum Æneæ; quam excusat laudatque Virgilium, qui tam scite et amores Didonis in carmen suum intulerit, et justas struxerit finxeritque caussas, quare ipsa sibi mortem consciverit. De utraque re vide Heyne in princ. Æneid. IV, et Exc. I. Præclare autem h. l. ubi de laude Virgilii agitur, amorum Didonis mentio fit, quoniam et mulier judicium fert, et poeta ille in hac carminis sui parte summam artem vario modo declaravit. *Elissæ*, Didoni. Vide supra Var. Lect.

NOT. 436. *Committit et comparat*, verba synon. de quibus vide ad vs. 378, et ad I, 163. — *Comparat Maronem et Homerum*, ut critici tam recentiores, quam veteres. Vide ad XI, 178.

VAR. 437. *Alia ex parte*, 11, 16, prob. Schurzfl.

NOT. 437. *In trutina suspendit*, ponit, hoc est, criticorum more eorum virtutes examinat, eosque comparat.[1] — *Trutina* proprie foramen, in quo lingula lancis (*examen* Pers. I, 6) movetur et vergit, deinde ipsa bilanx

[1] Conf. VII, 113; Pers. I, 7; IV, 10 (*Scis etenim justum gemina suspendere lance Ancipitis libræ*); Tibull. IV, 1, 40 seq. (ubi vide Heyne); Horat. Satir. I, 3, 72, et Epist. II, 1, 30. Statera autem (Germ. *Schnellwage*) accuratius rerum pondera indicare putabatur, quam trutina. Vide Cic. de Or. II, 38, et Koenig. ad Pers. V, 100. Rigaltius arbitrabatur, his versibus ab ipso poeta, etsi obscure, plus ponderis et majestatis tribui Virgilio, idque facile intelligi posse ab iis, qui in trutinarum et examinum ratione leviora pondera a gravioribus *suspendi* attollique non ignorent. Enimvero femina hoc loco non modo Homerum, sed et Maronem, hunc *inde*, hoc est, ex una parte, ex *alia* seu altera *parte* illum *suspendit*; et suspenduntur, seu suspensæ sunt, hoc est, alte pendent propr. trutinæ, indeque et res iis impositæ, ut examinentur. Conf. infra VII, 113, 114.

libra. — Hunc locum mira sagacitate et satirice magis expressit *Boileau*, Sat. IX, vs. 452 :

« Dans la balance met Aristote et Cotin ;
« Puis, d'une main encor plus fine et plus habile,
« Pèse sans passion Chapelain et Virgile. » ED.

VAR. 438. *Rhetores omnes*, 10.

NOT. 438. Tam clara est vox ejus, et tanta orationis copia, ut, qui his virtutibus in primis excellant, immo magna hominum *turba*, ei cedant, ipsaque loquente taceant. — *Loquatur*, loqui conatur, nec potest.

VAR. 439. *Jacet*, 21, 22. — *Loquetur*, 14, 15, 17, 18, 19 a m. sec. 20, 21, 46—49, 64, et XII Codd. Paris. Rectius certe, *loquatur*. ED.

NOT. 440. *Altera nec mulier* : nam multæ mulieres et vocales sunt vel sonoræ, et loquaces vel disertæ. Xenarchus apud Athen. XIII, 1 (7), pag. 559 :

Εἶτ' εἰσὶν οἱ τέττιγες οὐκ εὐδαίμονες,
Ὧν ταῖς γυναιξὶν οὐδ' ὁτιοῦν φωνῆς ἔνι.

— *Verborum vis*, ut Gr. δύναμις, orationis copia, et simul vocis contentio ac vigor, vel claritas. — *Cadit*, excidit ore, effunditur.

VAR. 441. Pro altero *tot* legitur *aut* in 16. *Ac* in 10, 14, 15, 17, 21—24, 45. *Et* in 25, 27, 46—50, 54—63, 65—69, 71, 72, 73, 77.

NOT. 441. seq. Egregia volubilis et sonoræ linguæ descriptio! quot verba (plerumque inania) fundit mulier loquax, tot *pelves* ac *tintinnabula pulsari dicas* ac putes. Similiter Silenus Ulyssem appellat ἄνδρα κρόταλον apud Euripid. in Cycl. vs. 104, ubi vide Hoepfner. Hinc et *tympana eloquentiæ* dixit Quintil. V, 12, 21, et τύμπανον φυσᾷν Theodor. in Brunck. Anal. tom. II, pag. 43, ad quem locum vide Jacobs ad Anthol. Gr. tom. II, P. I, pag. 126, 127. Eodem spectat proverb. Δωδωναῖον χαλκεῖον, (quia Diodonæ ἀσίγητος λέβης fuit, continuus æreæ pelvis tinnitus, vento aut instrumentis effectus, de quo vide Spanhem. ad Callim. H. in Del. vs. 286; Erasm. in Prov. I, 1, 7; Serv. ad Virg. Æneid. III, 466; Suidas et Steph. Byz.), et Sympos. Ænigm. LXXIX, de tintinnabulo :

AEre rigens curvo patulum componor in orbem ;
Mobilis est intus linguæ crepitantis imago ;
Non resonat positus, motus quoque sæpe resultat :

Ad quæ verba Wernsdorf in Poet. latin. min. tom. VI, pag. 554, hæc notavit : « Malleolum mobilem, quo tintinnabulum pulsatur, similem esse dicit linguæ, quæ appulsu suo ad palatum vocem et sonum efficit, quod expressit Horat. Serm. II, 3, 274 :

Quid? quum balba feris annoso verba palato.

Ob eam caussam videtur Juvenalis mulieris argutam garrulitatem tintinnabulis adsimulare. »

Var. 442. Hic versus abest a 57, et post v. 443 legitur in 47 et 85. — *Atque æra* pro *nemo æra*, 11, 12, 14—27, 45—50, 58—69, 71, 72, 73, 77, 85, et plurimi Codd. Paris. — *Fatigat*, 14, 18 a m. pr.

Var. 443. *Luna laboranti poterit succurrere rannæ*, 47 (*ramæ* in Ven. 1487). — *Potuit*, 85.

Not. 442, 443. Festiva sententia, qua simul vulgaris superstitio ridetur: Nil opus est amplius tot tubis et pelvibus, quibus plebs laboranti lunæ succurrere conatur; quod iis effici creditur, hæc mulier solo linguæ suæ strepitu ac sono præstare potest. Veteres, rerum physicarum ignari, lunam propterea, quod magicis sagarum incantationibus cogeretur in terram descendere, et spumam, vel virus, quo veneficæ uterentur; in herbas effundere, deficere putabant, ac reluctari, vel *laborare*: ne itaque vinceretur carminibus, et cælo devocaretur, sed ad carmina illa obsurdesceret, in hac lucta ei *laborant ærium* sono, crepitu *pelvium* ac *tintinnabulorum*, *tubarum* cornuumque concentu *succurrere* conabantur. Quæ anilis superstitio est notissima et per omnem fere Orientem etiam nunc divulgata. [1]

Not. 444 seq. Vide, ut inflectat se sensim oratio ad gravitatem. Sensus nexusque vss. 444 seq. hic est: Sapiens etiam pulchris honestisque rebus modum ac finem ponit, seu statuit (conf. Hor. Sat. I, 1, 106, 107; I, 2, 111 seq. et al.): hinc ingenium quidem tam disciplina, quam bonorum librorum lectione subigere, vel animum liberali doctrina excolere, non feminas minus quam viros decet; at omnem curam operamque ad studium philosophiæ, rhetoricæ, grammatices aliarumque artium conferre, non nisi viris proprium vel decorum ac fas est, et, si mulier hæc virorum studia sectatur, eorum quoque et habitu utatur, et reliqua negotia agat, adeoque plane mulier esse desinat.

Var. 445. *Nam quia*, 17. *Nam si docta*, 25, 27, 46—49, 54—60, 64, 66, 77.

Not. 445. Epitheton *docta* in feminis non ad artis tantum poeticæ, sed philosophiæ etiam, historiæ, omniumque, quæ lectione addiscuntur, studium esse referendum, ex vss. 448 seq. intelligitur, et contra Broekhus. probavit Heyne. Obss. ad Tibull. IV, 6, 2. — In vss. 446, 447, habitus negotiaque virorum, non philosophorum tantum, aut oratorum poetarumque (quæ communis fere interpretum sententia est), designantur: quod jam monuere Schol. et Ferrar. de Re vest. III, 24.

[1] Vide ad Sil. VIII, 500; Heyne ad Virg. Ecl. VIII, 69; Brunkh. et Vulp. ad Tibull. I, 8, 21, 22; Gierig. ad Ovid. Met. VII, 207; Harduin. ad Plin. II, 12, seu 9; Kœnig. ad Claudian. III, 147; Lipsium ad Taciti Annales, lib. I, cap. 28, et Elmenh. ad Minuc. pag. 128.

Var. 446. *Substringere* malebat Scaliger. Sed vulgata lectio bene se habet.

Not. 446. Virorum tunicæ erant substrictæ et breves, circa humerum desinentes, feminarum autem molliumque hominum manicatæ ac talares, hoc est, prolixæ et ad talos demissæ. [1] Bene vetus Schol. *accipere debet virilem habitum et cingi, ut vir;* et *Silvano mulieres non licet sacrificare.* Huic agresti horridoque deo viri sacrificabant, feminæ Junoni et Cereri. Conf. Ferrar. l. l. Agricolæ tamen prisci

Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,

teste Hor. Ep. II, 1, 143. — De *Silvano* vide *Creuzer's Symbolik*, tom. II, pag. 487; tom. III, pag. 219. — *Quadrante lavari;* nam lavaturi vulgo quadrantem dabant balneatori; non pauperes tantum philosophi, quod male colligitur ex Horat. Sat. I, 3, 37. Conf. sup. ad II, 152. Enimvero feminæ quoque lavabantur in publicis thermis balneisque, e quibus alia iis, alia viris propria erant. Vide Vitruv. V, 10, et al. Non itaque vs. 446, 447, sola ac propria virorum negotia memorantur, quod supra monui. Si tamen Glossis MSS. apud Ferrar. l. l. fides habenda, mulieres lavabantur gratis, aut se ipsas pro pretio dabant.

Not. 448 seq. Grangæus comparat verba Martialis, II, 90, 9: *Non sit doctissima conjux*, et Eurip. Hippol. vs. 640 seq.

Σοφὴν δὲ μισῶ· μὴ γὰρ ἐν γ' ἐμοῖς δόμοις
Εἴη φρονοῦσα πλεῖον, ἢ γυναῖκα χρῆν.
Τὸ γὰρ πανοῦργον μᾶλλον ἐντίκτει Κύπρις
Ἐν ταῖς σοφαῖσιν.

Poeta vero, mulieres insectans literatas, feminam forte, nescio quam, tunc temporis viventem, toto h. l. inde a vs. 436, respexit. Vetus Schol. ad vs. 334. «Statiliam Messalinam insectatur, quæ, post quatuor matrimonia diverso exitu soluta, postremo Neroni nupsit: post quem interemptum et opibus, et forma, et ingenio plurimum viguit, et consectata est usum eloquentiæ usque ad studium declamandi.» Ingeniose Henninius: «Suspicor per transennam notari h. l. Sulpiciam, Caleni uxorem, feminam doctissimam, quæ et ipsa ad Satiras accessit, unde Juvenalis, invidiæ œstro forte percussus, indignatusque feminam in gloriæ partem venisse, stilum in feminas literatas generatim, sed obliquo in Sulpiciam oculo strinxit. Ipsa fatetur:

Primaque Romanas docui contendere Graiis;

et in satirica illa querela de exactis Urbe philosophis sane non *unum curtum sermone rotato enthymema*, non una *historia*. Quod autem *Palæmonis artem volverit*, ipsa fatetur, quum in illa Satira sit sibi *lusa multa millia Phalæcorum, Iambicorum, Scazontum*, etc., ut non immerito loquacitatis

[1] Conf. Salmas. ad Hist. Aug. t. II, pag. 556 seq. et VV. DD. ad Gell. VII, 12, et Plaut. Pœn. V, 5, 24.

a Nostro, vs. 438 seq. accusata videri possit. Quod *antiquaria* fuerit, et ea ipsa Satira docet. » — *Non habeat dicendi genus* accuratum, ad rhetoricæ grammaticesque regulas exactum (conf. vs. 453), vel *non habeat*, hoc est, non noscat diversa *dicendi genera*, rectum ac pravum, vel sublime, mediocre et tenue, vel demonstrativum, deliberativum et judiciale, vel denique Asiaticum, Rhodium, Atticum et Laconicum, quæ in libellis rhetoricis memorantur.

Var. 449. *Haud* pro *aut*, 15. — *Curvum*, 2, 3, 10, 11, 12, 14—22, 24, 26, 28, 45, 49, 75, 76, 81, 82. Sed *curtum*, 23, 25, 27, 46, 47, 48 50, 54—74, 77, et dimidia pars Codd. Paris. prob. Grævio et Heins. ad Ovid. Fast. II, 408, ubi hanc vocem in multis veterum scriptorum locis restituit. Vid. Comm.

Not. 449. *Aut curtum*, etc., hoc est, aut dialecticæ artis perita sit. — *Enthymema*, ἐνθύμημα, proprie quælibet cogitatio, et deinde conclusio e sententiis contrariis, vel forma syllogismi, qui Aristoteli μονολήμματος dicitur, in quo una præmissarum propositionum deest, quam ἐνθυμέομαι, cogito, hoc est, in mente retineo. [1] — *Curtum* vocatur, quoniam est decurtata et trunca quædam argumentandi ratio. Cf. Heins. ad Ovid. Fast. II, 408. Verba *sermone rotato* spectant ad rotundam brevitatem propositionum, vel sententiarum, omnisque conclusionis, quæ, quo brevior ac rotundior est, eo fortius ferit. [2] — Hinc et præclare dicitur *torqueat*, metaphora petita a jaculis, quæ, quum brevia sunt, *rotando torquentur*. Id jam animadvertit Muretus Varr. Lectt. VIII, 21, ubi etiam adscripsit locum Platonis de Spartanorum loquendi consuetudine, quos ab initio rudes imperitosque videri, sed postea torquere et vibrare brevem aliquam sententiam dicit. Hinc *jaculator* dicitur rhetor infra VII, 193, et apud Sen. in Epist. *Eadem illa sententia, velut lacerto excussa, torquetur;* apud Cic. Or. 70: *Demosthenis vibrant fulmina*; apud Petron. 109, et Quintil. XI, 3, § 120: *Jaculari dicta et sententias.* [3] — *Torquere et jaculari*, ut ὃς παρ' ἡμῶν τὰ τοξεύματα, ὡς φῂς, λαβὼν καθ' ἡμῶν ἐτόξευες in Luciani Piscat. cap. 6.

Var. 451. *Intelligit*, 25, 27, 46—50, 58, 61, 66.

Not. 451. Recte conferunt cum hoc loco verba scriptoris acutissimi, *Molière*, *Femmes savantes*, act. II, scen. 7:

---

[1] Confer Ciceronem Topic. 13 et 14; Quintilianum lib. V, cap. 10, pr. lib. V, cap. 14, § 24, et lib. VIII, cap. 5, § 9.

[2] Conf. Wernsdorf. Poet. Lat. Min. t. IV, p. 253.

[3] Turnebus Advers. III, 17, *sermonem rotatum* h. l. putat esse orationem conversione conclusam atque comprehensam ambitu; quod genus dicendi a Cicerone (Partit. 5) *versum*, ab Aristotele συνεστραμμένον appelletur, et quo contorta oratio sit, ideoque brevior, quam sponte naturæ fusa.

« Nos pères sur ce point étoient gens très-sensés,
« Qui disoient qu'une femme en sait toujours assez,
« Quand la capacité de son esprit se hausse
« A connoître un pourpoint d'avec un haut-de-chausse. » Ed.

Not. 452. *Artem Palæmonis*, hoc est, grammaticam. Nam M. vel Q. Remmius *Palæmon*, magister Quintiliani, sub Tiberio et Claudio principem locum inter grammaticos tenuit, et arrogantia fuit tanta, ut secum et natas et moriturâs literas jactaret. [1] — *Volvit* verbis et lingua, vel secum seu animo, expendit, examinat vel tractat; quæ notiones etiam verbo simili *versare* subjectæ sunt.

Var. 453. *Ac* pro *et*, 15. *At*, 85.

Not. 454. *Antiquarii* dicuntur vel veterum poetarum, historiarum et antiquitatis studiosi, vel qui usu et investigatione antiquarum obsoletarumque vocum ac locutionum eruditionis famam affectant, vel denique qui priscos libros legunt et tractant. Conf. intpp. Suet. Aug. 86.

Not. 455. *Amicæ opicæ*, quæ Opice, seu Osce, Oscorum more, hoc est, barbarè, indocte ac male loquitur. *Opicum* inter convicia fuisse, quibus Græci Romanos peterent, et hinc mulierem putide doctam h. l. *opicam* dici, monet Jacobs. ad Anthol. Gr. Vol. II, P. I, pag. 232, coll. Plin. XXIX, 1, seu 7. Conf. supr. ad III, 207. — *Verba nec curanda viris*, ne viris quidem anxie circumspicienda et attendenda, nedum ab his in mulieribus reprehendenda et castiganda.

Not. 456. Hinc Martial. XI, 20 :

Quæris, cur nolim te ducere, Galla? diserta es;
Sæpe solœcismum mentula nostra facit. [2]

— *Solœcismum liceat fecisse marito*, hoc est, uxor non sit tam docta, ut intelligat, maritum barbare et vitiose loqui, neque tanta ejus sit eruditionis affectatio, ut mariti barbarismos castiget. Conf. Jacobs. ad Anthol. Gr. Vol. II, P. II, pag. 495. — Huc quoque afferunt, quæ tam ingeniose lusit *Molière*, loco laudato :

« Le moindre solécisme en parlant vous irrite;
« Mais vous en faites, vous, d'étranges en conduite. » Ed.

Not. 457 seq. Aliæ mulieres, in primis divites (*les coquettes*), nitorem munditiemque affectant, ut non maritis, sed mœchis placeant, earumque mira est impudentia superbiaque. Conf. ad vs. 30, et 136 seq. — *Virides gemmas*, smaragdos (vide ad V, 38), vel zmaragdos. [3]

[1] Conf. VII, 215 seq. Suet. de Ill. Gramm. 23; Voss. Gramm. I, 4, et Dodwelli Annales Quintilian. p. 183 seq.

[2] *Solœcismus* quid sit, vel tironibus notum; v. Cic. ad Heren. IV, 12, et Gell. V, 20.

[3] De hujus vocis scriptura vide Schwabe ad Phædr. III, 18, 7, et Heyne ad Tibull. I, 1, 51.

Var. 459. *Extensis*, 7, 10, 11, 14—24, 27, 29, 45—50, 54, 55, 56, 59—65, 68, 69, 71—74, 85, et omnes Codd. Paris. ut inf. XII, 5. — *Magno*, 7, 29. — *Committit*, 7, 14, 17, 21, 22, 29.

Not. 459. *Commisit*, tradidit, hoc est, appendit. — *Magnos elenchos*, uniones, seu margaritas oblongas, in piri modum turbinatas. [1] — *Auribus extentis* pondere margaritarum; ut Sen. Herc. Oet. vs. 661:

> ....Gemmiferas detrahit aures
> Lapis Eoa lectus in unda.

Var. 460. *Nil*, 68.

Not. 460. Conf. ad vs. 30 et 136 seq.

Not. 461—473. Femina, ut mœchis placeat, pane siligineo, in lac asininum intincto, et unguentis oblinit faciem. Verba *pane tumet facies*, ut et ea, quæ sequuntur, referenda ad incrustationem panis madidi (conf. vs. 472, 473), quo femina domi apud maritum, ut cutem molliret, linebat faciem, eique velut *tectorium* quoddam, hoc est, crustam, vel κατάπλασμα et ἐπίχριμα (*Kalchanwurf, Kalch-Gyps-Kleisterüberzug*), inducebat, quod deinde foras proditura abstergebat lomento (*einer aus Bohnenmehl und Reis gekneteten Masse*), vel σμήγματι ex lacte asinino, ut mœchis placeret, et cutis poliretur: nam *tectorium*, κονίαμα, proprie est incrustatio parietum ex arena et calce. [2] — Hinc *fœda adspectu ridendaque facies*, nondum lota ac polita, et mox *tectoria prima:* nam *tectorium* proprie dicitur albedo et incrustatio, quæ creta potissimum et gypso muris, aut parietibus et pavimentis inducitur. — Hinc et *labra mariti*, faciem incrustatam exosculantis, *viscantur* et agglutinantur, hoc est, tanquam in visco et glutine inhærescunt: unde *miseri mariti*. — *Poppæana*, quod Britann. jam monuisse video, non videntur esse medicamina facici, ex madido pane et lacte asinino confecta, quæ nec *pinguia* sunt, nec *spirant*, sed unguenta suavis odoris aut magni pretii, ita (forsan primum a poeta nostro) appellata a Poppæa, Neronis uxore (ut *Cosmiana* et *Niceratiana*), ob inventionem ejus, vel usum frequentem. — *Poppæa* notissima e Suet. Ner. 35, et Tac. Ann. XIII, 45, 46; XIV, 1, 60; XV, 23, XVI, 6.

---

[1] Vid. Plin. IX, 35 seu 56, ibique Hard. Isidor. Orig. XVI, 10; Schakii Myrothec. I, 47; Bartholin. de Inaur. Vett. p. m. 6 seq. 30 seq. et Bottiger. in Sabina, p. 391, 409, 410, qui Germ. eos reddit *Respectsperlen*, *Girandolen aus drei Glockenperlen*, unde *margaritam tribaccam* dici monet Petron. c. 55, ubi conf. Burm. pag. 171 seq. Matronæ etiam alterutri sæpe auri unam tantum eamque ingentem margaritam appendebant, quæ inde *unio* dicebatur, ut a forma guttarum *stalagma*. Vide Bottigeri Sabinam, pag. 390 et 409.

[2] Confer. ad Satiram II, v. 107; Salmasius ad Spartian. Gons. ad Petronium p. m. 81, et Bottigeri Sabina, pag. 12, 19, 33, 42 seq. edit. principis.

— *Spirat*, πνέει, *Poppæana*, odorem eorum emittit, seu fundit. — Similia fere exquisitis versibus expressit *Boileau*, Sat. X, vs. 196:

« Si tu veux posséder ta Lucrèce à ton tour,
« Attends, discret mari, que la belle en cornette,
« Le soir ait étalé son teint sur la toilette,
« Et dans quatre mouchoirs de sa beauté salis,
« Envoie au blanchisseur ses roses et ses lis. » Ed.

Var. 464. *Ad mœchumque venit lota cute*, 16. *Veniunt lota cute*, 13, 27, 46—49, 54, 57, 58, 64, 85, et plurimi Codd. Paris. *Veniet luto*, 62, 68, 69, 71, 72, 73. *Veniet lota cute*, 25, 50, 56, 59, 60, 61, 63, 65, 66, 67, 74, 77, et quidam Codd. Paris. quos nunc secutus sum cum Ach. *Lota veniunt cute* nonnulli MSS. et Editt. etiam Henn. Doctior quidem est et solennis personarum permutatio, sed h. l. parum placet, ubi tot verba in sing. num. junguntur. — Hunc vero versum et duos seqq. semper putavi alieno loco a librariis positos esse, et post v. 470 legendos. Nunc video, ordinem verborum displicuisse etiam Gonsal. ad Petron. p. m. 81, 82 (ed. Burm. tom. II, pag. 121), et *Dusaulx*, qui tamen vss. 464, 465, 466 post v. 473 ponendos censebant. At illa ratione singula melius, opinor, cohærent, et mens poetæ planius percipitur.

Nor. 464—466. Cf. Var. Lect. Lipsius, Epist. Quæst. IV, 25, poetæ menti obversata putabat verba Lucilii Sat. XV:

Quum tecum est, quidvis satis est: visuri alieni
Sint homines, spiram, pallas, redimicula promit.

— *Lota cute*; v. ad II, 105.

Nor. 465. *Foliatum* unguentum, seu nardinum et malobathron, paratum ex nobili oleo, quod habent *folia* nardi, vel potius malobathri, μαλοβάθρου, seu μαλαβάθρου, inpr. in *India*; de cujus magno pretio et indole vide Plin. XII, 26, seu 59; XIII, 1 extr. et 3 extr.[1] — *Mœchis parantur*, in eorum gratiam præparantur, vel, ut mox, *his emuntur*.

Var. 466. *Emitur his*, 46—50, 54, 55, 57, 58, 61—64, 66, 67, 68, 71, 73, 85.

Nor. 466. *Quidquid* odorum, aromatum, gemmarum, etc., quibus India abundat. — *Huc*, Romam; *mittitis*, pro vulg. mittunt. — *Indi graciles*; vide sup. ad V, 53. — Huc et conferendi versus isti, *Boileau*, Sat. X, vs. 190:

« Aux autres elle est douce, agréable, badine;
« C'est pour eux qu'elle étale et l'or et le brocard,
« Que chez toi se prodigue et le rouge, et le fard, etc. » Ed.

[1] Conf. intpp. ad hh. ll. it. Mart. XI, 28, 9; XIV, 110, 2; Gesner. et Barth. ad Claudian. Eutrop. I, 226; Cruqu. et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 7, 8; Salmas. ad Solin. p. 749, et in Homon. hyles iatr. c. 87; Barth. Adv. II, 6, et Arriani Peripl. maris Erythr. pag. 178 seq. ed. Blancardi. *Tinge caput nardi folio* apud Martialem Epigr. XIV, 146, 1.

Not. 467. *Aperit*, retegit, *vultum* (ut apud Martial. III, 3, 4), crusta quasi obtectum, forte per totam noctem, ut eo mollior fieret (unde *tandem*), et *reponit*, removet, *tectoria prima*, incrustationem panis (vide ad vs. 461 seq.): nam *tectoria secunda*, quæ nunc faciei *inducit*, sunt lac, unguenta (*foliata*) et fuci. Jam *facies incipit agnosci*, *atque fovetur*, abluitur, teneriscit et candorem accipit *lacte* asinino. Vide ad III, 107:

Formosam faciem nigro medicamine velas....
Aut aperi faciem, vel tunicata lava,

Martial. III, 3, 1, 4.

Var. 468. *Illo tunc lacte*, 10, 16, 19, 23, 24, 27, 47, 54, 57, 58, 64, 85. Conf. ad I, 154.

Not. 469, 470. Id fecit Poppæa, in exilium missa. Vide loca Plinii et Dionis laudata ad III, 107. — *Ad axem Hyperboreum*, hoc est, ad extremas easque septentrionales terræ partes. — *Axem*, plagam cæli, ut passim. — De *Hyperboreis* loc. class. Plin. IV, 12. Conf. Heyne ad Virg. Georg. III, 196, et *Creuzer's Symbolik*, tom. II, pag. 39, 130; tom. III, pag. 226 seq. tom. IV, pag. 177.

Not. 471 seq. *Sed facies, quæ mutatis... madidæ, facies dicetur, an ulcus?* Henninius notat, Patres quoque ecclesiæ nostræ bile plus quam satirica in hos fucos, quorum ope deformes naturam quasi ulcisci videantur, insurrexisse.[1] — *Mutatis*, variis.

Not. 472. *Offas*, micas vel frusta (Graug. *de la farine réduite en masse*, quo sensu *offa* dicatur Plin. XV, 7), *coctæ et madidæ* lacte asinino *siliginis*; vide ad II, 107, et V, 70.

Var. 473. *Madidæ facies* mutata distinctione recepi ex 11, 17, 18, 19, 21, 22, 23, 25, 27, 28, 45—50, 56—69, 71—74, 77, ut siligo dicatur *madida* lacte asinino. *Accipit*, *et facies madidæ* (mulieris, pane madido oblitæ et unguentis delibutæ) *dicetur*, etc. 12—16, 20, 24, 26, 54, 55, 71, 75, 76, 82. Sic importunum certe est *et*, si vel pro *etiam* dictum acceperis. — *Dicatur*, 22, 28, 77.

Not. 473. *Facies dicetur*, *an ulcus*: nam et ulcera sic medicamentis et emplastris foventur.

Var. 474. *Est operæ pretium*, 10, 11, 14—25, 27, 45—50, 54, 55, 57—60, 62, 64—69, 71, 72, 73, 77, 85, et multi Codd. Paris. prob. Schurzfleisch. et Ach. Ille tamen malebat *Est operæ*, *curas penitus cognoscere*, et vetus Scho-

[1] Verbi caussa Tertull. de Cultu fem. 3; Cyprian. de Hab. virg. Tract. II; Ambros. de Virg. lib. I; Hieron. de Virg. serv. ad Furiam et ad Demetriad. VIII, 10 inpr. Petr. Martyrem in Loc. Comm. et ad II Reg. IX.

lion ita legendum putabat: *Est operæ*, operæ pretium est. Sic *est operæ* (scil pretium) dixere Liv. IV, 8; XXI, 9; Pers. VI, 9, et Plaut. Cas. V, 2, 5. Sed ita non cohærent reliqua verba poetæ: neque assequor, cur vox *curæ* minus quam *operæ* (quæ vulgaris formula est) placeat, et vetus scholion (*Est pretium curæ*, operæ pretium est) mutandum sit. Vox *operæ*, non *pretium*, ex glossa irrepsit, et deinde *pretium* a librariis post *operæ* positum est, ut metro caverent. Exemplum autem hujus locutionis laudavit Hein. ex Plin. Ep. VIII, 6: *Postea mihi visum est pretium curæ, ipsum senatus consultum quærere;* ubi eadem est lectionis varietas.

Var. 475. *Agitentve*, 77.

Not. 474—485. Alia crudelis feminæ negotia, quæ mane agit, postquam e lecto surrexit. Sævit in familiam et iram, in maritum quacumque de caussa conceptam, in servos servasque effundit. Talis Circe apud Petron. c. 132, pag. 627, ed. Burm. Conf. Barth. Advers. V, 8. Lepida vero caussa iræ hoc loco affertur: *si nocte maritus aversus* ab uxore *jacuit* (καθεύδει ἀποστραφείς, Lucian. in Dial. Merc.), hoc est, libidini uxoris non satisfecit.

Var. 476. *Adversus*, 11, 21, 26, 85, contra mentem poetæ. *Pueri tibialia ponunt, Cosmetæ tunicas*, sc. ut vapulent, conj. H. Vales.

Not. 476. *Periit*, actum est de ea, δεινῶς pro, male tractatur, vel magnum ei impendet malum. — *Libraria*, vel serva prælegens et eleganter scribens librosve describens, cujus etiam in lapidibus mentio fit (vide Pignori de Servis, pag. 115, *Schönschreiberin*), vel *lanipendia* (*Spinnmeisterin*), quæ lanam *librat* et *quasillariis* (*Spinnemädchen, Spinnkorbmädchen*, a *quasillo* sic dictis), *appendit*, pensa lanificiis ancillis distribuit. [1]

Not. 477. *Cosmeta*, ut vulgo putant, non κοσμήτρια, ornatrix, ancilla, quæ dominam exornat, componens crinem, etc. (conf. vs. 492 seq.); sed κοσμήτης, servus, qui mundum muliebrem curabat. [2] *Cosmetæ* tamen dicebantur olim omnes puellæ virique, a quibus fucari facies (*Schminkmädchen, Schminkärzte*), supercilia pingi, purgari dentes, et medicamina, quibus fœtor halitus arcebatur, parari solebant, quorumque ars κοσμητική dicebatur: vide Bottigeri Sabina, pag. 18, 41, 214, ed. pr. — *Ponunt*, deponunt, *tunicas*, exui jubentur, et ad mammas usque nudatæ ministrant dominæ, ut facile vapulent. Conf. Pers. III, 1, 35; Ovid. Amor. I, 6,

[1] Vet. Schol. *lanipendia*, de qua vide Paul. in L. XXXI, D. de Donat. inter vir. et ux. Dufresnii Glossar. et Cujac. Obss. IX, 30. Conf. de triplici illo servarum genere Bottigeri Sabina, p. 89 et 366, ed. pr.

[2] Vetus Schol. « Eos dicit, qui ornamentis præsunt, non tamen et ornatrices. » Confer Spanhemium ad Callimachum Hymn. in Lavacr. Pall. v. 21, et Wover. ad Petronium, pag. 472.

19, et Bottigeri Sabina, pag. 247—263. — *Liburnus;* vide ad III, 240. — *Pœnas somni alieni*, non sui, sed mariti, qui nocte aversus jacuit.

VAR. 478. *Ac* pro *et*, 15.

VAR. 479. *Flagellis* pro *flagello* revocavi ex 10, 11, 12, 14—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et omnibus Codd. Paris.

NOT. 479. *Frangit ferulas* dorso suo, efficit, ut frangantur ferulæ, dum iis cæditur. Conf. ad VIII, 279. — *Scutica*, parvum flagellum, e loris vel corio bubulo (τὸ σκύτος corium) factum. Levia peccata *ferulis*, graviora *scuticis* et gravissima *flagellis* (quales fuere μάστιγες ἀστραγαλωταί, de quibus vide Hemsterh. ad Polluc. X, 54, pag. 1210, et Bottigeri Sabina, pag. 247 et 264) puniuntur. Conf. Horat. Sat. I, 3, 119, 120, ubi similiter hæ voces junguntur.

VAR. 480. *Præstant*, 11.

NOT. 480. *Sunt, quæ tortoribus*, seu carnificibus *præstent annua* salaria, quia sæpissime servos cædi jubent: nisi poeta rem in majus auxit. Conf. tamen de immani crudelitate feminarum, etiam mollissimarum, Bottigeri Sabina, pag. 251 seq. 263 seq. 276 seq. — *Lorarii* dicebantur servi, qui conservos flagellare jubebantur (*Zuchtknechte, Knutmeister*) *tortores* et *carnifices* publici (*Peitschenknechte*), qui reos potissimum, capitis damnatos, virgis cædebant. Vide Pignori de Servis, pag. 5 seq. et 15; Heyne in Opusc. acad. tom. III, pag. 189 seq. et Bottigeri Sabinam, pag. 246, 262, 263, 442.

NOT. 481—485. Sævissima mulier adeo omnem exuit humanitatem, et tam parum suppliciis servorum innoxiorum movetur, ut, dum hi, quos ne homines quidem esse putat (conf. supra vs. 219—222), cæduntur, *obiter*, quasi aliud agens (vide ad III, 241), *faciem linat* medicamentis, seu fuco, *audiat amicas* secum confabulantes, etc. — *Verberat* et vs. 483, 484, *cædit* pro: verberari et cædi jubet, vel cædendos curat: nam quod per alium quis facit, ipse fecisse putatur et dicitur. Conf. ad III, 37, 116, 186.

NOT. 482. *Considerat* et miratur *aurum pictæ vestis*, vestem acu pictam auroque intextam. De tali veste vide Plin. VIII, 48. — *Latum aurum*, ut X, 27; vide Heins. ad Ovid. Ep. Her. IX, 127.

VAR. 483. Versus hic post v. 484 leguntur in 11, 12, et, quia idem principium habet uterque, excidit e 17; v. ad II, 24. *Adsidue* pro *Et cædit* conj. Schrader. *Et cædens*, 16, 18, 20, 22—27, 46, 48, 49, 54—69, 71—74, 77, et plerique Codd. Paris. *Cedens*, 47, 85. *Cædet*, 10. — *Repetit* ed. Marshall, nescio qua auctoritate. — *Transsumta*, 12. *Transacta diurni*, 25, 27, 46—49, 54—63, 65—69, 71—74, 77, 85, et multi Codd. Paris. probb. Ach. et al. Ita dici putant rationes diei transactæ. *Diei*, 77.

NOT. 483. Conf. locus Luciani adscriptus ad vs. 434 seq. — *Diurnum*,

seu diarium, scil. scriptum, ἐφημερίς, liber, in quo acta diurna, seu quotidiana rationesque potissimum accepti et expensi ab ancillis consignantur? Conf. Gell. V, 18; intpp. Nep. XXV, 13, et Bottigeri Sabina, pag. 191. — *Diurnos commentarios* dixit Suet. in Aug. — *Transversa diurni* vet. Schol. recte forsan interpretatur, ratiocinium diurnum, in transversa charta scriptum (Gr. ὀπισθόγραφον). [1]

Not. 484 seq. Cf. Bottigeri Sabina, p. 250 seq. Exi, jam abi, furcifer, etc.

Var. 485. *Intonat*, 16, 25—27, 46—50, 54—67, 71—74, 77—85. — *Parata* pro *peracta*, 71, et alter Cod. Schegkii.

Not. 485. *Intonet horrendum*, horrende femina, ut apud Virg. Æneid. XII, 700, ut infra vs. 517: *grande sonat*, sc. semivir; nisi jungenda sunt verba *horrendum Exi*, aut *intonet* impersonaliter accipiendum. *Intonet* autem gravius, quam resonet. Verba *cognitione peracta* vulgo interpretantur: finita cognitione caussæ et delictorum cujuslibet servi, sumptoque de omnibus supplicio; rectius autem Brit. et Achaint. jam omnibus rationibus diligenter recognitis et excussis, finita lectione longi diurni.

Var. 486. *Præfectura domus*, 1, 12, 14, 15, 16, 28, 31 b. 44 (vid. Voss. Gramm. II, 19), 49, 54, 55, 69, 70, 72, 74—77, et Cod. Schegkii, quem vide in Procem. 5. *Profectura domo*, 10, 11, 17—20, 23, 25, 27, 32, 45—48, 50, 56—68, 71, 73, 85, et multi Codd. Paris. contra metri leges, unde *Processura domo* emend. Schurzfl. et Ferrettus. Vid. Voss. l. l. *Domo*, 11, 17—27, 32, 45—48, 50, 56—68, 71, 73, et alter Cod. Schegk.

Not. 486. Conf. Bottigeri Sabina, pag. 251 seq. — *Præfectura*, administratio et gubernatio, *domus non mitior* est *aula Sicula*, h. e. matrona, seu femina, quæ domui et familiæ præest, non minus crudelis in servos, quam tyranni Siculi, Phalaris et Dionysii, in cives. — Similiter *Boileau*, Sat. X, vs. 683:

« Et font de leur maison, digne de Phalaris,
« Un séjour de douleurs, de larmes et de cris. » Ed.

Not. 487. *Nam si constituit*, statuit, *ornari*, etc., non, ut alii exponunt, *constituit*, scil. mœchis locum et tempus conveniendi: vide ad III, 12.

Var. 488. *Et* abest ab 23, 24.

Not. 488. *Expectatur in hortis* a mœchis.

[1] Similiter fere *adversaria* Cœl. Rhodig. XII, 21. Ita dicuntur libelli, in quibus et *adversa* parte perque *transversum* scribebatur, et in quos sine ordine omnia conjiciebantur, transferenda deinde in tabulas accepti et expensi. Vide Salmas. de Usur. pag. 147. Minus probanda Grang. explicatio: legit diurnum *transversa* hoc est, transverse, obiter; ut sit enallage. Sic fere *transversa tueri* apud Virg. Ecl. III, 8, et Valer. Fl. II, 154: ubi vide Burm. Sed ita saltem *diurnum*, non *diurni*, dixisset poeta.

Nor. 489. *Sacraria*, ædiculas et templa *Isidis* in octo Romæ regionibus, apud quæ (in porticibus), et in quibus multa admittebantur stupra et adulteria a mulieribus, quæ prætendebant, se in casto Isidis esse, et pervigilia, excubias vigiliasve agere in ejus honorem. Vid. Bottigeri Sabina, pag. 199 seq. [1] — *Lenæ Isiacæ*, mulieris, qui apud ædem Isidis lenocinatur, vel potius sacerdotis; nam sacerdotes Isidis lenocinium quoque faciebant. [2] Malim de ipsa Iside quasi lenocinante et lena magna (in cujus templo plurimæ prostant feminæ) accipere; quæ tamen ratio paullo durior est: nam sic *Isiacæ* poeta dixit pro *Isidis*:

Multas illa facit, quod fuit ipsa Jovi,

pellices, meretrices, Ovid. Art. Am. I, 78.

Var. 490. *Disponit*, 1, 12, 58, 59, 70, 75, 76, 77, 82. *Componit*, 10, 11, 14—27, 45—50, 54—57, 60—69, 71—74, 85. Nil interest.

Nor. 490—507. Conf. Senec. de Brevit. vitæ, c. 12; Martial. II, 66; Luciani Am. c. 38, 39, et Claudian. de Nupt. Honor. et Mar. carm. X, 101 seq. de ancillis ornatricibus variisque earum officiis. — *Disponere crinem*, ut *ponere*, *componere*, *fingere*, *aptare*, *colere*, *ornare*, κόμην, vel τρίχας διατίθεσθαι, vel συντιθέναι. Vide Spanhem. ad Callim. H. in Pall. vs. 22. — *Capillis laceratis* ab irata et crudeli domina et *nuda humero*, veste ab eadem discissa. Sed verba hæc iis, quæ præcedunt, magis congruent, si ea cum *Dusaulx* et Ach. retuleris ad summam festinationem, qua Psecas, vocata a crudeli domina, accurrat *capillis* sparsis, solutis et *laceratis*, nec non seminuda, ut confestim *disponat crinem* dominæ *properantis* et clamantis. Pœnæ, ab irata domina ei inflictæ, mox memorantur, vs. 492 seq. et jam memoratæ sunt supra vs. 476 seq. — *Psecas* puella ornatrix, et hinc forte comes Dianæ apud Ovid. Met. III, 172, sic dicta a ψεκάζειν, irrorare (ψεκὰς, ros), quæ unguentis pretiosissimis (vid. ad IX, 128) capillos dominæ delibuit, irrigat (ut apud Claudian. l. l. *largos hæc nectaris imbres irrigat*), aut, quod cel. Bottiger in Sabina, pag. 106 et 125, docet, quæ unguenta pluviæ tenuis instar (ψεκὰς, seu ψακὰς, *feiner Staubregen*) arte nunc ignota ore (unde hoc?) inspergit dominæ crinibus. Ornatrices rarum ac parvum aquæ solent mittere, ac velut ψεκάζειν, minutum, seu rarum pluere; vet. Schol. *Psecas* dicta a ψεκάζειν, ut *Plecusa* Martial. II, 66, 4, a πλέκειν. Cf. Spanhem. l. l. Reines. Inscr. I, 89, et quæ ibi disputat, p. 125, 126, de arte puellæ ornatricis, seu comptricis (κομωτρίας, κομιστρίας, κομπτρίας, πλεκτρίας, κοσμωτρίας), capillis balsamum aut odoratos pulveres, medicatos succos, etc., instillantis, eosque apte disponentis.

[1] Conf. IX, 22 seq. Ovid. Art. Am. I, 77 seq. III, 635 seq. Ouzel. et Elmenh. ad Minuc. p. m. 237; Alex. ab Alex. VI, 8; inpr. Joseph. Antiq. XVIII, 4, et 10. *Inachidos limina* dixit Martial. XI, 48, 4.

[2] Vide Joseph. et Bottiger, locis laudatis.

Var. 491. *Nuda humero*, 1, 10, 11, 12, 14, 20, 21, 22, 24, 54, 55, 70, 75, 76, 82. *Nuda humeros*, 15—19, 23, 25, 26, 27, 45—50, 56—69, 71—74, 77, 85, et XIX Codd. Paris. unde recepit Ach. Conjicere possis *nudo humero* ob seq. *nudis mamillis* aut *nuda humerum*. — *Phecas*, 18 a m. pr. 19, 21 a m. pr. 24, 26, 32, 46, 56, 85. — *Pheca*, 20, a manu prima. — *Fecas*, 19. — *Phecax*, 45. — *Secas*, 16. — *Seccas*, 15. — *CYE-Rac*, 22. Ed.

Not. 492 seq. Confer. Martial. II, 66. — *Altior hic quare cincinnus* (apud Martial. *comarum annulus*, ut infra vs. 496, *orbis*), verba dominæ increpantis servam. — *Taurea* non nomen matronæ a *tauri* feritate fictum, sed scutica e corio taurino. — *Punit*. Martialem vide, lib. II, Epigr. 66, qui hunc locum pariter exprimit. Ed.

Not. 493. *Crimen*, quasi grave peccatum commiserit Psecas. — *Capilli* non bene, apte et æqualiter *flexi*, non decenti inflexione crispati.

Var. 494. *Non* pro *quænam*, 16, 85. — *Hic est*, 23. *Est* non exstat in 21, 24. *Hæc culpa*, 45.

Not. 494, 495. Verba poetæ miserantis ancillam, et dominæ deformitatem deridentis. — *Si tibi displicuit nasus tuus*, hoc est, facies, quam in speculo contemplaris, non placet, quia deformis est, nec pulchra reddi potest arte; unde ira.

Not. 495. *Altera* ancilla *lævum*, a sinistra parte, *extendit*, componit, *comas* confusas. Nota Heïn. est: « Dubitari potest, an hoc usus loquendi ferat. Unum exemplum scio, ubi *lævum* ita usurpatum videtur, Val. Fl. I, 156. Igitur amplius cogitandum censeo. » Sed alia exempla sunt Virg. Æneid. II, 693, et IX, 631. — *Volvit in orbem*; vide supra ad vs. 492, et infra 502.

Var. 496. *Plectitque comas* (h. e. complicat et concinnat in annulos) malebat Ruben. Elect. II, 27; et *flectitque comas* Almelov. ut *comam in gradus frangere* ap. Quintil. *cogere nodo comam* ap. Senec. et *flexilis coma* ap. Val. Fl.

Var. 497. *Concilio*, 85. Vid. ad 473. — *Materna* pro *matrona*, 14, 17, 70, 75, 76, ut sit nutrix a matre data. *Amotaque* vetus Cod. Cadurc. teste Pith. et 85. *Materna amotaque lanis* omnino legendum putabat H. Vales. hoc sensu: quæ matris lanipendia et ornatrix fuit, sed nunc est *emerita*, veterana, et *cessat*. Optime, ut puto. Ed.

Var. 498. *Cesset*, 14.

Not. 497—501. Recte Grangæus: « Satirice, quod matronæ, tanquam senatores, de ornatu capillorum deliberent et sententiam dicant. » Similis jocus IV, 73, et apud Senec. de Brev. vitæ, cap. 12: *Dum de singulis capillis in consilium itur*, etc. — *Matrona* ancilla vetula, ob ætatem usumque peritior, quæ nunc *lanis*, lanificio, *admota* est, facta est quasillaria (vide supra ad vs. 476), postquam *cessavit emerita acu*, hoc est, emeritis quasi stipendiis, propter ætatem et hebetatam oculorum aciem, vacationem accepit a tenuiori ac subtiliori manuum opera, a suendo vel pingendo

acu, vel potius comendo, crispando et componendo crine, ut *acus* sit crinalis vel discriminalis, de qua vide Bottigeri Sabina, pag. 127. Vox *emerita* præclare petita est e re militari et gladiatoria, ut reliquæ, *sententia prima Hujus erit, post hanc ætate atque arte minores Censebunt* e curia vel senatu, in quo princeps senatus senioresque Patres primi *sententiam* dicebant, vel *censebant*, et cæteri ordine rogabantur.

Nor. 500. Tanquam *fama* aut *anima*, ipsa vita, in periculum et discrimen vocetur, vel in discrimine versetur.

Var. 501. *Atque*, 16, 85. — *Tanti*, 10, 15, 22—25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, et XIII Codd. Paris. — *Quærendi est*, 22. *Tanti anquirendi est cura decoris* MS. liber Schegkii (vid. ejus Præmiss. Epist. V) prob. Grangæo, qui et inf. XIV, 223, recte, opinor, legi existimabat, *quæ terraque marique Anquirenda putes*, quemadmodum Stewechius ad Veget. infra XIV, 238. *Divitias anquirere*, quod probabat Plathner tamquam efficacius. Hæ lectiones omnino arridere possunt: nam *anquirere* est circum circa, ubivis quærere; idemque verbum etiam significat investigare, inquirere, cognoscere in judicio, quæ notio h. l. aptissima. Malim tamen *Tanta anquirendi*, vel *inquirendi cura*, vel *est cura decoris*. At vulgatam non sollicitandam censet Hein. quum *quærere* sæpissime sit *cum cura, magno labore, studio quærere*, de quo vid. Burm. ad Petron. c. 19.

Nor. 502. *Tot ordinibus*, vel gradibus cincinnorum cirrorumque *premit caput, tot compagibus*, cincinnis, cirris, in nodum collectis, tabulatis quasi et contignationibus (*Etagen*), *altum*, alte, *ædificat*, quod κατακρηστικῶς καὶ σκωπτικῶς dicitur. Cf. ad XIII, 165. Grang. «Antiquæ, inquit, matronæ crines ad verticem capitis convolutos habebant et aggestos quasi in turrim aut metam in primore parte capitis.» Talis structura vel strues capillorum, a fronte in verticem reductorum et in gradus formatorum instar turris et coni, dicitur *nodus* et *tutulus*, Luciano ἐπανάστασις τριχῶν, Statio Silv. I, 1, 113: *celsæ frontis honores suggestusque comæ*; Lucan. II, 358: *corona matronæ*; Hebræis Syrisque בִּנְיָן ædificium, et (quod græcus Thucydidis interpres, a Scriverio laudatus, docet) κρόβυλος in viris, in feminis κόρυμβος et σκόρπιος in pueris. Conf. Bottigeri Sabina, pag. 64, 108, 114, 127, 131, 135 seq. ed. pr. Hoc est *alienis capillis turritum verticem struere* apud Hieron. ad Demetriad. 130, sect. 7; *Turritum tortis caput accumulare in altum Crinibus* apud Prudent. Psychom. 183; *comam in gradus* et *orbes formare*, *volvere* (supra vs. 495), *frangere, sinuare*; et *tortos in fluctus ponere crines* apud Manil. V, 147. Conf. laudata ab Henninio verba Tertull. de Cultu fem. et Marc. Capell. de Nupt. IV. Optime tamen mens poetæ percipietur e numis, ex quibus Ach. colligit, hanc satiram regnantibus Trajano et Hadriano in lucem prodiisse.[1] —

[1] Conf. Valesiana, pag. 99 seq. vel notæ H. Valesii in Juvenalem (in qui-

Ædificat caput altum tot compagibus, ut fere *Corpora ædificant celeri crescentia nexu* apud Claudian. XVIII, 321. — Hæc ita transtulit *Boileau*, Sat. X, vs. 193:

« Et qu'une main savante, avec tant d'artifice,
« Bâtit de ses cheveux le galant édifice. » Ed.

Not. 503 seq. Mulier, cui ita in priori capitis parte crinis in formam turris alte structus est, *a fronte* videtur esse procera, ut *Andromache*, uxor Hectoris. [1] — *Post*, hoc est, a tergo, aversa, *minor est*, ut *aliam credas*. Similiter Mart. XIV, 122, de pumilione :

Si solum spectes hominis caput, Hectora credas :
Si stantem videas, Astyanacta putes.

Quæ poeta h. l. asperioribus facetiis perstringit, nostris quoque temporibus ridendi occasionem dabunt.

Not. 504 seq. *Cedo*, dic, quid credas? quid deinde? vel, quanto magis scil. *aliam credas*, *si breve*, etc. German. verterem : *wie, wenn sie gar von Natur sehr klein oder verwachsen ist?* Hæc interpretatio firmatur simili loco, XIII, 210. Hinc vs. 507, interrog. signum posui. [2] Staturæ brevitas facete mox adumbratur, vs. 506, et inpr. vs. 507. — *Virgine Pygmæa;* conf. ad XIII, 167. — *Cothurni* calceamenta sublimiora subere conserta, quibus multi, ut grandiores fierent, inpr. tragœdi (ut comœdi *soccis*), utebantur, augustam referentes deorum heroumque speciem : unde etiam stilus tragicus, vel grande dicendi genus, ipsaque tragœdia *cothurnus* dicitur infra vs. 634; VII, 72, et XV, 29.

---

bus docet, in numis conspici Trajani imp. uxorem, Plotinam, et sororem Marcianam, hujusque filiam Matidiam, nec non Sabinam, Hadriani conjugem filiamque Matidiæ, habentes a fronte in modum turriculæ vel turbanti capillos admodum elatos, et in altum suggestum exaggeratos, retro autem depressos et plexos, vel in varios orbes volutos; hunc vero morem non nisi Trajano imperante, et deinde XL circiter annos (in aula) durasse et damnatum ab Annia Galeria Faustina, Antonini Pii uxore, ut invenustum, nec postea repetitum esse), Æneæ Vici Imagg. Augustarum, Bartholin. de Inaur. Vett. p. 9—12. Junius de Com. 7; Salmas. ad Tertull. Pall. p. 246, al.

[1] De qua vide Eurip. Androm. Ovid. Art. Am. II, 645 seq. III, 777 seq. et al.

[2] Verba obscura, quæ alii sic interpretantur: Da et concede hoc parvis illis mulieribus, permitte et indulge, ut altiores videantur ac videri velint, ut naturam arte corrigant, si brevioris sint staturæ. Alii ita: Et quidni illa alia videatur a fronte, quam a tergo, *cedo* enim et dic, an non alia videri queat, quum a natura parva sit et brevis? Britann. « *Cedo*, hoc est, dic mihi, quomodo faciat, tam brevi statura, quum maritum vult osculari? erigit se in plantas. » Nihil horum satisfacit: nam sententiæ illæ vel languent, vel ex verbis poetæ perperam eliciuntur; et *cedo* neutiquam significat *concede*. Vide Lexica.

Var. 504. *Aliam credas*, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 77. — *Cito* pro *cedo* conj. Schrader.

Var. 506. *Subnixa cothurnis*, 77. *Adjuncta cothurnis* vetus liber Sciopp. qui in Veris. IV, 10, id multoe legantius esse judicat, confertque verba Cicer. *quis meum generum alligavit gladio?*

Var. 507. *In oscula*, 77.

Not. 507. *Ad oscula* non tam mariti, quam mœchi; ut eum osculetur. — *Levis*, agilis, ἐλαφρὰ, κούφη.

Var. 508. *Interea cura*, 15, 16, 27, 46—50, 54, 55, 57, 58, 64.

Not. 508. Mulier talis, quæ et adultera est et cultus studiosissima, nullam mariti rationem habet, vel sumptuum, quos facit, et *damnorum*, quæ patitur: dum se ornat et mœchatur, non curat rem familiarem. — — *Vivit tanquam vicina marito*, non conjux ejus esset. Conf. ad vs. 141. Cl. *Boissonade* ad Nicetam, V, 297, p. 271: Sic Longus, III, p 77, 20: Ἦν δέ τις αὐτῷ γείτων, III, pag. 92, 67: νέος εἰμὶ καὶ γείτων ὑμῖν ἄμεμπτος, Nicetas l. l. σατράπης αὐτῷ, et VI, 99: αἰχμάλωτος Κρατύλῳ. » Ed.

Var. 509. *Vicina marito*, 10, 12, 14, 15, 18, 19, 23—27, 46—50, 54—61, 63—69, 74, 77, et XIV Codd. Paris. ex quibus hanc lectionem nunc substitui cum Ach. pro vulg. *vicina mariti*.

Not. 510—511. Festive et σκωπτικῶς poeta dicit: *Hoc solo propior est*; hoc est, ostendit, se uxorem, non vicinam esse, et in iisdem ædibus habitare, *quod amicos et servos conjugis odit*, eique *gravis est rationibus*, multis expensis. Conf. Var. Lect.

Var. 511. Nimis abrupta est oratio, et unus forte alterque versus excidit culpa librariorum. Verba enim *gravis est rationibus* ne copula quidem reliquis junguntur, et in extrema hujus versus parte repente, sine ulla transitus nota, progreditur Juvenalis ad aliud argumentum, quodque copiosissime omnium, usque ad vers. 592, pertractatur.

Anal. 511—592. Aliud feminarum vitium est nimia propensio ad stultam cujuscumque generis superstitionem, quam potissimum peperit futurorum scrutandorum et præsciendorum cupiditas, qua homines omni ævo flagrarunt. Qua ratione et quo ordine singula hujus rei momenta tractaverit poeta, Henninius jam docuit his verbis: « Subtilissime ab hoc versu usque ad vs. 592 traducit omne genus divinationum, quæ in usu erant apud Judæos 542—550, Armenios et Syros 550—552, Chaldæos 553—571, Ægyptios, quorum mirificam superstitionem obiter exagitat 572—581, Phrygas 582—592, Indos 592; perstringit Romanorum Bellonarios 511, 512; Græcorum Gallos Magnæ Matris, 514—541; hi enim populi, quos modo dixi, maxime divinationum erant studiosi. Ridet lustrationes cujuscumque generis et expiationes 518—529; noctes viduas diebus sacris 535, 536; preces meditatas vel et cum lacrimis fusas 539;

sacrificia 541, 542; procurationem fulgurum 587; quin immo per satiram etiam adoritur revelationes sacras 544, 545; dein enthusiasmos 511, 512; somnia et prædictiones ex illis 530, 531 : extispicinam, haruspicinam, ubi obiter impia homicidia ad expiscanda futura notat 549—553; auguria et auspicia 585. Satirica hinc bile perfundit oracula in genere, speciatim Hammonis Libyci et Apollinis Delphici 554—556; Mathematicos 557—560, Apotelesmaticos 569—571, Astrologos 572—581, Ophthalmomanticen 578, 579, Medicos, qui medicinæ astrologiam accommodant 580, 581, sortes, metoposcopos, chiromanticen 583, 584. Paucis, omnem Gentilium religionem subsannat, quam acutissime ad ineptas superstitiones, in quas sequior sexus est proclivior, refert, et summa styli acrimonia omnes etiam absurdissimas aliarum gentium superstitiones Romam, tanquam in sentinam, confluxisse indignatur. » De iisdem superstitionibus earumque caussis et classibus vide inpr. Heyne in Opusc. Academ. vol. III, pag. 203 seq. 270 seq. 291, et 312 seq.

Not. 511 seq. De sacris *Bellonæ* et Bellonariis conf. IV, 123 seq. et loc. class. Tibull. I, 6, 43 seq. ubi vide Heyne. Similia erant sacra Magnæ *Matris Deum*, seu Cybeles, similesque Bellonariis ejus sacerdotes, Galli. Epitheton *furentis* et Bellonæ et Matri deorum, earumque sacerdotibus, sacrisque fanaticis aptum est. — *Chorus* sacerdotum *Ecce intrat*: facete poeta, de sacris fanaticis locuturus, ipse quasi enthusiasmum et tam vividos excelsosque phantasiæ sensus concipit, ut coram cernere jam omnia sibi videatur; quæ etiam abrupti forte transitus caussa est. — *Intrat* ædes feminæ, arcessitus ab ea, ut consulatur: nam sacerdotes Bellonæ; Cybeles, Isidis, etc., a superstitiosis hominibus consulebantur.

Not. 513. *Semivir*, eunuchus (ut *semimares* apud Ovid. Fast. IV, 183), *ingens*, Archigallus, antistes sacrorum, Gallisque præfectus. — *Ingens* et corpore, et auctoritate ac veneratione: vide supra ad vs. 374. — *Facies*, persona, *reverenda minori obscæno*, reliquis Gallis, dignitate inferioribus: unde *minori*.[1] — *Obscæni greges* dicuntur Galli Ovid. Met. III, 537, et *viri molles*, *obscæni* ac *semiviri* junguntur Liv. XXXIII, 28.

Var. 514. *Rupta* restitui pro *rapta* ex 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 77, probante Plathnero, qui tamen quoad sensum ad *genitalia* hanc vocem referendam putabat, non ad *testam* Samiam, quæ acuta fuerit. Sed illa notio jam verbo *secuit* exprimitur, et *rupta* s. *fracta testa* etiam acuta esse potest. *Fracta* malebat Ramir. ad Martial. III, 81, quod tamen synon. est. *Rubra* (sc. Samia) conj. H. Vales.

[1] Male vetus Schol. « quia *minorem* penem habet. » et Bahrdt. *ehrwürdiger durch den obscönen Stampf*; etsi *obscænum* (cil. membrum virile dicitur Ovid. Fast. lib. VI, vs. 631, et Justin. lib. I, cap. 6.

Not. 514. Vide ad II, 116. — *Testa* Samia (de qua vide ad XVI, 6) citra perniciem Gallos sibi virilitatem secuisse tradit Cœlius apud Plin. XXXV, 12, seu 46, extr. (ubi vide intpp.), at *ferro* Lactant. V, 9; *saxo acuto* Ovid. Fast. IV, 237 seq. Catull. LXIII, 5: *Devolvit illa acuto sibi pondera silice*, hoc est, cultello lapideo. Conf. Scalig. ad Auson. II, 12, et verba Lucilii, lib. VIII:

> Testam sumit homo Samiam, sibique illico telo
> Præcidit caulem, testesque una amputat ambo.

Conf. Var. Lect. et ad II, 116.

Not. 515. *Cui* Archigallo *cedunt*, ob summam dignitatem, sanctitatem ac reverentiam, adeoque eum vel venerantur vel sequuntur, dato ei primo loco, *cohors* reliquorum sacerdotum, Gallorum, *rauca*, ob continuum clarumque cantum, ut supra I, 2 (conf. ad VIII, 59), vel potius propter acutam exilemque vocem: quæ cur eunuchis ac mulieribus sit, docent Macrob. Sat. VII, 10, Aristot. et al.

Not. 516. *Plebeia tympana*, sacerdotes minores vel inferioris ordinis, tympana pulsantes, more Gallorum in sacris Cybeles. — *Tiara*, ut *mitra*, passim dicitur fascia et diadema, ut et X, 267 (de cujus figura vide ad VIII, 239), sed h. l. *tiara Phrygia* est pileus, de quo fimbriæ seu fasciæ pendebant, quibus sub mento constrictis *bucca vestitur*, malæ ac tempora obducuntur, seu operiuntur.[1] Galli autem sacerdotes erant deæ Phrygiæ.

Var. 517. *Aut Austri*, 16.

Not. 517—521. Archigallus, a muliere consultus (more superstitiosorum hominum), jam oraculum edit, in quo magna minatur mala, ab irato numine mox peccatoribus immittenda, hortaturque, ut ira Deorum tam donis ac muneribus, quam expiationibus lustrationibusque mitigetur. Similiter vaticinatur sacerdos Bellonæ apud Tibull. I, 6, 51 seq. et oracula eduntur apud Aristoph. in Equitibus. Eamdem vero superstitionem Seneca de Vita beata, cap. 27, ita irridet: Quum sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur, quum aliquis secandi lacertos suos artifex brachia atque humeros suspensa manu cruentat, quum aliqua genibus per viam repens ululat (ut infra vs. 525), laurumque linteatus senex et medio lucernam die præferens conclamat, iratum aliquem deorum; concurritis et auditis, et divinum esse eum, invicem mutuum alentes stuporem, affirmatis, etc.» — *Grande sonat*, ut *conclamat* apud Senec. l. l. Conf. ad vs. 485. Britan. non ad vocem claram refert, sed ad faciem rei horrendam, ut sit, miranda prædicit et grandia; more Gallorum sacer-

[1] Vide Heyne ad Virg. Æneid. IV, 216; VII, 247; IX, 616; Burm. ad Valer. Flac. VI, 700; Salmas. Exerc. Plin. pag. 556; Gesner. ad Claudian. in Rufin. I, 198, et locum Hieron. in Gesnerii et Schelleri Lexic. laudatum.

dotumque Ægypti, qui per Urbem cum insignibus suis vaticinantes, fanatico carmine talia populis ventura minabantur. Possis etiam ad grandiorem vaticiniorum orationem referre. Præclare autem et facete vs. 517—521, designatur versuta Archigalli similiumque sacerdotum avaritia ac fraus, qui morborum aliorumque malorum imminentium metu terrent superstitiosas mentes, suadentque, ut iræ numinis sedandæ caussa dona ac munera diis, vel, quod idem sit, sacerdotibus eorum dent. Religionem sacerdotum omnibus profecto temporibus eamdem fuisse, notat Bahrdt. — *Grande sonat*, forsan grandes edit ore sonos; grandi voce exclamat, more magorum, ut apud Lucianum, Νεκυομ. c. 9: Ὁ δὲ μάγος δᾷδα καιομένην ἔχων οὐκ ἔτ' ἠρεμαίᾳ τῇ φωνῇ, παμμέγεθες δὲ, ὡς οἷός τε ἦν, ἀναχραγὼν, δαίμονάς τε ὁμοῦ πάντας ἐπεβοᾶτο καὶ Ποινὰς καὶ Ἐριννύας, κ. τ. λ. — *Metui jubet adventum Septembris et Austri*, h. e. auctumni, in quo morbi ac febres grassari solent: vide ad IV, 56. Facilis prædictio rerum, quæ vulgo fiunt, et apta ad designandam vanitatem vaticinii et superstitionis stultitiam. Sed graviores quoque morbos, vel insolentiores, eique mulieri, quæ eum consulit, impendentes divinasse censendus est Archigallus.

Not. 518. *Ovorum* usus erat solennis in lustrationibus et incantationibus; unde apud Lucian. τὰ ἐκ τῶν καθαρσιῶν ὠὰ non edenda, sed foras projicienda; Grang. [1]

Var. 519. *Xerampelinas*, 1, 10—14, 17, 25—28, al. *Xerampellinas*, 15. *Xerapellinas*, 23, 45, 60, 65. *Xerapelinas*, 18, 56, 69. *Serapellinas*, 16, 19, 24. *Serapelinas*, 20, 21. *Serampelinas*, 22. *Xylampelinas*, h. e. vestes xylinas s. lineas ampelini coloris, adversante metro conj. Britann. coll. Plin. XIX, 1. — *Veteres* 1, 10, 11, 12, 14, 15, 19—22, 25, 26, 31 a. 48, 49, 54—57, 59—63, 65—73, 75—77, 82, 85, et plerique Codd. Paris. *Vestes*, 16, 17, 18, 23, 24, 27, 28, 45, 46, 47, 50, 58, 64, 74. Non male: nam Archigallum novarum magis, quam veterum vestium fuisse cupidum, quis dubitet? At τὸ *veteres* ad modestiam petentis referri potest. — *Illi*, 22, 24. *Donaverit igni* (ut VII, 25, *donare Veneris marito*) indubie legendum putabat H. Valesius. Pulmannus quoque monet, ita legisse Canterum Nov. Lectt. III, 6, ubi hanc notam frustra quæres. Eo tamen respicere videtur nota Voss. ad Catull. pag. 168: « Male vulgo hæc corrigunt, ac si moris fuisset istis Cybeles sacerdotibus, vestes matronarum *igni* cremare lustrationis gratia. »

Not. 519. *Xerampelinæ*, ξηραμπέλιναι sc. vestes, quæ colorem arefacto (ξηρῷ) pampino (ἀμπέλῳ), vel vitis folio similem, adeoque pullum forte, vel subrubrum ac pallidum (Gall. *feuille-morte*) referebant. Alii: vestes

[1] Vide ad V, 85; intpp. Ovid. Art. Am. II, 330; Lakemacheri Antiq. Græc. sacr. pag. 477; Brodæum Misc. I, 25; Mitscherl. ad Horat. Epod. V, 19 seq. et Kœnig. ad Pers. V, 185. Quæ ova non foris projiciebant, ut mos ferebat, sed e conspectu ablata ipsi sacerdotes manducabant; Ach.

coloris siccæ rosæ, qui Gall. *rose sèche* dicitur, nec multum differt. Vetus Schol. vestes *ampelini* coloris, qui inter coccinum et muricem medius est. Suidas in voc. Ἀτραβατικάς de Romanis: Ἐν ταῖς ἑορταῖς καὶ τοῖς ἐπινικίοις, καὶ παρόντων πρέσβεων, ἐνεδύοντο χιτῶνας καὶ χλαμύδας ποικίλας, ἀπὸ χρυσοῦ καὶ πορφύρας, καὶ ἄλλως πως πολυτελεῖς, ἐν δὲ ταῖς κοιναῖς συνόδοις ξηραμπελίνας τὸ χρῶμα, ἃς ἐκάλουν ἀτραβατικὰς ἀπὸ τοῦ χρώματος· τὸ γὰρ μέλαν, ἄτρον καλοῦσιν· ἢ ὅτι μετὰ τραβαίας ταύταις εἰώθασι χρῆσθαι· τραβαῖαι δὲ λίγονται αἱ πολυτελεῖς χλαμύδες. — *Veteres;* conf. Var. Lect. — *Donaverit ipsi*, Archigallo.

Not. 521. En astutiam sacerdotis, qui superstitiosis mulieribus, quæ et stupidæ vulgo sunt et credulæ, facile persuadet, omnia infortunia, ipsis impendentia, in has vestes derivatum iri, et sic *totum annum*, hoc est, totius anni peccata *expiata* esse *semel*, hoc uno munere, ita ut jam in totum annum libera ipsis denuo sit peccandi potestas. — *In tunicas* has *eat* forte per risum dixit poeta pro, tali donatione avertatur: is certe verborum sensus est. At ipsa hæc oratio ab ingenio talium præstigiatorum non abhorret. Grangæus, coll. Ascon. ad Orat. Cornel. pr. et Festo in voc. *Pilæ*, putabat, hæc dicta esse ex ritu Romanorum, qui effigies et simulacra habuerint circum Lares in unaquaque domo, ut, si quid mali accideret, dii in ea rejicerent. At Voss. ad Catull. pag. 168, hæc notavit: «Vestes illas ipsimet Galli induebant, ut pote qui exsectis virilibus illico habitum virilem muliebri permutarent: unde in antiquis marmoribus passim Galli visuntur in stola muliebri, quod et de deæ Syriæ Gallis tradit Lucianus. Habitus autem Gallantium erat lugubris; et *xerampelinum* colorem Plinius rectissime *pullum* interpretatur.»

Not. 522—530. Nihil non mulieri suadent superstitio et astutia sacerdotum. — Genus hoc lustrationis notissimum ex Pers. II, 15, 16; Hor. Sat. II, 3, 290 seq. et al. — *Hibernum*, congelatum. Ipsa quoque hieme fluvio mergi non recusabit mulier, et *abluet timidum caput*, hoc est, se ipsam, cui superstitio ac versutia sacerdotum timorem incussit.

Not. 523. *Mergetur Tiberi matutino*, hoc est, matutino tempore, ut *mane* apud Pers. et Horat. ll. ll. Nam homines cum diis acturi, aut sacra iis facturi corpus totum, saltem manus, aqua, vel marina, vel fluviali, vel fontana, abluere solebant (quo ritu adumbratur purgatio animi a vitiis), et ipsa nox polluere credebatur. [1] — *Ter*, ut apud Pers. l. c. Virg. Æneid. VI, 229; Ovid. Met. VII, 261, et Lucian. Νεκυομ. c. 7, et al. Hujus quoque numeri et mystica fuit vis, et vulgaris usus apud poetas. [4]

---

[1] Conf. Prop. III, 10, 18, et Kœnig. ad Pers. II, 16.

[2] Hinc nolim cum Hennin. hæc referre ad τριῶν βαπτισμάτων ritus feminarumque conversionem ad nomen Christi; neque vs. 535 seq. ad ὅθεν Ἰουδαίων, ὡς καὶ τὸ πολλάκις ἐπὶ κοίτῃ (post coitum) βαπτίζεσθαι, apud Clement. Alexandr. Strom. IV, et Levit. XV, 18.

Var. 524. *Verticibus*, 17, 45, 85, recte forsan pro *vorticibus*, quæ antiqua est scriptura, ut *vorsus*, *vortere*, etc. Falsum certe est, *verticem* dici cujusvis rei summitatem, κορυφὴν, *vorticem* vero aquam fluvii, omnemque aliam rem in orbem actam, δίνην seu δῖνον. Quintil. Inst. Or. VIII, 2, 7, « Vertex, inquit, est contorta in se aqua, vel quidquid aliud similiter vertitur : inde propter flexum capillorum pars est summa capitis; et ex hoc, quod est in montibus eminentissimum. Idem tamen memorat I, 7, 25, Scipionem Afric. primum fuisse, qui pro *vortice* dixerit *verticem*. Conf. intpp. Virg. Æn. I, 117; VII, 31, 567; Heins. ad Valer. Fl. VIII, 332, et Cellar. Orthograph. lat. t. II, p. 85, ed. Harles. — *Tumidum*, 20, 46—49, 57, 58, 77. — *Abluat*, 16, 22, 85. — *Abluit*, 54, 58.

Not. 524. Cl. *Ruperti* in Addendis notat huc revocandam esse Weicherti notam ad C. Valerii Flacci Argon. lib. VIII, Misnæ, 1818, p. 33, 34; quæ est hæc: « Scripturam *vortex* antiquioribus, *vertex* recentioribus, Ovidio, et qui post eum vixerunt, vindico: in multis enim verbis observare licet graviorem et sonantiorem eorum pronunciationem et scripturam transiisse in leniorem suavioremque, atque principem in poetis et antesignanum esse Ovidium. » Conf. quoque apud Virgil. nostræ edit. in Var. Lect. ad loca in Indice designata. Ed.

Not. 525—526. Hunc superstitiosorum ritum memorant etiam Tibull. I, 2, 85; Seneca loco sup. ad vs. 517, adscripto, et Joh. Mabilius, a C. Valesio laudatus, in Itin. Ital. p. 50 : « Vidimus haud raro mulieres reptando in genua non solum ad Scalam sanctam, ad quam vix unquam aliter adscenditur, sed etiam ad sanctam Mariam majorem et ad Basilicam, quæ Ara Cæli dicitur, ex vicinis domibus progredi. » Minus apte comparant Ovid. Fast. VI, 397—412. — *Regis* Tarquinii *Superbi agrum* inter Urbem ad Tiberim, consecratum Marti, unde campus deinde Martius fuit; quod vel tironibus notum e Liv. II, 5. — *Totum agrum erepet*, quo ridicula superstitionis vanitas augetur. — *Genibus cruentis* rependo super arenam, lapides, etc. — *Nuda;* vide ad vs. 159.

Not. 526. *Candida Io*, Inachi filia, in *candidam* vaccam a Jove mutata, quæ in Ægypto, recepta forma humana, nupsit Osiridi regi, post mortem vero in deos relata est, et *Isis* appellata, symbolum fecundantis et alentis Ægypti. Fabula notissima vel ex Ovid. Met. I, 588—747, de cujus origine et indole vide Heyne ad Apollodor. II, 1, 3, et *Creuzer's Symbolik*, tom. I, pag. 309, 349, 355; tom. II, pag. 157, 384; tom. IV, pag. 17 seq. 31, 91, 239—256. — *Candida Io;* vide Ovid. Met. I, 743. Hoc epitheton ad pulchritudinem, vel ad vestes lineas Isiacorum sacerdotum (conf. vs. 583) referendum putabat Brit. Conf. Broekhus. ad Tibull. I, 3, 31. — *Si Io*, hoc est, Isis, *jusserit* scil. per sacerdotem, qui hoc mandatum sibi per somnium a dea datum esse mentitur. Conf. vs. 530, 531. Nam aliæ nunc superstitiones ridentur, earumque auctores, sacerdotes Isiaci seu Isidis, qui non minus versuti præstigiatores, quam Bellonarii, Galli, etc. erant, et fraudulenti conjectores, hoc est, somnio-

rum interpretes (conf. Cic. Div. I, 58), quique recte *sacrificuli vanæ superstitionis* dicuntur Suet. Domit. c. 1.

VAR. 527. *Fines*, 26. — *Calidasque*, 7, 10, 12, 14—22, 24, 25, 27, 29, 45—50, 54—67, 69, 71—74, 85.

VAR. 528. *In æde*, 61, 62, 66, 67, 68, 71—74.

NOT. 527 seq. Grangæi interpretatio forte non repudianda : quamvis Romæ in templo Isidis non vera sit Nili aqua, qua Ægyptii utuntur in hujus deæ templis, sed tantum simulata (vide Virg. Æneid. IV, 512, ibique Serv. et Cerda), tamen, *si Io juberet*, mulier hæc religiosa, seu potius superstitiosa, vel ipsa (pedibus) *ibit ad Ægypti finem* eam petitura. Alio sensu hæc verba esse capienda putat Ill. Bottiger in Sabina, p. 184, 211, 212, ed. pr. ubi dicit, sacris Nili aquis magnam olim vim adsignatam, easque propterea ex Ægypto Romam et aliorsum fuisse delatas (vide *Maillet, Description de l'Égypte*, tom. I, pag. 29), cultores vero Isidis, templum deæ ingressos, aqua lustrali se ipsos ædemque adspersisse, aut a sacrificulis adspersos esse (vide Casaub. ad Theophr. Char. XVI) : fingere itaque poetam, Isidis cultricem eo superstitionis progredi, ut ab Ægypto arcessat, aut ipsa potius petat aquam Nili, et quidem eum tantum in finem, ut *in ædem* statuamve Isidis spargat; neque eam magis superstitiosam fuisse, quam reges Persarum, qui aquam Choaspis in quovis itinere secum duxerint, de quo vide Brisson. de regno Pers. I, pag. 59. Sed hæc interpretatio non differt a nostra ; aquas autem Nili Choaspisve *propter insignem earum vim aut arcanam* a superstitiosis olim petitas esse, vix crediderim. Reges certe Persarum secum duxisse Choaspis aquam, quia fuerit levissima et suavissimi saporis (ὕδωρ ἀλαφρότατον καὶ ἡδιστον), tradunt Herodotus I, 188, et Ctesias apud Athen. II, 6 (23), pag. 45. Hinc et *Nili aqua* a multis petita, et tum Berenicæ a Ptolemæo Philad. patre, tum regi Persarum, et huic quidem tributi loco (vide Athen. loc. l. et II, 25 (74), pag. 67, et Plut. Vit. Alex. pag. 686, D.), missa videtur, non propter magnam sacramve vim, quæ olim ei tributa sit. Firmatur hæc conjectura verbis Senec. Nat. Quæst. IV, 2, extr. « Quare Nilus dulcis est, si illi e mari unda est? Nec enim ulli flumini dulcior gustus. » Non ignoro quidem, in ejusdem Senec. Nat. Quæst. III, 25, hæc legi : « Quorumdam caussa non potest reddi.... quare aqua Nilotica fecundiores feminas faciat, adeo ut quarumdam viscera longe sterilitate præclusa ad conceptum relaxaverit; quare quædam in Lycia aquæ conceptum feminarum custodiant, quas solent petere, quibus parum tenax vulva est. Quod ad me attinet, pono ista inter temere vulgata. » Ea tamen huc non referenda. — *Ibit* non modo in Ægyptum, sed etiam *ad Ægypti finem*, quin ultra aut supra Ægyptum, ubi *Meroe* sita est. — *Meroe*, quæ aliis insula maxima Nili in Æthiopia, cujus urbs ejusdem nominis regia fuit sedes (vide Strab. I, 75, et pag. 1134; Herod. II, 29; Diod. I, pag. 38; Ptol. IV, 8; Plin. II, 75;

V, 9; VI, 29, 35), aliis peninsula dicitur,[1] est hod. *Atbar*, quæ provincia maximam regni Sennaar, et minorem Habessiniæ partem versus meridiem complectitur, et non prorsus quidem et semper, sed pluvio tempore tota fluviis restagnantibus, Tacazzé seu Atbar (Astabora), Nilo ejusque brachiis, cingitur. Docte et copiose de ea disputavit Heeren in *Ideen über die Politik u. s. w.* tom. II, P. I, pag. 363—452, ed. III. — *Calida Meroe*, ut *calida Coptus*, XV, 28, aliaque oppida Æthiopiæ et Ægypti, terrarum in Oriente sitarum; vel *Nilus tepens*, seu *tepidus*, irrigans tepentem Ægyptum, X, 149; Prop. II, 43, 3; Claudian. XV, 476; Lucan. III, 199; VII, 823. — *Ut spargat in ædem Isidis;* ut apud Tac. Ann. XV, 44, aqua ex proximo mari hausta *templum et simulacrum deæ* Junonis *prospersum est.*

Not. 529. Vetus Schol. «In Martio campo templum Isidis vetustum, proximum ovili (hoc est, ei loco), ubi Romulus et pastores adsueverant pecora pascere; aut regiam dicit Romuli, ut (leg. aut) palatium.» Alii *ovile* h. loc. dici putant *septa*, hoc est, locum in campo Martio, in quem coibant in comitiis, quibus suffragii jus erat, ut apud Liv. XXVI, 22; Lucan. II, 197, et al. Non male: sed quoniam *antiquum* vocatur *ovile*, cum Britan. et aliis accipere malim de eo loco campi Martii, ubi priscis temporibus ovilia fuerint Tarquiniorum, et postea, horum agro Marti consecrato, septa sint exstructa. *Antiquum* itaque *ovile* poeta dixisse videtur facete, quia campum Martium supra vs. 525, *agrum regis Superbi* vocaverat. — *Surgit* doctius quam *est*, ut passim. Nam *surgere, exsurgere, exstare, existere, erigi* et *attollere se* dicuntur montes, aggeres, muri, columnæ, ædificia, quæ alta sunt, vel quasi emergunt et eminent, vel conspiciuntur.[2]

Var. 530. *Moveri*, 16, 24, 45, 46, 48, 49, 57.

Not. 530. *Credit enim* mulier superstitiosa, quæ et credula esse solet, quod astutus sacerdos comminiscitur, *se moneri voce ipsius Dominæ*, Deæ, Isidis; quia per somnium id sibi deam indicasse ac jussisse fingit sacerdos, et hujus vox ipsi oraculi instar divini est, vel deam per eum loqui putat. *Domina*, ut δέσποινα, etiam passim dea dicitur.[3] Vocabulum est honoris, ut *regina, rex, mater, pater.* — *Monere* et *monita* vocabb. propria de oraculis, diis ac vatibus, qui vel somniis, vel prodigiis aliisque signis voluntatem suam et futura significant.[4] — Eadem fere, quanquam alio sensu expressit *Boileau*, Sat. X, vs. 610:

---

[1] Vid. Hard. ad Plin. V, 9, s. 10, et *d'Anville*, *Mémoires sur l'Égypte*, tom. III, p. 51.

[2] Vide Burm. ad Ovid. Met. II, 264, et Drak. ad Liv. XXV, 21.

[3] Verbi caussa, Ovid. Art. Am. I, 148; Virg. Æneid. III, 113, 438; Prop. III, 4, 31.

[4] Vide Heins. ad Ovid. Met. XIII, 216; Broekhus. ad Tibull. I, 6, 50;

« Alors, croyant d'un ange entendre la réponse,
« La dévote s'incline, et calmant son esprit,
« A cet ordre d'en haut sans réplique souscrit. » En,

Var. 531. *Loquuntur*, 12, 18, 22, 24, 25, 46—50, 54—60, 62, 65—69, 71—74, 85.

Not. 531. Ἐπιφώνημα εἰρωνικὸν, q. d. scilicet vel utique dignus est talis sacerdos, quocum dii nocte loquantur!

Not. 532. *Ergo*, quia cum ipsa dea eum colloquia habere existimant mulieres superstitiosæ, præcipue illum colunt.

Var. 533. *Lanigero*, 1, 9, 11, 12, 14—24, 27, 45, 85, paucissimi Codd. Paris. et duo Pithœi, qui id male probabat. Vetus scholion est: « *lanigero;* sic enim symmystæ, quando Osirim quærunt. »

Not. 533. *Qui*, antistes forte vel princeps sacerdotum Isidis. — *Grege*, choro sacerdotum Isiacorum, qui et *linigeri* erant, vel lineis vestibus induti (ut ipsa Isis, quæ regina Ægyptiorum fuisse videtur, eosque lini usum docuisse), et *calvi*, capite raso; unde

Linigeri fugiunt calvi sistrataque turba,

apud Martial, XII, 29, 19. [1] Caussas utriusque rei pete ex Plut. de Iside et Osirid. (Opp. tom. II, pag. 352, ed. Frft. vel tom. VII, pag. 390, ed. Reisk.), in quo libello de utroque Ægyptiorum numine et de *Anubi* copiosissime disputatur. — *Anubis*, Osiridis vel Typhonis filius, perpetuus Isidis et Osiridis, hoc est, lunæ et solis, comes atque custos, factus nuntius inter Superos et Inferos (ut Mercurius et Ἑρμῆς Græcorum), qui symbolice horizontem, sive ortum occasumque solis designabat, et quasi janitor cæli et ostiarius erat, qui soli in hemisphærium nostrum ingredienti januam quasi aperiret, eumdemque abeuntem in hemisphærium inferius emitteret: unde capite etiam canino effingebatur, quia canis olim ædium januis tanquam ostiarius, vel custos ac vigil addebatur, hujusque symbolum erat. Quod caput caninum, ejus effigies, humeris sacerdotum impositum per urbes circumferebatur. [2] Hoc loco innuitur summus Isidis sacerdos, qui personam *Anubidis* sustinet, forte ut risum moveat, vel quod derisoris partes agit. Alii rationem inde petunt, quod sacerdos vel sta-

III, 4, 2; Burmannum ad Valer. Flacc. I, 29, 231, et ad Ovid. Met. II, 639 al.

[1] De illo vide Broekhus. ad Tibull. I, 3, 30, et Heins. ad Ovid. Art. Am. I, 77, de hoc Casaub. ad Lamprid. Commod. c. 9; Ferrar. Elect. II, 13; Hieron. ad Ezech. XLIV, 29; Ouzel. et Elmenh. ad Minuc. pag. 166.

[2] Vide ad XV, 8; Plut. de Iside et Osir. Opp. tom. II, pag. 355 seq. 368, 380, 407; Herod. II, 66, 67; Casaub. l. l. Jablonsk. Panth. Ægypt. lib. V, c. 1; tom. III, pag. 4—14, et 35 seq. Apul. Met. XI, pag. 262, et Apol. pag. 315 ed. Elm. Diod. I, 18, et 87; II, 4; inpr. *Creuzer's Symbolik*, t. I, pag. 293 seq.

tuam Isidis, æque ac Anubis, custodiat, vel nuncius sit inter Isidem et mulieres, ut Anubis inter Superos et Inferos. Henninius h. l. conspiciendam dedit imaginem Anubidis, qualis servabatur in cimeliis Divæ Genofevæ: est figura humana, excepto capite, quod caninum est, ipsoque rictus ductu exprimit, et excutit sannam.[1] — *Currit* per urbem *dorisor*, deridens ipse stultitiam et credulitatem *populi plangentis*, cum luctu et planctu quærentis Apim; de quo vide ad VIII, 29. Poeta forte respexit illa sannæ genera, quæ exprimunt, qui ringuntur, vel risu diducunt rictum, quique linguam exsertant. Utrumque et canibus proprium est, et hoc quidem *currendo* fessis ac sitientibus. Conf. Pers. I, 60, ibique Casaub. Inde elucebit ars et ingenium Juvenalis, superstitionem subsannantis. Alii jungunt verba *grege calvo plangentis populi*. — Sic apud Virg. Æneid. VIII, 692, *latrator Anubis*. Ed.

Not. 535—541. Sensum et sales h. l. recte, opinor, cepit Britan. cujus hæc nota est: « *Ille* sacerdos, qui se cum Iside colloquium habere simulat, *petit veniam* mulieri huic vel uxori admodum superstitiosæ ab Iside, *quoties* illa mulier non abstinet *concubitu* cum marito suo, vel adeo cum adulteriis suis; unde forsan *violato caduco*, lecto, id est, non servata castitate lecti matrimonialis per eos dies ac noctes, quibus sacra Isidis peragebantur: nam tunc nefas erat conjungi marito. — *Et movisse caput*, etc., ironicos; et profecto ipse Osiris precibus sacerdotis adnuit; nam *visa est serpens argentea movisse caput*, id est, adsensisse. — *Illius* sacerdotis *lacrymæ m. m. præstant*, *ut Osiris*, scil. *corruptus* muneribus, *non abnuat veniam culpæ*, crimini mulieris, quæ cum viro concubuit.[2] » Jam videamus de verbis singulis.

Not. 535—537. In sacris Isiacis, ut Bacchi et Cereris, feminæ ac matronæ (ut θεσμοφοριάζουσαι apud Athenienses), novem per dies ac noctes debebant abstinere concubitu, et stramentis incubare in templo, vel pervigilia in eo agere, quod vulgo dicebatur *secubare*, et *in casto Isidis*, vel *Cereris esse*. De quo secubitu vide intpp. Prop. 33 (al. 24), 1 seq. IV, 5, 34; Ovid. Am. III, 10, 1, et Tibull. I, 3, 23, seq. ubi nota Heynii legitur, quæ etiam ad hunc locum transferri potest: « Admodum superstitiosam *uxorem* fuisse necesse est, quippe quæ etiam peregrina sacra coluit; nec id genus animorum adeo alienum ab amore esse aiunt. »

[1] Conf. Apuleius loco laudato, et similes imagines apud Struv. Synt. Antiq. Rom. tab. V, fig. 21; Wilde gem. ant. tab. 31; Gorlæi Dactyl. tom. II, n. 386 seq. et *Montfaucon*, *Antiquité expliquée*, tom. II, P. II, pag. 314.

[2] Ita quoque hunc locum explicuere Voss. Etymol. p. 87, et Salmas. Exerc. Plin. pag. 341, 938 et 1170, nisi quod perperam putarunt, non mulierem, quæ sacris diebus haud abstinuerit concubitu, sed maritum ejus adiisse sacerdotem, ut pro ea veniam peteret, magnaque mercede ac *pœna* culpam illius redemisse.

Nor. 536. *Diebus* tam *sacris* et *observandis* cum reverentia, religiose, pie ac rite colendis; quibus maxime *violatur* castitas lecti matrimonialis. — *Cadurcum* stramentum, seu stragulum, lodix, culcita, ut VII, 221, et deinde totus lectus, ut hoc loco. Vetus Schol. laudavit hos Sulpitiæ versus:

Ne me cadurcis destitutam fasciis

(hoc est, remotis stragulis)

Nudam Calæno concubantem proferat. [1]

Originem vocis docet Plin. XIX, 1: «Nullum est candidius (linum) lanæve similius, sicut in culcitis præcipuam gloriam obtinent Cadurci» in Gallia, quorum regio nunc *Querey*, et oppidum *Cadurcum* olim, Divona, seu Dueona, hodieque *Cahors* dicitur. [2]

Var. 537. *Caduceo*, 11, 12, 14—20, 23, 24, 25, 27, 45—48, 56, 58, 60—63, 65—69, 71, 72, 73, 85. Cod. Pontani (quem vid. ad Macrob. Sat. I, 20), multi Codd. Paris. et libri Pulmanni, prob. Autumno, Mancin. et aliis, ut Anubis designetur, qui, ut Mercurius, læva manu caduceum gerat, de quo vid. Apul. Met. XI, p. 373, vel p. 262, ed. Elm. Male et contra metrum!

Nor. 538. *Movisse caput*, adnuisse capite precibus sacerdotis (ut κατανεύειν κεφαλῇ apud Hom. Il. I, 524 seq. et *adnuisse deam* apud Liv. V, 22); nisi malis, *movisse*, quassasse, *caput* præ ira, ut apud Hor. Sat. I, 5, 58; Virg. Æneid. VII, 292; κινήσας κάρη, Hom. Od. V, 285. Tum minor distinctio post *cadurco* ponenda. — *Visa est*; quod fingit sacerdos. — *Argentea serpens*, simulacrum Isidis in templo. Nam inter varias hujus deæ species ac symbola etiam hæc pertinent, quod vel caput ejus, vel dextrum brachium *serpentibus* cinctum est, vel currus duobus draconibus vehitur. [3]

[1] Eos interpretati sunt Broekhus. ad Tibull. IV, 2, 1, vir doctus in Miscell. Obss. crit. vol. VII, tom. III, pag. 351 seq. et Vernsdorf in Poet. lat. min. tom. III, pag. 96.

[2] Vetus Schol. male: *Membrum mulieris intelligitur, quum sit membri velamen; vel, ut alii, est instita, qua lectus intenditur.* Illam vocis vim notavit etiam Isidorus in Glossis: *Cadurcum* (nam ita leg. pro *cadurdum*) *membrum feminæ*, et *cadurca labra pudendi muliebris aut sponda lecti*; eamque h. l. unice veram esse, contendebat H. Vales. mirans hoc latuisse omnes interpretes. Idem tamen Schol. infra ad VII, 221: «*Cadurcum* quidam cucullum dicunt candidum, propter hiemes et nives comparatum; alii tabernaculum, aut tentorium dixere, quibus merces suas protegere consueverunt.» Conf. Ferrar. de Re vest. IV, 12; Soler. de Pileo § 15, et Voss. Etymol. pag. 87.

[3] Conf. Ælian. Hist. An. Diodor. I; Macrob. Sat. I, 20; Ovid. Am. II, 13, et Met. IX, 693 (ubi vide Heins.); Burm. ad Valer. Fl. IV, 418; Casal. de Rit. vet. Ægypt. c. 24; Patin. Imp. Rom. num. f. 33; Montfauc. Antiq. expli. tom. II, P. II, lib. I, c. 3—7, pl. 105—117, al. Salmas. ad Solin. pag. 341; *Creuzer's Symbolik*, tom. I, pag. 324.

VAR. 539. *Lacrimis*, 10, 12, 14—26, 85. *Lachrymis*, 11, 45, 46, 47, 49, 50, 54—58, 64—68, 71, 73, 74, 76. — *Præstent*, 60, 65.

NOT. 539. *Murmura*, ut *susurri* et ψιθυρισμὸς, preces (h. l. sacerdotis), et vota cum murmure seu susurro concepta : nam vota, quæ clara voce facere pudebat precantes, in primis parum honesta, vel improba, vel invidiosa, tacite aut cum murmure concipiebantur, ne quis ea audiret, aut faceret contraria. Tacitas ejusmodi preces memorant Sophocles, Elect. 638 seq. et Persius, II, 6 seq. Bene autem Sen. Ep. 10, ex Athenodoro : « Tunc scito, te esse omnibus cupiditatibus solutum, quum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominum? Turpissima vota diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent, et, quod scire hominem nolunt, Deo narrant. — Qui aperto vivit voto, nec labra movet metuens audiri, etc. » ut apud Martial. I, 40, 6 : *nihil arcano qui roget ore deos.* Hinc Pythagoræ præceptum : μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι.[1] — *Meditata*, præclare, quia non sunt justæ preces, ex vero animi sensu profectæ, sed murmura inania, fraudulenter excogitata. — *Murmura* etiam magica memorantur in Luciani Νεκυομ. cap. 7 : ὁ μάγος τὴν ἐπῳδὴν ὑποτονθορύσας.

VAR. 540. *Culpæ veniam*, 22.

NOT. 540, 541. Facete ridetur superstitio mulieris, cujus preces exaudiuntur, cuique datur *venia culpæ*, concubitus, quia *Osiris*, vel uxor ejus Isis, donis *corrumpuntur*, hoc est, sacerdos munera accipit. — *Anser* vero et *popanum*, seu placenta *tenuis* (λαγαρὸν) et Isidi sacra, et in deliciis erant sacerdotibus Ægyptiis.[2] Henninius : Si vis, inquit, hunc locum penitus intelligere, vide Petri Bellorii Ægyptium illum sacrorum ministrum, cum florum fructuumque primitiis, nec non multis *anseribus* onustum, e manu pendulis, et, ut videtur, quadra, in qua non obscure mihi videor observare *tenue popanum*. Vide ejus figuram æri incisam apud Spanhem. de Pr. et Us. Num. Diss. IV, p. m. 266, et integram in Sandrart academia Picturæ Germ. edita P. I, L. II, tab. 4. » De *Osiride* vide ad VIII, 29.

NOT. 542. *Quum ille* Isidis sacerdos *locum dedit* aliis superstitionis auctoribus, et recessit, *Judæa* mulier, vel Judæi succedunt, qui *cophino fœnoque relicto*, hoc est, relicta silva ac supellectile sua, in Urbem venerunt, et mendicandi et vaticinandi caussa. Vide ad III, 14 seq. Nonnulli putant,

[1] Conf. ad Sat. X, 289, 290, et interpretes Pers. II, 4—9; Tibull. II, 1, 84 seq. et Horat. Epist. I, 16, 59 seq.

[2] Vide Jablonski Panth. Æg. l. V, c. 1, tom. III, pag. 8, 9; Philostr. Vit. Apollon. V, 9; Spanhem. Us. et Pr. Num. pag. 266; Herodot. II, 45; Ovid. Fast. I, 453, 454 (ubi vide Heins. et Burm.); Philippi Epigr. X, in Brunck. Anal. tom. II, pag. 214; Jacobs. ad Anthol. Gr. vol. II, P. II, pag. 150, 151, et Bottigeri Sabinam, pag. 217.

Judæos h. l. poni pro Chaldæis, somniorum interpretibus. Sed de his potius agitur vs. 553 seq. — *Arcanam mendicat in aurem*, in aurem matronæ superstitiosæ clam insusurrat fata ejus futura. — *Mendicare* facete pro susurrare, quoniam mendici Judæi susurrant, vel simul clam stipem rogant. Clam vero vaticinantur et mendicant, ac *trementes*, hoc est, timide, pavide; quoniam Judaicam religionem professi vel Urbe ejiciebantur, vel gravius tributum pendebant. Conf. intpp. Suet. Dom. 12. Sed vide supra notas ad V, 11.

Nor. 544. *Interpres legum Solymarum*, Hierosolymitanarum, hoc est, Judaicarum; nam *Solyma* olim dicta Hierosolyma, et *Solymi* Hebræi. — *Arboris magna sacerdos*; vide ad III, 15. — *Internuncia*, quæ voluntatem Dei hominibus indicat, unde *Jovis internuncii et interpretes* dicuntur augures et aves Cic. Phil. XIII, 5, et Div. II, 34. — *Fida*, cui fides est habenda; πίστιν. *Summi cœli*, hoc est, Dei: vide ad XIV, 97.

Var. 545. *Et summi*, 18, 22, 77.

Not. 546. *Implet et illa* Judæa, scilicet sacerdos sibi manum prædicendo futura, *sed parcius*, quam ille sacerdos Isidis (de quo antea sermo fuerat), et clam. — *Ære minuto*, trientibus, quadrantibus, etc.

Var. 547. Hennin. et alii post *vendunt*, et v. 550 post *tractato* colon ponunt, ut verba *Spondet amatorem*.... *Tractato* ad præcedd. et Judæos referantur. Sed Judæi h. l. sunt somniorum interpretes, et verba *calidæ pulmone columbæ tractato* ad haruspicem potius spectant, adeoque cum seqq. jungenda videntur.

Not. 547. Fallaces Judæi pro mercede ad consulentis votum et somnia aliorum interpretantur, et quæ ipsi somniaverint configunt. — *Somnia* erant aut vera aut falsa, et magna illis olim vis tribuebatur ad futura prospicienda, quum natura somniorum non satis perspecta esset. Vide Kœnig. ad Pers. II, 57.

Not. 548—552. *Armenius* quoque vel *Commagenus haruspex* superstitiosis mulieribus, quæ peregrinis haruspicibus non minorem, quam Romanis fidem habent, ex inspectis extis futura prædicit, et huic *spondet amatorem tenerum*, dulcem vel tenero ac blando amore flagrantem, illi *testamentum ingens*, ampla bona testamento legata ei, vel relicta. — *Spondere*, ut *promittere*, III, 43; sed gravius est, fidissimamque promissionem ac prædictionem significat. [1] — *Commagene*, pars Syriæ inter Amanum montem et Euphraten. Haruspex *tractabat*, hoc est, inspiciebat exta, et

[1] Conf. Cic. pro Mur. 41, extr. Senec. Ep. 19; Burm. ad Ovid. Ep. Her. XVI, 114, et Val. Fl. VI, 117; similiter Suet. Tib. 14 (*de infante Scribonius mathematicus præclara spopondit*, etc.), et Oth. 4.

quidem potissimum *pulmonem*, jecur et cor.[1] In contemptum hujus artis, quæ profecto admodum inepta erat et ridicula, non majorum animalium, sed *columbæ*, *pullorum* et *catelli exta* memorari videntur. — *Columbæ calidæ*, recens mactatæ, et adhuc fumantis, vel spirantis, hoc est, palpitantis, ἀσπαιρούσης. — *Rimatur*, solerter scrutatur, inspicit et consulit exta. Parrhasius (Epist. XVIII) *exta catelli* dicit ad ritum magicæ damnatæque artis facere, et laudat hæc Pausan. VI, 2, § 2, verba: Ovis hœdique et vituli exta passim consulebant haruspices, etiam suis apud Cyprum; *canis* autem nemo, nisi Thrasybulus augur et vates arcano peculiarique quodam ritu.

Var. 550. *Comagenus*, 18, 21, 22, 25, 27, 45, 46, 47, 49, 50, 57, 58, 60, 61, 63—67, ut in plerisque libris Plinii et Taciti. Sed Græcis Κομμαγήνη dici solet. Conf. Cellar. Geogr. ant. P. II, p. 400.

Var. 551. *Rimatur et* pro *rimabitur* restitui ex 10, 11, 14—27, 45—50, 54—69, 71—74, 85, et omnibus Codd. Paris. Ita certe oratio fit concinnior, copula non omissa. Conf. tamen ad IV, 63. — *Catellæ*, 45. Cf. ad v. 654. *Exta catelli Interdum, et pueri* interpungendum putabat C. Vales. propter locum Pausaniæ, de quo vid. Comm.

Not. 552. *Interdum et pueri exta rimabitur*, et pueros occidet, ut ex eorum extis talia perscrutetur. Conf. Ammian. Marc. XXIX, 2, 17, ubi Lindenbrog. laudat Vierium de præstigiis dæm. I, 7; Euseb. Hist. Eccl. VIII, 14, pag. 98; Cassiodor. in Hist. tripart. VI, 48; Theodoret. III, 21, et al. — *Faciet* ita, *quod*, si alius faciat, *ipse deferat;* vide supra ad vs. 220. Patrabit infanticidium, quod indicio suo postea detegat (accusans feminam superstitiosam), ut propositum præmium delationis assequatur; Parrhas. l. l. Ach. et C. Vales. At Schol. vetus: «Heic Egnatium philosophum significat, qui filiam Bareæ Sorani, quam, quum ipse ad magicam discendam esset (ita *Dorléans* legit pro *descendisset*) hortatus, detulit Neroni, ob quam rem mori cum patre jussa est a Nerone. Egnatium autem poeta ob delationem hanc ipsam sæpe lacerat, ut III, 116.» Conf. Tac. Ann. XVI, 30.

Not. 553—581. Locus class. de alia superstitione et arte, de qua hæc disputavit Kœnig. ad Pers. V, 46 seq. «A stellarum compositione et inclinatione ea, qua quis lucem adspexisset, indolem ejus et naturam, studia, commoda et incommoda vitæ futuræ pendere, antiquitatis superstitio sibi persuasit. Opinio hæc, rudibus ingeniis familiarissima, ideoque et vetustissima, ex eo fonte profluxit, unde plurimi et maximi errores, quibus mortales ducuntur et exagitantur, originem traxerunt. Proclivis est enim omnis ætas, a literarum studio nondum philosophiæ luce collu-

[1] Conf. loca class. Lucan. I, 621 seq. Cicer. de Harusp. resp. 9, et Div. I, 39, 58 al.

strata, ad indagandas caussas earum rerum, quæ vel magnitudine sua in admirationem sui rapiunt, vel utilitate aliqua ad hominum vitam insignes sunt, vel omnino ad genus mortalium aliqua ratione pertinent. Quo in studio lapsi sunt homines eo gravius, quo minore rerum cognitione instructi illud aggrederentur, quum rerum simul exsistentium, quæ nulla societate inter se conjunctæ essent, in alterutra alterutrius caussam et rationem sitam esse existimarent. Id quod non solum omnibus astrologiæ deliramentis locum fecit, sed et mater fuit omnium errorum, quos quidem futuri præsciendi amor foverat, innumeraque mala in vitam hominum induxit. Quantum prava hæc studia Ptolemæorum ætate viguerint, docet Heyne Opusc. acad. tom. I, pag. 109. Ceperunt autem nova semper incrementa omni memoria, qua homines debilitatis ac fractis per luxum et mollitiem corporis et animi viribus rerum futurarum metu cruciarentur. Ceterum cur a genethliacis Saturni stella malefica, Jovis salutaris habeatur (Macrob. Sat. I, 19), ignorabant vulgo: una ratio affertur ex Ptolemæo in Fabric. Bibl. Gr. tom. IV, c. 14, pag. 449. Multi jam ex veteribus huic superstitioni anili bellum indixerunt, verbi caussa Favorin. apud Gell. XIV, 1; Cic. de Div. II, et Sex. Empir. V. Mansit tamen persuasio vulgaris, ut, sub quo quis signorum Zodiaci esset natus, ab illius signi natura et indole colorem animi traheret, ut a Libra æquitatem, a Geminis propensum ad intimam familiaritatem animum (in hoc autem videntur sibi veteres non semper constitisse; vide intpp. Petron. 39), malignitasque unius stellæ bonitate et salubritate alterius quodammodo coerceretur et temperaretur.» Similia et alia copiose disseruere, quos infra laudavi in nota 168. Astrologiam vero hanc profitebantur homines ubivis vagantes, qui *Chaldæi* (vs. 553), *astrologi* (vs. 554), *mathematici* (vs. 562), Babylonii, astronomi, genethliaci, planetarii, ἀποτελεσματικοὶ (germ. *Nativitätsteller*), vocabantur, ut ars eorum *mathesis*, ἀστρολογία πινακικὴ, γενεθλιαλογία, μετεωρολογία, ἀποτελεσματική. Hæc ars nitebatur superstione, quæ magnam vim in res humanas tribuebat planetis et sideribus, præcipue iis, quæ in zodiaco sunt, quæque eo momento, quo quisque nascebatur, et surgebant, et his vicina et ab iis remota et denique iis opposita erant. Ex his sideribus quædam putabantur esse felicia ac benigna (ἀγαθοποιοὶ ἀστέρες), ut *Venus* (vs. 570), Jupiter, Luna, Virgo, Libra, Taurus; alia infausta, *tristia* et malefica (κακοποιοὶ ἀστέρες), ut *Saturnus* (vs. 569, 570), Mars (conf. X, 313, 314, et Ovid. Am. I, 8, 29), Scorpio, Capricornus; alia vero communia (ἐπίκοινοι ἀστέρες), ut Mercurius. Prosperorum tamen salutariumque siderum et conjunctione et oppositione (quæ proprie *constellatio* dicitur) noxiorum vis infringi, et felicissima sæpe genesis effici credebatur. Hinc astrologi illi e *genesi* (vs. 579), seu genitura et sidere natalitio ejusque *inspectione* (vs. 579), vel observatione ac comparatione, quæ *horoscopus* et *thema* (Suet. Aug. 94, extr.), ὡροσκόπος et θέμα, vocabatur, fata cuivis imminentia augurari, et diem horamve, qua aliquid agendum esset, ut prospere succederet, definire solebant.

Eo consilio utebantur *libris* (vs. 578), sive *tabellis* (vs. 558), *ephemeridibus* (vs. 574) et diariis, quæ Græcis ἐφημερίδες et πίνακες (unde astrologia πινακικὴ, judiciaria, ut contra κανονικὴ, quæ est ἀστρονομία), nobisque *Calender, Journale, Almanache, Tagebücher* dicuntur, et in quibus designaverant ortus, motus, conjunctiones, distantias et oppositiones planetarum siderumque, ad quemcumque diem notatas, adeoque indicia τῶν καταρχῶν, inceptorum, et dierum horarumque, ad quælibet vitæ negotia eligendarum aut vitandarum, τῶν ἐμπράκτων, seu εὐχρήστων et ἀπράκτων. Conf. vs. 575 seq. His ephemeridibus consultis, et hora inde natali explorata, omnis astrologorum ars in illis diebus horisve constituendis continebatur calculationibus et supputatione, quæ fiebat per *numeros*, hoc est, calculos computatorios, et tabulam calculatoriam: unde *numeri Thrasylli*, vs. 576; *Babylonii numeri*, Horat. Od. I, 11, 2; *Chaldaicæ rationes*, Cic. Div. II, 47, et ψηφίδες; ut omnis illa exploratio αἱ Χαλδαίων μέθοδοι in loco Luciani sup. ad III, 43, adscripto. [1]

Nor. 553 seq. Chaldæis majorem fidem habebunt superstitiosæ mulieres, quam Bellonæ, Cybeles Isidisque sacerdotibus, vel Judæis et haruspicibus, quorum antea mentio facta est.

Var. 554. *Astronomus*, 77. — *Credet*, 46, 47, 49, 50, 55, 64. — *Credunt*, 85. — *De fonte*, 77. *A fronte*, 1, 11, 12, 14, 15, 16, 21, 22, 45, 62, 67, 68, 69, 71, 73, 74, 85, quod mireris etiam placuisse Schurzfl. qui exponit: a cornibus, h. e. ex ipso ore. Alii hæc verba eo spectare putant, quod Jupiter Hammon nutu et signis responsa dederit, non verbis, ut Apollo Delphicus. Plathnerus credebat, a poeta exotico huic Jovi cornua exprobrari arietina.

Nor. 553 seq. *Quidquid dixerit astrologus, credent*, tanquam ab ipso Jovis *Hammonis fonte*, hoc est, oraculo, *relatum*, petitum ac profectum esset (conf. ad VIII, 125); et quidem duplicem ob causam credent, quoniam tum *oracula* ubivis fere terrarum, ne Delphico quidem, clarissimo omnium, excepto, *cessant*, aut silent, adeoque ea ab illis non amplius consuli possunt, tum *genus humanum futuri caligo damnat*. Juvenalis tangit ridetque primum et superstitionis et oraculorum vanitatem, deinde astutiam vaticinatorum, non a Delphico oraculo, quod obticuisse nemo igno-

[1] Vide ad vs. 574 seq. III, 43 seq. VII, 194 seq. IX, 33; XIV, 248 seq. XVI, 4; Cicer. Divin. II, 42 seq. Manil. III, 160 seq. IV, 122 seq. 294 seq. Ovid. Ibis, 209 seq. Macrob. Somn. Scip. I, 19; Plin. II, 8 seq. VII, 49 (ubi vide Hard.); Prop. IV, 1; Dorvill. ad Charit. pag. 773 seq. Burm. ad Lotich. El. I, 1, 44 seq. II, 8, 55; intpp. Horat. Od. I, 11, et II, 17, 17—24 (ubi vide inpr. Mitscherl. Anal. tom. II, pag. 696—704, et Jani in Excursu); Casaub. et Fülleborn ad Pers. V, 50; Ernesti ad Taciti Annales IV, 58; Salmasium de Ann. Clim. pag. 52 seq. 818 seq. Lindenbr. ad Ammianum Marcellinum, lib. XXVIII, cap. 4, § 24; Menag. ad Laert. pag. 81, et Herrmann. in Mytholog. tom. III.

rabat, sed e longinquo mendacia, quæ difficilius ita exquiri possunt, petentium, denique vs. 554, fabulosam oraculi Jovis Hammonis originem. Quum enim Bacchus in expeditione lybica aquæ inopia laboraret, aries subito ex arena exivisse, et ad *fontem* aliquem perduxisse Bacchum, is autem pro Jove habuisse arietem, et hinc eo loco, quo reperta sit aqua, Jovi *Hammoni* magnificum exstruxisse templum perhibetur: unde *Hammonis* nomen vulgo ab arena, ἀπὸ τῆς ἄμμου, deducitur, et arietina ei cornua tribuuntur.[1] Templum quoque Hammonis cinctum est densa silva, quæ in illo terrarum tractu unica est et *fonte*, vel multis potius fontibus alitur; in eodem vero, vel alio Hammonis nemore est *fons Solis*, fano vicinus, qui medio die friget et calet noctu.[2] Hinc *fons* h. l. pro ipso oraculo.

Not. 555. Scoptice hoc dicit, quasi illi astrologi oraculorum defectum supplere debeant; Ach. Variæ memorantur caussæ, cur Delphicum aliaque oracula sensim obmutuerint; Delphicum tamen responsa adhuc dedisse traditur Neronis et Juliani temporibus.[3]

Not. 556. *Damnat*, vel damno afficit, vel propter noxas et scelera arguit et punit, ita diis ulciscentibus, ad hominum interrogata non amplius respondendo; Prat. Reliqui interpretes vel tacent, vel nugantur. Saniora attulit Hein. qui ita exponit hæc verba: *caligo futuri damnat humanum genus*, efficit, ut homines sæpe infelices sint, sæpius in perniciem eos præcipites dat, quia futura nesciunt. Ita locum quoque explicat vexatissimum Virg. Æneid. XII, 727:

Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.

Utrum vero rem acu tetigerit, aliorum sit judicium. Mihi quidem et dubia videtur illa verbi *damnare* significatio, et sententia non satis congrua; aptior autem hæc: *caligo*, ignorantia *futuri* temporis, rerum fatorumque futurorum, homines, qui eorum prænoscendorum cupiditate ardent, angit, cruciat. Poetæ nostri animo, ni fallor, obversabantur verba præclara Horat. Od. IV, 29, 29 seq.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus,
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat.

---

[1] Vide Hygin. Poet. Astron. II, 20, et de vera hujus fabulæ origine Herrmann. Mythol. tom. III, pag. 288.

[2] De silva vide Lucan. IX, 522—527; Curt. IV, 7, 16; Diodor. I, 13; XVII, 50; Herod. II, 42; IV, 181; de Fonte Solis Curt. IV, 7, 22; Sil. III, 669 seq. Diodor. et Herodot. ll. cc; Plin. II, 103; V, 5; Ovid. Met. XV, 309 seq. Lucret. VI, 848 seq.

[3] De illo vide Plut. de Orac. def. Cic. de Div. II, 57; Strab. XVII, pag. 550; Lucan. V, 11 seq. Euseb. Præp. evang. lib. V, pag. 205 seq. et Casaub. Antibaron. Exerc. I, 12; de hoc Suet. Ner. 40; Themist. Orat. XIX; Theodoret. Hist. eccl. III, 21; *Fontenelle*, Hist. orac. II, 2 seq.

Sed pro *damnat*, quod illo sensu non dicitur, aliud vellem substituisset verbum; neque huc referenda crediderim, quæ dixi ad III, 116.

Not. 557—564. Eo major fides habetur astrologis, eoque majar et eorum et artis, quam profitentur, fama est, quo pluribus flagitiis infames sunt, vel potius, quo sæpius vel in exsilium, vel in carcerem, vel in desertam insulam missi sunt, scil. propter mala, quæ prædixerunt, vel motus tam animorum et civiles, quam bellicos, quos vaticiniis suis excitarunt. Nam si eventus prædictis forte respondit, non modo revocantur, et libertatem recuperant, sed magnam quoque famam consequuntur. Historia etiam omnium temporum docet, fanaticis ac vatibus eo melius consilia et cœpta sua processisse, quo pluribus obnoxii fuerint periculis et insectationibus. Ipsi mathematici vel astrologi sæpius et in exsilium missi, et revocati sunt. »Hoc genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper, et retinebitur.« Tac. Hist. I, 22.[1] — *Præcipuus*, judicio hominum vulgari, *est horum* astrologorum, *qui sæpius exsul* fuit, *cujus*, etc. hoc est, astrologus, qualis fuit ille, ex cujus affirmatione et *tabellis* astrologicis (vide ad vs. 553) spem imperii præcipuam cepit Otho, et cujus potissimum instinctu is *magnum civem*, Galbam, summo genere natum et Imperatorem (vide ad I, 33), trucidavit. Mathematicus ille, *amicus* Othonis, *Seleucus* dicitur Suet. Othon. 4—6; sed *Ptolemæus* Tacito Hist. I, 22, et Plutarcho, unde nonnulli putant, hæc ejusdem hominis diversa nomina fuisse. Vide Burm. ad Suet. l. l. et Ernesti ad Tacit. l. c. Alterutrum tamen *sæpius exsulem* fuisse, non alii, quod sciam, tradunt. *Tabella conducenda*, cujus vaticinium magna mercede emendum est. — *Obit* pro *obiit*. Vide Heins. ad Ovid. Fast. I, 109.

Var. 558, 559. Hi versus alia manu additi sunt in 8., et in duobus Codd. Paris. non exstant.

Var. 559. *Formidandus*, 6, 15.

Var. 560. *Arti* pro *artis* revocavi ex 10, 17, 20, 21, 22, 25, 26, 27, 46—50, 54, 55, 57—69, 71, 72, 73, 77. Conf. Ovid. Art. Am. III, 791. Post *ferrum* interpungunt alii, etiam Hennin.

Not. 560. *Fides* est, seu fit *arti* astrologicæ. — *Ferro*, ferreis catenis, seu manicis.

Var. 561. *In* abest ab 22, 45, et *si* ab 85.

Not. 561. In castris stativis carcer erat, iisque motis malefici catenis trahebantur. Conf. ad Tac. Ann. I, 21, et III, 22.

Var. 562. *Indamnatus*, 12, 16, 17, 19, 21, 22, 85.

[1] Cf. Suet. Tib. 36 et Vit. 14; Tac. Ann. II, 32; XII, 52, et Hist. II, 62, al.

Not. 562. *Nemo indemnatus*, non seu nunquam damnatus, *habebit* judicio hominum vulgari, adeoque habere putabitur, *genium*, peritiam artis vel ingenium; nisi malis: *habebit genium*, Genii favorem, fortunam secundam. Conf. Mart. VI, 10:

Victurus genium debet habere liber;

et VII, 77, 4 (*habes nec cor nec genium*). Genius albus et ater; Horat. Epist. II, 2, 186 seq. Vide sup. ad vs. 22.

Not. 563—4. *Cui vix contigit* tam felici esse, ut relegaretur tantum, non occideretur, usque *tandem*, multo post annos, de exsilio revocaretur. — *Cyclada*, unam e Cycladibus ins. verbi caussa, *Seriphum* et alias; vel pro quavis insula, in quam damnati relegabantur. Vide ad I, 73. *Seripho parva*, ut X, 170 (et sic forte *parvamque Seriphon* leg. apud Ovid. Met. VII, 464); nam Seriphus (hodie *Serfino*) patuit tantum circuitu XII mill. pass. vide Plin. IV, 12, seu 22. Eadem ins. deserta fuit, et saxosa. Vide Strabon. X, pag. 487, et Jacobs. ad Anthol. Græc. vol. I, P. II, pag. 175.

Var. 564. *Latuisse* pro *caruisse* conj. Schrader.

Not. 565 seq. Ejusmodi astrologos *consulit Tanaquil tua*, uxor futura, et quidem *de lento funere*, de sera, seu tarda, et nimis morante morte (ut III, 43) *matris* tuæ, *ante* omnia *tamen de te*, de tua morte, Postume, etc. Quæ impia vota tum temporis frequentia erant, et de iis sæpius consulebantur astrologi. Vide ad III, 43. — *Ictericæ;* quo impia mortis spes crescit. — *Ictericus*, ἰκτερικὸς, homo laborans *ictero*, morbo regio, seu arquato, qui e bile per totum corpus suffusa nascitur, Germ. *Gelbsucht*, Gall. *jaunisse*, Gr. ἴκτερος, ab ave ejusdem nominis, quæ eum, si spectaretur, sanare, et tum ipsa mori credebatur.[1] — *Tanaquil tua*, ut apud Auson. Epist. XXIII, 31, hoc est, conjux tua, similis Tanaquili, Tarquinii prisci uxori, quæ et imperiosa ac superba, et astrologiæ divinationumque, vel cœlestium prodigiorum, ut vulgo Etrusci, peritissima fuit; quod vel ex Liv. I, 34, 39 et 41, notum est. Alii σἰρωνικῶς, ita bonam, prudentem et pudicam uxorem, cujus exemplum eadem Tanaquil fuerit, dici existimant.

Not. 567. *Efferat* domo mortuam, hoc est, sepeliat: vide ad I, 72. — *Quid enim majus*, optabilius, *dare numina possunt*, quam longam adulteri vitam, et præmaturam mortem matris, mariti aliorumque consanguineorum, quorum opes hereditate accipiat.

Var. 568. *Dare majus*, 25, 46—49, 54—56, 58, 59, 60, 64, 65.

Var. 569. *Hæc eadem novit* emend. Schrader, audacter et invita Minerva. — *Minatur*, 23, 25, 27, 45—49, 54—60, 65, 85.

[1] Vide Plin. XX, 9; XXX, 11; XXXVI, 31; XXXVII, 10.

Nor. 569—581. Tales mulieres, quales nunc multæ sunt, qualisque tua forte uxor erit, astrologiam ignorant; at sunt aliæ his doctiores, non minus vitandæ et cavendæ, quæ ipsæ hanc artem callent et profitentur; quæ non amplius *consulunt* astrologos, sed jam ipsæ *consuluntur*, quæque manibus semper terunt *ephemeridas*, nec quidquam negotii suscipiunt aguntque, nisi illis antea consultis, consilioque inde capto. — *Hæc*, quæ Chaldæos consulit, et contra *illius*, *quæ nullum consulit*, etc. [1]

Nor. 570. *Saturni sidus triste*, hoc est, noxium (ut *grave*, Prop. IV, 1, 84, et *impium*, Horat. Od. II, 17, 22); *Veneris* autem *lætum*, hoc est, prosperum et salutare. Vide ad vs. 553 seq. — *Quo astro*, cum quo sidere (sc. cum Luna) conjunctum; *læta*, læte, prospere, *se proferat*, prodeat (ut apud Suet. Ner. 6 extr.), se ostendat, *Venus*, hoc est, salutaris sit.

Var. 571. *Quis*, 16, 21, 22, 45. — *Menses*, 4, 59, 60, 65. — *Damno*, 10, 15, 23, 27, 46, 47, 48, 50, 54—63, 65—68, 71—74, 77.

Nor. 571. Quibus anni temporibus sidera vel prospera et salutaria, vel noxia et infesta sint, quibusque vel damnum, vel lucrum ipsis portendant. — *Lucro dentur*, in lucro ponantur, sint lucro, h. e. prospera. Conf. intpp. Horat. Od. I, 9, 14.

Nor. 572. *Occursus illius*, tanquam rei mali ominis, cui vel occurrere periculosum sit. [2] — *Vitare memento*; vide ad V, 71.

Var. 573. *Seu*, 21, 65. — *Sucida*, 17, 18. *Sucina* rectius scribitur. Vid. ad V, 24.

Nor. 573. *In cujus manibus Cernis ephemeridas*, tabulas mathematicas (vide ad vs. 553 seq.), *tritas* assiduo usu, loco *sucinorum*, quibus ornantur manus mulierum, quæ etiam globos ex electro (*Bernsteinkugeln*), ut alios ex crystallo, confectos manibus gestabant refrigerationis bonique odoris caussa (vide ad vs. 155; IX, 50; Plin. XXXVII, 2; Ovid. Met. II, 364 seq. Martial. IV, 59, 1; Bottigeri Sabinam, pag. 432, 434, 482); vel tanquam monilia ex electro, quæ ab ipsa contrectari solent; vel quas manibus semper terit, quemadmodum teruntur sucina, ut attritu calefacta magis redoleant, odoremque spirent jucundiorem. Posterior ratio ceteris præferenda. [3] Hinc forte *pinguia* etiam dicuntur sucina, nisi hoc epithe-

[1] Ita hos versus cohærere puto, quos vulgo ita separant, ut vs. 572 seq. novum argumentum tractetur, et vs. 569—571, insultet poeta mulieri, quæ ignoret, quid *sibi ipsi* minentur sidera, etc., hoc est, quæ talia tanto scrutetur studio, neque curet, quæ in rem suam sint. Quæ sententia quomodo ex his verbis exsculpi possit, haud adsequor.

[2] Conf. ad vs. 572, 605, 654; V, 54; Tac. Ann. IV, 60, et Hist. III, 85.

[3] Vide ad V, 38; Dioscor. I, 93, et Martial. III, 65, 5 (*sucina trita*); V, 38, 11; XI, 8, 6 (*sucina virginea regelata manu*).

ton spectat potius ad naturam sucini, de qua Tac. Germ. 45: « Si naturam sucini admoto igne tentes, in modum tædæ accenditur, alitque flammam pinguem et olentem: mox ut in picem resinamve lentescit. [1] » De *sucino* vide ad vs. 24 (in Var. Lect.), et V, 38, 574 seq. Conf. ad vs. 553 et loc. simil. Ammiani Marc. XXVIII, 4, 24. — *Nullum* astrologum.

Var. 575. *Patriamve* ex emend. H. Vales. recepi pro vulg. *patriamque*. Sic librarii corruperunt loca innumera. — *Petenti*, 14, 16.

Not. 575. *Castra viro patriamve* (ita leg.) *petente*, marito ex Urbe proficiscente, vel ad eam redeunte, *non ibit pariter*, una cum eo, quasi periculum ei immineat.

Not. 576. *Revocata* ab itinere et admonita *numeris Thrasylli*, astrologica calculatione; nam ipsa hanc artem profitetur. De *ephemeridibus* et *numeris* vide ad vs. 553. — *Thrasyllus* celeberrimus mathematicus, Tiberii Imp. comes, contubernalis et præceptor, qui forte et libros scripsit de re medica, quos Plinius passim laudat. [2]

Not. 577. *Ad primum lapidem*, milliarium ab Urbe, *vectari* vehiculo aut lectica, hoc est, vel brevissimum iter facere. — *Hora* vectationi idonea ac prospera *sumitur ex libro*, ephemeride. Ad summam autem superstitionis vanitatem declarandam impr. valet h. l. rerum frivolarum minimarumque, de quibus ephemerides consuluntur, commemoratio.

Var. 578. *Colliria*, 17—20. *Collicia*, 16. *Coliria*, 27, 48. *Colyria*, 45, 47, et ita scribendum putabat Grangæus, quoniam vocis origo deducenda sit ἀπὸ τοῦ κωλύειν τὸν ῥοῦν, id est, a prohibenda fluxione, non ἀπὸ τοῦ κολλᾶν. Neutra etymologia videtur probanda, et κολλύριον dictus forte globulus balsaminus a κολλύρᾳ, specie panis, forsan ovata.

Not. 578. *Pruritus* membri alicujus corporis ominosus, ut et sternutatio ac palpitatio. [3]

Not. 579. *Inspecta genesi;* vide ad vs. 553. — *Collyrium* medicamentum oculorum coloris cinerei ex spodio; h. l. forsan crocus, vel collyrium διὰ κρόκου, quo *pruritum* tolli dicit Plin. XXI, 20, seu 81, 82, ubi vide Hard.

Var. 580. *Capiendi.... cibi*, 49, 55.

---

[1] Grangæus: « Agricola putat, sucinum esse speciem bituminis et pinguedinem terræ; unde hoc loco *pinguia*. »

[2] Vid. Suet. in Aug. 98; in Tiber. 14, 62, et in Cal. 19; Tac. Ann. VI, 20, 22, et inpr. Dio Cass. LV, 112. Vetus Schol. « *Thrasyllus* multarum artium scientiam professus postremo se dedit Platonicæ sectæ, ac deinde mathesi, etc. »

[3] Conf. Plaut. Mil. II, 4, 44: Bacch. V, 2, 75, et Amphit. I, 1, 139; Isid. Orig. VIII, 9, extr. (ubi *salisator* dicitur, qui ex palpitatione membrorum divinat); Erasm. ad Prov. 37, cent. IV, chil. II, et Scalig. ad Plaut. Pseud. I. 1, 105.

Var. 581. *Petosiris* restitui ex 10, 18, 19, 54, 64, 85; nam Πετόσιρις dicitur Suidae, Plinio, Firmico et aliis : unde tamen suspiceris, syllabam penult. brevem esse. *Petosyris* editt. tantum non omnes, etiam Hennin.

Not. 581. *Dederit*, definiverit. — *Petosiris* pro quovis astrologo, ut *Thrasyllus* supra vs. 576. *Petosiris* enim Ægyptius clarissimus fuit astrologus ac philosophus. [1]

Var. 582—584. Hos versus Bahrdt et alii jungunt cum antecedd. in quibus tamen de muliere agitur, *quæ nullum consulit et consulitur*. Equidem malim versus 585, 586 et 587 ante v. 582 legere, ne poeta v. 588 seq. redeat ad plebeias, seu pauperes mulieres, et eadem fere repetat. — *Utrumque*, 10, 11, 14—25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, 85, et omnes Codd. Paris. e quibus illud recte forsan recepit Ach.

Not. 582—584. *Si mediocris* conditionis, aut pauper *erit* mulier superstitiosa, mediocres etiam, seu viliores et circulatorios hariolos consulet mediocri pretio. — *Lustrabit*, adibit, vel pervagabitur, *spatium utrimque metarum*, hoc est, ab una meta ad alteram percurret Circum, qua in longum patet, inpr. Maximum, in quo circumforanei et viliores astrologi, divinatores, sortilegi, conjectores, quæstus caussa versabantur multi. [2]

Var. 583. Hic versus post v. 590 legitur in 85, et *ducit* pro *ducet*.

Not. 583. *Meta*, νύσσα, tres turriculæ, seu columellæ, ad *utramque* extremitatem spinæ, qua medius Circus erat diremptus, collocatæ (unde h. l. *utrimque lustrabit metarum spatium*), [3] circum quas currus sinistrorsum flectendus erat. — *Sortes ducet*, consulet sortilegos, qui in circo, foro ac viis passim versabantur. [4]

Not. 583. *Frontem manumque præbebit* inspiciendam *vati*, hariolo, et quidem *frontem* metoposcopo, seu physiognomoni, qui ex fronte et

[1] Vid. Suidas, et ad eum Küsterus, Plin. II, 23; VII, 49; Athen. III, 81; Firmic. Mathes. lib. IV, Præf. et c. 16; lib. VIII, 1; Jacobs. ad Anthol. Gr. vol. II, P. II, pag. 470, et Salmas. de Ann. clim. p. 66, et 353, ubi monet, eumdem passim Ptolemæo Ἀρχαῖον dici, eumque et Necepsum fuisse auctores τῆς κλιμακτηρικῆς ἀγωγῆς, hoc est, artis illius, quæ ex climactericorum annorum enumeratione, habita simul siderum ratione, exponat, quid cuilibet nato contingere possit. Conf. Plin. ll. cc. ibique Hard. et Lambecii Comment. de Bibl. Cæs. vol. VI, P. II, pag. 217 seq. ed. Kollarii.

[2] Conf. mox vs. 588—591; Horat. Sat. I, 6, 113, 114; Cic. Div. I, 58, et al.

[3] De qua re vide Suet. Cæs. 39, et Claud. 21; Ovid. Am. III, 15, 3, et Met. III, 144.

[4] Conf. vs. 588 seq. Gesner. et Burm. ad Quint. XII, 10, 74; Heyne ad Tibull. I, 3, 11, 12, et Cic. de Div. II, 41; ubi verba h. l. apta leguntur : *Hoc genus divinationis vita jam communis explosit. Quis enim magistratus aut quis vir illustrior utitur sortibus?*

vultu, seu ore ejusque lineamentis, *manum* χειροσκόπῳ, seu χειρομάντει, qui e manuum lineis et incisuris hominum mores atque fata futura divinat.

Var. 584. Olim conjiciebam *crebrum ad poppysma roganti.* Sed legendum potius cum Manso *crebrum poppysma sonanti.*

Not. 584. *Poppysma*, πόππυσμα, seu ποππυσμὸς dicitur proprie palpus, seu sonus, lingua aut manibus excitatus, quo adsensum vel admirationem significare et blandiri solemus, inpr. equis, qui ποππύζεσθαι, hoc est, demulceri et applaudi amant (vide ad I, 35); hinc favor, assensus, adulatio, blanditiæ, quo sensu ἐπόππυσεν αὐτὸν dixit Timocles apud Athen. IX, 18, pag. 407 (IX, 73, ed. Schweigh.). Vetus Schol. bene explicuit: *oris pressi sonus, aut* (ita leg. pro *ut*) *labiorum in se collisorum strepitus.* Hinc poeta facete, ni fallor, depinxit ejusmodi hariolos, Zigeunis hodiernis similes, quorum mos erat, per (seu κατὰ) *crebrum poppysma*, vel crebris poppysmis, seu basiis jactatis, *rogare*, mendicare, blandiri et ad benevolentiam homines artisque suæ usum allicere, vel honoris ac venerationis signum dare. — Sic *blanda basia jactare rhedæ devexæ*, IV, 118 (ubi vide not.), et *fulgetras poppysmis adorare* apud Plin. XXVIII, 2, ubi vide intpp. Hinc forte leg. *crebrum ad poppysma roganti.* Sed præferenda emendatio Cl. Manso *crebrum poppysma sonanti*, et hæc ejus interpretatio: «Ποππύζειν non est jactare basia blanda, sed sibilum ore emittere, seu compressis labris acutiorem quemdam sonum edere. Stat mulier superstitiosa in circo fallaci, *frontemque hac manum*, ut læta audiat, divino porrigit. Ille non nisi bona videt et auguratur, quoque majorem mercedem accipiat, se ipsum summo gaudio perfusum simulans, iterum iterumque *poppysma sonat*, hoc est, emittit, edit. Eodem sensu legimus apud Theocr. V, 89, de Clearista, pastori, capras præteragenti, amorem et lætitiam suam prodente:

Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα,
Τὰς αἶγας παρελῶντα, καὶ ἁδύ τι ποππυλιάσδει·

ad quod bene Schol. καὶ ἡδύν τινα συρισμὸν συρίζει. Transitiva autem verbi *sonare* significatio passim obvia, verbi caussa infra VII, 108; Tibull. I, 3, 60; II, 1, 32; Virg. Eclog. V, 64.» Heineckio vulgata lectio videtur sana et sensus hic: pauperes mulieres ad vates eunt, qui contenti sunt et esse debent, si sibi mercedis loco basia jactentur. Colligit id maxime e loco Mart. I, 77, 13, 14:

Illic (in foro) æra sonant; at circum pulpita nostra
Et steriles cathedras basia sola crepant.

Quæ si mihi excidissent, ille forsan dixisset: interpretatio hæc nescio quid ridiculi habet. Quærere tamen possis, utrum satis probabile sit, librarios *roganti* substituisse pro *sonanti.*

Var. 585. *Dabit*, 19, 21, 22, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 77. *Responsa*

feret, 10, 12, 17, 18, 45. — *Ac*, 10, 12, 45. *Phryx augur, et inde* (e Phrygia) *Conductus*, etc. 1, 10, 11, 12, 14, 16, 17, 20, 21, 22, 24, 25, 27, 47, 49, 54, 55, 58, 61, 62, 63, 65—69, 71—77, et dimidia pars Codd. Paris. sed recent. non improbante Schurzfl. quod mireris. *Aut inde*, 85.

Not. 585. *Divitibus* mulieribus. — *Phryx augur:* nam «Phryges, et Pisidæ, et Cilices, et Arabum natio avium significationibus plurimum obtemperarunt.» Cic. de Div. I, 41 extr. — *Indus*, non philosophus (Gymnosophistus, Brachmanes), sed *augur*, et, ni fallor, magus: nam *India* Romanis tam lato sensu dici solet, ut etiam Persidem, Arabiam, Æthiopiam partemque Ægypti complectatur,[1] et Persarum Magi tum philosophi, tum augures erant. Vide Cic. loc. cit. *Conductus* mercede, seu pretio, et quidam magno. Pauperes enim mulieres nec conducunt hariolos, nec magnam iis mercedem solvunt.

Not. 586. *Astrorum mundique peritus*, astrologus et mathematicus. — *Mundus* etiam passim pro cælo ponitur.[2]

Var. 587. *Atque aliis*, 60, 65, 85. — *Fulmina*, 19.

Not. 587. Conf. Lucan. I, 584 seq. 606 seq. — *Alquis senior* Etruscus haruspex, *Ergenna* dictus, qui et fulminum conditor, vel procurator erat et expiator, quique mactatis ovibus, et intestinis earum inspectis, quid factu opus esset, docebat. — *Condit* terra, sepulcro *fulgura*, eorum reliquias aut vestigia, et fulmine icta: nam fulmine icti, quo loco exstincti erant, non cremari solebant, vel inde transferri, sed vel relinqui, vel sepeliri, locus autem sepiri, et cæsa bidente (unde *bidental* dicebatur) arisque exstructis expiari et consecrari.[3] Omnem superstitionem, quæ ad fulmina spectat, vulgaresque de iis opiniones copiose exposuit ac perstrinxit Seneca in toto libro II Natur. Quæst. Fulmina erant aut *publica*, aut privata: vide Plin. II, 52, et Senec. Nat. Quæst. II, 48, qui et plura eorum genera recensent.

Not. 588. *Plebeium*, plebeiarum pauperumque mulierum, *fatum positum est in Circo*, ibi illis prædicitur: vide ad vs. 582. — *In aggere;* vide ad VIII, 43.

Var. 589. *Annum* pro *aurum* male conj. Voss. ad Catull. p. 304, ubi hæc adnotavit: «*Longum annum* vocat, quem longum et tædiosum faciat frigus.

[1] Vide Heyne et Burm. ad Virg. Georg. II, 116; IV, 293.

[2] Vide ad Sil. III, 612 et intpp. Tibull. III, 4, 18.

[3] Conf. Acron ad Hor. Art. P. 471; Kœnig. ad Pers. II, 27; Plin. II, 52, et 54 extr. Festus vocc. *Conditum*, *Fulguritum* et *Bidental;* Plut. Quæst. Conviv. IV, 2; Artemidor. II, 8; Lips. ad Senec. de Clem. I, 8; Potteri Archæol. Gr. lib. IV, c. 1, et ibid. Rambach. tom. II, pag. 352. De duobus, quæ olim Romæ fuerunt, putealibus vide Kœnig. ad Pers. IV, 49.

Hanc emendat. confirmant sequentia, ubi muliercula ista quærit, num rectius factura sit, si caupone relicto nubat negotiatori sagario, qui nempe frigus arceat. Sic Martial. X, 5, *Decembrem* vocat *longum*, quem triste frigus extendat. » Nos potius cum Ach. *nullis* pro vulg. *nudis* substituimus ex emend. Salmasii et Juvencii. Vid. Comm.

Not. 589 seq. Ferrar. R. V. « Hic plebeiam et vitæ liberioris mulierem inducit poeta, *nudis* (ita vulgo legitur) *cervicibus longum aurum*, seu monile gestantem. Nam quum matronæ ita stola talari et manuleata opertæ essent, ut nihil præter faciem appareret; contra libertinæ, et quæ licentiam stupri vulgaverant, non cervice modo, sed humeris atque lacertis conspicuis ac seminudis erant. » Sed adversus eum ita disputat *Achaintre*: « Primum *aurum longum* dici pro *monili* non certum est; deinde inauditum *monile* cervicibus impositum; præterea meretrices monilibus aureis et *longis* etiam ornari, minime credendum; denique quid ridiculum magis, quam meretrices Syras, Phrygias, Ægyptias, ut erant pleræque, consulere hariolos Syros, Phrygios, Hebræos, atque etiam, an *nubant* potius cum hoc, quam cum illo (huic quam illi), quasi meretricibus matrimonium et *partus discrimen* (vs 592) sit frequens atque usitatum? (et optandum vel in votis?) Hinc cum Salm. et Juvencio *nullis* legimus pro *nudis*, ut innuatur mulier plebeia (ut contra *dives* et nobilis vs. 585 seq.), quæ *nullis cervicibus*, hoc est, nullo modo et nulla in parte colli, vel potius capitis, *ostendat*, gestet, *longum aurum*, vela auro et argento distincta, ut matronæ divites. » Recte, opinor, etsi legere malim:

Quæ nullum ostendit longis cervicibus aurum,

aut certe *longum aurum* accipere de smaragdis, unionibus et elenchis, coll. supra vs. 457 seq. ubi designatur:

.... Femina dives,
Quæ virides gemmas collo circumdedit, et quæ
Auribus extentis magnos commisit elenchos.

Not. 590. *Consulit* hariolos *ante phalas delphinorumque columnas*, hoc est, in Circo: vide ad vs. 582. — *Phalæ*, seu *falæ*, turres ligneæ, non autem erectæ in Circo in usum spectatorum, sed quæ vulgo ab ovali figura *ova* dicuntur, obelisci aut *columnæ* mobiles septem, vel *ovorum* vel *delphinorum* figuram referentes, quæ in spina Circi ponebantur, et quarum una tolli sive auferri solebat, quoties unum e septem curriculis (nam tot fuisse constat) peractum erat.[1] Ludi circenses priscis temporibus

[1] Dio Cass. lib. XLIX extr. de M. Agrippa: Κἂν τῷ περιδρόμῳ σφαλλομένους τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὸν τῶν διαύλων ἀριθμὸν ὁρῶν, τούς τε δελφῖνας καὶ τὰ ὠοειδῆ δημιουργήματα κατεστήσατο, ὅπως δι' αὐτῶν αἱ περίοδοι τῶν περιδρόμων ἀναδεικνύωνται. Conf. Liv. XLI, 27; Varro, Re Rust. I, 2, 11 (ex quo loco intelligitur, hasce machinas ligneas, singulis curriculis confectis, non demum appositas fuisse, sed sublatas); Salmas. Exerc. Plin. pag. 640, al. 912; Parrhas. Epist. 28, et inpr. Ferrar. Elect. II, 15.

Neptuno equestri, vel Conso sacri erant; unde machinas illas etiam *delphinorum* imaginem retulisse suspicari possis. Utrum vero et cur præter *ova* etiam *delphines* ejusdem rei caussa, ut curricula scilic. bigarum quadrigarumque numerarentur, eodemque tempore appositi fuerint, haud liquet, neque satisfacit nobis conjectura Ferrarii, qui Elect. II, 15, hæc de ea re disputavit: «Quum quatuor essent Circi factiones, a tunicæ coloribus distinctæ, *Veneta*, *Prasina*, *Alba* et *Russata* (vide ad vs. VII, 114); duæ tamen præcipuæ et scriptoribus celebres *Veneta* et *Prasina*: nam altera Venetæ, altera Prasinæ adhærebat. Et *Venetæ* quidem pannus, id est, tunica cærulea, a colore maris; *Prasinæ* viridis a porraceo colore, sive a terra viridante. Quum ergo duæ illæ factiones in Circo certarent, ut intelligeretur, quænam prius metam septies flecteret, necesse fuit, utriusque factionis curricula et spatia denotari ac numerari. Quumque *Venetæ* factionis agitatores essent rei maritimæ studiosi, Prasinæ autem autem reliquus populus continentis incola, ut agricolæ, mercatores, et reliqui; factum inde est, ut *Venetæ* aurigationis nota et insigne atque index *delphin* esset, *Prasinæ* autem, id est, terrestris studii *ovum*, seu lignea ovalis machina. Quare quum Romæ longe major numerus esset populi, a re maritima alieni, *Prasina* factio prævalebat. Unde Juven. Sat. XI, 196, totam Romam magna exspectatione fuisse in *eventu viridis panni*, nempe ob victoriam Prasinorum; etiamsi contrarium aliquando imperitantis studium esset. Ex eo etiam factum suspicor, ut in argenteis numis Rom. familiarum sub bigis et quadrigis modo tridens, modo spica conspiciatur, ut illo Venetorum victoria, hac Prasinorum indicaretur.»

Not. 591. *Caupone*, priore marito, *relicto*, deserto.

Var. 592. *Hæc*, 63, 74. Vid. sup. ad v. 259.

Not. 592—597. *Hæ* mulieres plebeiæ ac pauperes, quamvis superstitiosæ sunt, et de nubendo hariolos consulunt, *tamen* concipiunt, pariunt et editos infantes, non sine multis magnisque laboribus, ipsæ alunt (conf. ad vs. 9); nobiles vero ac divites feminæ aut non concipere solent, aut certe non parere, sed conceptum partum medicamentis in utero exstinguere et abigere, ut et *partus discrimen*, periculum vitæ, quod parientes subeunt, et *nutricis labores*, vel educationis incommoda effugiant. — *Fortuna* mediocri, vel misera ac tenui, *urgente*, premente eas et cogente, labores suscipere, quos matronæ nutricibus delegant. — Vide quæ de mulieribus *nutricis labores* subeuntibus eloquentissime disseruit *J.-J. Rousseau*, *Émile*, lib. I. Ed.

Not. 594. *Aurato* in *lecto*, qualis nobilium est. — *Puerpera*; vet. Schol. puella, quæ primitus parit; Donat. et Isidor. quæ annis *puerilibus parit*. Immo, quæ *pueros parit*. Illa tamen notio et h. l. apta.

Not. 595. *Hujus* sc. veneficæ, vel improbæ obstetricis. — *Medicamina*, qualia memorat Plin. XX, 21; XXVII, 5 et 9. — *Homines*, fetus conceptos et formatos, qui jam homines sunt. Id magna cum vi dictum, ut et

mox vocab. juris, facete simul translatum, *conducit* pro suscipit certo pretio. Nam *conducere* non modo dicuntur, qui operam suam, vel rem opusque faciendum alicui *locant*, sed etiam qui illud *redimunt*, hoc est, qui certo pretio aliquid sive faciendum, sive præbendum in se recipiunt. [1]

Var. 596. *Sterilem*, 14, 15, 16, 20, 25, 49, 56, 57, 60, 65. — *Et quæ* pro *atque*, 22, et ita emend. Lubin. ut duæ, venefica ac nutrix, venificam *conducens*, notentur. Sed non cepit vim verbi *conducit*. Vid. Comm.

Not. 597—601. Lepide ac salse poeta dixit: At *gaude*, *infelix* Postume, seu marite, quod abortum faciat uxor tua; quin ipse ei *porrige quidquid* medicaminis *erit*, quamlibet potionem abortivam; nam alioquin *fortasse* illa pareret nigrum *Æthiopis* mœchi filium, cujus te *patrem* certe profiteri, quemque *heredem* scribere deberes.

Not. 598. *Distendere* uterum, gravidam fieri, et in utero fetum ferre ad legitimum tempus. — *Vexare uterum*, quoniam *pueri* in eo *saliunt*, hoc est, se movent. Quidam pro *parere* dictum accipiunt. Nota etiam plur. *pueris*, quo infortunium augetur.

Not. 600. *Æthiopis*, forte servi tui. Confer. Martial. VI, 39. — *Decolor*, fuscus, ex Æthiope patre et matre Romana natus; quum tu sis albus.

Not. 601. *Impleret tabulas* testamenti, hoc est, heres solus, vel ex asse, jussu forte uxoris, scriberetur; quod non minus ad augendam rei indignitatem valet. Conf. ad vs. 218, et II, 58. — *Nunquam tibi mane videndus*, cujus conspectus occursusque tibi sedulo vitandus est, tanquam malum omen. Facete ita superstitionem vulgarem in rem suam convertit poeta, ut vs. 572, 655, 656, et V, 54, ad quæ loca vide not. — *Mane*, nam species novæ et insolitæ rei maxime in omen et diras vertebatur, si vel multo mane et omnino sub exordia rerum gerendarum, vel, ut V, 54, *per mediam noctem* offerretur. [2] — *Mane nunquam videndus*, quemadmodum simiis mane conspectis homines metuere, tanquam ὑπὸ πονηρῷ τῷ πρώτῳ καὶ δυσφήμῳ κληδονίσματι, Lucian. dicit ἀποφρ. cap. 17; idem Amor. cap. 39: Εἰ γοῦν ἀπὸ τῆς νυκτίρου κοίτης πρὸς ὄρθρον ἂν ἴδοι τις ἀνισταμένας γυναῖκας,

[1] Sic *conducere* dicitur *redemptor columnam faciendam*, Cic. de Div. II, 21; *medicus ægrum sanandum*, Plin. XXIX, 1; *pistor panem molendum*, Pompon. apud Non. vide Burm. et Schwabe ad Phædr. IV, 24, 6.

[2] Ascensius: «Credebant veteres, quod, quæ prima viderent aut audirent, futuræ lucis qualitatem prædicerent; unde salutandi mos exortus, quo bonum *mane* cuique vovemus.» *Omina principiis inesse solent: Ad primam vocem*, etc. Ovid. Fast. I, 178 seq. Conf. Heynii Opusc. acad. tom. III, pag. 270 seq. Cic. Div. I, 45 seq. Plin. XXVIII, 2.

αἰσχίω νομίσει θηρίων (turpiores eas putabit esse bestiis, scil. simiis) τῶν πρωΐας ὥρας ὀνομασθῆναι δυσκηδονίστων.

VAR. 602. *Semper* pro *sæpe*, 29, solenni varietate, de qua vid. Schrader. Emendatt. p. 14.

NOT. 602—609. Notantur mulieres divites nobilesque, quæ *supposi-tos*, hoc est, nothos, spurios, subdititios, seu subditivos pueros maritis pro suis obtrudunt. — *Transeo*, prætereo silentio, jam nihil de iis dicam, ut X, 273. — *Gaudia* patrum de liberis, et *vota* eorum; quippe qui omnibus votis expetierant, ut sibi nascerentur filii; sed *vota sæpe decepta*, quæ ad irritum ceciderunt *ad spurcos* illos *lacus*, ubi olim liberi recens nati exponebantur: ex his enim expositis infantibus nobiles sterilesque matronæ formosissimos *petebant*, supponebantque pro suis; hi autem spurii et adulterini ita mirifico ac cæco casu in *Scaurorum*, hoc est, nobilium familiam recipiebantur, et ad summos adscendebant honores. Miseri itaque patres, fraudis hujus muliebris ignari, nothos filios pro suis alebant, falsoque ducebantur *gaudio*, et quidem *sæpe*.

VAR. 603. *Delata* pro *decepta*, 10, 15, 45.

NOT. 603. *Spurci lacus* qui sint, non satis mihi liquet. Interpretes, quotquot vidi, vel lectorem ad alios remittunt, et quidem ad Parrhas. de Reb. per epist. Quæst. Ep. 28, et Alph. de Caranza Misc. de Partu, c. IV, sect. 2, pag. 359, quos equidem consulere non potui, vel designari putant lacum Velabrensem, ad radices montis Aventini, ubi cloacæ (unde hoc loco *spurcos*) confluxerint. At nemo veterum scriptorum, quod sciam, hujus lacus, nedum liberorum ibi expositorum, mentionem fecit. Constat potius, Romæ infantes recens natos plerumque expositos fuisse ad columnam lactariam in foro olitorio. Hoc autem forum fuit propinquum monti Capitolino et Velabro, hoc est, planitiei inter Capitolinum, Aventinum et Palatinum montes, in quam sæpe exundabat Tiberis, quæque cloacis in hunc fluvium ductis siccabatur. [1] Eo forte et poeta et interpp. respexere. — *Inde petitos* infantes spurios, e quibus sic fiunt olim *Salii et Scauri*, hoc est, summi sacerdotes et magistratus, vel nobiles. — *Pontifices Salios*; vide Var. Lectt. *Salios* exquisite dixit poeta: nam non juvenes modo nobiles honores per sacerdotia adire solebant, sed in hoc sacerdotum quoque collegium non nisi patricii juvenes, iique patrimi et matrimi, cooptabantur. *Scaurorum* h. l. pro quibusvis nobilibus, quorum *nomina* accipiunt suppositi illi, sed *falso corpore*, h. l. quia falso, per errorem, eorum filii putantur. « Simile tamen aliquid forte accidit in familia Scaurorum, ad quod alludit poeta; » Ach.

[1] Conf. Liv. I, 38 extr. Ovid. Fast. VI, 401 seq. et Heyne ad Tibull. II, 5, 33.

Var. 604. *Pontifices alios*, 47. Præstiterit *altos*, hoc est, maximos. Restitui tamen vulgarem distinct. post *Pontifices* : poetam enim *Pontifices Salios* dixisse pro Salios summos sacerdotes, quis sibi persuadeat? Omissio copulæ *et* dura quidem est, sed in Juvenale sæpius concoquenda. Vid. ad IV, 63.

Not. 605 seq. Venusta fortunæ imago, quam et personam fecit poeta. — *Fortuna improba*, sæpe indignis secunda, et dignis adversa, unde et *existimata cæca*, *volubilis*, *vaga*, *inconstans*, *incerta*, *varia*, ut utar verbis Plin. II. — *Stat* quasi ad spurcos illos lacus. — *Noctu;* nam tum pueri clam et exponebantur ad *lacus spurcos*, vel columnam lactariam, et *inde petebantur* eum in finem, qui vs. 602 seq. designatur.

Var. 606. *Blandis* pro *nudis*, 77. — Vox *omnes* vel *omnis* aliena ab h. l. videtur : nam non *omnibus* expositis infantibus contingit tam felicibus esse, ut in nobiles recipiantur familias, sed plerique fame pereunt. Præstiterit *alis*. Ex notis Ach. nunc cognovi, eamdem vocem displicuisse Marklando et *Dusaulx*, eosque maluisse *ulnis*, brachiis.

Not. 606. *Fortuna arridens* etiam proverbii loco Romanis ac nobis dicitur. — *Nudis infantibus*, expositis. *Omnes;* vide Var. Lect. — *Fovet*, adjuvat; aut fovet eos, ut gallina pullos, ne frigore lædantur; aut potius *fovet et involvit sinu* quasi togæ (quod de intimo amore dicitur, ut *in sinu gestare aliquem*), vel in gremio, amplectens eos, et vestimentis involvens. Matris sic aut nutricis persona Fortunæ imponitur. — *Porrigit*, tradit, infert, ingerit, *domibus altis*, excelsis, hoc est, divitum ac principum virorum, vel familiis nobilibus et antiquis, *alti nominis;* vide ad vs. 385.

Var. 607. *Nunc*, 60. — *Porriget*, 47, 64.

Var. 608. *Hic se*, 46, 48, 56, 59.

Not. 608. *Secretum sibi mimum parat*, ut *jocatur*, III, 39. Conf. ibi not. et Hor. Od. III, 29, 49 seq. — *His se ingerit*, se offert, vel se præbet benignam. Malim tamen: his insciis et pæne invitis sponte quasi se obtrudit, iis favet, non quæsita aut captata; quos fere sensu nos dicimus *das Glück sucht sie*, et contra *sie suchen das Glück*. Ita *ingerere* pro obtrudere dixere Cic. Verr. III, 28, et Claudian. XV, 195. Conf. Schwartz. ad Plin. Paneg. 86, 2, ubi formæ dicendi *ingerere se* et *subtrahere se* sibi opponuntur.

Var. 609. *Atque suos*, 11, 12, 15, 16, 18—20, 23, 24, 25, 27, 45—50, 57—63, 65—69, 71—73, et XXXIII Codd. Paris. quos secutus est *Ach.* — *Semper* pro *ridens*, 7, 11, 12, 14—24, 26, 45, 49. Haud probo; etsi nec verbum *ridens* satis placet, quia modo præcessit *arridens*, et *secretum sibi mimum parat*. Displicuit etiam Schurzfleischio, qui suspicabatur, in ant. exemplari fuisse : *atque suos . . . . . producit alumnos*, et librarios pro lubitu hanc lacunam explevisse.

Not. 609. *Producit*, provehit ad honores et opes (ut apud Cic. Dom. 9),

nisi malis fingit, instituit, ut infra XIV, 228. — *Ut suos alumnos;* quo sensu tales homines etiam nobis, ut Romanis (verbi caussa Horat. Sat. II, 6, 49), *Fortunæ filii* dicuntur.

Not. 610—626. Notantur iterum, sed copiosius, non ὡς ἐν παρόδῳ, ut vs. 133—5, magicæ artes et philtra, quibus multæ mulieres, et superstitiosæ et improbæ, utantur, quibusque nonnunquam maritos in furorem impellant. Nova caussa, quare uxor non sit ducenda. Ipsa superstitio notissima et tunc temporis vulgaris; quam et animis mulierum, inpr. misere amantium, valde arrisisse non est quod miremur. Vis autem magicarum artium ad amorem tam inspirandum animo, quam ex eo pellendum spectare putabatur. [1] — *Hic* magus et vetĕrator *affert magicos cantus* mulieri, hoc est, venit ad eam, ut illam doceat artem suam ejusque vim, profitetur se docturum esse insignem usum artis suæ, et hanc commendat, haud nescius, se benigne exceptum iri; *hic*, ille, alter *vendit* mulieri philtra. — *Magicos cantus*, ἐπῳδὰς, incantamenta. — *Philtra*, φίλτρα, pocula amatoria. — *Thessala*, ut *Marsa* et *Ibera*, epitheta orn. in re magica passim obvia, quoniam hi populi et veneficii magicarumque artium studio olim infames erant, et terræ eorum feraces venenorum, φαρμάκων, hoc est, herbarum, in quarum succis non minor vis magica, quam in carminibus inesse credebatur.

Var. 611. *Mentem valeat*, 16, 22. *Valeant*, 25, 49, 54, 56, 57, 59, 60, 61, 63, 65, 66, 67.

Not. 611. *Mentem mariti vexare*, ad insaniam adigere. Sic *Thessalus veneficus perverse perturbavit familiæ mentem meæ*, Plaut. Amphitr. IV, 3, 10, et *venenum exquisitum, quod turbaret mentem* Claudii, Tac. Ann. XII, 66. Conf. Ovid. Art. Am. II, 106.

Not. 612. *Solea pulsare nates* mariti, facete pro, indignissimo eum tractare modo, ad libitum: quid enim gravius esse potest homini libero et viro, quam a muliere affici hac castigatione puerorum aut stultorum, quibus non modo caput, sed et nates *soleis*, seu sandalis (vide ad VII, 192) cædantur? Comparant intpp. verba Luciani in Philopseude (σανδάλῳ γε χρυσῷ εἰς τὰς πυγὰς, ὥσπερ τὰ παιδία, παίεσθαι ἄξιοι), et in Dial. Ven. ac Lunæ (ἤδη δὲ καὶ πληγὰς αὐτῷ ἐνέτειναν εἰς τὰς πυγὰς τῷ σανδάλῳ), et Terent. Eun. V, 8, al. 7, 4. Conf. intpp. Pers. V, 169, et Burm. Anthol. lat. tom. I, pag. 618. Nos proverbii loco dicimus: *Unter dem Pantoffel stehen.*

Not. 612. seq. Ἀποστροφὴ ad maritum vel Postumum. — *Inde est*, illo

[1] Vide Heyne ad Tibull. I, 2, 41 seq. 8, 17 seq. et ad Virg. Ecl. VIII, 69 seq. interpretes Horat. Odarum lib. I, 27, vss. 20, 21. Φαρμάκοις γυνὴ τὸν ἄνδρ' ἔμηνεν, Aristoph. Thesmist. 568.

philtro efficitur. — *Animi caligo*, inscitia, stupor et vecordia, ut σκότος et σκοτίζεσθαι.

Var. 614. Post hunc versum tres spurii:

> Semper aquam portes rimosa ad dolia; semper
> Istud onus subeas, ipsis manantibus urnis,
> Quo rabidus nostro Phalarim de rege dedisti,

inseruntur in 1 (in quo legitur *Quod rabidum*), 31 a 41, 49 (in quo *rostro* pro *nostro*), et 57 (in quo *rostro Phalari* exstat), nec non in Cod. Alexandr. et duobus aliis Paris. A Juvenalis ingenio non valde abhorrent judice Ach.

Not. 615. *Avunculus Neronis*, C. Caligula, frater Agrippinæ, matris Neronis, qui «credebatur potionatus a Cæsonia uxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit,» Suet. Cal. c. 50, quod et tradit Joseph. Ant. XIX. Notissimus est furor hujus monstri, cujus effectus mox vs. 618—625, memorantur. Veræ autem immanitatis hujus caussæ nec philtrum Cæsoniæ, nec gravis morbus, in quem octavo imperii mense incidit, sed aliæ fuisse videntur, de quibus alio loco disputavi.[1] — De *Cæsonia* vide Suet. Cal. 25; Plin. VII, 5, et Dio Cass. LIX, 12, 23.

Not. 616. *Frontem pulli*, hippomanes, de quo vide supra ad vs. 133. — *Totam frontem* poeta dixit propter summam Caii furorem. — *Tremuli*, trementis frigore, hoc est, recens nati. — *Infudit* philtro.

Var. 617. *Infundit*, 47, 48, 58, 85.

Not. 617. *Quæ* mulier *non faciet*, *quod Principis* uxor fecit, tali exemplo incitata? Conf. ad VIII, 198.

Not. 618. *Cuncta*, universum imperium Rom. *ardebant* (*tonante Caio*, *sc. ex furore*, vet. Scol.) tanquam igne furoris Caligulæ, *et ruebant fracta compage*, hoc est, res publica, capite ejus furente, collabebatur, instar ædium, quæ ruunt, commissura lapidum rupta; *non aliter*, *quam* cælum totusque orbis terrarum mutaret, vel adeo periret, Jove a *Junone* (ut Caligula a Cæsonia uxore) in furorem verso, qui res humanas, ut Caligula Romanas, regit.[2]

Var. 620. *Fuit* pro *erit*, 19.

Not. 620 seq. Scelus *Agrippinæ*, sororis Caligulæ, quæ maritum suum

---

[1] *Grundriss der Gesch. der Römer*, etc., pag. 341 seq.

[2] Poeta non respexit h. l. vel cingulum, κεστὸν ἱμάντα, Veneris (cujus ope *Juno maritum* non *insanum fecit*, sed in se amorem ejus accendit; vide Hom. Il. Ξ, 197—354), vel, quod Hennin. suspicabatur, exustionem mundi, de qua vide Lucan. lib. I, vss. 72—80: «.... quum, compage soluta, Secula tot mundi suprema coegerit hora, etc.»

Claudium Imp. *boleto* venenato exstinxit (de quo vide ad V, 146 seq.), *minus nocens* fuit, vel nocuit imperio romano, quam flagitium Cæsoniæ, quæ venenis philtro infusis Caligulam impulit in furorem, quo instinctus ille in omnes sæviit: illo enim scelere non nisi unus, et quidem senex ac fœdus, homo, hoc permulti periere. — *Boletus*; vide ad XIV, 8.

Nor. 621. *Præcordia pressit*, cor compressit vi veneni, hoc est, necavit senem. Claudius excessit anno ætatis LXIV; vide Suet. 45, et ibi Casaub.

Var. 622. *Descendere suasit*, 46, 47, 48, 58, 64, 85.

Var. 623. *Longam manantia labra salivam* pro *longa manantia labra saliva* restitui ex 10, 11, 14, 15, 23—27, 45—50, 54—67, 69, 71—74, 77, 85, et XXV Codd. Paris. quoniam illa lectio et doctior est, et majori auctoritate firmatur, in hac autem tot ὁμοιοτέλευτα aures offendunt. Conf. inf. ad XV, 136, et inpr. Heins. ad Ovid. Met. VI, 312, ubi multis exemplis docet, verba *manare, fluere, pluere, stillare, rorare*, et similia nunc quarto casui, nunc sexto jungi.

Nor. 622, 623. Alia et quidem lepida caussa, cur facinus Agrippinæ non adeo turpe ac scelestum sit, a deformitate Claudii petitur, quo spectant *tremulum caput* et *labra manantia longam salivam*. Res nota vel e Suet. Claud. 30, et Dion. Cass. LIX. — *Caput descendere jussit in cælum*, salse junctisque contrariis de Claudio et de consecratione talis hominis, quem et Seneca in ludo illo de morte C. Cæsaris fingit inter divos relatum quidem, sed accusante D. Augusto in judicio Deorum damnatum, et a Mercurio obtorto collo ad inferos tractum esse. Idem Seneca facete et deos induxit ridentes tremulum Claudii caput vocemque raucam, et suum librum non ἀποθέωσιν inscripsit, sed ἀποκολοκύνθωσιν, quia ἀποθέωσις Claudii effecta quasi est esu boleti, κολοκύνθης, seu κολοκύντης, quod cibi genus ei gratissimum erat, et in quo acceperat venenum; unde boletos *deorum cibum* appellare solebat Nero, teste Suet. c. 33. Conf. ad V, 147. Vetus Schol. « *In cælum* ridens pro *ad inferos*, et *apotheosin* deridet. » Britan. notat, per eumdem jocum dixisse Senec. *Postea quam Claudius in cælum descendit*, et Stat. in Silv.

Nondum stelligerum senior demissus in axem. [1]

— Eamdem verborum inter se oppositorum conjunctionem apud poetas sæpe invenire est. Sic apud *P. Corneille, Cinna*. act. II, sc. 1:

« Et monté sur le faîte, il aspire à descendre. »

Et *Gilbert*, *Mon Apologie*, de nostrate *La Harpe*

« Tomba de chûte en chûte au trône académique. » Ed.

[1] Confer Scaligerum, Poet. VI, et Goldast. ad Petronium, pag. 717. « *Descendere in cælum* festive pro *adscendere* primum in cælum, et brevi post ad inferos *descendere*. » Hoc notavit *Achaintre*.

Var. 624, 625, transpositi in 17.

Var. 625. *Mistos*, 68, 71, 72, 73.

Not. 624 seq. *Hæc potio* amatoria, philtrum, a Cæsonia Caligulæ datum, *poscit ferrum*, etc., exquisite pro, effecit, ut Caligula in furorem verteretur, eoque instinctus *ferro* atque igni sæviret in omnes, eos *torqueret*, hoc est, exquisitis excruciaret tormentis (conf. Suet. Cal. 32), et *laceraret*, hoc est, creduliter tractaret ac perderet (nisi proprio sensu capere malis coll. Suet. Cal. 28). — *Patres* atque *Equites*, quorum *sanguis mixtus* est, quorum cædes sunt mixtæ, hoc est, qui simul ac sine discrimine trucidati sunt. Sævitia, qua adversus omnis ævi, ordinis ac generis homines grassatus est Caligula, notissima est ex Dione, LIX, 1—26; Phil. legat. ad Cai. et Suet.

Var. 626. *Quantum*, 12, 45. *Quantum venefica*, 85. Vulgo male distinguitur : *Tanti partus equæ, quanti una venefica constat?* vel *constat*. Sed quocumque modo interpungantur hæc verba, parum placent, et semper putavi, poetam scripsisse : *Tanti partus equæ! tanti una venefica constat!* In qua repetitione voc. *tanti* magna vis inest, ut sup. v. 595 (qui locus similis est), et inf. VII, 31. Nunc video ita legi in 50 et 64, atque ita jam h. l. emendasse Brit. Ascens. Rigalt. Prat. et Schurzfl.

Not. 626. *Tanti* pretii *constat*, constitit, hoc est, tantopere rei publ. Rom. nocuit; ut nos dicimus : *so viel kostete, so theuer und so hoch kam es zu stehen.* — *Partus equæ*, hippomanes, in philtro Cæsoniæ. Vide ad vs. 133, et 616. — *Quanti una venefica constat*, quantam eheu! nocere potest! Sed languent hæc verba, etsi ita explicare ea malim, quam aliorum rationes sequi. Conf. Var. Lect.

Var. 627. *Nemo repugnat*, 16, 85. *Nemo recusat*, *Nemo vetat*, 77. Sed ipsa vel dubitatio, vel optatio longe venustior est.

Not. 627—661. Ultima caussa, quare uxores non sint ducendæ, quoniam sc. multæ, quæstus potissimum cupiditate, vel turpi amore ductæ, non modo privignis (vs. 628 seq.), sed et suis filiis (vs. 634 seq.), quin etiam maritis suis (vs. 652 seq.), veneno, immo, ut olim Clytæmnestra, ferro mortem moliantur. — *Oderunt* uxores liberos, maritis *natos de pellice*, et *nemo repugnet*, vel *vetet*, nemo, opinor, eas propterea reprehendet; at minime ferendum est, quod *jam fas est*, hoc est, fas esse, vel sibi licere putant, quod non dubitant aut verentur, *privignum occidere*, vel quod jam impune hoc faciunt. Novercarum non modo odium in privignos, sed et veneficia passim memorantur. Vide ad vs. 134. [1]

Var. 629. *Quis*, 46, 48, 59, 60, 65.

[1] Vetus Schol. « Exemplum et in Agrippinam, quæ privignum suum Britannicum veneno necavit, ut filio suo Neroni conferret imperium. »

Nor. 629. *Pupilli*, orbi, quorum bonis post patris mortem inhiat noverca. — *Amplior res* familiaris, magnæ opes.

Nor. 630. *Custodite animas*, solliciti estote de vita nostra, cavete vobis ab insidiis novercæ. — *Nulli mensæ*, ne matris quidem.

Nor. 631. *Adipata*, sc. edulia, vel quævis opera pistoria, adipe confecta et condita, pinguia; vel, ut vet. Schol. interpretatur, dulcia placenta. — *Livida*, quibus mixta sunt venena livida, pallida, seu lividos facientia; nam veneno necati fiunt lividi. Sic et *lurida* ac *pallida aconita* et *vina* dicuntur.[1]

Var. 632, 633. A secunda manu additi sunt in 8, et vel omissi in VI Codd. Paris. vel a recentiori manu adscripti. Eosdem a pluribus Codd. abesse, monent vet. Schol. et Valla. Nec tamen ab h. l. et poetæ ingenio abhorrent. — *Sordeat*, 11, unde *Sorbeat*, conj. Schurzfl. sed male: nam verbum *mordeat* ad cibos venenatos, et *prægustet* ad *pocula* veneno ferventia spectat.

Nor. 632, 633. *Mordeat*, edat, *ante aliquis*, *quidquid* cibi *porrexerit* tibi *illa quæ peperit*, hoc est, mater ipsa, quæ nonnunquam filios ex priore marito venenis necat, ut secundo gratificetur marito, et ad hunc bona vel opes illorum transferat (quod mox probatur exemplo Pontiæ), *et pappas prægustet pocula*, quod facit prægustator, προγεύστης, προτένθης, ἰδίατρος et a potione, h. e. minister, qui cibos et vina ante quam dominus aut rex gustat, ut is sine suspicione veneni edere ac bibere possit. « Duæ *prægustatorum* ordines erant: alii partem aliquantulam cibi edebant ante, alii potum explorabant, et illi propr. *prægustatores*, ἰδίατροι, hi *a potione*, ut in vet. lap. Trajani, vocabantur; » Ach.[2] — *Timidus*, metuens de vita sua. *Pappas*, πάππας, venerationis nomen, quo blandientes utebantur infantes; propr. pater, et h. l. forsan (ut in Gloss. Isid.) pædagogus, *discipuli custos*, VII, 218. — Sensus est: noverca cui proprii sunt libri; qui ut heredes fiant *amplioris rei* familiaris *privignorum* et *pupillorum*, quorum parentes mortui sunt, et noverca tantum superest, *venenum maternum* a noverca iis miscetur. Ita recte sententiam poetæ cepit ill. *C. de Haugwitz.*

Var. 633. *Tumidus*, 11, 46, 48, 49, 77. — *Pappas* restitui ex 23, 49, 64. Est Gr. πάππας. *Papas* in reliquis libris.

Nor. 634—644. Dicat forte aliquis, hæc mulierum scelera, quæ tam atrocia sint, a me fingi, ut facinora Procnes et Medeæ a tragicis Græ-

[1] Ovid. Met. I, 147; Lucan. IV, 322, et Prop. IV, 7, 36, al. 44, ubi vide Broekhus.

[2] Quem prægustandi morem a Persis maxime traductum, et ab Augusto demum Romæ receptum suspicabatur Lipsius, quem vide ad Tac. Ann. XII, 66. Conf. Athen. IV, 21 (71), p. 171; Suid. voc. ἰδίατρος; Eustath. ad Hom. Od. I, pag. 37, 16 seq. Xenoph. Cyrop. I, 3; Meurs. Animadv. Miscell. I, 12, et Exerc. crit. II, 3.

corum, et e fabulis vel tragœdiis repeti, adeoque hæc Romanis inaudita iis affingi; sed Pontiæ exemplum docet, vera esse, quæ et a me, et a tragicis memorantur. — *Altum satira sumente cothurnum* (vide ad vs. 506), inducta satiræ meæ tragica grandiloquentia et sublimi stylo, quo res nimis augeri solent: de quo vide Kœnig ad Pers. V, 3. — Similiter nostras *Boileau*, sat. X, vs. 386 seq.

« Mais quoi ! je chausse ici le cothurne tragique :
« Reprenons au plutôt le brodequin comique. »

— *Finem legemque*, terminos normamque, *priorum* poetarum satiricorum, qui communis tantum vitæ carpserunt vitia, nec nisi vera ac nota, vel vulgaria tractarunt argumenta, prout natura carminis satirici exigit. Ed.

Var. 635. *Scilicet egressi et finem*, 10, 17, 18, 21, 22, 45, 46, 48. *Scilicet egressi finem*, 11, 14, 15, 16, 19, 20, 24—27, 47, 49, 50, 54—60, 64, 65, 85, multo aptius et recte, judice Schurzfl. qui et v. 637, post *Latino* interrog. notam vulgo poni probabat. Ego minorem distinct. post *cothurnum* delevi.

Not. 636. En grandiorem orationem, qua et satirici utuntur, quoties res, quas tractant, eam admittunt, vel adeo postulare videntur. Sic et mox vs. 659 seq. — *Bacchamur carmen grande*, magnifice pro: tragicas cano res divino spiritu ac furore instinctus. *Bacchantur* proprie Bacchæ vagantes ac furentes; hinc et poetæ ἐνθουσιάζοντες (conf. Stat. Silv. I, 2, 258), ipsique histriones tragici propter oris *hiatum* vehementemque vocis contentionem. *Grande*, sublime, tragicum. — *Sophocleo hiatu*, ut *S. cothurno* apud Mart. III, 20, 7, et Virg. Ecl. VIII, 10, pro Sophoclea gravitate ac majestate. — *Hiatus* (oris) proprie tribuitur iis, qui grandia sive dicunt, sive dicere conantur, et hinc potissimum vel actoribus tragicis, qui personas induebant e cavato factas ligno oreque hiante, per quas sonus edebatur multo gravior grandiorque solito, et rebus tragicis aptus, vel poetis tragicis ac dithyrambicis, qui ampullatis et sesquipedalibus verbis uti solent. Sic et Gr. χαίνειν et οἱ ὑποκριταὶ μέγα κεχηνότες, apud Callim. H. in Apoll. vs. 24, et Lucian. in Nigrino, tom. I, pag. 50, ed. Reitz. Conf. Broekhus. ad Prop. III, 23 (al. 31), 6; intpp. Pers. V, 3, et Prud. c. Symm. II, 646.

Not. 637. *Carmen*, argumentum carminis, *ignotum montibus Rutulis cæloque Latino*, Italiæ, seu Latio, hoc est, res Romanis inauditas, scelera, qualia nunquam Romæ et in Latio edita sunt. Conf. III, 84, 85, et XII, 103, 105.

Not. 638. *Nos utinam vani*, mendaces simus! vellem hæc tragica a nobis fingerentur tantum, non vera essent. *Vani* dicuntur, qui sibi vana, inania et speciosa persuadent, vel, ut utar verbis Gellii, XVIII, 4 (ubi vide intpp.), *mendaces, et infidi, et levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componentes.*

Not. 638 seq. *Pontia*, Drymionis uxor, T. Pontii filia, quæ Neronis

temporibus, mortuo marito, duos filios necavit veneno, ut bona eorum ipsa acciperet, aut donaret adultero; sed postea se prodidit ipsa, morteinque sibi conscivit incisis venis: vide vet. Schol. et Pith. et Schurzfl. Mart. II, 34, 6, et inpr. ant. lap. in Ge. Fabricii Collect. Antt. pag. 234. — *Feci* vox reorum fatentium, ut *fecisse videtur* Prætoris, seu Quæsitoris, reo convicto. Conf. Scriver. ad Martial. IX, 16, 2.

Not. 639. *Aconita;* vide ad I, 158.

Var. 640. *Deprehensa*, 15, 27, 63, 64. — *Tantum* pro *tamen*, conj. Guietus.

Not. 640. *Quæ* aconita *deprensa*, apud me inventa. Sed quoniam verbum *patent* adjicitur, malim hunc locum sic explicare: *Quæ* facinora (hoc est, facinus) *deprensa patent*, manifesta sunt. Aptiora tamen hæc, si Pontia non se ipsa prodidit, sed filios veneno necasse convicta est. Illud tradit Schurzfl. hoc Pithœi Schol. — *Tamen*, ut antea *sed*.

Var. 641, 642. Transpositi in 22.

Not. 641. *Tune duos — Tune duos?* His verbis iratus poëta alloquitur Pontiam, quæ ipsi respondet: *Septem, si septem forte fuissent.* — O *sævissima vipera*, immanis bellua, an tu *duos* filios *una cœna* occidisti, simul mactasti, hoc est, necasti cœnantes veneno? Immo *septem* necassem filios, *si septem forte fuissent* mihi. — Verba *tune duos* διαιρῶς repetuntur, et abrupta oratio affectui convenit. — *Vipera* dicitur crudelissima mater, monstrum hominis, ut nobis *Natter*.

Var. 642. *Septem si*, 27.

Not. 642. Conf. Senec. Med. vs. 952 seq.

Var. 643. *Credatur*, 16. — *Magicis* pro *tragicis* inepte reponunt 4, 14, 16, 21, 26. — *De Colchide torva*, 10—24, 27, 45—50, 54, 55, 56, 59—65, 68—71, 73, 74, 85, et plurimi Codices Paris. e quibus hanc lectionem nunc revocavi cum *Achaintre*. *Torvæ*, 72. *Terra*, 77, et paucissimi Codices Paris. *Sæva*, 1, 25, 26, 58, 66, 67, 75—77, 81, 82, et quidam Codices Paris. quæ lectio glossam redolet.

Not. 643 seq. Si nostris temporibus Pontia tale facinus commisit, jam credamus vera esse, quæ tragici poetæ de Medea et Procne fabulose tradidisse videntur: nam scelus Pontiæ multo gravius est, quia illud non aliqua mentis perturbatione, ut Medea et Procne, sed certa deliberatione animi peregit. — *Torva*, sæva; nisi malis irata. Conf. vs. 647 seq. — *Colchide* femina, Medea, Æetæ, Colchorum regis, filia, et uxore Jasonis, quæ repudiata ab eo, quum Creusæ, vel Glauces amore captus esset, liberos suos jugulavit. — *Procne* Pandionis, Atheniensium regis, filia, et Terei, Thracum regis, uxor, quæ marito, ut stuprum Philomele, sorori suæ, ab eo illatum vindicaret, Ityn filium coctum epulandumque apposuisse dicitur. Fabulæ tam de *Medea*, quam de *Tereo*, *Procne* et *Philomela*

notissimæ sunt, multorumque poetarum ingenia exercuere.[1] — *Nil contra* dicere *conor;* nolim negare, hæc vera esse.

Var. 644. *Progne,* 13, 17—25, 57, 58, 60, 64—67, 85, sed Gr. Πρόκνη dicitur. Vid. Heins. ad Ovid. Met. VI, 428.

Not. 645. *Et,* etiam, *illæ,* Medea et Procne, *audebant grandia monstra,* hoc est, scelera immania (ut mox vs. 647, et supra vs. 286, ubi vide not.), at *non propter numos,* lucri cupiditate, ut Pontia, eique similes mulieres nostri ævi, quæ filios suos interimunt, ut bonis eorum potiantur, et hæc ad adulteros suos, vel secundos maritos transferant; sed impatientia amoris, doloris et *iræ,* cujus affectu femineus potissimum *sexus* intemperantius propter animi imbecillitatem *incenditur* (*notum, furens quid femina possit,* Virg. Æneid. V, 6), et quo fit, ut *summa monstra,* seu scelera *minorem admirationem* majoremque excusationem habeant, vel minus mira sint et excusatiora, quam si mulier, ut Pontia, *scelus ingens sana,* non perturbato, sed quieto et tranquillo animo, *facit* et *computans,* cogitato et consulto; qualem ego minime *tulerim,* quæ meo judicio multo scelestior est quam ea, quæ iracundia stimulante *præceps fertur* ad omne facinus. Sic et judicat Cicero, Off. I, 8, extr.

Not. 646 seq. Conf. Virg. Æneid. V, 6; Sen. Med. vs. 579 seq. et Horat. Od. I, 16, 5 seq.

Var. 647. Post *monstris* multi male punctum posuere, etiam Hennin.

Var. 648. *Èt rabie* restitui ex 14—25, 45, 56, 57, 59—61, 63, 65, 66, 67, 74. Copulam *et* ejecerunt Hennin. et alii. Tum certe post *sexum,* non post *monstris,* major distinctio ponenda videtur.

Not. 648. *Rabie,* δεινῶς pro iracundia. — *Jecur incendente;* vide ad I, 45. — *Feruntur præcipites* (nam *furor iraque mentem præcipitant;* Virg. Æneid. II, 316), quantô impetu prona ruunt *saxa jugis* montium *abrupta, latere montis,* tanquam fundamento et fulcro eorum, *subtracto* et *recedente.* Præclara comparatio ex ipsa rerum natura petita, quæ simul animi affectionem re sub sensus cadente adumbrat, quod comparandi genus suavissimum est.[2] — *Clivo,* vertice, *pendente,* et ruinam minitante.

Not. 651. *Quæ computat,* reputat, deliberat, certo judicio scelus ante expendit, quam aggreditur; nisi malis, quæ, ut Eriphyle, rationem rei supputat, vel subducit, ad calculum quasi revocat facinus et emolumentum, quod inde ad se redundet. Sic apud Senec. Epist. 14: «Nemo ad humanum sanguinem propter ipsum venit, aut admodum pauci: plures computant, quam oderunt. Nudum latro transmittit. — Conf. ad vs. 199 et 638. Vetus Schol. «*Quæ propter avaritiam peccat, ut Eriphyle.*» — *Sane,*

[1] Vide Heyne ad Apollodor. I, 9, 28, et III, 14, 8; ad Virg. Eclog. VI, 79.

[2] Conf. ad I, 165; Hom. Il. N, 137 seq. et Virg. Æneid. XII, 684 seq. ubi vide Heyne.

mentis compos, sine affectu animi, inpr. iræ, quæ homines sæpe reddit insanos, furentes, μαινομένους. Conf. II, 18 seq.

Not. 652. *Spectant* ejusmodi mulieres improbæ in ludis. — *Alcestim subeuntem fata mariti*, mortem pro eo; vitam Admeti mariti morte sua redimentem. [1]

Not. 653. *Permutatio* mortis: nam oraculum vel Parcæ dixerant, Admetum, quamvis finitum esset spatium vitæ, non moriturum esse, si alius pro eo mori vellet.

Var. 654. *Cupiant*, 12, 14, 17, 18, 20—23, 25, 27, 45—48, 56—74, 85, et plurimi Codd. Paris. e quibus illud restitui nunc cum Ach. *Cupiunt*, 15, 16, 49. *Cuperent*, 77. *Cupient* reliqui et quidam Codd. Paris. — *Catelli*, 21, 22, 26, 27, 47, 48, 58, 85. Conf. ad v. 551.

Not. 654. Nostræ mulieres cariores habent catulos suos, quam maritos.

Var. 655, 656. Vulgaris verborum distinctio in omnibus libris est:

> Occurrent multæ tibi Belides atque Eriphylæ:
> Mane Clytæmnestram nullus non vicus habebit:
> Hoc tantum, etc.

Qua servata, vocab. *Mane*, nisi me omnia fallunt, plane ineptum est; quod interpretes vel non sensisse, vel dissimulasse mireris. Hinc conjeceram olim *Pæne*, quod tamen languet. Postea vidi, non lectionem sollicitandam esse, sed interpunctionem, ut egregia exoriatur sententia. Vid. Comm. — *Occurrunt*, 18, 27, 47, 48, 58. — *Tibi multæ*, 46—49, 54, 58, 64, 85.

Not. 655, 656. Romæ multas mulieres reperies similes *Belidibus*, *Eriphylæ* et *Clytæmnestræ*. — *Belides*, sive *Danaides*, L filiæ Danai, et neptes Beli, regis Argivorum, eodem die totidem filiis Ægypti patrui, Memphi regnantis, nuptæ, quæ suum quæque maritum, præter unam Hypermnestram, uxorem Lyncei, prima nocte interfecisse, et hinc apud inferos in dolia pertusis fundis aquam infundere dicuntur. [2] — *Eriphyle*, Talai filia, soror Adrasti, et uxor Amphiarai vatis, quæ maritum latitantem, ne ad bellum Thebanum, quo se periturum prævideret, proficisci cogeretur, monili Cadmeo a Polynice corrupta, prodidit, et postea, quum a Thersandro peplum accepisset, Alcmæonem quoque filium ad arma cum Epigonis capienda adducere conatus est. [3] — *Clytæmnestram*, quæ Agamemnonem maritum, a bello Trojano reversum, ope Ægisthi adulteri, bipenni obtruncavit.

[1] Res nota ex Eurip. Alcestide, Apollod. I, 9, 15 al.

[2] Vide Hygin. f. 170; Ovid. Ep. Her. XIV; Heyne ad Apoll. II, 1, 4, p. 268 seq. et ad Tib. I, 3, 79; Mitsch. ad Hor. Od. III, 11, 23 seq. *Creuzer's Symbolik*, t. III, p. 172; IV, p. 19.

[3] Vide Athen. VI, 4 (19 et 22), pag. 231, 232. Heyne ad Apollod. III, 6, 2, 7, 2 et 5, et Mitsch. ad Hor. Od. III, 16, 11 seq. Fabulas turbavit vetus Schol. deceptus similitudine nominum: de quo vide Wessel. Obss. I, 13, et Muncker. ad Hygin. f. 112.

Var. 656. *Clitemnestram*, *Clitemnæstram*, *Clytemnestram et Clytemnæstram* scripsere ceteri editores præter Ach. Sed dicitur Κλυταιμνήστρα.

Not. 656. Vox *mane*, quam interpretes silentio prætereunt, his verbis, si vulgarem eorum distinctionem et colon post *Eriphylæ* positum retinueris, tenebras offundit, quas Hein. hac interpretatione sibi dispulisse videtur: «Poeta vs. 651, dixerat, talem mulierem ferri non posse, *quæ computaret, et scelus ingens sana faceret*, id est, nullo animi affectu impulsa, nulla omnino re, quæ judicium et deliberationem tolleret. Jam addit:

Mane Clytæmnestram nullus non vicus habebit,

id est, vel *mane*, ubi tamen non ebriæ sunt mulieres, et omnia certa deliberatione agere possunt, tanta scelera, quantum Clytæmnestra, faciunt. Rara hæc vocis *mane* significatio, sed plane ita est apud Mart. XI, 18:

Non omnis nostri nocturna est pagina libri;
Invenies et, quod mane, Sabine, legas.

Nescio an trahendus sit Mart. X, 48, 21, 22:

Accedent sine felle joci, nec mane timenda
Libertas, et nil, quod tacuisse velis.

Non rara est hæc vocis *mane* significatio, sed frequentissima apud Horat. Od. IV, 5, 39, 40; in Sat. II, 3, 282; in Epist. I, 19, 5; Martial. XII, 12; Ovidium et alios; neutiquam vero, ne quid gravius dicam, congrua h. l. quo agitur tum de feminis, tum de horrendis earum sceleribus, quæ ab avaritia, amore et ira oriuntur: non a vinolentia et ebrietate: cujus vitii poeta quidem ipsas quoque mulieres insimulaverat, vs. 300—345, quo tamen illas ad libidinem omnemque turpitudinem, non ad atrocia, quæ nunc memorantur, facinora rapi dixerat. Aptior ex his verbis sensus prodibit, si ea sic interpunxeris: *Occurrent — Mane: Clytæmnestram*, etc., et ad occursum diri ominis retuleris, de quo vide not. ad V, 54; VI, 572, et inpr. VI, 601.

Var. 657. *Differt*, 16.

Not. 657—659. Σκωπτικῶς dicit poeta, *hoc tantum referre*, sive interesse inter Clytæmnestram et mulieres Romanas, quod illa rudi ac simplici modo, utraque manu et bipenni usa, maritum occiderit; hæ autem majori arte, calliditate ac subtilitate, parva scil. veneni portione clam adhibita, ad eumdem finem perveniant. — *Tyndaris illa*, Clytæmnestra Tyndari, regis Spartani, et Ledæ filia. — *Insulsam et fatuam*, rudem et inhabilem, neque mulieri, neque rei satis aptam; nisi adjectiva pro adverbiis posita, vel ad ipsam *Tyndaridem* referenda sunt. «Ea hic adumbratur nondum satis apta facinori, vel pro sceleris horrore mente turbata;» Ach.

Var. 658. *Invisam*, 7, 13, 19—22, 24, 29. — *Et vacuam*, 16. — *Læva dextraque*, 25, 27, 46—50, 54—65, 68, 71, 72, 73, 85.

Not. 659. *Res*, cædes maritorum. — *Pulmone rubetæ*; vide ad I, 70.

Var. 660. *Prægustavit*, 70. *Prægustaret*, 10, 13—27, 45—50, 54—67, 74, 77, 85, et sic Ach. cujus nota est : « Hanc lect. ex Codd. Paria. revocavi. Pauci *prægustavit* : quidam, sed pauciores, *prægustabit*. *Dusaulx* solus legit *prægustarit* ; non male, sed sine auctoritate. »

Not. 660—1. *Sed tamen et ferro* res ageretur a Rom. mulieribus, si maritus se præmuniret antidotis. — *Atrides*, Agamemnon, maritus Clytæmnestræ; hoc loco quilibet maritus, iisdem, quibus ille, insidiis ab uxore petitus : nam modo Clytæmnestræ mentionem fecerat poeta.

Not. 661. *Cautus*, ut sibi caveret, utque tutus esset ab insidiis uxoris, quas metuit. — *Medicamina Pontica regis ter victi*, antidotum, quod magna arte parari, et quo uti solebat Mithridates, *rex Ponti*, qui *ter*, vel tribus bellis, a Sylla, Lucullo et Pompeio, victus est. [1] — *Pontica* ab anatibus Ponticis sic dicta, ob caussam a Gell. XVII, 16, allatam ; C. Vales. — Ista *medicamina* sæpius memorat *Racine*, *Mithridate*, inpr. act. IV, sc. 5 :

« Quoi ! des plus chères mains craignant les trahisons,
« J'ai pris soin de m'armer contre tous les poisons :
« J'ai su, par une longue et pénible industrie,
« Des plus mortels venins prévenir la furie. » Ed.

[1] De ejus alexipharmaco conf. infr. ad XIV, 252 seq. Plin. XXIII, 7—9 ; XXV, 2 ; XXIX, 1 ; Appian. Bell. Mithrid. 109 seq. Dio XXXVII, 10 seq. Gell. XVII, 16 ; Seren. Sammon. cap. 60 et 62 ; Martialis, lib. V, Epigramm. 77 ; Celsus, lib. V, 23, et Galenus, de Antidotis, II, 1, 2.

D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SATIRARUM

LIBER TERTIUS.

D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SATIRARUM

LIBER TERTIUS,

CUM INTERPRETATIONE LATINA,

VARIIS LECTIONIBUS,

ET SELECTISSIMIS OMNIUM COMMENTARIIS.

SATIRÆ SEPTIMÆ

ARGUMENTUM.

Mendicant artes, sic Roma coegit avara.

ARTIUM NEGLECTARUM QUERELA. — DE STERILITATE STUDIORUM. DE POETARUM CALAMITATIBUS. CONTRA DIVITES, QUI POETAS MENDICARE PATIEBANTUR.

Artes et studia foventur tantum a Cæsare, a reliquis vero proceribus ita contemnuntur, ut jam doctissimi celeberrimique viri ad vilia quæque ministeria paupertate adigantur, v. 1—29. Nobiles enim divitesque Romani *poetas* admirantur tantum ac laudant, vel carmen sibi oblatum carmine rependunt, et ruinosas quidem recitantibus ædes, non vero subsellia quoque aliasque impensas suppeditant, v. 30—47. Nihilo secius multi ad versus faciendos gloriæ cupiditate impelluntur, quum tamen mens, nisi expers sit curarum, non facile numine quasi afflari, sensusque excelsiores concipere, neque præstantissimi poetæ, si desint Mæcenates, vitam sustentare possint, v. 48—97. Non fructuosior nunc est labor *historicorum*,

etsi plus temporis, olei ac chartæ poscat, v. 98—105. Neque majora ex ingenti vocis laterumque contentione præmia ac commoda redundant in *causidicos*, *patronos caussarum* et *jureconsultos*, qui præterea, ut plebem, hominum ingenia ex cultu et magnificentia æstimantem, alliciant, se divites esse simulant ac nobiles, et ita ære alieno obruuntur, v. 106—149. Omnium tamen ingratissimus est labor et merces vilissima *rhetorum* atque *grammaticorum*. Illi enim continuis puerorum eadem recinentium declamationibus excarnificantur, et, si pueri juvenesque obtusi ingenii nihil in literis proficiunt, soli in culpa esse dicuntur, nec, ut olim præceptores, a discipulis coli atque amari, sed derideri vel adeo cædi solent; a parentibus vero, qui magnam vulgo in ædificia et epulas impensam, et nullam fere in educationem institutionemque liberorum faciunt, exiguam laboris molestissimi mercedem capiunt : unde perrarum est locupletis rhetoris, qualis Quintilianus fuit, exemplum, v. 150—214. Hi vero, *grammatici*, a quibus non multiplex tantum et perfecta eruditio, sed summa quoque discipulorum cura exigitur, non tantum nihilo plus præmii ferunt, sed etiam parte mercedulæ fraudantur, eamque vix sine lite obtinent, 215—243.

SATIRÆ SEPTIMÆ

ANALYSIS.

Excellentissima Satira, cujus lectio maxime commendanda est iis, qui rem literariam scholasticamque fovere et possunt et debebant. Quæ enim Juvenalis de misera studiorum studiosorumque conditione disputavit, ad nostra quoque tempora transferri possunt fere singula; et quam multi hæc jam surdis cecinerunt auribus ?

Sint Mæcenates; non deerunt, Flacce, Marones!

SATIRA SEPTIMA.

Et spes et ratio studiorum in Cæsare tantum:
Solus enim tristes hac tempestate Camenas
Respexit, quum jam celebres notique poetæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent; nec fœdum alii, nec turpe putarent
Præcones fieri; quum, desertis Aganippes
Vallibus, esuriens migraret in atria Clio.
Nam si Pieria quadrans tibi nullus in umbra
Ostendatur, ames nomen victumque Machæræ;
Et vendas potius, commissa quod auctio vendit
Stantibus, œnophorum, tripodas, armaria, cistas,

SATIRÆ SEPTIMÆ INTERPRETATIO.

1. Viri litteris dediti nullam habent spem utilitatis alicujus e suis laboribus capiendæ, nullam, cur incumbant in studia, rationem, nisi in imperatoris benevolentia et liberalitate sitam. Unus enim ille Musas, hac ætate contemptas miseratus, earum inopiam ac solitudinem sublevavit, quum jam clarissimi poetæ meditarentur dare operam, certa mercede pacta, calefaciendis Romæ furnis, aut artem balneatoriam Gabiis exercere; quum alii nequaquam indignum putarent, si fierent præcones; quum ipsa Clio, fame premente, amœnas, quibus fons Aganippe cingitur, valles relinquere, et in divitum domos urbanas recipere se cogeretur. Et vero si ex improbo, quem in litteris collocas labore, sub umbra montis Pierii, ne teruncius quidem tibi redit in crumenam, quid dubites nomen inter præcones, ut Machæra, profiteri, et eodem atque ille modo quæstum facere? Præstat sane circumstanti populo ea divendere, quæ auctione constituta vendi solent, vinaria vasa, tripodas, capsas, armaria, libros, tragœdiam quæ Alcyone vocatur, a Paccio scriptam,

Alcyonen Paccî, Thebas et Terea Fausti.
Hoc satius, quam si dicas sub judice; «Vidi,
Quod non vidisti.» Faciant equites Asiani,
Quamquam et Cappadoces faciant equitesque Bithyni,
Altera quos nudo traducit Gallia talo.

Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.
Hoc agite, o juvenes: circumspicit et stimulat vos,
Materiamque sibi ducis indulgentia quærit.

Si qua aliunde putas rerum exspectanda tuarum
Præsidia, atque ideo croceæ membrana tabellæ
Impletur, lignorum aliquid posce ocius, et, quæ
Componis, dona Veneris, Thelesine, marito;
Aut claude, et positos tinea pertunde libellos.
Frange miser calamos, vigilataque prælia dele,

vel Thebas et Tereum, a Fausto compositum: præstat, inquam, hac arte vitam tolerare, quam facere quæstum dicendo falsum testimonium, et affirmando rem a te visam esse, quæ visa non sit: quamvis hoc illis equitibus novis, qui ex Asia, Cappadocia, Bithynia, et Gallo-Græcia nudis pedibus Romam ad serviendum venerant, usitatum et solemne sit.

17. Ceterum neminem in posterum ex iis qui folia lauri dentibus terentes, et spiritu poetico afflati, canoros eloquenti carmine sonos modulantur, egestas coget ad artes sordidas et ipsis indignas descendere. Macti animis, eruditi adolescentes; en princeps munificentissimus considerat singulos, et acuit ad præclarum laborem, nihilque habet optatius quam ut aliquos reperiat idoneos, in quibus remunerandis suam liberalitatem promat.

22. Si quid opis ac mercedis ab alio exspectas, Thelesine, et ea spe ad scribendum inductus, versibus membranas librorum croceas comples, falleris, auctorque tibi sum, ut ignem quamprimum admotis lignis excites, et carmina librosque tuos Vulcano dones, vel certe in scrinio clausos abditosque, tineis absumendos, dedas. Potes jam, scriptor infelix, qui angusto in museo præclara condis carmina, ut coronam sterilem ex hedera merearis, aut macilentam

Qui facis in parva sublimia carmina cella,
Ut dignus venias hederis et imagine macra.
Spes nulla ulterior : didicit jam dives avarus
Tantum admirari, tantum laudare disertos,
Ut pueri Junonis avem. Sed defluit ætas
Et pelagi patiens et cassidis atque ligonis.
Tædia tunc subeunt animos; tunc seque suamque
Terpsichoren odit facunda et nuda senectus.
Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iste,
Quem colis, et Musarum et Apollinis æde relicta.
Ipse facit versus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos; aut, si dulcedine famæ
Succensus recites, maculosas commodat ædes :
Hæc longe ferrata domus servire jubetur,
In qua sollicitas imitatur janua portas.

imaginem, potes, inquam, calamos frangere, et bellorum egregias descriptiones, tot vigiliis elaboratas delere. Nihil est omnino quod præter hederas et imaginem speres; nullus, quem ex eruditis laboribus consequare, fructus. Nostri divites, in opibus congerendis retinendisque toti, viros eloquentes ac peritos admiratione sua dumtaxat ornare laudibusque norunt, sicut pueri pavonem Junoni consecratum solent. Interim conteritur in scribendo vitæ pars melior; abit juventus, quæ navigando, militando, agris colendis, utiliter exerceri potuisset; senectus obrepit; ac demum poeta præstantissimus inopia et mœrore confectus se ac suas Musas diris devovet.

36. Sed operæ pretium est animadvertere, quibus artibus utatur ille dives patronus, quem relicto Musarum Phœbique templo, tanquam numen Apolline præsentius, adoras, ne quid largiri tibi cogatur. Ipse carmina quoque producit; nec poetam ullum se præstantiorem putat, nisi forte Homerum, cui palmam idcirco tantum defert, ac priorem locum, quod mille annis vetustior sit. Jam, si famam in vulgus captans, tua carmina publice recitare ames, ille quidem tibi commodare domum non gravabitur, unam e suis, sed ruinosam, desertamque, et ideo ferreis munitam claustris, qualia visuntur in urbium portis, quæ vicinum hostem anxiæ metuunt.

Cujus et alveolos et lænam pignerat Atreus.
Non habet infelix Numitor, quod mittat amico;
Quintillæ quod donet, habet; nec defuit illi,
Unde emeret multa pascendum carne leonem
Jam domitum: constat leviori belua sumptu
Nimirum, et capiunt plus intestina poetæ.
Contentus fama jaceat Lucanus in hortis
Marmoreis: at Serrano tenuique Saleio
Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?
Curritur ad vocem jucundam et carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit quum Statius urbem,
Promisitque diem: tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur! sed, quum fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Rubrenus Lappa non deteriores tragœdias componat, quam veteres poetæ tragici; qui tamen tanta premitur egestate, ut dum tragœdiam scriberet, quam Atreum nuncupavit, coactus fuerit suas lances vestesque opponere pignori. Poterat illum quidem Numitor, ejus amicus, ab inopia vindicare; sed nimirum homini libidinoso et avaro, quod amico largiatur, nihil suppetit: suppetit quod Quintillæ impertiat. Quid, quod pecuniæ satis habuit, ut leonem emeret cicurem, multo nutriendum cibo sumptuque; minori videlicet pretio alitur immanis fera; plusque cibi stomachus poetæ, quam leonis, capit.

79. Lucanus sane contentus ea, quam adeptus est, gloria, otio indulgeat in amœna et statuis marmoreis insignibus ornata villa; verum Serrano, et inopi Saleio quid afferet emolumenti gloria, quantacumque demum illa sit, si præter gloriam nihil aliud ipsis præmii tribuitur? Ingens fit undique populi concursus ad audiendum Statium; et incredibili voluptate omnes afficiuntur, quoties promisit se carmina suæ Thebaidos certa die recitaturum; adeo civium aures animosque jucunda vox et suavissimi versus deliniunt! Sed postquam auditores præ gaudio et applausu propemodum subsellia fregerunt, ipse fame conficitur, nisi tragœdiam Agaven Paridi prius vendat, quam in lucem edita sit. Hic ille est

Ille et militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres, dabit histrio : tu Camerinos
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos.
Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.
Quis tibi Mæcenas? quis nunc erit aut Proculeius,
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium; tunc utile multis
Pallere, et vinum toto nescire Decembri.
  Vester porro labor fecundior, historiarum
Scriptores: petit hoc plus temporis atque olei plus;
Namque oblita modi millesima pagina surgit
Omnibus, et multa crescit damnosa papyro.

Paris qui primos exercituum magistratus plurimis impertit; qui poetas ferendi per sex menses aurei annuli jure donat; eos ad equestrem ordinem, ad militarem tribunatum evehit. Factum bene, quod repertus histrio sit, qui quod poetis non donant civitatis principes, iisdem pro sua liberalitate et munificentia largiatur. Omittite deinceps, o poetæ, obsequiis vestris et carminibus demereri Camerinos, et Bareas; potentium superbas domos ne præterea frequentate : nihil ea via proficitur. Pelopea tragœdia, Paridi oblata, præfecturas opimarum provinciarum parit; Philomela tribunatus militares promeretur. Neque tamen est cur succenseamus vatibus, qui e suis carminibus victum sibi et opes quærunt, si quidem nulli jam sunt Mæcenates; nulli Proculeii, aut Fabii, qui eos ultro pascant. Ubi alter Cotta? ubi alter Lentulus? ubi aurea illa secula sunt, quum pro ingenii modo, merces par eruditis laboribus tribuebatur? quum libris impallescere, vino et conviviis per integrum Decembrem abstinere, magni res emolumenti ac utilitatis erat?

97. At vos, historici, majorem ex arte vestra fructum fortasse percipitis, quæ certe plus temporis laborisque postulat: vestri enim libri supra modum omnem ac mensuram excrescunt, et mille interdum paginas implent, ac vestro quidem damno, qui tantam papyri copiam frustra impendatis. Sed fieri aliter scilicet nequit ob rerum narrandarum multitudinem; eaque lex historiæ vel sanctis-

Sic ingens rerum numerus jubet, atque operum lex.
Quæ tamen inde seges? terræ quis fructus apertæ?
Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?
Sed genus ignavum, quod lecto gaudet et umbra.
  Dic igitur, quid caussidicis civilia præstent
Officia, et magno comites in fasce libelli?
Ipsi magna sonant, sed tunc, quum creditor audit,
Præcipue; vel si tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.
Tunc immensa cavi spirant mendacia folles,
Conspuiturque sinus: veram deprendere messem
Si libet, hinc centum patrimonia caussidicorum,
Parte alia solum russati pone Lacernæ.
Consedere duces: surgis tu pallidus Ajax

sima est, ut omnia minutatim et enucleate perscribantur. Attamen quod laboris tanti præmium? quam affert messem excultus et aratus tanto sudore ager? Quis tantumdem historico mercedis donabit, quantum præconi aut scribæ edita et alia id genus acta recitanti daret? At enim, inquies, historici sunt genus hominum otiosum ac deses; se in lecto et in nemorum umbra læti continent.

106. Esto sane; sed caussidicis, hominibus utique laboriosis, cedo, quid afferant utilitatis caussæ quas agunt in foro, et litium tractatio molestissima? Quid eos juvat deferre secum et habere semper in comitatu collectos in fascem libellos, et prægrandem chartarum sarcinam? Vides quanta contentione vociferentur, præsertim si caussam agant creditoris, qui a debitore nummos reposcat, quique præsens in judicio adsit; vel si stimulos illis etiam acriores subdat, latusque vehementius urgeat debitor, male scriptum nomen denegans, et magnum codicem acceptæ expensæque pecuniæ proferens. Tunc pulmones ac fauces tanquam cavos folles inflant, et labantem dubiamque caussam fulcire mendaciis dum laborant, spuma et sputis gremium suum, tantus est dicendi ardor, implent. Age, quid præmii nihilominus consequuntur? Ut hoc intelligas, congere in alteram veluti lancem centum caussidicorum fortunas et annuos proventus; in alteram unius Lacernæ, e russata factione aurigæ, patrimonium: hoc prægravabit ac præponderabit. Prodis in forum, patrone infelix; sedent judices; surgis ad dicendum anxius,

Dicturus dubia pro libertate, bubulco
Judice: rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.
Quod vocis pretium? siccus petasunculus, et vas
Pelamydum, aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi,
Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenæ.
Si quater egisti, si contigit aureus unus,
Inde cadunt partes ex fœdere pragmaticorum.
Æmilio dabitur, quantum licet, et melius nos
Egimus: hujus enim stat currus aheneus, alti
Quadrijuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus, et statua meditatur prælia lusca.

ac de caussæ eventu trepidans, instar Ajacis illius in Græcorum ducum consessu peroraturi: præest quæstioni judex rudis et barbarus: defendis caussam hominis, de quo, servus sit an liber, dubitatur, et quæritur: pugnas pro vindicanda illius libertate. Urge, eneca te declamando, id mercedis capturus videlicet, ut, postquam pulmonem vociferando ruperis, et fatigatus jacueris, virides palmarum rami, tanquam victoriæ de adversario reportatæ monumentum, appendantur foribus tuæ domus, et iis ornentur extremi gradus scalarum, per quas in cubiculum tuum adscendis. Quid præterea lucri e caussa tanta vocis contentione perorata facis? Nempe mittitur ad te exigua et siccata perna, testa pisciculorum plena, aut epimenia vetusta et rancida, qui bulbi frequentes ex Africa deportantur in Italiam, aut vini secundo flumine Romam advecti lagenæ quinque.

122. Quod si, quum quater caussam egeris, felici quodam fato accidat, ut aureus unicus tibi donetur, ne is quidem integer ad te perveniet; sed ex eo detrahenda pars erit, quam des pragmaticis, qui te adjuverunt, quemadmodum cum illis pactus es. Quidquid præmii postulare per leges licet, totum hoc Æmilius, dives ille ac nobilis patronus, impetrabit, quamvis nos majori fide ac eloquentia caussam dixerimus. Quid ita porro? quia in prima ejus ædium parte visitur ingens ex ære currus, ab quatuor equis sublimibus tractus: ipse in equo feroci bellatore insidens, velut bellator, spectatur curvata lancea armatus, quasi ictum in hostem dirigens, et

Sic Pedo conturbat, Matho deficit: exitus hic est
Tongilli, magno cum rhinocerote lavari
Qui solet, et vexat lutulenta balnea turba,
Perque forum juvenes longo premit assere Medos,
Empturus pueros, argentum, murrhina, villas.
Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.
Et tamen est illis hoc utile: purpura vendit
Caussidicum; vendunt amethystina: convenit illis
Et strepitu, et facie majoris vivere census.
Sed finem impensæ non servat prodiga Roma.
Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit numos, nisi fulserit annulus ingens.

altero oculo clauso, ut fit, collineans, præliumque meditatus. At dum Æmilium tentant imitari caussidici tenues, et famam divitiarum ac nobilitatis captant, eo fit, ut fortunas omnes dilapident: sic Pedo decoquit; Matho ad egestatem redigitur: ad eumdem modum bonis Tongillus evertitur, qui vase facto e cornu rhinocerotis utitur in balneis, ubi honoris et pompæ caussa stipari se jubet a multis comitibus et asseclis luto sordidis, ceterisque una lavantibus molestus est: qui per medium vadit forum ingenti lectica quam gestant Medi juvenes, perinde quasi vellet illic emere mancipia, vasa argentea vel murrhina, et villas. Illum enim satis esse locupletem ut hæc emere possit ac solvere, vestis ampla, et murice Tyrio, stlatario, id est, transmarino tincta persuadet. Porro licet rem familiarem ostentatores isti disperdant, hoc tamen haud sine aliquo emolumento faciunt. Vestes enim purpurei coloris et gemmæ amethystinæ sunt in caussa, cur caussidicus pluris conducatur a clientibus, cur doctior et majori auctoritate præditus existimetur: eam ob rem expedit patronis ostentationem et pompam quamdam in vestibus, in servis, in reliquo apparatu præ se ferre, ac majores, quam revera possideant, opes simulare: in quo si modum tenerent, tolerabile malum esset; verum, ut est Romanorum indoles, qui nullam in sumptibus moderationem adhibent, eos funditus perire ac fortunis everti necesse est.

139. Falluntur, qui sperant confiduntque se eloquentia ampla præmia consequuturos: nam etsi redeant veteres patroni, nemo nunc vel ipsi Ciceroni ducentos nummos pro agenda caussa daret,

Respicit hæc primum, qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, an post te sella, togati
Ante pedes. Ideo conducta Paulus agebat
Sardonyche, atque ideo pluris, quam Cossus agebat,
Quam Basilus: rara in tenui facundia panno.
Quando licet Basilo flentem producere matrem?
Quis bene dicentem Basilum ferat? Accipiat te
Gallia, vel potius nutricula caussidicorum
Africa, si placuit mercedem ponere linguæ.
Declamare doces? o ferrea pectora Vectî,
Quum perimit sævos classis numerosa tyrannos!
Nam quæcumque sedens modo legerat, hæc eadem stans
Proferet, atque eadem cantabit versibus îsdem.
Occidit miseros crambe repetita magistros.

nisi micare in ejus digito annulum prægrandem videret. Litigator qui patronum quærit, primum omnium illud inspicit, num tibi servi saltem octo sint, asseclæ decem; num te subsequatur lectica, num præcedant ante ambulones toga induti. Quod quum probe intelligeret Paulus, gerebat, quoties verba faceret, conductum annulum præstanti sardonyche insignem, et idcirco longe majus ab suis clientibus stipendium accipiebat, quam Cossus, quam Basilus. Sic est: raro eloquens existimatur, qui tenuem pannum gerit. Quandonam Basilo majores illæ caussæ committuntur, in quibus mater producitur in medium, perfusa lacrymis ad movendam judicum miserationem? Immo quis illum, etsi commode perorantem, æquis auribus audire potest? Age ergo, infelix orator, si lucri quidpiam facere dicendo paras, Italiam relinque, concede in Galliam, vel in Africam, ubi caussidici tanquam apud nutricem in pretio adhuc et honore sunt.

149. Tu pueros domi artem declamandi, o rhetor Vecti, doces: quum plena discipulorum schola tractat fictum aliquod argumentum, verbi gratia, de tyrannis interficiendis: næ pectus Vectii esse ferreum oportet, qui tanto labori par esse possit? quidquid enim discipulis suis modo sedens perlegit, hoc idem recitat in pedes erectus, et totidem verbis recinit. Hæc illa nimirum earumdem rerum et scriptionum repetitio miseros præceptores, ut brassica sæpius apposita convivas, tædio et molestia enecat. Nemo est qui

Quis color, et quod sit caussæ genus, atque ubi summa
Quæstio, quæ veniant diversæ forte sagittæ,
Nosse velint omnes; mercedem solvere nemo.
Mercedem appellas? quid enim scio? Culpa docentis
Scilicet arguitur, quod læva in parte mamillæ
Nil salit Arcadico juveni, cujus mihi sexta
Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet;
Quidquid id est, de quo deliberat, an petat Urbem
A Cannis, an post nimbos et fulmina cautus
Circumagat madidas a tempestate cohortes.
Quantum vis stipulare, et protenus accipe, quod do,
Ut toties illum pater audiat. Hæc alii sex,
Vel plures uno conclamant ore sophistæ,
Et veras agitant lites, raptore relicto;
Fusa venena silent, malus ingratusque maritus,

nolit doceri, quibus rationibus quælibet probari caussa possit, quibus ornamentis illustrari, quo in genere dicendi versetur illa; ubi rei summa, et quæstionis vertatur cardo; quænam ab adversariis objiciantur, et tanquam tela intorqueantur: at mercedem qui velit solvere, neminem reperias. — Mercedem postulas? atqui didici ex te nihil. — Nimirum accusatur magister, quod discipulus hebes et arcadica pecude tardior nihil sub parte læva mamillæ saliens habeat; quum ille singulis diebus sextis miseras aures mihi obtundat, dum recitat scriptionem, cujus argumentum est Hannibal deliberans, an Romam continuo post cannensem pugnam se conferat; an exercitum attonitum fulminibus, et imbre vexatum, a Roma longius in circumpositas urbes cautus abducat. Ego vero tecum paciscar, et quidquid poposceris, actutum dabo, hac lege, ut vel ipsius adolescentis pater eadem mercede toties illum declamantem audiat, qua ego ipsum toties audire cogor. Neque vero putes ejusmodi querelas ab uno aliquo rhetoricæ professore jactari: alii sex, atque adeo multo plures idem clamitant, et relicta docendi hac arte molestissima, conferunt sese ad agendas veras in foro caussas: valere jubent ficta dicendi argumenta de Jasone vellus aureum rapiente, de veneno dato; de ingrato erga uxorem viro, quæ se ab illo male tractatam queratur; de medicamentis in mortario

Et quæ jam veteres sanant mortaria cæcos.
Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt
Consilia, et vitæ diversum iter ingredietur,
Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra,
Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti: quippe hæc merces lautissima. Tenta,
Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti
Lautorum pueros, artem scindens Theodori.
Balnea sexcentis et pluris porticus, in qua
Gestetur dominus, quoties pluit: anne serenum
Exspectet, spargatque luto jumenta recenti?
Hic potius; namque hic mundæ nitet ungula mulæ.
Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat, et algentem rapiat cœnatio solem.
Quanticumque domus, veniet, qui fercula docte
Componat; veniet, qui pulmentaria condat.

contusis, quibus restitui visus cæcis jam senibus possit. Ego vero si cui animus est hanc rhetorices disciplinam fictitiasque pugnas deserere, atque in campum fori, verumque prælium descendere, vehementer illum hortor, ut ipse sibi vacationem a docendi munere det, et aliam vitæ viam institutumque amplexus, forum sequatur, ex quo id saltem præmii feret, ne careat exigua illa pecuniæ summa, qua vendi potest tessera frumenti: hanc enim amplissimam videlicet mercedem miseri consequuntur. Expende quanta mercede nobilium ditiorumque pueros instituant Chrysogonus, vel Pollio, citharœdi, deridentes artem Theodori rhetoricam.

178. Interim civis locuples balnea exstruere sexcentis nummis non dubitat; porticum etiam pluribus, in qua gestetur ipse, quum imber decidit. Longum est enim exspectare dum sudum sit cælum: et vero piget equos per lutulentam viam agere; longe id commodius in porticu fit, ubi mularum pedes nitidi non luto inquinantur. Jubet alia in parte ædificari triclinium soli algenti expositum, et altis ex Africano marmore columnis innixum. Quantumlibet sumptus factum fuerit in ipsam domum, quæretur præterea et magno conducetur peritus mensæ structor, qui obsonia ex arte disponat; præparabitur coquus, qui eadem scite condiat. In his tot tantis-

Hos inter sumptus sestertia Quintiliano,
Ut multum, duo sufficient: res nulla minoris
Constabit patri, quam filius. Unde igitur tot
Quintilianus habet saltus? exempla novorum
Fatorum transi: felix, et pulcher, et acer;
Felix, et sapiens, et nobilis, et generosus,
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ:
Felix, orator quoque maximus, et jaculator;
Et, si perfrixit, cantat bene. Distat enim, quæ
Sidera te excipiant modo primos incipientem
Edere vagitus, et adhuc a matre rubentem.
Si Fortuna volet, fies de rhetore consul:
Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud, quam
Sidus, et occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.
Felix ille tamen corvo quoque rarior albo.
Pœnituit multos vanæ sterilisque cathedræ,

que sumptibus duo ad summum sestertia Quintiliano dabuntur; ita nihil minori pretio patri quam filii educatio constabit. Quonam igitur pacto fit, inquies, ut Quintilianus tot luculenta prædia possideat? omitte illum mihi; noli ex eo ceteros rhetores æstimare: est enim exemplum novi et inusitati cujusdam fati ac felicitatis. Quicumque scilicet est felici natus sidere, idem formosus, strenuus, sapiens, fortis, nobilis; idem senator, et assuta calceis lunula spectandus; idem orator præstantissimus et dialecticus est; ac licet fauces obstrictas frigore habeat, belle canere censebitur. Plurimum quippe refert, quæ sidera te nascentem et e materna recens effusum alvo, primosque vagitus edentem respexerint. *Si fortunæ videbitur, evades rhetor e consule, vel consul e rhetore.* Quid enim nos docent exempla Ventidii, et Servii Tullii, nisi vim arcanam et admirabilem siderum ac fati esse, quæ servos in solium, captivos in triumphantium currus evehat? Ceterum ille felix quem descripsimus, est idem rarissimus, et albo corvo rarior. Paucis contigit fortunatum Quintiliani fatum, multi gravissimum ex cathedra docendi laborem a se nullo emolumento susceptum fuisse doluerunt: idque satis ostendit

Sicut Thrasymachi probat exitus, atque Secundi
Carrinatis: et hunc inopem vidistis, Athenæ,
Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.
Dî, majorum umbris tenuem et sine pondere terram,
Spirantesque crocos, et in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco!... Metuens virgæ jam grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus: et cui non tunc
Eliceret risum citharœdi cauda magistri?
Sed Rufum atque alios cædit sua quæque juventus,
Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.
Quis gremio Enceladi doctique Palæmonis affert,
Quantum grammaticus meruit labor? et tamen ex hoc,
Quodcumque est (minus est autem, quam rhetoris æra),
Discipuli custos præmordet Acœnonoetus,

luctuosa mors Thrasymachi, nec non Secundi Carrinatis, quem ad extremam redactum inopiam, Athenæ, vidistis, nihil ei præter frigentes cicutas largiri, ob Cæsaris metum, ausæ.

207. At vos, o Superi, facite ut majorum nostrorum manibus levis terra sit; humum circa illorum tumulos croco floribusque semper benevolentem esse jubetote: urnas eorumdem rosis liliisque cumulate, qui tam sapienter sanxerunt, ut præceptores non minus sancte, quam suos parentes pueri colerent!... Achilles, quamvis ætate jam provectior, tamen in Pelio Thessaliæ, patriæ suæ, monte, discebat canere fidibus, et Chironis virgam extimescebat: quis a risu tamen temperare tunc potuisset, Centaurum cum illa sua cauda equina videns? Nunc Rufum et ceteros puerorum doctores discipuli sui impune rident ac pulsant; Rufum, inquam, egregium illum rhetorem, qui Tullium Allobrogem et barbarum toties appellare non dubitavit.

215. Quis tantum Encelado et Palæmoni, celeberrimis grammaticis, largitur, quantum ipsorum improbus meretur labor? Ex hac tamen mercedula, quantulacumque est, quæ certe minor est quam stipendium rhetoribus tribui solitum, aliquid prærodit avellitque Acœnonoetus, avarus pueri moderator: ipse etiam dispensator et œconomus, qui pecuniam præceptori dat in manus, aliquid ex illa

Et, qui dispensat, franget sibi. Cede, Palæmon,
Et patere inde aliquid decrescere, non aliter, quam
Institor hibernæ tegetis niveique cadurci,
Dummodo non pereat, mediæ quod noctis ab hora
Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro;
Dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas,
Quot stabant pueri, quum totus decolor esset
Flaccus, et hæreret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, quæ cognitione tribuni
Non egeat. Sed vos sævas imponite leges,
Ut præceptori verborum regula constet,
Ut legat historias, auctores noverit omnes,
Tanquam ungues digitosque suos; ut forte rogatus,
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen patriamque novercæ

præcidit reservatque sibi. Cede jure tuo, infelix Palæmon, ac mercedem tuam sic imminui æquo animo fer, instar mercatorum, qui de pretio lodicis candidi, aut stragulæ ad hiemem vestis, quod primo aditu indicarunt, nonnihil remittunt, ac minuunt: modo totum illud non amittas, quod meritus es, quum a media nocte surrexisti, ac in museo sedisti, etiam antequam vilissimi opifices, et fabri, aut qui lanam ferreo pectine carminant, suis in officinis opus facerent: modo, inquam, non pereat quæ jure tibi debetur merces, pro eo quem hausisti naribus, fumo et nidore tot lucernularum, quot aderant in schola tua pueri, quorum libri, Horatius et Virgilius, ipsa fuligine infecti nigrum colorem induerant. Quamvis autem grammaticorum merces tam angusta sit, raro tamen accidit, eam ut obtineant sine aliqua lite et ærarii tribuni edicto. Ite nunc, ite, ingrati parentes, ac de magistris tam male meriti, pergite illis durissimas leges imponere, ut verborum omnium regulas calleant, ut perlegant omnes historias, ut scriptores cognitos et perspectos ad unguem habeant; ut si quis illos, dum in balnea thermasve se conferunt, interroget, quæ fuerit Anchisæ nutrix; quod nomen, quæ patria novercæ Anchemoli, respondeant sine ulla hæsitatione: ut dicant, quamdiu Acestes vitam produxerit, quot vini cados Æneæ

Anchemoli; dicat, quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.
Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
Ut si quis cera vultum facit: exigite, ut sit
Et pater ipsius cœtus, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus. Non est leve, tot puerorum
Observare manus, oculosque in fine trementes.
Hæc, inquit, cures, et, quum se verterit annus,
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

discedenti e Sicilia dederit. Exigite præterea, ut teneros adolescentum mores sic informent, quasi si quis vasculum ex argilla, vel effigiem e molli cera fingeret: ut pueros paterna caritate complectantur, ut observent ne quid inter ludendum contra modestiam et pudorem peccent, ne quid turpiter agant, aut patiantur alternis. Non facile est observare tot puerorum manus, ne libidinem exerceant, et oculos qui expleta libidine reducti molliter tremunt. Fac ista diligenter procures, ait magistro parens pueri; anno exacto tibi dabitur pecuniæ summa, qualem populus colligit, et victori gladiatori donandam, ab iis qui ludis gladiatoriis intersunt, postulat.

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM SEPTIMAM.

VARIÆ LECTIONES. 1. *Est spes*, 60, 65. — *Tantum est*, 10, 11, 16.

NOTÆ. 1 seq. Argumentum satiræ jam primis versibus continetur. De quo autem *Cæsare* h. l. sermo sit, non constat inter viros doctos. Quidam innui putant Neronem, plures Domitianum (etiam vetus Schol. qui *Domitianum* plerumque *Neronem* appellat, ut poeta IV, 38), alii Titum, alii Nervam (conf. Mart. VIII, 70; IX, 27; XII, 6), plerique tamen rectius vel Hadrianum (vide Spart. Hadr. c. 3 et 16), vel Trajanum, qui bibliothecam Ulpiam struxit, et de quo vide Plin. Pan. c. 47. — Justus Lipsius, Salmas. et Dodwell. e contextu satiram hanc Domitiani regno posteriorem esse comprobarunt. Dodwell. autem hic Hadrianum intelligit, ejusque opinionem sequuntur viri clariss. *Dusaulx*, *Achaintre*, *Raoul*, *Méchin*. ED. — *Spes studiorum*, præmiorum ex iis consequendorum. — *Ratio studiorum*, hoc est, ratio, quare homines se dedant studio literarum. — *In Cæsare*, scil. sita est.

NOT. 2. *Camenas*, Musas literasque, *tristes*, neglectas, et quæ nullis præmiis foventur. — *Respexit*, curat, benigne fovet literas *solus*, quas reliqui civitatis proceres negligunt. — *Respexit*, dei more, qui genus humanum miserans consolatur et erigit. Sic Virg. Ecl. I, 28 :

> Libertas, quæ sera tamen respexit inertem, ...
> Respexit tamen ..... ED.

VAR. 3. *Noti celebresque*, 11, 14—22, 24, 49, 55, 77.

ANAL. 3—97. Tristis *poetarum* conditio illis temporibus adumbratur.

NOT. 4 seq. Summi jam poetæ, paupertate coacti, Romæ et in aliis Italiæ oppidis ex sordidis ministeriis, et balnearia, pistoria, furnaria aliisque artibus, his similibus, quas exercent, victum quæstumque sibi quærunt. — *Balneolum* diminutive dicitur propter summam egestatem, et *Gabiis* contemtim, de parvo et deserto oppido, ut VI, 56. — *Furnos*, ut panem coquerent vendendum. Grangæus et alii monent, ita propr. designari pauperes, assidue frigentes, de quibus etiam proverbii loco dicatur, *nunquam de balneo aut furno conducendo cogitare*, ad quam mentem etiam referunt Horat. Ep. I, 11, 12 seq.

Nor. 6, 7. *Præcones*, quorum vitæ genus et vile erat et [1] quæstuosum. — *Desertis Aganippes vallibus*, missis studiis, valere jussis Musis, quæ commorantur in *vallibus* solitariis et amœnis recessibus Heliconis. Conf. ad vs. 8. — *Aganippe*, fons Heliconis, in Bœotia, Musis [2] sacer. — *Clio*, una e Musis, h. l. docte pro poeta. — *In atria* divitum nobiliumque, in quibus clientes patronum salutare, vel sportulas petere et accipere solebant; unde *Bahrdt* non male reddidit germ. *Antichambern* [3]; gallice, *faire antichambre*. — Ea quæ præcedunt, *præcones fieri*, et quæ sequuntur, *vendas*, *auctio*, hunc Turnebi sensum confirmare possint: «Quum in Atriis Liciniis, et aliis foro vicinis, Clio, id est, poeta, sub auctione venderet.» Potest et hic sensus defendi. Ed.

Var. 8. *Arca* pro *umbra*, 10, 12, 14—17, 18—27, 45—50, 54—69, 71—74, et XXXIII Codd. Paris. prob. Grang. ut sensus sit: si componis, ut ait ille, *carmina nullos referentia numos*. Sed nostra lectio exquisitior est et venustior, illa scioli scholastici acumen sapit.

Nor. 8—16. Si studio literarum et poeticæ non parare possis, quæ suppeditent ad victum, satius est, præconium facere, et tam vili ministerio vitam inopiamque tolerare, quam per inhonestas et malas artes divitias quærere. — *Si tibi ostendatur nullus quadrans*, ne parvæ quidem mercedis spes. *Quadrans*, exiguum numi genus, quarta pars assis, tres unciæ, unde et *teruncius*, seu *triuncis* dicitur. — *Umbra*, vita umbratilis, obscura ignobilitas (ut al. *nox* et *tenebræ*), *Pieria*, eruditorum, vel artes ingenuæ, quæ in *umbra*, hoc est, domi et in schola, sive in otio et tranquillitate, tractantur; unde *doctor umbraticus* apud Petron. cap. 2, qui obscure in schola vivit, et eruditorum *umbra*, *umbracula*, *umbratilis exercitatio* et *otium*, quæ *soli*, *pulveri* et *aciei*, hoc est, administrationi reipubl. publicisque negotiis a Cicerone opponuntur (Mur. 14; Leg. III, 6; Or. I, 34, et Brut. 9), ut caussidici infra vs. 105 seq. historicis *umbra gaudentibus*. Conf. ad vs. 156. Sic et infra vs. 173: *Ad pugnam rhetorica descendit ab umbra*, hoc est, a vita obscura et scholastica, quæ famæ et celebritatis expers est, ad forum, vel a declamationibus, id est, orationibus, de rebus fictis in schola exercitationis caussa habitis, ad caussas publice et in foro agendas, vel ad orationes in concionibus habendas; metaphora simul sumpta ab exercitiis militaribus, quæ veris justisque *pugnis* opponuntur. Sed propter epith. *Pieria* crediderim potius, poetam h. l. respexisse antra,

[1] Cf. III, 157; Casaub. ad Theoph. Char. VI, pag. 185; Martial. V, 57; VI, 8, 5.

[2] Schol. vetus: «Callimachus dicit, fontem esse Permessi fluminis.» Ita et Serv. ad Virg. Eclog. X. Conf. Callim. Edit. Ern. tom. I, pag. 560; Pausan. Bœot. c. 29, et intppr. Prop. II, 10, 25, 26, al. 8, 30.

[3] Confer. vs. 91, et ad I, 95, 96; Horat. Epist. I, 5, 31; inpr. Martial. I, 71, 12 seq. et III, 38, 11, 12.

nemora, fontes, *umbras* et amœnos solitariosque recessus montium Musis sacrorum, verbi caussa *Pieriæ* in Macedonia, ubi homines docti et inpr. poetæ cum Musis versari, sensusque excelsiores concipere credebantur. Conf. ad vs. 6, 58, 59, et intpp. Horat. Od. II, 1, 39; III, 4, 40.

Var. 9. *Victum nomenque*, 16, 21. — *Machætæ*, 48. *Maceræ*, 21, 22.

Not. 9. *Machæra* potest esse nomen vel præconis, illis forte temporibus noti, ob seq. vel, ut alii putant, parasiti, ut hæc verba ad vs. 7, et reliqua *vendas potius*, etc. ad vs. 5, 6, referenda sint: nisi malis tonsorem intelligere, qui olim crines non forfice, sed acuto cultro, novacula, μιᾷ aut διπλῇ μαχαίρᾳ, tondebat. Vid. Bottigeri Sabina, pag. 333 seq. edit. pr.

Not. 10. *Auctio commissa* tibi a magistratu, vel dominis rerum venalium, qui eam faciunt. Alii jungunt perperam *vendas commissa*, quæ tibi a domina data sunt, ut vendas: alii vero non male putant *auctionem* (Gall. *enchère*) *committi*, quod licitatores *stantes*, hoc est, circumstantes, inter se quasi *committantur*, ut licitando pugnent, et qui in hac pugna pluris liceatur, victor evadat, remque pretio *auctam* reportet. Conf. ad I, 163; VI, 378, 436. — *Auctio* non proprie *vendit*, sed qui eam facit.

Var. 11. *Tripodas* pro *tripodes* revocavi ex 20, 23, 24.

Not. 11. *Œnophorum*; vide ad VI, 426. — *Tripodas*, vel mensas, vel sellas, vel vasa, tribus pedibus fulta. — Pro *tripodas*, *ripides* dat Cod. Thuan. teste clariss. *Boissonade* ad Herodiani Partitt. pag. 118, qui hanc lectionem ne memoratam quidem a Juvenalis editoribus omnino recipiendam judicat, quia plus habeat satiricæ venæ quam altera. Eadem lectio a cl. *Ruperti* in aliquot Codd. reperta est, et forsan recipienda. Ῥιπὶς, ῥιπή, et ῥιπίδιον, flabellum, unde ῥιπίζειν (al. ψαινύζειν, καταψύχειν), *flabarii* et *flabelliferæ*; vid. Casaub. ad Sueton. Aug. cap. 80; Burm. Sec. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 370, et inprimis Bottigeri Sabina, pag. 455, 461—479, ed. pr. Ed. — *Armaria*, scrinia, in quibus libri, vasa, vestes aliaque reponuntur.

Not. 12. Magna est h. l. varietas librorum, et nostrorum et Parisiensium, in nominibus propriis. — *Alcyonem*, 15, 23, 25, 26, 50, 56—60, 67, 70, 77, 82. Alcyone Æoli, alia Marpessæ, alia Atlantis filia: vide Heyne ad Apollodor. I, 7, 4, et 9; III, 10, 1. *Halcyonem*, 61, 63, 65, 66, 74; *Halcyonen*, 62, 68, 69, 71—73; *Alcinoem*, 14, 16; *Alcinoen*, 27, 45, 47, 48, 55; *Alcinoe* Stheneli, et alia Polybi filia. De illa vide Apollod. II, 4, 5; de hac Parthenii Erotica, c. 27; *Alcythoen*, 49; *Alcynoem*, 24; *Alcynoen*, 10, 54, 64; *Alchinoem*, 22; *Alchinoen*, 17, 20; *Althinoen*, 21; — *Alcione*, 46; *Alcionem*, 18, 19; *Alcionen*, 60; *Altionem*, 12; — *Alcitheon*, 1, 75, 76, unde suspicor, h. l. *Alcithoen* legendum esse. Schraderus vel *Autonoen* e VI, 72, vel *Alcathoen* ex Ovid. Metam. IV, 1, substituendam putabat. Sed *Alcithoe*, Ἀλκιθόη, non *Alcathoe*, Ἀλκαθόη, dicebatur mulier

Thebana, quæ spretis Bacchi Orgiis in vespertilionem mutata est: vide Heins. ad Ovid. l. l. — *Alcinoum*, 4. Hoc nomen fuit Hippocoontis filio, de quo vide Apollod. III, 10, 5, et regi Phæacum, notissimo ex Homer. Odyss. Z, 197 seq. H. 57 seq. — *Bachi*, 21, 22. *Pacci*, 1, quod forte non respuendum, et a nobis nunc receptum est. *Paccius* et *Faustus* videntur esse nomina poetarum, et *Alcyone*, *Thebæ* ac *Tereus* tituli tragœdiarum, quas illi scripsere. *Paccius* poeta sic non nisi h. l. quod sciam, memoraretur, ut et *Faustus*, nisi hic idem est, qui perstringitur a Martiale, XI, 65. *Paccii* tamen, vel *Pactii* et *Pacciæ* passim laudantur in antt. lapidibus et infr. XII, 99; Cic. ad Div. IV, 16; Tac. Hist. IV, 41, et Ann. XIII, 16, 36; XV, 12; Martial. XIV, 78, al. *Bacchi* quoque; si hæc lectio vera est, non dei nomen esse crediderim, sed poetæ nobis ignoti, qui forte non *Bacchus*, sed *Bacchius* dicebatur, quod nomen passim occurrit: vide Bentl. ad Hor. Sat. I, 17, 20. At vix dubito, quin librariis debeatur hoc nomen, quod illis notius erat, et ad deum, *Alcithoes* punitorem, ab iisdem relatum sit: ut adeo poeta scripserit *Alcithoen Pacci*. Utrumque recepit Ach. Neque tamen magnopere repugnaverim, si quis *Alcyonem*, seu *Alcyonen*, vel *Alcinoen* propter auctoritatem librorum retinere malit. Possis etiam suspicari, pro *Baccho*, seu *Bacchio* et *Paccio* substituendum esse *Accium*, seu *Attium*, insignem poetam tragicum, qui Pacuvii bellique Numantini temporibus vixit; vel potius, suadente C. Valesio, legendum esse *Bassi*, ut designetur Saleius Bassus, de quo vide infra ad vs. 80. — Pro *Terea* male *Therea* 24, et *Terrea*, 19, 23. De *Tereo* vide Comm. sup. ad VI, 644, et infra ad vs. 73. Fuit argumentum ac titulus multarum tragœdiarum, quas Sophocles, Euripides, Livius Andronicus, L. Attius aliique scripserunt. Sic et *Thebais* (h. loc. *Thebæ*) inscripta olim non modo carmina heroica, sed etiam tragœdiæ, verbi caussa ejusdem Attii et Senecæ.

Var. 13. *Hæc*, 11, 45.

Not. 13, 14. Hoc satius est, quam si *sub*, hoc est, coram, *judice* falsum dicas testimonium. Conf. ad IV, 12, et XVI, 29.

Var. 15. *Et* abest ab 46, 47, 48. Prima syll. voc. *Bithyni* anceps est, ut multæ aliæ, h. l. brevis, at longa inf. X, 162. *Britani*, 19.

Not. 14—16. Faciant hoc, qui, quum olim servi fuissent, ex *Asia*, *Cappadocia* et *Bithynia* Romam traducti (vide intpp. Petron. 29 et 63), jam per malas artes ibi ad censum dignitatemque equestrem pervenerunt. Sic omnes interpretes; at rectius forsan *Achaintre*: « Ego non hæc re vera dici existimo de servis ad censum equestrem provectis, qui tunc temporis non adeo frequentiores erant Romæ, sed de istis nebulonibus pessimis et de industria viris, qui quotidie, ut apud nos nobiles fictitii, *chevaliers d'industrie*, et plerumque *nudis pedibus* ex provinciis in Urbem affluebant, opes et divitias quæsituri, quas mox per furtum, delationes et perjuria sibi pararent. » Videntur h. l. obiter tangi tum Romani, quod

his peregrinis et infimæ sortis levisque ingenii hominibus magis faveant, quam poetis et civibus, bene de patria merentibus (de quo etiam queritur poeta, III, 58—122, et Martialis passim, inprim. X, 76); tum Græci et populi Asiæ, potissimum minoris, qui perfidia malisque artibus olim infames fuere; de quo vid. supra III, 58 seq. 69 seq. Suidas in Proverb. Τρία κάππα κάκιστα, Κρῆτες, Καππάδοκες, Κίλικες; Cic. Orat. pro Flacco, Brunck. Anal. tom. II, pag. 56; III, Bottigeri Sabina, pag. 444 seq. et vet. Schol. Pers. VI, 67, cujus nota est: « Cappadoces dicuntur habere studium naturale ad falsa testimonia proferenda, qui, nutriti in tormentis a pueritia, equuleum sibi facere dicuntur, ut in eo se invicem torqueant, et quum in pœna perdurarent, ad falsa testimonia (jam satis instructi et edocti) se bene venum darent. »

VAR. 16. *Gallica* conj. quidam, quod perperam probavit Rigalt. coll. Gloss. antt. *Galliculæ*, τροχάδες.

NOT. 16. *Altera Gallia*, Galatia, seu Gallogræcia. — Eam Galatiæ famam apud nos occupavit *le Mans*, teste *Racine*, *les Plaideurs*, act. III, scen. 3 :

« Il est vrai que du Mans il en vient par douzaine. » ED.

— *Nudo talo*, pedibus nudis: nam nudi a mangonibus in catasta, pegmate ligneo, servi venales exponebantur, ut vitia eorum conspicua essent, neque fraus fieret emptoribus. Vide ad I, 111; Koenig ad Claud. XVIII, 35 seq. et ad Pers. VI, 77. — Forsan etiam *nudo talo* intelligitur horum hominum miseria, qui ne habent quidem unde primis necessitatibus subveniant. Sic *Molière*, *Tartuffe*, act. I, scen. 1 :

« Un gueux qui, quand il vint, n'avait pas de souliers. »

Eodem fere sensu alicubi legitur :

« .... que, par plus d'une voie,
« Tous les ans la province en guêtres nous envoie » ED.

— *Traducit*, sive transmittit Romam; non risui omnium exponit, ut VIII, 17.

NOT. 17. *Laborem ferre*, suscipere et sustinere, *indignum studiis*, inhonestum ac turpem doctis hominibus, verbi caussa *balneolum et furnos conducere*, *præcones fieri*, etc. sup. vs. 4 seq. — *Cogetur* egestate.

VAR. 18. *Post hæc*, 16, 21, 22, 24.

NOT. 18. *Nectit quicumque canoris eloquium vecale modis*; venusta boni poetæ περίφρασις. — *Eloquium vocale*, verba sonora, seu canora, φωνήεντα, εὔφωνα, ut apud Quint. VIII, 3, 16. — *Modi*, τόνος, μέλος, numeri, modulationes (*Tact*), certæ ac dimensæ carminis singulorumque versuum partes et tempore sibi æquales, pedes. Sic et *numeris nectere verba* dixit Ovid. ex Ponto, IV, 2, 30. — *Laurum*, vel ejus folia *mordebant*, seu man-

ducabant non modo veteres contra venena ac fulmina,[1] vel sanitatis gravisque odoris supprimendi caussa,[2] sed et vates, quia his morsu illorum præsensio rerum futurarum inspirari credebatur.[3] — Forsan et hic usus *laurum mordendi* in proverbium venerat eo sensu : Poesi initiatus et sacer Apollinis vates factus est; gustavit dulcedinem ex gloria coronæ laureæ, qua ornatus est tanquam excellens carminum scriptor. Vetus poeta hanc sententiam sic gallice reddidit :

« D'un gosier mâche-laurier. » ED.

VAR. 20. *Huc agite* quidam, non improb. Lubino, ut sensus sit : huc vos ad Imperatorem unum, vestrum patronum, conferte, et laborem impendite studiis. — *O* abest ab 27, 47, 48, 58. — *Nos*, 14, 17, 18, 19 a m. sec. 21, 22, 23, 27, 45, 46, 47, 58.

NOT. 20. *Hoc agite*, verba vel hortantis ad aliquid faciendum, et quidem h. l. ad laurum mordendam, hoc est, carmina scribenda, vel animum ad jam dicenda attendere jubentis, ut sit idem quod attendite, quo sensu passim hac formula utitur Terentius.[4] Grangæus et Brisson. de Form. I, jam monuere, *hoc age* proprie verba fuisse præconis, quibus, magistratu res sacras faciente, aut auspicia captante, admonuerit, ut attentis animis, non perfunctorie vel oscitanter sacris operam darent.

NOT. 21. *Materiam*, occasionem bene faciendi et merita persolvendi præmia. Quare id quoque cuilibet agendum, ut his præmiis dignus sit. — *Ducis*, Cæsaris, Imperatoris, ut II, 104, et IV, 145.

VAR. 22. *Exspectanda* pro *spectanda* restitui ex 10, 11, 14—19 a m. sec. 20—25, 45, 50, 55, 56, 57, 60—63, 65—69, 71—77, 81.

NOT. 22. *Aliunde*, ab aliis, quam a principe. — *Membrana croceæ tabellæ impletur* docte pro, carmina vel libri a te scribuntur. *Tabella* hoc loco non tabula cerata, seu pugillaris et codicillus (πινακίδιον, δέλτος), sed generatim scriptum, libellus, volumen; et *membrana croceæ tabellæ* simpl. membrana crocea, quæ *impletur* carminibus. *Membrana*, in qua veteres scribebant, alba erat ab interiore parte, ab exteriore *crocea*, unde *bicolor* dicitur Pers. III, 10, ubi conf. Casaub. *Membrana* etiam, sive pelle, quæ Gr. διφθέρα, ῥῆμα, σιττύβα, φελόνη et περίβλημα vocatur, operiebantur, involvebanturque nonnunquam libri, ne pulvere opplerentur; quæ

[1] Vide Plin. VIII, 27; XV, 30.

[2] Vide Athen. lib. IV, pag. 140, et Reimar. ad Dionem, tom. II, pag. 1221.

[3] Conf. Bentl. ad Horat. Od. III, 30, 16; Spanhem. ad Callim. II, in Del. vs. 94; intpp. Tibull. II, 5, 63; Casaub. ad Theophr. Char. XVI, 1, et Meurs. ad Lycophr. qui inde, æque ac Sophocles, Cassandram δαφνηφάγον dixit.

[4] Verbi caussa Enn. I, 2, 19, 50; II, 3, 55; Andr. I, 2, 15; II, 5, 5; III, 5, 8 al.

ab hoc loco aliena est. Præterea extremæ voluminis seu convoluti *libri* orae agglutinabatur frustum membranæ, πιττάκιον, quod ornatus gratia *croco*, aut minio, aut purpura tingebatur, et volumini non modo tegumenti seu operculi, sed etiam indicii loco erat: nam in eo titulus libri, σύλλαβος vel potius συλλύβος, scribebatur, ut sic voluminis, in armariis repositi, frons altera ejus argumentum indicaret.[1] Hanc croceam membranulam si cum Vossio loc. laud. intellexeris, verbum *impletur* refer ad titulum, in ea scriptum. Sed hæc ratio minus forte probabilis est, quam si *tabellas croceas* dici credideris membranas cedratas, seu citratas: nam libri veterum oleo cedri, vel, ut alii putant, citri, cujus color croceus est, inungi solebant, ut a carie et tineis tuti essent.[2] Aliam interpretandi rationem proponit Ach. et quidem hanc: « *Membrana*, id est, folium (num. sing. pro plur.), vel potius *folia* ex membranis confecta, *tabellæ croceæ*, libri, cujus *tabella*, id est, tegmen, *la reliure*, est crocea, Gall. *un livre relié en maroquin citron*. Nam etsi vulgo Romani membranas, unam alteri jungentes, in modum longi panni, volverent circa teretem baculum eburneum, citreum, aut quovis alio ligno, umbilicum appellatum; aliquando tamen et sæpe libri, ut apud nos, in folia et paginas dividebantur et tabellis cedrinis pro tegmine muniebantur, quod vel ex vs. 100 hujus Sat. patet. »

Var. 23. *Crocea not. tabella*, 75. *Crocea membrana tabella*, 75. Cf. Casaub. ad Pers. III, 10.

Var. 24. *Ocyus* vulgo scribitur. Sed est Gr. ὠκίων, ὤκιστος, ὤκιστα.

Not. 24. *Lignorum aliquid ocius posce*, ut libellos a te scriptos accenso igne comburas. Sensus est: renuncia Musis studiisque; nam oleum et operam perdidisti; quo et reliqua verba vs. 25—29 spectant.

Var. 25. *Conscribis*, 7, 10, 12, 14, 16—19 a m. sec. 20 a m. pr. 22, 23, 24, 45, et multi Codd. Paris. sed interpretamentum seu glossam redolet.

Not. 25. *Veneris marito*, Vulcano, igni, *dona*, trade. Confer. Catull. XXXVI, 6 seq. et Tibull. I, 9, 49. — *Thelesinus* h. l. pro quovis poeta, vel is, ad quem satira hæc scripta est; forte idem, de quo vide Mart. III, 40; VI, 50; XII, 25.

Var. 26. *Cludo* al. Conf. ad III, 19.

Not. 26. *Positos*, repositos, sepositos, clausos. — *Pertunde tinea*, per-

[1] Conf. Vossius ad Catull. p. m. 52 seq. Heyne ad Tibull. III, 1, 9 seq. et Rambach. ad Potteri Archæol. Gr. tom. III, pag. 338 seq.

[2] Conf. Rambach. loc. cit. p. 340; Harduin. ad Plin. lib. XIII, cap. 13, et Heins. ad Ovid. Tristium lib. I, Eleg. 1, vs. 5.

tundendos, perforandos et carpendos permitte tineis, seu blattis. [1]

Not. 27. *Frange calamos*, ut apud Mart. IX, 74, 9, et Calpurn. Ecl. IV, 23. — *Vigilata prælia*, carmina epica, seu heroica, de prœliis seu bellis ducum vigilando, vel multo labore multisque lucubrationibus a te scripta. [2] — *Dele* igne; vel superiore, eaque obtusa ac plana styli, seu graphii parte, qua literæ, inferiore et acuta parte ejus exaratæ, cera obducebantur delebanturque; vel etiam pumice, ut poeta respexerit βιβλία παλίμψηστα, membranas, in quibus, quæ scribenda erant, primum verbis concipiebantur, et deinde scripta pumice *deleri* vel eradi solebant. [3]

Var. 28. *Sella* malebat Vales. in Valesianis p. 181, ubi monet, honestiores olim Romæ in lectulis, tenuiores in sellis sedentes scripsisse, Sed Romanos olim omnes scripsisse et legisse jacentes in lectulo lucubratorio (Studierbett), nec nisi docentes sedisse in hemicyclio, jam monuere Visconti ad Pio-Clementin. tom. III, p. 18, et Bottiger. in Sabina, p. 29, 30, ed. pr.

Not. 28. *Parva cella*, in qua pauperes habitant, ut apud Martial. III, 48, 1; VII, 19, 21; et *tertia tabulata*, sup. III, 199, ubi vide not.

Not. 29. *Venias*, fias, vel sis, ut passim ἔρχεσθαι et *venire*. [4] — *Dignus hederis.* Sic in Arte poetica, lib. IV, nostras *Boileau:*

« Aux plus savans auteurs, comme aux plus grands guerriers,
« Apollon ne promet qu'un nom et des lauriers. » Ed.

— *Hedera* sacra Baccho, cujus comites sunt Musæ; unde ea olim coronabantur poetæ et oratores, victores in agone musico (conf. ad vs. 60); et Romæ in bibliothecis, tam privatis (vide ad II, 4 seq.), quam publicis, inpr. Apollinis Palatini, *imagines* (vide ad III, 219) et statuæ doctorum non modo dedicari solebant præclaro instituto, sed et semper virenti hedera, vel lauro coronari. Vide Koenig ad Pers. Prol. 5, 6, et intpp. Hor. Od. I, 1, 29. Itaque sensus h. loc. est: ut dignus fias, cujus imago in bibliotheca dedicetur et coronetur hedera; hoc est, ut famam nominis consequaris. — *Imago macra* h. loc. putatur esse ea, quæ referat maciem ac pallorem poetæ, ex assiduo labore ac studio contractam, quo sensu et *Pirenen* forte *pallidam* dixit Persius loc. laud. Malim tamen epitheton referre ad vilitatem honoris illius ac præmii, quod tum indignis æque ac

[1] Conf. Martial. XI, 1, 14; XIV, 37, 2; Horat. Sat. II, 3, 119, et Epist. I, 20, 12; Ovid. ex Ponto, I, 1, 72.

[2] Conf. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 109; Burm. ad Virg. Georg. I, 313, et Barth. ad Stat. Theb. XII, 811. Sic et *multo labore sudatum thoraca* dixit Sil. IX, 434, ubi vide not.

[3] Conf. Rambach. l. l. pag. 300; Cic. ad Div. IV, 47; VII, 18; Mart. XIV, 7, et Catull. XXII, 5.

[4] Vide Heins. ad Ovid. Ep. Her. IV, 113; et Fast. V, 648; Vulp. et Passerat. ad Prop. I, 5, 32; Heyne ad Virg. Æneid. V, 344; VII, 470, et ad Tibull. I, 2, 76.

dignis deferebatur, neque alebat, nedum ditabat poetas, qui illa ætate conficiebantur inopia et macie. — *Macrum* dici potest, quod vilis exiguique pretii est, ut synon. *exile* et Gall. *maigre*, Germ. ac Batav. *mager*. Huic explicationi favent, quæ proxime sequuntur, verba.

Var. 30. *Didicit nam*, 13, 22, 23, 25, 27, 46—50, 55—60, 64, 65, 69. *Nam didicit*, 16. *Didicit nunc*, 24.

Not. 30. *Spes* præmiorum hac ætate poetis *nulla ulterior*, alia est, præter imaginem hedera coronatam: nam Romani *divites* et *avari divertas*, doctos homines artesque ingenuas non liberaliter fovere solent, sed *admirari* solummodo ac *laudare*, et quidem, ut *Junonis avem*, pavonem ejusque caudam, *pueri*, qui cæco animi impetu ac stupore, non ratione judiciique subtilitate reguntur.

Var. 32. *Si defluit ætas*, conj. Schrader.

Not. 32. *Sed*, dum in studio literarum inutili versaris, *defluit*, abit, *ætas* juvenilis, robusta viribusque integra, quæ idonea est rebus gerendis et majori utilitate impendi potest *pelago*, mercaturæ, *cassidi*, militiæ, et *ligoni*, agriculturæ. — *Defluit* h. loc. exquisite positum: nam *fluere* et *labi* dicuntur ea, quæ ita fugiunt et abeunt, ut vix sentias, instar rivi leniter fluentis. — *Patiens* rei vocatur, qui laborem cum ea conjunctum ferre potest. Vide Mitscherl. ad Horat. Od. I, 8, 4.

Var. 34. *Nunc subeunt*, 13, 20, 22. *Nunc....nunc*, 17.

Var. 35. *Ac nuda*, 24.

Not. 34, 35. *Tunc*, quum ætas defluxit, *tædium* studii literarum capit *et se suamque Terpsichoren*, Musam, studia, *odit*, accusat damnatque, *facunda et nuda senectus*, poeta senex et pauper, sero dolens, se studiis, nec potius aliis artibus, quibus majora sibi commoda et senectuti præsidia comparare potuisset, ætatem impendisse. — *Nuda*, inops, *senectus*, ut apud Ovid. Ep. Her. IX, 154. Conf. supra IV, 49 et 81.

Var. 36. *Nunc* pro *tunc* revocavi ex 14—20, 25, 27, 45—50, 56—63, 65—74, 77. *Adspice nunc artes* malebat Schrader.

Not. 36 seq. *Accipe*, audi, *nunc artes*, dolos, quibus *iste*, *quem colis*, sordidus et illiberalis patronus, utatur, *ne quid* tibi præmii seu adjumenti *conferat*, dare cogatur. Prima ars est: *ipse facit versus*, ut carmen carmine compenset (ita per jocum vices rependisse Augustum Imper. poetæ græculo refert Macrob. II, 4), et tam præclaros versus facere, tam egregius ipse poeta esse sibi videtur, *ut uni Homero cedat*, principatum concedat, et quidem non propter ingenii carminumque præstantiam, sed *propter mille* tantum *annos*, hoc est, propter vetustatem, quippe quæ a multis magis quam ipsa præstantia in libris respicitur, et ad quam hæc æstimari solet; quod judicium vulgi ridet Hor. Ep. II, 1, 18 seq. Lepide

simul in toto hoc loco (vs. 36—52) perstringitur *insanabile scribendi* carmina *cacoethes.*, quod tum temporis *tenebat* tot homines. Conf. ad, I, 1.

Var. 37. Alii majorem distinct. ponunt post *colis* verbaque *et Musarum et Apollinis æde relicta* cum seqq. jungunt.

Not. 37. *Quem colis*, quotidie salutas et sectaris, non sine spe mercedis consequendæ, *relicto* propterea Musarum commercio et conventu poetarum in *æde Musarum et Apollinis;* Brit. Ita et *Callistratus, quem nobilem illam super Oropo caussam perorantem ipse Demosthenes,* ACADEMIA CUM PLATONE RELICTA, SECTATUS EST, apud Ammian. Marc. XXX, 4, quem locum, ex nostro expressum, comparat Heinr. *Ædes Musarum* fuit et in prima et in quarta regione Urbis. Vide Onuphr. Panvin. apud Rosin. Antiq. I, 13. Neutra exstructa a Marcio Philippo, qui potius templum, non Musis, sed Herculi Musarum seu Musagetæ (de quo vide *Creuzer's Symbolik*, tom. III, pag. 294), a Fulvio nobiliore dedicatum, renovavit (vide Burm. et Ern. ad Suet. Aug. 29; Plin. XXXV, 10, et Nardini *Roma antica*, VII, 2). Hoc vero templum nostro loco designari, et, æque ac *Apollinis* Palatini ædem, in bibliothecæ usum cessisse atque studiosis vacasse hominibus, ibi disputantibus recitantibusque libros suos, recte, opinor, contendit Bentl. ad Hor. Epist. II, 2, 92 seq. Conf. Wieland. ad Horat. Sat. I, 10, 38, et Epist. II, 3, 387, ut de bibliotheca Apollinis Palatini Koenig ad Pers. Prol. vs. 7. — *Æde*, templo; at mox vs. 40 *ædes* privata domus: vide ad III, 31, in Var. Lect.

Var. 38. *Facis* et *cedis* malebat H. Vales.

Var. 39. *Et si* quidam Codd. et Edd. recentt. *Sed si*, 16. *At si*, 15, 21 a m. sec. 24, 25, 45, 49, 50, 54—57, 59—63, 65—69, 71—74, tres Codd. Hafn. et XX Paris. quos secutus est Ach. *Aut si*, 10, 17—20, 22, 23, 27, 46, 47, 48, 58, 64, tres Codd. Hafn. et quidam Paris. e quibus hanc lect. nunc restitui pro vulg. *et si*.

Not. 39. *Mille anni* numerus magnus et rotundus, sed ad Juvenalis fere ætatem congruens. [1]

Var. 40. *Incensus*, 24. *Contentus*, 23. — *Resitet* perperam, ni fallor, emend. Lindenbrog. et Schrader. — *Maculonus*, 10, 11, 17—24 a m. sec. 25, 27, 45—50, 54, 55, 57—69, 71, 73, et quinque Codd. Hafn. *Maculonis*, 12, 14, 15, 16, 24 a m. pr. 26, 56, 70, 74—77, 82. Vetus scholion est: *alii sordidas dedes; alii pictas.* Ad quam glossam Schurzfl. bene hæc notavit: « *Maculatas* forte legit, si recte emendatus est. Pithœus edidit, *Alii sordibus dixit, alii pictas.* Possis etiam *illitas sordibus.* Emblema vermiculatum alii, puto,

[1] Fuit enim Homerus annis ante Urbem conditam centum LX, post Ilium captum ducentis LX; vet. Schol. Conf. intpp. Vellei. lib. I, cap. 5, et Salmasii Exercitationes Plinianas, pag. 866.

ceperunt *maculas*, et exposuerunt *pictas*. Conf. Casaub. ad Theophr. p. 173. » Sed *maculosas* ingeniose emendavit Heinrich. cujus annotatio est: « Aliena ab re vulgata, et *Maculonis*, quia patronus hic noster *commodat*, ad recitandum, honoris caussa, concedit, ædes suas ipsius, non conducit alienas; et *Maculonus*; nam quum præcesserit *Ipse*, quo *iste*, *quem colis*, satis signatus videri debet, ipsum fautoris nomen tam sero positum aliquid inepti habet: nolo dicere, plane esse inauditum hunc hominem. Auget multo magis dubitationem memorabile scholion, quod aperte demonstrat, olim hic, ante omnes, puta, qui hodie exstant, libros longe diversam lectionem fuisse. Priora ejus verba integritati sic restituenda: *alii sordidas textis* sc. aranearum, nisi hoc voc. incuria obliteratum est. Itaque lectum antiquitus fuit *maculosas*. » Hoc recepi, tamquam longe præstantius vulgato, quamvis non undique tutum videri possit ab omni dubitatione. Vide Comm.

Nox. 39—47. Altera ars, qua dives patronus tuus utitur, ut satis tibi præmii ac favoris contulisse videatur: Si *famæ dulcedine succensus*, accensus, impulsus, carmina tua *recitare* cupias, *ædes* quidem, in quibus recites, sed ruinam minantes, omnique supellectile carentes, tibi *commodabit* (unde magni sumptus tibi erunt faciendi in *conducenda*, disponenda ac *reportanda subsellia*, etc.), et clientes tibi applaudere jubebit. Conf. ad I, 1, et 12, 13. Tacitus, vel alius auctor Dialog. de Orator. c. 9, de Saleio Basso poeta (confer. vs. 80): « Quum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extudit et elucubravit, rogare ultro et ambire cogitur, ut sint, qui dignentur audire; et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur, et auditorium exstruit, et subsellia conducit, et libellos dispergit; et ut beatissimus recitationum ejus eventus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore præcepta, ad nullam certam et solidam pervenit frugem; nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut mansurum in animo cujusquam beneficium, sed clamorem vagum et voces inanes et gaudium volucre. » Annotatio Heinr. est: « Juvenalis ædes illiberalis patroni *maculosas* dixit, araneosas eas, vel textura araneorum, *maculis*, obductas: nam *maculæ* sunt intervalla texturæ, foramina sive aperturæ in reti seu reticulo (vide Gesneri Thes. L. L. et Ernesti clav. Cicer.); inde *macula* dicitur de tela araneorum, ut apud Plin. Hist. nat. XI, 24, seu 28. « Texere a medio incipit.... *maculasque* paribus semper intervallis.... indissolubili nodo implicat. » Quod sponte intelligitur, quam unice congruat ædificio *longe ferrato* ac deserto, hinoque in situ ac squalore jacenti; quam bene denique repræsentet fortunam literatorum hominum, quibus ejusmodi ædes ruinam minantes ac plenæ araneorum *commodabantur*. Cæterum, si ab usu, legitimo tamen, quæsitioris vocabuli discesseris, in ipsa re nihil plane Satiricus est ausus, nisi quod multis modis multorum exemplo firmatum esset; quippe nihil frequentius poetis hac descriptione rerum vacuarum neglectarumque, ab aranearum texturis repetita: vide Clark. ad Hom. Od. XVI, 35; Broukh. ad Prop. III, 4, 33; Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, p. 564;

Valcken. Diatr. in Eurip. Fragm. pag. 169; Heyne ad Tibull. I, 10, 49; Doer. in Cat. XIII, 8; LXVIII, 49; Jacobs. in Anthol. Gr. I, 1, p. 282. Ingeniosa hæc; sed probabilior forte emendatio vulg. lectionis, quæ et Schurzfl. et mihi semper displicuit, quam interpretatio illa. Omnes certe scrupuli haud facile eximentur iis, qui contenderint, in illo Plinii loco *maculas* proprie sic dictas (Germ. *Maschen*, Gall. *des mailles*), *et paribus semper intervallis implicatas*, hoc est, omnes ejusdem magnitudinis, designari, et neque tales maculas alicubi *intervalla*, neque ipsas aranearum texturas usquam *maculas* dici; præterea has aranearum telas bene *maculosas* dici posse, non item ædes araneosas; denique vetus scholion (vide Var. Lect.) omnino favere lectioni nunc receptæ *maculosas*, sed illud leniori forsan medicina adhibita, et sic integritati restituendum: *alii*: *sordidas dixit* scil. poeta, vel *dici*, *alii pictas*, adeoque illam explicationem ad vulgarem vocis *maculæ* significatum, sordium, seu labis, referendam esse, hanc ad illas *maculas*. Confer. ad VI, 80. Postquam hæc scripseram, vidi, interpretationem illam propter similes aliasque rationes in dubium quoque vocatam esse a viro docto in Jen. Allg. Lit. Zeit. ann. 1810, N. 285, pag. 479. Jam vero ultra quærendum videtur, utrum poeta *maculosas ædes* pro araneosis aut potius sordidis dixerit, an alia usus sit voce.

Var. 41. Abest ab 11. *Ac*, 10, 14, 15, 17—25, 27, 45—50, 54—69, 71—74.

Not. 41. *Longe*, et diu, et valde, *ferrata domus*, pessulis ferreis occlusa;[1] vetus et ruinosa, in qua diu jam nemo habitavit, et quæ propterea objicibus clathrisque probe et undique munita est. — *Servire*, usui esse, patere, permitti poetæ recitaturo.

Not. 42. *Janua* propr. est privatarum ædium et *porta* urbis. *Portas sollicitas*, portas urbis sollicitæ et anxiæ metu hostium tempore belli et oppugnationis, adeoque valde munitas. — *Imitatur*, non minus fere munita est.

Not. 43, 44. Patronus etiam dat *libertos*, qui tibi recitanti applaudant, et *comites*, hoc est, clientes et servos, comites divitum nobiliorumque (conf. I, 46; III, 47, 284; VII, 142), qui acclament *Euge*, *Bene*, *Belle*, *Recte*, etc., quæ laudis assensionisque indicia pretio vestis, cœnæ, etc., emuntur. Vide ad I, 1 seq. — *Ordinis*, subselliorum, *extrema in parte sedentes*, ne conspiciantur, nec quisquam animadvertat, quisnam applaudendi acclamandique initium fecerit, doctus an indoctus. — *Magnas voces*, clamores, *disponere*, præparare vel commovere, signo concinendi dato a μεσοχόρῳ, de quo vide Plin. Epist. II, 14.

[1] Vide Salmas. Exerc. Plin. p. 649, et Sagittar. de januis, in Thes. Græv. tom. VI.

VAR. 45. *Constant*, 11—22, 24.

NOT. 45. *Regum;* vide ad I, 136. Reliqua verba recte, opinor, exposuit Lipsius, Epist. ad Belgas, Cent. II, epist. 48, ubi præter alia leguntur hæc : « Juvenalis tria ostendit in his auditoriis fuisse, subsellia, anabathra, orchestram : *subsellia*, in medio ac planitie atque, ut ita dicam, æquore atrii ; *anabathra*, ἀναβαθρα, subsellia ad latera, quæ assurgerent gradatim et per scalas, theatrali more, subselliis exstructis aliis super alia ; denique *orchestra*, e *cathedris*, quæ in fronte ante ipsum recitantis suggestum dispositæ honestioribus, extra auditorum plebem, plane ut in theatris, ubi inferiore et primore illa parte primores et senatores sedebant. » — *Anabathra;* vide Var. Lect. — *Pendent*, eleganter, ob altitudinem : nam quæ prælta sunt, *pendere* quasi videntur. [1] — *Reportandis cathedris*, quia *conductæ*, vel ab suis locis huc collatæ ; Schol.

VAR. 46. *Anabatra*, 17, 19, 21, 22, 49. *Anabetra*, 75. *Anabætkra*, 76. *Anabethra* legit Vales. in Valesianis pag. 208. Sed Gr. ἀναβαθρα dicuntur, et recte Schol. vetus, cujus glossa ad hoc verbum, non ad *subsellia* spectat : « A Græco tractum, i. e. subsellia, super quæ altius sedeatur, gradus superiores scansiles. »

NOT. 48—52. Miratur Juvenalis et ridet stultitiam poetarum, qui, quum nulla laborum præmia consequantur, tamen stolida ambitione ducti certatim scribant carmina et recitent. Conf. ad I, 17, 18. — *Nos*, bene et modeste ; nam poeta loquitur et suam quoque stultitiam damnat. — *Hoc agimus*, poesi operam damus ; quod studium non modo difficile est, ac molestum, sed et præmiorum atque commodi spe caret. — *Tenui in pulvere sulcos Ducimus et litus sterili versamus aratro*, frustra laboramus et studium in poesi ponimus, non majori spe emolumenti, quam si arenosum araremus solum ac litus. Ita proverbii loco dicitur *arenæ mandare semina* et *litus arare*. [2] *Aratro sterili*, vano, inutili, sine emolumento ejusque spe ; ut *sterilis cathedra* et *amicus*, vs. 203 ; XII, 97 ; Martial. I, 77, 14 ; X, 18, 3. — Hunc locum feliciter gallico carmine vertit cl. *Raoul* :

« Nous veillons cependant, nous écrivons toujours !
« Et traçant sur le sable un sillon inutile,
« Nous cultivons sans fruit un rivage stérile. »

Similis fere locus est apud notratem *Boileau*, Sat. VIII :

« Après cela, docteur, va pâlir sur la bible,
« Va marquer les écueils de cette mer terrible....
« Afin qu'en ta vieillesse un livre en maroquin
« Aille offrir ton travail à quelque heureux faquin,
« Qui, pour digne loyer de la bible éclaircie,
« Te paye, en l'acceptant, d'un *je vous remercie.* »

[1] Vide ad XI, 107, ad Sil. I, 128, et VI, 645.

[2] Vide Erasm. prov. et intpp. Ovid. Ep. Her. V, 115, 116.

Ultimus hic versus optime repræsentat verba Juvenalis *tantum laudare disertos*, supra vs. 31. Ed.

Var. 49. *Sterilique in pulvere sulcos Ducimus et litus tenui versamus aratro*, 11; quæ lectio valde arridebat Schurzfl. qui allusum putabat ad Virgilianum *in tenui labor*, Georg. IV, 6. — *Tenui* pro *sterili*, 27, 46—50, 54, 55, 57, 58, 61—67, 71—74. *Sterili littus*, 15.

Not. 50 seq. Nam adeo huic poetices studio dediti sumus, ut, si vel velimus, seu cupiamus et conemur *discedere* ab eo, et utilioribus studiis animum applicare, prava scribendi libido et ambitio nos quasi vinctos teneant, et obtorto collo ad carmina scribenda impellant. Conf. ad XIII, 239 seq. — *Ambitiosi mali*, ut *ambitiosa paupertas*, III, 182. *Ambitio* propr. popularis gratiæ studium et captatio ad obtinendos honores, unde suam quoque ambitionem laudat Cicero: deinde vanæ gloriæ affectatio; quam vocis significationem sub Cæsaribus demum in usum venisse, existimant Gron. ad Liv. XLV, 36, 8, et Spalding. ad Quintil. Inst. Or. I, 2, 22.

Var. 51. *Insatiabile*, 13, 24.

Var. 52. *Cacoethos* legendum putabat Ascens. — *Et in ægro*, 19. *Atque ægro*, 19. *Ægroque*, 11, 12, 13, 18, 21, 23, 24, 45. *Ægre* reponendum esse non dubitabat Græv. ut sensus esset: difficulter et vix unquam scribendi carmina cupiditas expellitur. Sed vulgata lectio haud dubie præstat.

Not. 52. *Cacoethes scribendi insanabile tenet multos*, ut στέξαι τὴν νόσον οὐ δύναμαι dixit Palladas, Epigr. XV, 4, in Brunck. Anal. t. II, p. 410, et *morbum*, Ovid. Trist. II, 16. *Cacoethes*, κακὸν ἦθος, malus mos, natura, ingenium. Medicis κακοήθες dicitur, quod curatu difficile, vel adeo insanabile est, verbi caussa carcinoma, vel aliud corporis ulcus; vide Plin. XXII, 25; XXIV, 3, et 10; Cels. V, 28, 2, et supra I, 45. Hinc ad animi quoque vitium inveteratum transferri potest; et quidem h. loc. ad scribendi libidinem, quæ aliis *scabies*, *prurigo*, *pruritus*, *insania* dicitur. — *Scribendi* inpr. carmina, poetandi. — *Ægro in corde*, in animo, qui scribendi libidine et ambitione, tanquam morbis, laborat. — *Senescit*, inveterascit.

Not. 53—81. Juvenalis, cujus ætate, ut et nostra, multi erant, quos *paupertas impellebat audax*, *ut versus facerent* (quod Horatius de se ipso quoque profitetur Epist. II, 2, 51), præclare docet, poetam egregium esse non posse, cujus mens non vacua sit curis, et qui rei familiaris angustia prematur, quæ non det facultatem poeticam, a natura negatam, sed ingenii potius vires frangat. Re vera tamen ingenium naturæ donum est, et neque opibus, neque paupertate per se aut acuitur, aut minuitur. Hæc sæpe ejus nutrix et artium mater est (confer. ad III, 78), quod vel ex Horatii et Persii (vide ejus Prol. vs. 8, seq.) exemplis intelligitur. Horatius tamen naturam quoque fautricem habuit in tribuendis animi dotibus,

nec vitæ sustentandæ caussa carmina fecit, sed ut inclaresceret, atque in Augusti et Mæcenatis gratiam insinuatus honoribus opibusque augeretur. Neque multi erunt, quibus contigerit tam felicibus esse, ut tales patronos inveniant, et hoc modo sibi comparent. [1]

Nor. 53—56. Ornata poetæ egregii descriptio, sed minus venusta, quam Horat. Sat. I, 4, 43, 44. Displicet certe nimium artis doctrinæque ostentandæ studium; nam eadem res triplici verborum varietate ac metaphora designatur, et quatuor epitheta synon. junguntur, *publicum, expositum, commune, triviale.* Farnabius hæc verba pæne conversa putabat ex Aristophan. Ran. v. 96, 97:

Γόνιμον δὲ ποιητὴν ἂν οὐχ εὕροις ἔτι,
Ζητῶν ἄν, ὅστις ῥῆμα γενναῖον λάκοι.

— *Publica vena*, vulgare ingenium et facultas poetica. *Venam* venuste transferunt poetæ a metallis ac fontibus ad ingenium; unde et nobis dicitur *poetische Ader*, Gallis *veine poétique, une veine féconde et tarie, la douceur de sa veine*, Anglis *poetical vein.*

Nor. 54. *Expositum*, commune, vulgare, vulgo notum. [2] — *Deducere*, facere, componere carmen, verbo translato a filo, vel lana in filum deducta; (cf. inf. v. 224) unde *tenui deducta poemata filo* dixit Horat. Epist. II, 1, 225. *Deducere carmina*, seu *versum*, Ovid. Trist. I, 1, 39, ex Ponto I, 5, 13; alii *texere, contexere, detexere, subtexere carmina*, νήθεσθαι ἀοιδάς, Antipater Epigr. LXX, in Brunck. Anal. tom. II, p. 25. [3]

Nor. 55. *Carmen feriat communi moneta*, ornate pro, stylo vulgari scribat, et ingenio parum subtili; similitudine petita a numis vulgaribus, uniusque notæ ac formæ, et, qui eos procudunt, monetariis, unde « græcas voces latina moneta percutere » dixit Apul. Apol. p. 298, 33, edit. Elm. et « omnia facta dictaque una forma percussa » Sen. Ep. 34, ext. Cf. Bentl. ad Horat. Art. Poet. vs. 59. *Moneta* h. l. nota impressa, forma, χαραχτὴρ, κόμμα, seu σφράγισμα, Germ. *Stempel. Carmen triviale*, inconditum, rude ac plebeium, quale canitur a plebe in vicis (unde *maledictum arripere ex trivio* apud Cic. pro Mur. 6, pr. et Germ. *Gassenlied*), vel ex tempore ab agrestibus componitur hominibus viatoribusque in triviis, ut otium aut laborem fallant. [4] — Hunc versum feliciter transtulit in nostram linguam vir. cl. *Méchin:*

« Frappe au coin du génie un vers original. » Ed.

[1] Conf. infr. ad vs. 62; Jani in vita Horatii ad U. C. 713, et Casaub. ad Pers. Prol. vs. 10 seq.

[2] Sic apud Quintil. Instit. Orat. lib. II, c. 5, § 19 (ubi vide Spalding); lib. X, c. 5, § 11; Stat. Silvar. lib. I, 2, 24, et Thebaid. lib. II, 188, ubi Scholiastes vetus exponit: faciles oppido, obvii, parati.

[3] Cf. Scalig. Poet. IV, 20; Cas. ad Pers. V, 5, et intpp. Tibull. IV, 1, 211.

[4] Conf. X, 22; Ovid. Trist. IV, 1, 5 seq. Calpurn. Ecl. I, 28, ibique Wernsd. in Poet. Lat. min. t. II, p. 80.

Var. 56. *Nescio*, 27, 46—49, 54—58, 64, non improb. Maittario, ut syll. *ne* corripiatur ante literam *s* liquescentem, vel antipodia admittatur.

Not. 56. Venuste de poeta egregio.[1] *Monstrare*, ostendere, vel adumbrare verbis. *Sentio*, concipio mente, qualis sit et esse debeat.

Not. 57. Conf. Ovid. Trist. V, 12, et Horat. Od. I, 26, 1. — *Omnis acerbi impatiens*, active, qui nihil acerbi patitur, nihil mali aut molesti sentit.

Not. 58. *Cupidus silvarum*, amans secessus, solitudinis agrestis et rusticarum amœnitatum, quæ poetas finguut, dum alunt eorum ingenium et phantasiam inflammant.[2]

Not. 59. *Aonides* et Aoniæ, h. e. Bœotiæ, sorores dicuntur Musæ, quoniam Aonia pars montana Bœotiæ et non modo Helicon mons in ea, sed etiam in hoc *fontes* fuere Musis sacri, Hippocrene et Aganippe; de quibus qui *bibebant*, repente afflari nu. ine Musarum atque Apollinis, et sic poetæ fieri credebantur, quod tamen recentioris ævi commentum esse videtur[3]. Hinc *aptus bibendis fontibus Aonidum* dicitur, cui tributum est a natura ingenium poeticum, quod divino quasi spiritu inflatum exquisitiores excelsioresque, quam vulgus hominum, concipit sensus.

Not. 59. *Cantare sub antro Pierio*, φωλεωῖς Parnassi seu Heliconis, carmina digna Musis et Apolline, h. e. apta et præclara, non sine aliquo cœlesti mentis instinctu fundere[4]. Hinc ἀποφωλεοί, indocti; Grang.

Var. 60. *Thyrsumque*, 1, 18, 23 a m. sec. 45. — *Sana* plerique libri, quos sequutus sum, 10, 11, 15, 17, 19—27, 45—50, 54—69, 71—74, plerique optimique Codd. Paris. forte et vetus Schol. qui ita h. l. interpretatur: « Insanire pauper non potest, aut moveri ad scribendum, quia familiaribus rebus consulere cogitur: dicunt nam, nisi insanum, poetam esse non posse. » *Sæva*, 7, 14, 16, 18, 21 ad marg. 29, prava, sed facili aberratione. *Mœsta*, 12, 13, 70, 75, 76, 77, 82, et quidam Codd. Paris. quæ indocti hominis emendatio esse videtur.

Not. 60. *Thyrsum*, hastam hedera pampinisque cinctam, qua Bacchus et Bacchæ utebantur, *contingere*, h. e. furorem, ἐνθουσιασμὸν, concipere, quem thyrsi tactus et percussio immittere credebatur; unde θύρσοπλῆγες insanientes in orgiis Bacchi. Baccho autem commune cum Apolline Parnassi imperium poetarumque tutela et enthusiasmus tribuitur.[5] — *Pau-*

[1] Conf. Engeri Comment. ad Hor. loca quædam p. 18.

[2] Vid. ad vs. 8; Tacit. vel alius auctor Dial. de Orator. c. 9, extr. intpp. Hor. Od. I, 1, 30, et IV, 3, 10—12.

[3] Vide Koenig ad Pers. Prol. vs. 1, et interpretes Prop. II, 8, 19 seq.

[4] Conf. ad vs. 8; Bentl. et al. ad Horat. Od. I, 32, 1; II, 1, 39; III, 4, 40.

[5] Conf. ad vs. 29, et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 19, 1.

pertas, pauper poeta. Conf. ad vs. 53. *Sana*, quæ furorem poeticum, ἐνθουσιασμόν, non concipit, nec concipere potest; quæ non apta est furori sensibusque celsioribus concipiendis. Poetæ autem proprium est *insanire* ac *furere*, ἐνθουσιάζειν, a Baccho aut Apolline ad furorem et insaniam adigi.

....Excludit sanos Helicone poetas,
Democritus, etc.

Horat. Art. Poet. 296.

Nor. 61. *Quo ære nocte dieque corpus eget*, quæ semper fame conficitur, et caret pecunia, qua parare possit, quæ ad cultum victumque suppeditent.

Var. 62. *Euoe* restitui ex 4. Est nota vox Baccharum εὐοῖ (ex εὖ οἱ) et exclamatio, quum præsentis numinis sensu perturbarentur ac furerent, ut εὐάν et σαβοῖ (vid. Virg. Æn. VII, 389, et Ovid. Met. IV, 522), unde Bacchantes Εὔιοι γυναῖκες dicuntur Eurip. Phœn. 660, et ipse Bacchus passim Εὔιος, *Evius*. Vid. Barnes. ad Eurip. Bacch. 141, et Bourdin. ad Aristoph. Thesmoph. 999. Eadem voce etiam Horatius in summo enthusiasmo usus est, Od. II, 19, 5, 7. *Ohe*; 10, 15, 24, 25, 50, 54, 56—60, 62—69, 71—74, 77, quod probabant Britann., Farnab., Schurzfl., Bahrdt. et alii, coll. Hor. Sat. I, 5, 12; II, 5, 96; Martial. IV, 91, 1; Plaut. Aulul. I, 1, 16, al. quibus locis fastidium satietasque hac voce designatur. Sed *ohe* multi dixere, *euoe* vero præter Horatium nemo, nisi de ipsis Bacchis : adeoque hac voce magis, quam illa, carminum Horatii indoles et character adumbratur, ut mox v. 68 seq. Virgilianæ Æneidos, habito respectu loci de Alecto Æneid. VII. Errant autem, qui *euoe* et *ohe* vocabula esse synonyma, vel *ohe* etiam in Horat. l. l. scribendum existimant. — *Euhoe*, 9, et 23 a m. pr. ut ap. Sidon. Epist. VIII, 9 : « Forsitan satiricum illud de satirico non recordaris : *Satur est, quum dicit Horatius Euhoe.* » — *Hohe*, 11, 13. *Hoe*, 16, 17, 22, 27, 45. *Ehohe*, 21. *Heuhoe*, 14, 18—20, 23 a m. sec. 49, 55. *Heuohe*, 12, 46—48, 61, 70, 75, 76, 82. — Conf. Horat. Od. II, 19, 5, 7, et Virgil. Æneid. VII, 389, quibus locis eædem librariorum aberrationes reperiuntur.

Nor. 62. Hoc facete dictum pro : non pauper erat Horatius, ἔνθεος et divinus poeta, quum excelsiori sensu phantasiæ plenus carmina præclara funderet, inpr. lyrica, vel adeo dithyrambica effrenatioris enthusiasmi plena, quale est Od. II, 19 : nam ejus vss. 5 seq. respexisse videtur Juvenalis, quemadmodum mox v. 68 seq. præstantia carminis Virgiliani ex egregia tractatione loci de Alecto Turno immissa Æneid. VII, 323 seq. probatur. At quomodo his congruunt ipsa verba Horat. Epist. II, 2, 49—54? Non satis, opinor, est, cum Wielando ad h. l. tom. II, p. 162 seq. dixisse, hæc scripsisse Horatium, quum mens ei atra bile mota esset. Sed poetæ forsan in mentem venit, sibi exemplum Horatii opponi posse, qui pauper primum fuerit et ipse l. l. confessus sit, se paupertate ad carmina scribenda impulsum fuisse; ut itaque sensus h. l. sit, Horatium jam liberalitate Mæcenatis et Augusti divitem factum esse, quum plurima optimaque scripserit carmina. Constat etiam, eum initio plures satiras fecisse,

quam odas, nec diu in egestate versatum esse : nam ante prælium Philippense percommoda ejus ac splendida fuit vita, et jam triennio post in Mæcenatis amicitiam receptus et ex paupere dives factus est. Cf. ad v. 53 seq. — *Quum dicit Euoe*, in summo scil. enthusiasmo, Od. II, 19, 5, 7. Vide Var. Lect. et intpp. Eurip. Bacch. 141. — Hunc locum mira felicitate in gallica carmina transtulit *Boileau*, neque post eum quisquam interpretum hujus versus 62 vim reddere ausus est. Ea sunt ejus verba Art. Poet. lib. IV fin. :

« Un auteur qui, pressé d'un besoin importun,
« Le soir entend crier ses entrailles à jeun,
« Goûte peu d'Hélicon les douces promenades :
« Horace a bu son soûl quand il voit les Ménades. » ED.

NOT. 63. *Quis locus*, copia, facultas, *ingenio* exercendo ac promendo. — *Se vexant*, vexantur, agitantur, et hoc gravius quam vulg. occupantur. — *Dominis Cirrhæ Nysæque*, ab Apolline et Baccho, vel eorum instinctu et afflatu, *feruntur*, commoventur animo, vel in furorem conjiciuntur. *Ferri* et *agi* dicuntur, qui nimia animi commotione quasi excæcati nesciunt, quid agant, et vel cæcis, vel furentibus similes agunt. [1] *Cirrha*, Phocidis urbs et navale Delphorum, ubi Apollinis oraculum erat, unde is non modo *Delphicus*, sed et *Cirrhæus* dicitur. *Nysa* urbs, vel mons Baccho sacer. Sed undecim hujus nominis urbes montesque a variis scriptoribus memorantur. [2]

VAR. 64. *Nisæ Cyrræque*, 24. *Cyrrhæ* in plerisque Codd. et Edd. etiam Henniu. et *Nisæque* in quibusdam legitur. Sed Κίῤῥα et Νύσα dicuntur.

VAR. 65. *Pectora nostra* (ut *nos* sup. v. 48), 7, 10, 14, 15, 16, 19, 23, 24 a m. sec. 25, 26, 45, 49, 50, 54—69, 71—74, 77, et plerique Codd. Paris. e quibus nunc hanc lect. substitui cum Ach. etsi bene etiam habet vulg. *vestra*, ut Juvenalis poetas alloquatur. — *Voces* pro *curas*, 27, 46, 47, 48.

NOT. 65. *Duas curas*, poeticæ et rei familiaris.

VAR. 68. *Confundit*, 15. *Confudit*, 11, 16. — *Erinnis, Erinis, Erynnis* al. Sed Ἐρινύς dicitur.

VAR. 69. *Desit*, 10, 11, 14—18 a m. sec. 19, 20, 22, 23, 25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et plerique Codd. Paris. Emendatio scholasticorum, metro timentium.

NOT. 66—71. *Magnæ mentis*, ingenii tantum animique generosi et excelsi, spiritu divino instincti et magnificis phantasiæ sensibus pleni, *nec de lodice*, lecto (vide ad VI, 196), hoc est, cultu ac victu, vel re fami-

[1] Vide Burm. ad Ovid. Epist. Her. XV, 140.

[2] Vide Heyne ad Apollod. III, 4, 3, et ad Virg. Æneid. VI, 806; *Creuzer's Symbolik*, tom. III, pag. 116, 138; t. IV, p. 77 seq. 211 seq. 255.

liari *paranda attoniti*, valde solliciti, hoc est, sereni curarumque expertis, *opus*, proprium, est, *adspicere*, in enthusiasmo cernere ea, quæ vulgus hominum non videt, v. c. *currus, equos faciesque deorum*, qui rebus in bello gerendis intersunt, vel horrendam faciem *Erinnyos*, Furiæ Alectus, quæ *Rutulorum* regem Turnum *confudit*, animum ejus ita perturbavit, ut in furorem incideret, et quam fingit Virgilius, Æneid. VII, 450, *geminos erexisse crinibus angues*, etc. et vs. 511 seq. *gravi* sono *buccinæ* ruricolas convocasse : quam Furiæ machinationem diramque formam non tam præclare comminisci et tam exquisitis coloribus adumbrare potuisset (Æneid. VII, 323—571), si *puer*, servi, vel magnus servorum numerus, et *tolerabile hospitium*, domus, ei *deesset*, defuisset, hoc est, si non dives fuisset; tum enim hydros non erectos, sed *cadentes a crinibus* perperam finxisset, et *buccina* fuisset *surda*, non data Furiæ neque tam horrendus ei tributus esset sonitus. Hoc vero dictum est pro : Virgilius, si pauper fuisset, scribere non potuisset Æneidem, divinum carmen, quod non minus rerum, phantasmatum commentorumque delectu, atque subtili inventione, et narrationis præstantia, quam orationis dignitate et ornatu excellit. Hæc est sententia præclari hujus loci, atque nobilitati judicio, quod poeta tulit de loco illo Virgil. Æneid. VII, 323 seq. quem egregie quidem tractatum ornatumque, at inventi subtilitate vel solertia non adeo insignem esse, jam monuit Heyne. Conf. ad vs. 62. Virgilius, si Donato fides habenda in vita ejus, c. 6, *possedit prope centies sestertium ex liberalitate amicorum, habuitque domum Romæ in Esquiliis juxta hortos Mæcenatis, quamquam secessu* in villa *Campaniæ*, non longe a Nola (vide Gell. VII, 20), *Siciliæque plurimum uteretur*. Eumdem tamen fame et miseria, æque ac Horatium, ad versus scribendos fuisse perpulsum, Grammatici ex Ecloga prima perperam colligebant. (Vide Heyne in Vita Virg. ad a. U. cond. 713.)

VAR. 70. *Hydræ*, 77.

NOT. 70. *Caderent* pro cecidissent. *Caderent* hic non est, *cadentes a crinibus* finxisset poeta (vide not. sup.), sed tantum, defuissent ipsi omnia eloquentiæ et poeseos ornamenta, quibus in hac Alectus descriptione usus est. ED.

VAR. 71. *Bucina*, 17, 20, 21, 22, quæ scriptura rectior est, sed in optimis Codd. non reperitur.

NOT. 71. *Surda* et κωφὰ poetis non modo dicuntur, quæ non audiunt, sed etiam quæ non audiuntur, muta, tacita, ut h. loc. et XIII, 194 : *verbere surdo*, hoc est, occulto, cujus sonitum nemo audit, sed animus sentit. Vide ad Sil. VI, 75. — *Gemeret;* vide ad II, 90.

NOT. 71 seq. *Poscimus* injuste, ut poetæ nostri temporis, qui ab inopia vexantur, ingenii carminumque præstantia et solerti studio non inferiores sint antiquis poetis, qui honoribus opibusque affluebant.

VAR. 72. *Rubeus*, 16. *Rubienus*, 24. *Rabienus Lappa* conj. *Dorléans*, ut designetur poeta quidam, qui propter amarulentum ingenium *Rabienus*, et *Lappa* ob mordacitatem dictus sit. — *Lapa*, 46, 47.

NOT. 72. *Antiquo cothurno*, priscis poetis tragicis, *non minor*, inferior, *sit*, iis non cedat gravitate ac majestate, vel grandi genere loquendi. Cf. ad VI, 506. — *Rubrenus Lappa*, poeta haud dubie tragicus et pauper illius ævi, cujus tamen non alibi, quod sciam, fit mentio.

VAR. 73. *Albeolos*, 2. *Albiolos*, 3, 5, 14—25, 27, 45—49, 54—66, 72, 77, et X Codd. Paris. Illud Valla, hoc Mancinellus et Lubinus probarunt. Ille interpretatur tabulas lusorias, hi vero tabulas scriptorias, easque *albas* s. *albeas*, h. e. gypsatas. Cf. Turneb. Miscell. XXIV, 4. Neutra lectio probanda, et utraque orta ex vulgari permutatione literarum *V* et *B*, de qua vid. ad Sil. VIII, 473 et 543. — *Pignorat*, 27, 48.

NOT. 73. Hoc exquisite dictum pro : *cujus Atreus*, hoc est, qui *Atreum* tragœdiam scripturus *alveolos*, paropsides (ut V, 88), et *lænam* (vide ad III, 273), hoc est, supellectilem suam, *pignerat*, hoc est, ob paupertatem oppignerare, vel pigneri dare, seu opponere cogitur, ut alimenta emat; nisi cum Turnebo (Advers. XXIV, 4), et aliis verba *cujus lænam pignerat Atreus* docte, etsi eodem sensu, dicta censeas pro : in caussa est, vel facit, ut oppigneranda sit læna ; ut infra vs. 135, *purpura vendit caussidicum* pro : efficit, ut caussidicus majori pretio conducatur. Conf. ad III, 116, et VII, 92. Satiricam magis et subtiliorem forte interpretationem hanc proposuisse sibi videtur *Achaintre : cujus Atreus*, tragœdia, quam nunc scribit, *pignerat alveolos et lænam*, est pignus pretii vasorum et vestis, quæ ære alieno emit : quod idem est, ac si obrutus alieno ære creditoribus suis se soluturum promisisset, quum, tragœdia scripta et acta, pretium ejus et mercedem recepisset. Non male! sed *pignerare aliquid* non significat pignus ejus aut pretii ejus esse, sed pigneri illud, vel dare, vel accipere. [1] *Atreus* tragœdia, vel ejus titulus, ut *Agave*, *Pelopea*, *Philomela*, vs. 87 et 92, vel *Telephus*, *Orestes* et *Tereus*, I, 5, 6 ; VII, 12.

NOT. 74—78. *Numitor*, hoc est, Romani divites nobilesque (vide ad VIII, 93) parci sunt ac sordidi in *amicos*, poetas aliosque clientes et viros bonos, sed prodigi in venerem ac voluptates. Idem valet de Numitoribus nostræ ætatis. — *Infelix* εἰρωνικῶς dicitur dives Numitor, qui et infelix sane fuit perverso judicio et usu opum. Vide ad VIII, 93. — *Quintillæ*. amicæ, meretrici.

Pauper amicitiæ quum sis, Lupe, non es amicæ, etc.

Martial. IX, 3, 1.

[1] Male alii : qui ob inopiam Atreo fenoratori res suas oppignerat. Vetus Schol. « *Atreus* fenerator, vel, quia *Atreum* scribit, ut sumptus habeat, et res suas *pignori* dat : *alveolus* est tabula calculatoria, lusoria. »

Not. 76. Divites Romani immensos sumptus impendere solebant in feras mansuefaciendas et in vivariis, vel caveis pascendas. [1]

Var. 77. *Belua*, 17, 19, 60, 64. Vulgo *bellua*. Vid. ad IV, 121.

Var. 78. *Cupiunt*, 14.

Not. 77, 78. Facete et σκωπτικῶς: Poeta non tam paucis sumptibus ali potest, et plus comedit, quam leo. — *Nimirum;* vide ad II, 104. — *Capiunt*, vide Heins. ad Ovid. Art. Am. III, 757.

Var. 79. *Jaceat fama*, 26. *Taceat*, 11, 12, 23 a m. pr. 24.

Not. 79—81. Dicas forte, poetas debere *contentos* esse *fama*, sola gloria: ita vero, si divites sunt, ut *Lucanus;* sed quid pauperibus proderit *gloria quantalibet*, quamvis maxima, si præterea nihil habent? «Quotusquisque etiam, quum ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis nostris loquamur, in Urbem venit, Salerium Bassum requirit? atque adeo si quis requirit, ut semel vidit, transit, et contentus est, ut si picturam aliquam vel statuam vidisset;» Tac. de Orat. c. 10. M. Annæus *Lucanus*, L. Annæi Mellæ, fratris Senecæ, filius, notissimus poeta et ditissimus Eques Rom. quem etiam Nero Imp. variis auxerat honoribus. De ejus et patris divitiis vide Tac. Ann. XVI, 17, et Wernsdorf. Poet. min. tom. IV, pag. 41 seq. *Famam* ei vivo invidebat Nero, nec tamen mortuo, quod vel intelligitur ex veter. inscript. M. ANNÆO LUCANO CORDUBENSI POETÆ BENEFICIO NERONIS FAMA SERVATA. — *Jaceat*, in otio vivere potest et jacere in lectulo lucubratorio, in quo veteres studere, legere ac scribere solebant (vide ad vs. 105, in Var. Lect.); adeoque carmina scribere potest in otio, solam sectans gloriam, et expers curarum. — *In hortis marmoreis*, qui marmore, seu marmoreis columnis, ac statuis exornati sunt et abundant. In hortis plerumque etiam scribebant poetæ; Ach. coll. Ovid. Trist. I, 11, 37. Sed ibi forsan et h. loc. *horti* sunt villæ, ut apud Plin. XIX, 4 pr. Cic. Off. III, 14, et al. Villæ autem et domus marmoreis pavimentis, columnis signisque ornari solebant. — *Serranus* et *Saleius*, poetæ pauperes illius ætatis. Ille memoratur etiam Martial. IV, 37, 3; at notissimus *Saleius* Bassus, poeta egregius ac *tenuis*, hoc est, pauper. [2] Conf. Var. Lect.

Var. 80. *Jaceat Lucanus in hortis Marmoreus*, 12, 14, et V Codd. Paris. ut

[1] Conf. Mart. I, 105; Plin. VIII, 17, et 52; Capitol. in Gordianis, 33; Lamprid. in Heliog. c. 21 al.

[2] Vide Quintil. V, 1; Tac. de Orat. c. 5 et 9; Martial. III, 47, 58; V, 24, 54; VII, 95; VIII, 10, et Wernsdorf. Poet. Lat. min. tom. IV, pag. 41—46, ubi ei, non Lucano, carmen vel Panegyr. ad Calpurnium Pisonem tribuitur.

emend. Gronov. Obss. III, 13 extr. probb. Burm. ad Anthol. II, pag. 66, et Schurzfl. qui audacter totum h. l. ita corrigebat :

....Jaceat Lucanus in hortis
Marmoreus. Sit Serrano tenuique Saleio
Gloria tanta licet, quid....

ut sententia h. l. esset : statuas poetis positas non solvere æs alienum, quo teneantur. Sed, ut alia taceam, ita certe *stet* dicendum erat, non *jaceat*. Sic *æneus ut stes*, apud Horat. Sat. II, 3, 183. — *Et* pro *at*, 11, 14—25, 27, 30, 45—50, 54—63, 65—69, 71—73. *Sed* malebat Gronov. l. l. — *Sarrano*, 11, 18—21, 23, 24, 28, 30, 59, 61—63. *Sarano*, 27, 46—48, 54, 58, 64. *Sarnano*, 22. Gentis Atiliæ cognomen in numis et marmm. *Saranus* vel *Saranus* scribitur, et a devictis *Sarranis*, Tyriis (nam *Sarra*, צור, priscum Tyri nomen, de quo vid. Cell. XIV, 6), hoc est, Pœnis, vel potius a *Sarrano*, antiquo Umbriæ oppido (unde *Sarranates* dicti Plin. III, 14), deducitur a Drakenb. ad Sil. VI, 62, et Perizon. Animad. hist. c. 1, p. 24 et 33, ubi doctissime de familia agitur Atilia, multique errores vulgares refutantur. Vulgatam contra scripturam *Serranus* tuentur Heins. ad Virg. Æneid. VI, 845, et alii, qui propter historiam, ex Cic. Rosc. Amer. c. 18; Plin. XVIII, 3, et Valer. Max. IV, 4, 5, notissimam, Atilio hoc cognomen a *serendo* datum putant. Ita tamen *Serenus* vel *Seranus* certe dicendus erat. — *Saleo* pro *Saleio*, 71. *Salivo*, 48. *Salino* vel *salino* perperam, 10—12, 14—17, 19—24, 45, 46, 61—63, et forte vetus Schol. cujus glossa ex emendat. Pith. et Schurzfl. sic legenda videtur : « Nomina sunt poetarum pauperum ; aut a *Serrano* vase fictili, in quo Atilius Serranus solebat mendicare (forte *manducare*). *Saleio* (forte *Salino*) *tenui* : ait mendicorum catillum fictilem, in quo ea, quæ salsa sunt, apponuntur. » Ascensius probabat utramque lectionem *Sarrano* et *tenui salino*, quod *marmoreis hortis* opponi arbitrabatur. Sed. vid. Comm.

Var. 81. *Tantalibet*, 11. — *Est* non exstat in 12, 16, 20. — *Nisi gloria tantum*, 20.

Var. 83. *Fecit quum* recepi ex 14, 15, 17, 18, 19, 46, 47, 48, 50, 58, 61—68, 71—77. *Cum fecit*, 10, 12, 20, 21, 23—27, 45, 49, 54—57, 60, 70. *Cum facit*, 16. *Facit cum*, 22.

Not. 82—87. Insignis laus *Statii* poetæ et dulcedinis carminum ejus, at forte non sine subtili cavillatione; quam etiam notasse videtur Suet. in Vita Juven. Rigaltius et Hennin. suspicantur, poetam de Statio, propter orationis lenocinia et calamistros, ut de lenone, loqui. Vix crediderim; certe non nisi vs. 87, et forte ne ibi quidem, at vs. 82—85, ut de meretrice, *amica*, cujus *vox jucunda* est, quæ *promittit* noctem, quæ *dulcedine* magna *captos afficit animos*, magnaque *libidine auditur*. Idem Hennin. putabat, Statium satirica bile in transitu notari ob superbam Thebaidos perorationem occultumque odium in Martialem, Juvenali amicissimum. Sed hic poetæ nostri locus laudem potius miserationemque spirat, et vana sunt, saltem dubia, quæ de odio illo disputavit et Hennin. et Gevart. Lect. Papin. 35. — *Curritur* certatim catervatimque *ad jucundam vocem* recitantis

Statii, quum is *promisit*, edixit (nam edicto, seu programmate recitationes, ludi etc. indicebantur), *diem*, quo recitaret *Thebaidem*, carmen suum de bello Thebano *amicum*, gratum omnibus et acceptum, vel dulce.

VAR. 85. *Allicit* laudavit Heins. ad Ovid. ex Ponto III, 35, sed haud dubie memoriæ vitio.

NOT. 85. *Libidine*, summa cupiditate ac voluptate.

NOT. 86. Statius Domitiano propter extemporalem carminum componendorum facilitatem gratissimus fuit, et ab eo tam coronis et auro, quam agro Albano donatus; idemque ter in Quinquatribus Minervæ, seu Albano agone victor fuit et coronatus, quum carmina de rebus a Domitiano in bello Germanico et Dacico gestis recitasset, sed semel victus in Quinquennalibus Capitolinis.[1] In hoc tamen agone Capitolino, in quo non nisi laudes Capitolini Jovis cani solebant, non recitavit Thebaidem suam; neque *fregit subsellia versu* hoc loco dictum pro, non stetit, at excidit, hoc est, non placuit; quod contendebant Plathnerus (qui putabat, salse dici *subsellia fracta* non auditoribus, sed *versu*, hoc est, Papinium excidisse), et Scaliger. Lectt. Auson. I, 10, quem jam refutavit Casaub. ad Sueton. Domit. 4, ubi docet, sensum hujus loci esse, Statium vehementissime placuisse, sic ut applausu, κρότῳ et acclamationibus auditorum (sed forte *vulgi* tantum, infimæ plebis) *subsellia* quasi *fracta* sint. Vide ad I, 13. Verba tamen hæc et Sidonii, ad I, 13, laudata atque ex hoc loco expressa, ita potius explicanda videntur: *versu*, recitatione carminis sui talem hominum multitudinem concivit, ut *subsellia* tantum oneris sustinere non potuerint, et *fracta* sint; ut apud Suet. Claud. 41.

VAR. 87. *Ni*, 21, 22. *Paridine vendat*, 11, vitiose pro *Paridi ni vendat*. — *Agavem*, 64.

NOT. 87. *Esurit*, esurivisset, post tantum favorem et applausum, *nisi Paridi* pantomimo (de quo vide ad VI, 87) *vendat*, vendidisset, *Agaven*, fabulam, seu tragœdiam suam de Agave (vide ad vs. 73), filia Cadmi et Harmoniæ, uxore Echionis et matre Penthei, de qua vide Ovid. Metam. III, 501 seq. et Brunck. Anal. tom. III, pag. 225, epist. 353. Alia Agave Danai, et alia Nerei filia fuit. Hæc quidem Statii tragœdia neque exstat amplius (ut nec carmina ejus de bello Germanico et Dacico Domitiani), neque ab aliis memoratur. Nec tamen propterea, et quia Statius Agaves meminerit in Thebaide (lib. III, 190; IV, 565; XI, 318), cum Parrhas. Quæst. Epist. 4, intellexerim *Thebaidem* forte tunc nondum editam, ut

[1] Vid. Barth. ad Stat. Silv. III, 1, 61 seq. 5, 28 seq. IV, 2, 62 seq. 5, 1 seq. V, 3, 215 seq. 229 seq. et Theb. XII, 812 seq. Gyrald. Histor. poetic. pag. 242 seq. Casaubon. ad Sueton. Domitian. cap. 4.

pars pro toto dicta sit. Nam quis unquam carminis, et quidem tam prolixi, titulum a persona, ter in eo memorata, et ne primaria quidem, petiit? et cur histrio epicum carmen emit? *Vendere* solebant poetæ fabulas suas prætoribus, vel ædilibus, vel aliis, qui ludos edebant; quod vel ex Terent. Hec. Prol. I, 7; II, 49; Ovid. Trist. II, 507 seq. al. notum est. Histrio h. loc. tragœdiam emisse dicitur: sed qualis? vide ad VI, 87. — *Intactam*, novam, non antea lectam, saltatam, cantatam, recitatam, vel evulgatam et in scena actam (nam fabulæ, ante quam producerentur in scenam, recitabantur amicis virisque doctis, unde

His necdum commissa chorо cantatur Agave

apud Claud. Eutrop. II, 364), vel fabulam, cujus argumentum nullus adhuc Romanorum poeta *attigit*, tractavit (ut apud Virg. Georg. III, 41; Horat. Sat. I, 6, 66, ipsumque Stat. Silv. I, 2, 238; III, 1, 67); nisi simul respexit poeta illam vocis notionem, de qua vide ad VI, 163. Rigaltius et Hennin. hoc loquendi genus petitum putabant a lenone (vide ad vs. 82 seq.), et C. Valesius hunc locum ita interpretabatur: *nisi vendat Paridi Agaven intactam*, nisi ad lenocinium se contulisset, lepidamque aliquam virginem seu meretriculam, nulli viro cognitam et tactam, Paridi suppeditasset. At leno proprie non *vendere* solet meretrices, neque etiam *intactas* virgines; nisi dicas, eum hoc simulare certe aut dictitare.

Var. 88. *Honores*, 15. — *Largitus* emend. Schrader. offensus omissione copulæ *et*, quam potius excidisse post *Semestri*, vel, quod Jacobs putat, post *honorem*, suspicari possis. Vid. tamen ad IV, 63.

Not. 88 seq. Salse hæc dicta et in Paridem, qui, histrio quum esset, apud Domitianum gratia plurimum valebat, et in ipsum Imperatorem, qui tali homini etiam *honorum largiendorum*, vel vendendorum potestatem indulserat, et in *proceres* Rom. qui non amplius patroni erant doctorum hominum, eosque nec præmiis nec honoribus augebant. Hæc vero figurate potius in se et Paridem, histrionem alium, qui sibi in deliciis fuerit, dicta esse, Hadrianus putabat. Vide infra Vit. Juvenal. — *Ille* Paris. — *Militiæ honorem*, gradus militares, verbi caussa præfecturas et tribunatus, vs. 92.

Var. 89. *Militiæ multis largitur honores Semestrem, vatum*, etc. emend. Ruben. Sed exquisitior vulgata lectio. Ut dignitas Tribunorum semestris fuit, ita et insigne. Conf. Comm. et Salmas. Exerc. Plin. p. 450, cujus verba sup. in Proleg. apposui.

Not. 89. *Aurum*, hoc est, annulum aureum, ut supra I, 28, plerique referunt ad equestrem dignitatem, alii vero rectius ad tribunatum militarem, *vatibus*, seu poetis a Paride impetratum ac tributum, quæ ratio tum ex vs. 88 (*militiæ honorem*), et 92 (*præfectos facit et tribunos*) probabilis fit, tum ex epitheto *semestri*. Veram hoc loco sententiam jam declaravit Lipsius Mil. Rom. II, 9, his verbis: « Ævo Augusti aliud discrimen

tribunorum mil. subortum, ut quidam *Laticlavii*,[1] quidam *Angusticlavii* essent; illi, qui ex senatu, isti, qui ex equite nati.[2] Utrumque genus ambitiose petitum et datum; et quo pluribus gratificari possent, factum *semestre*, unde *semestris tribunatus* apud Plin. Ep. IV, 4. Juvenalis appellat scite *semestre aurum*, quia annulo etiam aureo tribuni utebantur, quod Appianus notavit in rebus Pun. c. 104: χρυσοφοροῦσι γὰρ τῶν στρατευομένων οἱ χιλίαρχοι, τῶν ἑλαττόνων σιδηροφορούντων. Suetonius, vel alius auctor vitæ Juvenalis scribit: « Satiram non absurde composuit in Paridem, pantomimum Domitiani, poetamque P. Statium, ejus SEMESTRIBUS MILITIOLIS tumentem. » Sic appellat istas præfecturas et tribunatus, a temporis scilicet modo.[3]

Not. 90. *Camerinos* dixit poeta pro quibusvis nobilibus, ut VIII, 38, ubi vide not. Sic et *Bareas*, quod est cognomen Marciæ gentis (vide ad III, 116, et ad Tac. Ann. XII, 53). — *Tu nobilium atria curas*, nonne stulti estis, poetæ, qui colitis proceres ac nobiles, nihil vobis dantes per avaritiam literarumque contemptum? quin colite Paridem histrionem, Mæcenatem doctorum hominum! — *Magna atria nobilium*, ut apud Martial. III, 38, 11, vide ad vs. 7.

VAR. 91. *Bareas*, 10, 11, 14—25, 27, 45—50, 54—69, 74, 77, et Sueton. in vita Juven. quos sequutus sum, quia cum *Camerinos* jungitur. *Baream*, 70, 75, 76, 82. — *Cura* malebat Schrader.

VAR. 92. *Philomena*, 18, 19, 21—24, 27, 45—49, 55.

Not. 92. Hic versus poetæ causa fuit exsilii Ægyptiaci, quia Hadrianus suspicabatur, *Paridis* nomine figurate notari histrionem, qui tum in deliciis aulæ erat; vide infra Vit. Juven. et ad IV, 58. — *Pelopea* et *Philomela*, tragœdiæ de iis scriptæ, et forsan venditæ vel oblatæ Paridi, qui propterea auctores earum *fecit præfectos et tribunos*. Vide ad vs. 73. — *Pelopea*, Πελόπεια, Peliæ filia, de qua vide Heyne ad Apollod. I, 9, 10. Alia fuit filia Thyestæ, e qua ipse Ægisthum genuit (vide Hygin. f. 88), nisi hæc Πελοπία dicta, ut et Amphionis e Niobe filia apud Apollod. III, 5, 6, et mater Cycni ibid. II, 7, 7. De *Philomela* vide ad VI, 644. C. Valesii nota est: Designantur *Pelopeus* et *Philomelus*, histriones divites et potentes (de hoc vide Mart. III, 31, 6, et IV, 5, 10), quos nomine feminino vocat Juvenalis *Pelopeam* et *Philomelam*, quod histriones molles et impudici omnes erant; unde Apuleius de quodam ait: *nihil histrionis habuit præter impudicitiam*.

Not. 93. Non invidendum est *vati*, poetæ (Statio et aliis), qui fabulas

---

[1] Vel *Equites illustres*, qui *egregii* vocantur, X, 95, ubi vide not. Conf. ad IV, 52.

[2] Conf. intpp. Suet. Aug. 38, et Oth. 10; Tac. Ann. II, 59 et XI, 4.

[3] Conf. Salmas. Exerc. Plin. p. 450; Kirchman. de Annal. c. 17, et Var. Lect.

histrionibus prætoribusve vendendo (vide ad vs. 87) vitam sustentat, et parum inde lucratur, inprim. si non placent fabulæ auditoribus et præcipue plebi, ex cujus incerto favore vita ejus ac fama pendet. Quæ misera omnino conditio est, et tamen hac ætate sola vitæ tolerandæ ratio poetis reliqua: nam (vs. 94 seq.) ubi nunc invenias patronos virorum doctorum, quales olim fuere *Mæcenas*, *Proculeius*, *Fabius*, *Cotta* et *Lentulus*, qui non modo æquum ac subtile judicium de ingeniorum scriptorumque præstantia ferre poterant, sed et *par ingenio pretium*, digna ingeniis præmia, liberaliter tribuere solebant? *Pulpita* h. l. fabulæ, quas vendit, vel scena; non recitatio carminum: nam recte jam Ferrarius Elect. II, 11, monuit, nihil poetas recitatione sterili, præter acclamationes, lucratos esse, nec in *pulpitis* recitationes habitas, sed in iis tacite histriones saltasse fabulas, a poetis emptas: vide ad XIV, 257.

Var. 94. *Mœcenas* et *Mecœnas* al. Vid. ad I, 66.

Var. 95. *Cocta*, 17—20, 22, 23, 24, 45, 46, 48, 59, 61, 62.

Not. 94, 95. De *Proculeio* vide Mitscherl. ad Horat. Od. II, 2, 5; Lips. ad Tac. Ann. IV, 40; Burm. ad Quintil. VI, 3, et Harduin. ad Plin. VII, 45. — De *Fabio* Ernesti in clav. Cic. »Hoc nomine utuntur veteres in iis rebus, quæ liberalium hominum sunt, quum neminem nominare volunt, uti JCti fere nomine *Caii* et *Titii* utuntur.» Poeta forte potissimum h. loc. respexit Fabium Max. de cujus liberalitate vide Quintil. Inst. Or. VI, 3, et Ovid. ex P. I, 2, 5, 9; II, 3; III, 2, 1 (ubi conf. Heins.); III, 3, 8. — *Cotta* haud dubie, certe potissimum ille, quem tantis laudibus celebrat Ovid. ex P. II, 8; III, 2 et 5; IV, 16, 41 seq. Conf. Heins. loc. laud. Eumdem supra V, 109, intelligerem, nisi cum Seneca ibi ac Pisone jungeretur. *Lentulus*, v. c. P. Lentulus Spinther, cujus opera Cicero revocatus, et de quo vide Cic. ad Div. I, 1, seq. et al.

Var. 96. *Nunc utile multis Pallere*, etc. 67, 68, 71, 73, 77, et Ed. Raphel. a. 1600, quod vulgo explicatur: nunc studiorum utilitas omnis huc redit, ut *palleas*, curis conficiaris et vino abstineas vel in ipso Decembri, in quo Saturnalium tempore omnes, etiam continentissimi, genio indulgere solent: vel, nunc discendum, sive utilissimum est, esurire et abstinere vino. H. Valesius exponit: *nunc utile multis*, poetis scilicet, etiam optimis, aquam bibere hieme ineunte ac frigore sæviente. *Bahrdt* vertit: *Jetzt ist am besten dran, Wer hungern . . . . kann.* Non male, sed minus convenienter usui loquendi, quam satirico ingenio.

Not. 96. *Tunc utile multis* erat *pallere*, studiis assidue incumbere, et ipso *Decembri*, in quo omnes genio indulgent Saturnalium tempore,[1] *vi-*

[1] Vide Macrob. I, 7 et 10; Senec. Ep. 18 et 47; inpr. Athen. XIV, 10, et Lucian. in Saturn. *Decembri* mense solet maxime lucubrari; vet. Schol.

num nescire, ejus usu abstinere, ne multo cibo vinoque completi a studiis abhorrerent. Studia vocant spiritus calentes a ventriculo ad caput, et impediunt cibi concoctionem, cruditatesque pariunt, unde *pallor* contrahitur; Grang. — *Solitaria et velut umbratili vita pallescere* dixit Quintil. Inst. Or. I, 2, 18, ubi Spalding. hæc notavit : «Pallor, infirmæ valetudinis index, doctorum et libris immorientium non minus est quam amantium; dum hi curis occultis tabescunt, illi nimis assidui domo nunquam exeunt. Inde notum illud : *Pallet; aut amat, aut studet.* Conf. Quintil. VII, 10, 14; Pers. I, 26, 124; V, 62; Ovid. Art. I, 729, 730. In omnibus hisce exemplis *pallor* iste est a contracto prius morbo, quem aut animi ægritudo fecerit, aut solis et aeris defectus. Gesnerus ad hunc locum etiam inanimis pallorem tribui, propter corruptionem a quiete, humore admisso et excluso aere ortam, docet e scriptoribus rusticis et Vitruvio.» Conf. Var. Lect.

Var. 97. *Toto vinum*, 10, 12, 13, 16, 18, 24, 45.

Not. 98. *Labor vester fecundior*, utilior et fructuosior forte est, vel id ita se habere dicat aliquis : nisi ironice alloquitur poeta.

Var. 99. *Petitur plus*, 56, 59, 60, 65. — *Aut olei*, 16.

Not. 99. *Petit*, exigit certe *plus temporis et olei*, studii ac lucubrationis.

Not. 100. *Oblita modi*, sine modo ac fine. — *Millesima pagina surgit*, ut apud Ovid. Am. I, 1, 17. Conf. supra ad vs. 23. — *Damnosa papyro multa*, quia tum multum papyri emendum est, etiam damnum apportans et impensam. Labor historicorum et plus temporis, quam poetarum, exigit, et plus sumptuum, in oleum papyrumque faciendorum. De *papyro* vide Plin. XIII, 11 et 12.

Var. 101. *Talibus;* 20. *Multum*, 21. *Multa crescit* pro *crescit multa* recepi ex 11, 23, 24, quia gratius est auribus.

Var. 102. *Operis*, 77.

Not. 102. *Lex operum* et artis vestræ, quæ jubet singulas res plene ac plane memorare, eoque ordine ac modo, quo gestæ sunt. De historicæ artis legibus vide Cic. de Orat. c. 15.

Not. 103. Qui tamen usus fructusque duri laboris nostra ætate percipitur ex historia diligenter scripta? quid nunc expedit historicis, res memoratu dignas explicuisse et accurate narrasse? Metaphora petita a *segete*, et *terra* vel humo *aperta* ac reclusa aratro. — *Seges* laboris præmium, ut infra vs. 112, *messis*,

Not. 104. *Acta*, res gestas, historias, *legenti*, anagnostæ. Vulgo designari putant *actuarium*, seu scribam, librarium et tabellionem (Gallic. *notaire*, *greffier*); sed hoc hominum genus *acta* publica senatus ac populi (de quibus vide ad II, 136) non *legere*, sed scribere solebant. Vide Lips.

Exc. ad Tacit. Annal. V, 5. Adsentior tamen, si vera sunt, quæ adnotavit *Achaintre:* « Eorum duplex fuisse videtur officium : primum enim senatus et populi decreta, aut privatorum sponsiones, transactiones, matrimonia, etc. scribebant (*in acta referebant*, II, 136), deinde hæc eadem verba legis et actorum publicorum præconi subjiciebant, ut ab eo clare enunciarentur, vel, quum de privatis ageretur, verba et clausulas actorum ipsimet coram partibus *legebant*, enunciabant. »[1]

Var. 105. *Ignavum est, quod*, 22. — *Tecto* pro *lecto*, 10, 12, 14—20, 23—25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et Cod. Put. a. m. sec. Non male; sed nostra lectio et concinnior est (nam notio *tecti* vel ædium jam continetur voce *umbra*), et admodum probabilis fit ex locis simil. Horatii et Ovidii. Vid. Comm. Lips. ad Senec. Ep. 67, et Casaub. ad Sueton. August. c. 78.

Not. 105. Hoc est, quod divites nobilesque Romani avaritiæ suæ et historicorum contemptui prætendunt : dicunt, historicos esse *ignavum genus* hominum, quod *lecto gaudet et umbra*, domi et in otio studiis vacat, otiosam et umbratilem vitam agit, et publicis negotiis, in foro, curia, provinciis et castris, vel bello agendis, abstinet. Juvenalis animo oculisque obversata videntur loca Horat. Epist. II, 2, 77, 78, et Ovid. Art. Am. III, 3, 541, 542. Conf. et Senec. Epist. 67 : « Gratias ago senectuti, quod lectulo me affixit, » et 72 : « Quædam sunt, quæ possis et in cisio scribere : quædam lectum et otium et secretum desiderant. » Pers. I, 53 ; Plin. Ep. V, 1; Ovid. Trist. I, 10, 38; Dempster. ad Coripp. pag. 76, et Casaub. ad Suet. Aug. 78, ubi multa docte disputavit de lecto sive lecticulo lucubratorio, de quo vide supra ad vs. 28, in Var. Lect. et ad vs. 79. — *Lectus* tamen h. loc. de somno etiam accipi potest, ut apud Horat. loc. laud. Confer. Var. Lect. et de *umbra* supra ad vs. 8. Ex his autem verbis intelligitur, fuisse etiam tum temporis homines, qui inter otium literatum et desidiosum, vel honestum et inhonestum nihil interesse putarent, aut certe judicium hoc simulatum contemptui literarum hominumque doctorum obtenderent.

Var. 106. *Præstant*, 10, 12—17 a m. pr. 18, 19, 21, 22, 24, 27, 45, 47, 48, 54, 55, et pars maxima Codd. Paris.

Not. 109 seq. Aptus transitus atque solida refutatio inepti judicii et caussæ, a divitibus Romanis ad avaritiæ suæ patrocinium, vs. 105, prætextæ : Si historicis nihil datur muneris, nec dari debet, quia otiosi sunt homines, plurimum certe dandum est *caussidicis ;* at, quæso, *quid* lucri, quem usum fructumque iis *præstant officia civilia*, civibus præstita, peroratis caussis civilibus in foro? — Pleraque, quæ vs. 106—138, quæ nulla fere laboris præmia speranda esse, mox v. 106—137, ostenditur.

[1] Alii caussidicum intelligunt, qui acta forensia legit; at caussidicis quo-

disputantur, ad omnes, qui caussas in foro agunt, ad caussidicos, advocatos et patronos caussarum, transferri possunt. Sed poeta simul hac data occasione, inpr. vs. 108—112, invehitur in rabulas vel clamatores, quod indoctum genus hominum etiam nunc ubivis in foro tinnit, et verbosis strophis formularumque forensium notitia aliquam facundiæ astutiæque famam affectat; de quo caussidico egregie Sen. Herc. fur. vs. 172 seq.

Hic clamosi rabiosa fori
Jurgia vendens, improbus iras
Et verba locat.

Caussidicus quoque semper fere contemptim dicitur (vide Burm. ad Ovid. Am. I, 13, 21.)

Not. 107. *Libelli* actionum forensium et commentarii, *comites*, quos secum afferunt in forum *in magno fasce*, ὁρμαθοὶ βιβλίων Theoph. Char. VI, δεσμαὶ δικανικῶν βιβλίων Aristot. apud Dionys. Halic. — Magno in fasce comites libellos sic irridet nostras *Racine*, *les Plaideurs*, act. I, sc. 4:

« Que de sacs! il en a jusques aux jarretières....
« De sacs et de procès j'ai fait provision. » Ed.

Var. 108. *Tum*, 11.

Not. 108. *Ipsi* caussidici *magna*, sc. verba, adverb. (ut *magnum*) pro valde, vel clara voce, *sonant*, loquuntur, vocem valde intendunt et clamant. Doctæ dicendi formulæ *magna* et *magnum loqui* et *sonare* (ut *spirare*, *promittere* et *minari*), Gr. μεγάλα εἰπεῖν, ἴπος μέγα ἐξερέειν, μέγα πνεῖν, φρονεῖν, etc. passim occurrunt, sed plerumque ad magniloquentiam vel jactantiam spectant.[1] Verba seq. Brit. et alii ita interpretantur: *sed tum præcipue*, *quum creditor* adest et *audit*, quum pro creditore dicunt, aut quum adversus creditorem agunt caussam, adeoque in re pecuniaria, in qua acrius et majori vocis intentione disceptari solet de jure; vel *si latus* eorum *tetigit*, pulsavit debitor, cujus caussam agunt (ut *lævum qui fodicet latus* apud Horat. Epist. I, 6, 51, et *cubito tangere* apud Horat. Sat. II, 5, 42, et Pers. IV, 34), qui creditum negans *acrior* est et esse solet *illo* creditore, et *qui* debitor *venit ad dubium* faciendum, negandum *nomen*, debitum, vel ad caussam de incerto debito agendam, *cum grandi codice*, tabulis accepti et expensi, ut apud Cicer. Verr. I, 36, et pro Rosc. Com. c. 1 et 2. Ita tamen poeta parum apte dixisset, vs. 108, *ipsi*, et *grandem codicem* accepti et expensi perperam tribuisset debitori, cui nec parvo, nec magno codice opus esse, monet Ach. Hic inde colligit, verba vs. 109 et 110, referenda esse ad alium *creditorem*, cujus *nomen*, creditum, sit *dubium*, quique propterea *veniat* ad tribunal cum *grandi codice* et *acrius tangat*, urgeat, *latus* caussidici, quod nomen sit dubium aut controversum. Enimvero locum difficillimum recte exponit Hein. hunc in modum:

[1] Vide Burm. ad Valer. Fl. I, 262, et Vulp. ad Prop. II, 15, 53.

• Dicit Juvenalis, caussidicos non majorem fructum laboris sui percipere, non esse divitiores poetis et historicis, negatque tam lucrosum eorum esse officium, quam *ipsi* jactant, mentiuntur, *sed tum præcipue, quum creditor audit,* vel quum argentarius (ita optime jam vetus Schol.) debitam pecuniam (*dubium nomen*, quod fortasse solvi non potest) ab illis exigit et *cum grandi codice* accepti et expensi ad illos *venit*, quibus non tuto pecunia credita videtur. Taxat igitur Juvenalis grandiloquentiam caussidicorum, quo utuntur coram creditoribus suis, quum tamen vix illis præstet eorum officium, ut e paupertate emergere possint. Qua re creditoribus fumum vendere coguntur, ut famæ consulant suæ, et sint, qui credere volunt.— Equidem huic interpretationi non assentior vulgaremque malo: major enim hic est poetæ emphasis, quam ut ad jactantiam caussidicorum coram creditoribus suis referri possit. *Magna sonant* ante judices, eosque stimulat præsentia clientis; qui eo acrior est, quod venit *ad dubium nomen.* Tunc patronus, ab eo incitatus, mendacium spirat immensis follibus. Nec tamen magnam inde messem colligit. Ed.

Var. 109. Plathner. emend. *si tetigit latus*, admonuit, ut *tangere cubitu* ap. Cicer., *acrior ille* scil. pragmaticus, caussidicorum quasi posticus et suggestor.

Not. 111. Præclare de rabulis eorumque fraudulentia, clamosa oratione et impudentia. Conf. Pers. V, 10 seq. et, quem et hic noster poeta imitatus est, Horat. Sat. I, 4, 19 seq. — *Folles*, qui auram recipiunt reddunt que, donec liquefiant metalla, non tam ad os vel buccas referendi, quam potius ad pulmones, vocis ac respirationis instrumenta, quos Augustinus de Civ. Dei, XIV, 24, dicit ad vocem emittendam, seu modificandam valere, sicut folles fabrorum, vel organorum.

Var. 112. *Verum*, 60, 65. Non male! *Ipsi magna sonant... verum deprendere messem*, etc. sed nullus inde ad eos fructus redundat. At *veram* majorem habet vim. — *Deprehendere*, 12, 15.

Not. 112. *Conspuitur sinus*, non unius rabulæ ab altero, sed caussidici fervide, vel magna orationis contentione, vehementia ac celeritate, perorantis. Theophr. ad δυσχερείας Char. c. 19, refert καὶ ἀποῤῥίπτειν ἀπὸ τοῦ στόματος, scilic. τὸν σίαλον, unde, quod ibi Casaub. ex Hesych. et Schol. Aristoph. Acharn. IV, 7, notavit, Σιάλοχοι dicti οἱ προσραίνοντες σίαλον ἐν τῷ προσδιαλέγεσθαι, et Athenis Antimachus quidam Ψακὰς cognominatus, quia προσέῤῥαινε τοὺς συνομιλοῦντας διαλεγόμενος. [1] — *Veram si libet*, placet,

[1] Plathnerus hæc adnotavit: « Sinum caussidico conspui arbitror ab antagonista, quod summæ contumeliæ esse nemo ignorat, unde *despuere aras, deos, honores, mores* dixere Tertull. de Idol. Minuc. Felix, Arnob. VIII, et Claudian. IV, Cons. Honor. Et frequens sane hæc conputatio non tantum Romanis (vide Barth. ad Claud. loc. cit.), sed et Judæis. Vide

vis, *deprendere*, cognoscere, *messem*, mercedem, præmium laboris caussidicorum (conf. ad vs. 103 et Var. Lect.), et trutina quasi examinare: *hinc*, una parte, seu in una libræ lance, *patrimonia pone centum caussidicorum*, *parte alia*, in altera lance, *solum*, patrimonium (nisi *solum* hoc loco dictum pro *modo*, seu *tantum*, et suppl. *patrimonia*) *Lacernæ*, aurigæ, et videbis, lances æquas esse, vel hanc adeo propendere, hoc est, lucrum et mercedem, vel opes et præmia centum caussidicorum et unius aurigæ paria esse, aut hæc adeo majora. Conf. ad VI, 437.

Var. 114. *Solium* (i. e. cathedram Lacernæ grammatici aut rhetoris recitaturi) emend. H. Valesius. *Russati* vel *russati* in omnibus legitur libris, et scriptis et editis, nisi quod *rus sati* vel *Sati* divisim exhibent, 11, 14, 15, 16, 21—24, 30 (in cujus marg. notatur, *Sati* esse nom. propr. aurigæ), 33, et quidam Codd. Paris. prob. Grangæo et Calder. Ille coll. III, 231, *rus lacertæ* dici putabat rus, in quo reponatur lacerta, adeoque brevissimum: hic ita interpretatur h. loc.: « Non conferas omnes villas, sed unum tantum rus, atque id breve (nam *lacerta* est brevis mensura terræ sup. III, 231) *Attici Sati*, equitis Rom. qui eloquentiam in foro numquam exercuit. Sed quis sibi persuadeat, poetam *rus lacertæ Sati*, et hoc sensu dixisse? Nec probabilior aliorum sententia, qui rus s. villam divitis Romani, cui *Sato Lacertæ* nomen fuerit, significari credunt. Perperam quoque *rus Sisapone lacertæ* conj. Beroald. in lib. Adnott. ut sensus sit, *rus lacertæ*, h. e. exiguum, non in Italia, sed in provincia, et quidem longinqua (nam *Sisapo* opp. Hispaniæ Bæticæ), tantumdem valere, quantum patrimonia centum caussidicorum. — *Lacernæ*, 1, 12, 14, 15, 16, 70, 75, 76. *Lacertæ*, 10, 11, 17—25, 27, 30, 33, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et omnes fere Codd. Paris. quæ lectio nata forte ex III, 231, ad marg. scripto.

Not. 114. *Lacerna*, vel *Lacerta* (vide Var. Lect.) cursor, seu aurigæ *russatæ* factionis; forte ditatus donis populi aut Imperatoris, russatæ factioni faventis. Aurigæ in ludis circensibus olim in quatuor divisi erant factiones, a coloribus vestium denominatas, *Russatam* (seu *russeam* et *russam*, hoc est, rutilam), *Prasinam*, *Albam* seu *Albatam*, et *Venetam*, quibus a Domitiano (vide Sueton. Dom. 7, et Xiphil.) adjectæ *Auratæ* et *Purpureæ*: quot vero factiones agitatorum, tot quoque faventium erant, qui in diversa inde partium studia distrahebantur. Confer. ad VI, 590; XI, 196; Heins. ad Petron. cap. 25, pag. 95; Reimar. ad Dion. LXI, 6,

---

Job. XXX, 10; Deut. XXV, 9; Marc. XVI. Possis tamen et dicere, caussidicos in proprium desputasse sinum, quod olim fascini amoliendi caussa facti tatum. Vide Theocr. VI, 39; XX, 11; Tibull. I, 2, 54, 96; Plaut. Asin. I, 1, 26.» (Conf. Koenig ad Persium, Satir. IV, vs. 35.) Sic et vetus Scholiastes: « Propter fascinum verborum ter sibi *in sinu spuunt*, et videntur fascinum arcere; ut Persius de matertera; vel, incipiunt multa sibi promittentes, *in sinum spuere*, vel alloquendo multum *spuunt*. »

pag. 985, 42, et Bottigeri Sabina, pag. 448—450, ed. pr. — *Russati Lacernæ*, ut *Felix Russatus auriga*, apud Plin. VII, 53 (ubi vide intpp.), *Prasinus Porphyrio*, seu *Purpureo*, apud Martial. XIII, 78, 2, et *auriga Albatus Corax*, apud Plin. VIII, 42, seu 65.

Not. 115. Facete poeta judices appellat *duces* et caussidicum *Ajacem*, respiciens controversiam Ajacis cum Ulysse super armis Achillis coram ducibus Græcorum, de qua vide Sophocl. Ajax et Philoct. I, 2, inprim. Ovid. Metam. XIII, 1—398, ex cujus loci principio etiam verba nostra sunt petita. Conf. infra ad X, 84, et XIV, 286. Nomen *Ajacis* egregie tributum caussidico, quoniam vel proverbii loco quisque rixosus et dicax homo eo insignitur. [1] — *Surgunt* autem dicturi et *stant* dicentes, at *sedent* judices, et eorum prætorisve consiliarii ac partium advocati, ut et senatores, qui dicentes audiunt, vel magistratus sive in tribunali, sive pro rostris in suggestu et in sella curuli. — *Pallidus*, sollicitus de dubio eventu caussæ, vel ob malam caussam.

Var. 116. *Dubia de libertate*, 16,

Not. 116. *Dicturus dubia pro libertate*, pro eo, cujus libertas dubia est, et in quæstionem vocata. — *Libertas* autem, vel est libertinorum atque ingenuorum, quæ servituti opponitur, vel civis Romani, qua omnia ejus jura continentur. Designantur itaque malæ, difficiles gravesque caussæ. Has vero caussidicus, cujus conditio eo fit miserior, agit *judice bubulco*, rudi seu rustico, barbaro et juris legumque ignaro (vide ad XVI, 13); quales homines et olim, [2] et sub Imperatoribus in senatorum judicumque numerum recipiebantur; quod simul h. loc. videtur notari. [3] «Tribus urbanæ rusticæque omnes triginta quinque numerantur, ex quarum singulis terni eligebantur ad judicandum, hique centumviri dicebantur, licet centum et quinque essent;» Ascon. in Cic. Verr. II. Quo fiebat, ut inter eos multi essent *bubulci*, ut apud nos *entre les jurés*: quod scoptice dicit poeta ad augendam miseriem conditionis caussidicorum; Ach.

Not. 117 seq. Poeta ridet inanem et infructuosum caussidici laborem. — *Rumpe tensum jecur*, magna cum vi et simul irrisione clamosi rabulæ

[1] Verbi caussa apud Claud. in Eutrop. II, 386, et in judicio Vespæ v. 85, ubi vide Wernsdorf. Poet. Lat. minor. tom. II, pag. 237, et tom. IV, pag. 814.

[2] Conf. Suet. Cæs. 80, et Aug. 35.

[3] Quidam putabant, *Bubulcum* esse nomen proprium, et magnum vel gravem ac severum hujus nominis virum significari, qui illis temporibus vixerit, vel quales fuerint C. Attilius Bubulcus consul ac collega Manlii (cui tamen Regulo cognomen fuit; vide Polyb. I, 39—48), et Junius Rusticus, de quo vide Suet. Dom. 10. Aptius memorassent C. Junium Bubulcum, qui censor, ter consul et bis dictator fuit (Vid. Liv. IX, 20, 28—43; X, 1). Sed inepti certe judicis nomen magis h. l. consentaneum est.

dictum pro, omnes iræ affectuumque frenos remitte, omnem iram effunde in adversarium cum tanta vocis intentione, ut jecur fere rumpatur. Nam *jecur* primaria olim habebatur affectuum sedes, et tumere vel *extendi* ira credebatur. [1]

Not. 118. Sensus est: ut victoriam in judicio et inanem sterilemque tantum laudem, non quidquam mercedis ac præmii, consequaris. Nam recte jam monuere Grangæus et alii, oratorum caussidicorumque morem fuisse, victoriam in foro partam testari appensa pro foribus *palma*, [2] et *scalarum gloriam* ἐμφατικῶς ac σκοπτικῶς dici ornatum januæ, ut indicetur pauperies oratorum caussidicorumque, qui, tenuium ac mendicorum more, in cœnaculis plerumque habitaverint, ad quæ non nisi per *scalas* fuerit adscendendum; unde Martial. I, 118, 7:

Scalis habito tribus, sed altis. [3]

Var. 119. *Vatis pretium*, 16. *Premium*, 21 a m. pr. — *Ficus* pro *siccus*, MS. ant. Canteri, prob. Scriverio, qui *ficus* etiam caussidicis olim dono fuisse datas monet coll. Martiali, IV, 46, 10.

Not. 119 seq. *Vocis*, orationis, *pretium*, præmia muneraque, quæ caussidicis et patronis caussarum dari solent, admodum tenuia sunt. Conf. simil. loc. Martial. IV, 46; Horat. Sat. II, 5; 43 seq. et Pers. III, 73 seq. ubi Casaub. monet, ab utroque satirico et patronorum avaritiam in captandis donis contra legem Cinciam notari, et eorum illiberalitatem perstringi, qui talibus munusculis illos donarent. — *Petasunculus*, parvus petaso, lardum; et forte posterior, ut *perna* anterior: utramque certe vocem distinguit Martial. XIII, 54 et 55. — *Siccus*, vetustate exsuccus et ingrati saporis; aut suspensus in carnario et ita fumo siccatus. Vide ad XI, 82.

Var. 120. Mira est in hoc versu varietas lectionum. *Pelamydum*, 1—3, 5 al. *Pelamidum* in quibusdam libris, ut πηλαμίδες ap. Aristot. VI, 16. *Pellamidum*,

---

[1] Vide ad Satir. I, vs. 45. Alii *jecur* hoc loco pro pulmone positum accipiunt, ut sola eaque summa vocis contentio designetur: et profecto intrinseca corporis indoles atque structura veteribus parum, nec nisi ex extispiciis, nota fuit.

[2] Quæ et signum et præmium victoriæ fuit, de quo vide Martial. VII, 27, 6; Anson. Profess. II, 7 (ubi *palma forensis* dicitur); Casaub. ad Suet. Domit. c. 23; Sagittar. de Januis vett. c. 30, § 22; Vernsdorf. in Poet. Lat. min. tom. IV, p. 243, et tom. VI, p. 271.

[3] Vid. ad III, 199; Casaub. l. l. Alciat. Parerg. Jur. IV, 12; Brodæus Miscell. IX, 1; Salmas. de Ann. Clim. pag. 70. Male vetus Schol. «*scalarum*, stationum scil. ad instar gladiatoriæ victoriæ. *Scalæ* armaria advocatorum vel, ut quidam, casæ et stationes. Cicero in Corneliana, *Correpsit*, inquit, *in scalas*. Armaria nam advocatorum apud veteres *scalas* habebant.»

17 a m. pr. 19. *Pilamidum*, 21. Sed πηλαμύς et πηλαμύδιον rectius scribi monet Hesych. *Pelamydes* dictæ forsan παρὰ τὸ ἐν τῷ πηλῷ μυεῖν, quod in luto se occultant, saltem ἀπὸ τοῦ πηλοῦ, a luto, in quo eas nasci dicit Festus. *Pelamydum Afrorum et veteres epimenia bulbi*, 4, prob. Jun. vid. Comm. — *Aut* abest a 19. *Aut veteres*, 5, 12, 15, 25—27, 46—77. *Et veteres*, 2—4, 10, 11, 14, 16—18, 20—24, 45. — Mox *Afrorum* pro *Maurorum* libri tantum non omnes, quos sequutus sum, 2, 3, 5, 10, 11, 16—25, 27, 28, 45—50, 54—69, 71—74, 77. Deinde *epimenia*, 1—5, 10, 11, 12, 14—18, 20—23, 26, 27, 45—50, 56, 58, 63, 70, 74—77. *Epymenia*, 24. *Epimedia*, 19. *Epimenida*, 25, 54, 55, 57, 61, 62, 64—68, 71—73, quod probant Calder., Britann. et Farnab. ut appositio sit, quoniam Plinius XIX, 5, dicat, ex genere bulborum esse *scillam*, et duo genera *medicæ*, masculum albis foliis, femineum nigris et tertium genus cibis gratum, quod *epimenidium* vocetur. Hinc nonnulli *epimenidia* emendant, ut sit proceleusmaticus, et Ge. Merula *epimendia*, quæ lectio repetitur in 59, 60, 69. Fuere etiam, qui suspicarentur *ormenia*, caules. Has conjecturas sugillavit Casaub. ad Athen. II, 22, et defendit nostram lectionem, ex qua tamen commodam sententiam vix elicias. Vid. Comm. Quid, si scribatur *epimænia*, et poeta hoc vocab. effinxerit ex Gr. ἐπιμαίνεσθαι, insanire, furere, inpr. amore, unde ἐπιμαίνια, scil. φάρμακα, dici possint amoris remedia sive stimuli? *Bulbis* enim stimulari Venerem, notum ex Athen. II, 64; X, 58, ed. Schweigh. Plin. XIX, 5 s. 30; XX, 9, 40; Martial. III, 75, 3; XIII, 34; Ov. Rem. Am. v. 797, 798, et Colum. X, 105, 106, ubi Pompon. hæc notavit: « Genera bulborum Græcis nominibus notantur, differuntque odore, suavitate, sapore, colore, magnitudine, omniaque ferventis naturæ sunt, ideo libidinem accendunt. Pythagoras de bulbis librum composuit Megarensibus. M. Varro et Apicius scribunt: *aqua decoquant bulbos, qui Veneris usum quærunt;* hoc modo in nuptiis apponuntur. » Conf. ibi Wernsdorf. in Poet. Min. tom. VI, p. 56, 57. — *Bulli*, 11, 21, 43, probb. Schurzfl. et Lips. Epist. Quæst. IV, 25, ubi laudantur Glossæ ad oram Cod. Divæi scriptæ: *Bulli, pisces exigui vilissimi*, et e Glossar. vet. edito ab Henr. Stephano: *Bulli*, χρυσοκάνθαροι. Idem tamen Lipsius monet, vulgatam lectionem non spernendam videri, quum et Martialis IV, 46, 11, *bulbos* ponat inter munera, caussidicis mitti solita, et Plin. XIX, *bulbos* in *Africa* natos maxime laudari dicat.

Nor. 120. Conf. Var. Lect. *vas* plenum *pelamydum*, parvorum thynnorum (*Thunnfische*) in particulas consectorum et sale conditorum, de quibus vide Plin. IX, 15, seu 18.[1] — *Bulbi*, qui etiam apud Martial. IV, 46,

[1] Conf. ibi Harduin. et ad XXXII, 11, seu 55; Strab. VII, 6, 2; Dioscor. II, 200; Arist. Hist. anim. VI, 16 et 17; Athen. III, 85 et 92; VII, 66 et VIII, 53, ed. Schweigh. Spanhem. de usu et præst. num. Diss. III, p. m. 201 (ubi numus pelamydum effigiem exhibet), et Gesner. de Aquat. p. 963 seq. Gell. II, 18; Athen. II, 22 et 23; Theoph. Histor. Plantarum, lib. VII, cap. 13, et Plin. Natural. Histor. lib. XIX, § 4, et 5.

11, inter munera, caussidicis mitti solita, referuntur, non modo tubera vocantur, vel crassæ radices arundinum, liliorum aliarumque plantarum, sed plantæ etiam ipsæ, et quidem allium, cepa, squillæ omnesque radices rotundæ ac tunicatæ. Bulbos vero Romanorum nobis ignotos esse, neque ad ceparum genus referendos, docet Matthiol. de Plantis, p. 292. — *Veteres*, ob vetustatem minus sapidi.[1] Vetustiores improbari bulbos et parvos et longos, docet Plin. XIX, 4 et 5. Idem dicit, bulbos adeo dulces in Taurica Chersoneso nasci, ut crudi mandantur, et post eos optimos esse in Africa (unde h. loc. *Afrorum epimenia*), deinde in Apulia. *Epimenia* putant dici menstrua, ἐπιμήνια, scilic. munera, et quidem vel exilia munuscula, ac veluti xenia sordida, stipendii loco pro navata opera in singulos menses collata, salaria, ut *menstrua* (vide Muncker ad Fulgent. in Virg. Contin. p. 142); vel menstruam quasi pensionem (ut apud Arrian. Dissert. Ep. I, 7, et Polyb. Fragm. Legat. 94, quos laudavit C. Vales.), seu dona, quæ Afri singulis mensibus miserint Romanis, ut eos sibi conciliarent, procerumve Rom. gratiam demererentur; vel victum menstruum sive demensum singulis mensibus datum servis, et quidem *Afris*, vilioribus (vide ad I, 111, et V, 53), quæ interpretatio nuper commendata est ab Ach.[2] Enimvero servi loco *demensi* non *bulbos* accipiebant, sed quovis mense quatuor, vel quinque frumenti modios et denarios totidem.[3] Conf. Var. Lect.

Var. 121. *Tiburi*, 17 a m. sec.

Not. 121. *Quinque* tantum *lagenæ* vini, et quidem vilioris, ut Veientani et Etrusci, quod in *Tiberi*, secundo flumine, non adverso, ex Campania vel Græcia, Romam *advectum* est. Vetus Schol. « Vinum non transmarinum, id est cibarium. »

Var. 122. Nonnulli verba, *si quater egisti*, ad præcedd. referunt, et post *egisti* διαστίζουσι. Non male! Vox *quater* etiam ad quatuor munuscula, modo memorata, spectare potest.

Not. 122. *Si quater egisti*, perorasti caussam. Conf. Var. Lect. *si contigit* tibi tam felici esse, ut vel numus *aureus*, etsi *unus*, tibi detur. Vetus Schol. «Pro quatuor actionibus unum solidum.» Maximum patrocinii honorarium, quod primus constituit Nero, non certum justumque pro et in quavis caussa e legibus fuisse *centum aureos*, vel dena sestertia, aut decem millia HS. (nam *aureus* vel *solidus*, qui non ejusdem semper valoris

[1] Conf. Bodæus ad Theophr. VII, 13, et Schweigh. ad Athen. II, 64, et X, 58.

[2] Ut olim a Casaub. ad Athen. l. l. (de quo tamen vide ad IX, 34); Salmas. de Mod. usur. c. 4, et Schweigh. ad Polyb. XXXI, 20, 13.

[3] Vide Donatum ad Terentii Phormionem, act. I, scen. 1, vs. 9, et Senecam, Epistol. 80.

fuit ac pretii, illis temporibus valebat XXV denarios, vel numos sestertios centenos)[1] patet ex Plin. Epist. V, 4, et 21; Suet. Ner. 17 (ubi vide Ern.); Tac. Ann. XI, 7, et Ulpian. l. I, D. § 12, neque ex hoc loco Juvenalis colligendum est, *unum aureum* fuisse licitam illius honorarii summam. Hanc a poeta ὑπερβολικῶς imminui, ut magis efficiat pudenda circi artiumque infamium pretia, monuit jam Gronov. de Sestert. II, 5, pag. 82.

Var. 123. *Tibi* pro *Inde* conj. Schrader. — *In fœdera*, 16, 64. *In fœdere*, 10, 11, 12, 14, 15, 17, 19—24, 27, 45—50, 54, 55, 56, 59—63, 65, 68, 69, 71—74, 77. Bahrdt. colon ponit post *partes*, et punctum post *pragmaticorum* positum tollit, ut h. l. sententia sit : Si contigit aureus unus, ille non integer datur caussidico, sed dividitur : nam Æmilio pro conducta pragmaticorum opera, quantum *petit* sive postulat, dandum est.

Not. 123. Inde, ex eo, *partes cadunt*, detrahuntur; pars mercedis a te danda est pragmaticis, *ex fœdore*, pacto. — *Pragmatici* olim dicebantur juris periti, qui patronis caussarum et oratoribus aderant, iisque leges ac jura, inprim. formulas JCtorum, suppeditabant;[2] sed seriori ævo qui, quamvis imperiti juris, rerum gerendarum formulas tenebant. Vid. Jacobs. ad Anthol. Gr. Vol. II, P. II, pag. 503, 504.

Var. 124. *Petit* pro *licet*, 11, 17, a m. sec. 24, 45; *petet*, 7, 10, 14—17, a m. pr. 18—23, 25, 26, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 76, et plerique Codd. Paris. e quibus illud restituit Ach. Vetus Schol. « Qui hoc, inquit, pacto quintas acciperet, in pretium consiliatorum (f. consultorum) clientum. » Hinc Schurzfl. suspicabatur, eum non male legisse, *Æmilio dabitur quintum, ut petet*, hoc sensu : Tu quater egisti, et vix unum extorsisti aureum, quum pauper sis: venit Æmilius, nobilis caussidicus; ille quintum agit, nec satis bene, non certe tam bene, quam tu egeras, et accipit, quantumcumque poscet, quia scilicet tria nomina habet. Idem tamen Schurzfl. lectionem *quantum petit* vel *petet* probabat, et illud *quantum licet* Satirici credebat menti disconvenire. Ego potius vix dubito, quin hoc, tanquam difficilius nec minus aptum, omnino a poeta, illud vero a manu emendatoris profectum sit. Vide Comm. Pro *et* malim fere *ut*, hoc est, quamvis, vel *ut ut*, quomodocumque, de quo vide Gronov. Obss. III, 6. *Æmilio dabitur, quantum licet* (vide Comm.), *ut*, quamvis, *nos*, pauperes caussidici ac patroni, *melius egimus*, peroravimus caussas : *hujus enim stat*, etc. An potius, puncto post *licet* posito, legendum *at*, et mox *enim* dictum pro *enimvero*, Gr. δὴ, γάρ τοι (vide Heyne ad Virg. Æneid. V, 580; VI, 52; VIII, 84; X, 874)? Hoc probavit Ach.

[1] Vid. Hard. ad Plin. XXXIII, 3; XXXV, 10; Gron. de Sest. II, 5; III, 6; IV, 13, 14, et Casaub. ad Lamprid. Alex. c. 39.

[2] Vid. Cic. Orat. I, 45 et 59; Budæus ad Pand. II, pag. 132; Quintil. III, 6; XII, 3 et 9; Godofr. in L. IX, § 4, ff. de pœn.

Anal. 124—149. Tam tristis etiam et iniqua est conditio caussidicorum patronorumque caussæ, ut ex illis non nisi is, qui *Æmilius*, hoc est, dives ac nobilis vel sit, vel habeatur, et se esse simulet, doctus ac facundus esse credatur, et hinc præmia tantum, certe maxima, capiat.

Not. 124—128. Verba pauperum patronorum, de indigna sorte sua querentium. Verba *quantum licet*, quæ nemo interpretum, quotquot consului, explicavit, hoc loco aptissima sunt. Lege Cincia de donis ac muneribus, a. U. C. 600, a M. Cincio Alimento trib. pl. lata, præter alia cautum, ne quis ob caussam orandam donum munusve caperet. Ea quoque lex ad avaritiam patronorum donandique facilitatem coercendam, si non satis, certe multum valere poterat temporibus liberæ rei publicæ, quibus oratoria arte via ad gratiam apud populum et ad honores muniebantur. Quum vero omnis honorum spes ab Imperatorum gratia penderet, et nullus fere fructus caperetur ex patrocinio; quis sine honorario, aut mercede gratuitam clientibus præstaret operam? Hinc jam Claudius Imp. dona et petere et dare permisit, facto a. U. C. DCCC. SCto Claudiano, quo «pecuniis ob caussas orandas capiendis positus modus usque ad dena sestertia, quem (*modum*) egressi repetundarum tenerentur.» Idem deinde sanxerunt Nero et Trajanus, nisi ille non etiam terminum quasi, ultra quem progredi non liceret, sed certam potius justamque mercedem in unoquoque caussarum genere constituisse censendus est.[1] Itaque *quantum licet* scil. dare caussidicis ac patronis, sunt dena sestertia. Designatur et avaritia et auctoritas patroni, qui, quantum licet, et postulat et accipit. *Et melius* tamen *non egimus*, peroravimus, ut vs. 122. Conf. Var. Lect.

Var. 125. Manso hæc adnotavit: «*Si* forte excidit ante *Egimus*, ut sensus sit: Æmillo dabitur merces, quantam per leges licet, utpote patrono nobiliori, et majorum insignibus clariori, *etsi* nos melius caussam diximus.» — *Aheneus*, 25, 49, 57, 60—63, 65—68, 71, 72, 73. Vide supra ad III, 285. *Albi* suspicari possis: currui enim triumphali quatuor jungebantur albi equi. Sed epitheton *alti* exquisitius est. Vide Comm.

Not. 125—128. Significatur nobilitas Æmilii patroni et tam stulta, quam dolosa et alliciendis clientibus accommodata ejus ostentatio. Nota Ach. est: «Stante re publica patricii soli, nobiles atque divites plebeii, qui ad honores provehi studebant, pauperibus clientibus patroni atque advocati erant, eorum partes in foro agebant, idque gratis. At lapsis moribus et virtutibus cum re publica corruit ingenuæ hujus artis liberalitas. Caussidici professio, quæ patroni personæ antea fuerat inhærens, Impe-

[1] Vide Lips. ad Tac. Ann. XI, 5—7; intpp. Plin. Ep. V, 21; Ern. ad Suet. Neron. c. 17; Bach. in Trajano, pag. 92; Brummer. Commentar. de Lege Cincia, cap. 4; Schultingii Jurisprudentiam veterem Antejustinianeam, pag. 591 seq. et Gron. de Pec. vet. II, 5.

retorum temporibus separata, et plebeiis atque obscuris hominibus relicta, sensim mercenaria facta est. Unde illa caussidicorum prope omnium paupertas, qui, ut iste *Æmilius*, veterem nobilitatis et divitiarum speciem retinere affectantes, eo plus faciebant lucri, quo illustriori gente oriundi viderentur.» Recte: sed inter *patronos, caussidicos et advocatos* jam stante republica magnum intercessit discrimen. — *Currus* triumphalis, in quo aliquem majorum suorum triumphasse ostentat. Multi autem Æmilii triumpharunt, et triumphalia aliaque majorum insignia a familiis et posteris eorum adservabantur, et quidem in porticibus, vel *vestibulis*, seu atriis domus.

Not. 126. *Quadrijuges*, equi quatuor currui juncti, et non modo albi, sed et *alti*, eximiæ magnitudinis, vel alte jactantes crura, vel denique in sublime surgentes adeoque feroces.

Not. 127. *Ipse* Æmilius (ut alii caussidici apud Martial. IX, 69, 6) *feroci bellatore* in equo *sedens*, statua ejus equestris. Conf. intpp. Martial. IX, 69, 6. Hæc verba ad ovationem forte spectant, alterum triumphi genus, certe non ad statuam quadrigatam, quæ est figura hominis, in curru, non in equo, sedentis.

Not. 127, 128. Imago, opinor, pugnæ forensis animo poetæ simul obversabatur. «Apud Romanos antiquitus statuæ majorum togata effigie (etiam paludatæ, chlamydatæ, loricatæ, velatæ) ponebantur; deinde etiam hastam tenentes (quæ *Achilleæ* vocabantur): equestres quoque statuæ celebratæ sunt; postea vero in bigis et quadrigis (bigatæ et quadrigatæ), unde et triumphales natæ, etc.» Plin. XXXIV, 5—7. — *Hastile curvatum*, quo tremebunda adumbratur hasta. Tam affabre statua efficta est, ut hastile, quod *minatur*, intentat, videatur tremere, adeoque *curvari*, et mox jactandum; Ach. *minatur*, intentare videtur.

Not. 128. *Meditatur prœlia*; ut IV, 112. Verbis *statua lusca* quidam designari putant gestum jaculatoris, alterum oculum claudentis, ut certius ictum dirigat; alii caput statuæ inclinatum, vel obliquum ac detortum, ita ut unus tantum oculus conspiciatur; alii vero statuam dimidiato vultu pictam (ita Scalig. ad Manil. p. m. 134, qui talem esse dicit illam Sagittarii in palatio Farnes.); alii denique Æmilium, sive caussidicum unoculum, saltem luscum. Sed veterem Schol. qui interpretatur, *cujus oculus introrsus cedit* (*holäugig, blödsichtig*), recte mentem poetæ cepisse, et tales esse oculos in antiquis statuis, ob planam pupulam, jam docuit Lessing. in Berlin. *Monatsschrift*, 1788; Jun. pag. 601.

Var. 129. *Matho dejicit* conj. Lubin. et Manso. Sed vide Comm.

Not. 129 seq. Quoniam divites tantum et nobiles patroni caussarum docti habentur ex opinione vulgi, et soli præmia, certe maxima, capiunt; hinc *Pedo*, *Matho* et *Tongillus*, pauperes caussidici, ut se plebi, hominum ingenia cultu et magnificentia metienti, commendent, simulant se divites

esse ac nobiles, et *sic*, hac imitatione ditiorum, et opum nobilitatisque ostentatione, *conturbant*, obruuntur ære alieno. *Pedo* caussidicus ignotus; notior Pedo Pompeius vir illustris e Senec. Apocoloc. et notissimus Pedo Albinovanus poeta. De *Mathone* vide ad I, 32, si de eodem ibi sermo est. — *Conturbat* scil. rationes, vel rem familiarem, hoc est, opes absumpsit et æs alienum contraxit. [1] Hinc *conturbator aper* et *macellus* dicitur Mart. VII, 26, 10, et X, 96, 9. Verbum synon. est *deficit*, scil. se, hoc est, deficitur opibus, unde *defici facultatibus*, *nomen defectum* et simpl. *deficere* vocabula juris. [2] — *Hic est exitus*, finis; postrema, eaque misera vitæ conditio, ut pauper sit dilapidatis opibus. Conf. XI, 38, 39. Et hanc interpretationem, et lectionem vulg. improbat Manso, hæc disputans: « Poeta neque ante, neque post illos versus æs alienum, quod caussidici Rom. contraherent, respicit et perstringit; sed id unice agit, ut artes exponat, quibus adhibitis rivales suos deprimere, et eorum reditus minuere conarentur, sumptuosum vivendi genus, luxumque nimium, et ad ingenia fallenda compositum. Verissima est conjectura Lubini, pro *deficit* suadentis *dejicit*, longeque ad totius loci nexum et sensum aptissima interpretatio hæc: Iisdem artibus, quibus ad tenuiores caussarum patronos debellandos Æmilius utitur, *Pedo* eos *conturbat*, hoc est, pervertit, et *Matho dejicit*; hoc est, vincit; nec alium *exitum*, sive finem *Tongillus*, cum superbia et magnificentia per hominum ora incedens, petit, quam ut æmulos supplantet, solusque in foro regnet. » Sed nostræ sententiæ favent tum vs. 135 seq. et *conducta* a Paulo *sardonyx*, vs. 143, tum notata ad I, 32. Et quis unquam illo sensu dixit *exitum*, ut sit consilium, propositum? Eo *finis* adhibetur passim, at nusquam *exitus*. *Mathonem* vero ditissimum fuisse, Lubinus perperam collegit ex I, 32.

Not. 130. *Tongillus* forte idem, cujus gulam et luxuriem perstringit Martial. II, 40, ubi tamen in plerisque libris *Tongilius* legitur; unde h. l. *Tongilii* reponendum esse suspicari possis.

Not. 130—133. Hæc spectant ad luxum hominis, simulantis se divitem esse, et populo sese venditantis. — *Rhinocerote*, vase unguentario et corneo, e naso rhinocerotis, ut apud Martial. XIV, 52 et 53; nisi cum vet. Schol. interpretari malis: magno gutto, qui, sicut rhinoceros, ingentis est nasi. [3]

---

[1] Conf. XIV, 94; Martial. IX, 4, 5; Burm. ad Petron. c. 39, pag. 169; Ernest. clav. Cic. et ad Cic. Ep. ad Att. IV, 7.

[2] In Pand. XXII, 1, 11; XXIII, 3, 33, et XLIX, 14, 3. Priscianus, lib. VIII. « *Deficio*, quando accipitur pro *defetiscor*, neutrum est. Juven. in III, *Matho deficit*. »

[3] Vulgo putant, pauperes gutto (vide ad III, 263), e cornu tauri, divites e cornu rhinocerotis, in balneis usos esse. Sed ostentatio divitiarum epitheto potius *magno* contineri videtur. Alii solium, sive labrum balneare designari putant; alii vero irridendi carpendique libidinem, ut *nasus* et *nasutus*, apud Mart. I, 42, 18;

Not. 131. *Vexat balnea*, frequentat, ut I, 100, vel potius, molestus est iis, qui simul lavantur. — *Turba*, multitudine comitum et servorum (conf. VI, 419, 420), *lutulenta*, sordida; nisi innuuntur comites, per *lutum*, sive cœnosa sequentes dominum aut octo lecticarii (vide ad I, 64) per illa eum portantes. Sabinus designari credebat nescio quos pædicones draucos, et Valla ceromaticos.

Var. 132. *Mœsos* non male emend. Lips. Epist. Quæst. IV, 25, quoniam Medi et Parthi a Romanis non subacti, et lecticarii plerumque fuerint robustissimi servi ex Mœsia vel Syria. Huic conjecturæ favet alius Juvenalis locus infra IX, 142 seq. ubi vide not. Pro *Mœsis* facile substitui poterant *Medi*, quoniam hi librariis notiores erant, et diphthongi raro leguntur in antiquis Codd. Sed vulgata etiam lectio defendi potest. Nam *Media* tam lato poetis sensu dicitur, ut Assyriam quoque aliasque Asiæ regiones complectatur. Præterea *Medi* vel *Mædi* etiam Thraciæ populus. Vide Plin. IV, 1, et 11; Strab. VII, pag. 318; Ptol. III, 11; Liv. XXVI, 25; XXVIII, 5; XL, 21; Aristot. H. A. IX, 45; Schweigh. ad Athen. II, 6 (28), pag. 45. — Ad *Medos* vero utrum *juvenes*, an *pueros* referas, nil interest.

Not. 132. *Juvenes* lecticarios *premit* onere suo et lecticæ, quæ et in qua ipse gestatur. — *Assere*, lectica, ut apud Martial. IX, 23, 9. Conf. supra ad III, 245. — *Medos pueros*, nisi jungere malis *juvenes Medos*. Vide Var. Lect. — *Empturus*, ut Ἀλαζὼν προσποιούμενος ὠνητὴν apud Theophr. Char. c. 23 extr. ubi tamen Casaub. monet, πτωχαλάζονα etiam empturientem multa, quæ solvere nequeat, venustissime describi a Martiale, IX, 60. — *Pueros*, servos. — *Argentum*, vasa argentea. — *Murrhina*, seu myrrhina, scil. vasa. Vide ad VI, 156.

Var. 133. *Empturos*, 49, 55, 61, 62, 63, 67, 71, 73. *Empturos puero crystallina*, *murrhina*, *villas* leg. Rigalt. Conf. VI, 155, 156. — *Murrina*, *myrrhina*, *myrrina*, *mirrhina*, *mirrina* et *mirina* al. Vide supr. ad VI, 156.

Not. 134. *Spondet*, fidem facit solutionis. Vide ad II, 12. — *Purpura Tyrio filo*, purp. Tyria. Cur *stlataria* dicatur, non satis constat. — *Stlatarius* in Gloss. vett. ἐργόμωκος, in aliis πλάνος, et *stlata* πειρατικοῦ σκάφους εἶδος. Caper de Orthogr. extr. (ed. Putsch. p. 2246) «Stlataris a stlata, rate piratica.» Festus: «Stlata, genus navigii latum magis, quam altum.» Hinc vulgo putant, veteres *stlatum* pro *latum*, ut *stlocus*, *stlotus* et *stlis* pro *locus*, *lotus* et *lis* dixisse (vid. Fest. ac Quint. I, 4, 16), et *purpuram stlatariam* esse laticlaviam. At sic *stlata* certe, non *stlataria* hoc loco dicta esset, et, quod jam Ferrarius de Re vest. III, 12, notavit, nulli tunc caussidici in pretio, nisi qui et senatores, quibusque lati clavi jus (vide tamen ad I, 106). Alii hoc loco *purpuram stlatariam* dici putant peregrinam, vel *stlata*, hoc

---

XII, 90, 1, 2; XIII, 2, 1. *Rhinocerotis nasum habere*, apud Mart. I, 4, 6, et *narem rhinoceroticam minari*, apud Sidon. carm. IX, extr.

est, navi et mari advectam (quemadmodum fere Petron. 55, margaritas appellavit *phaleras pelagias*); alii denique propter ea, quæ supra notavi, velut piraticam et latrocinantem, cujus splendore spolientur et fallantur venditores, divitem censentes, qui eam gestet, vel fallacem et deceptricem. Hæc explicatio, etsi cæteris præferenda videtur (ita certe epitheton minus languet, et plurimum habet salis), longe tamen repetita est, et dubia. Vetus Schol. «*Stlataria*, illecebrosa. Ennius :

Et melior natus, quam quæ stlataria portat;

id est, multisonabilis, quæ vulgo dicitur *Batalaria*.»

Var. 135. *Attamen*, 45. — *Illis est*, 14; *est ipsis*, 12, 16, 45; *hoc ipsis est*, 25, 27, 46—50, 54—63, 65—69, 71—74, 77.

Not. 135 seq. *Et tamen est illis* caussidicis pauperibus *utile hoc*, hæc divitiarum ostentatio, quoniam hac fraude clientes alliciunt: nam *purpura caussidicum vendit*, commendat plebi, cui merces quasi suas aut se ipsum venditat, vel quam sic allicit, ut mercator emptores laudandis mercibus; efficit, ut majori conducatur pretio.[1] Ferrarius, Re Vest. I, 33, et V, 2. «*Purpura*, inquit, et *amethystina*, h. loc. lacernæ, aut lænæ purpureæ et amethystinæ, quæ togæ injiciebantur; nam toga nulla oratoribus purpurea, sed communis: nec de lato clavo intelligi potest, quia non omnes patroni laticlavii, neque ullus *amethystini* usus in clavo. Atqui auctor Dial. de Orat. c. 39, eorum temporum æqualis indignatur, *togas* ab oratoribus depositas, et sumptas earum loco *pænulas*. Noster tamen Sat. VIII, 49, *plebem togatam* caussas agentem inducit, quæ his videntur contrariari: nisi dicamus a paucis *pænulas* usurpatas, nec diu obtinuisse, quum sequenti sæculo ad *togam* redierint caussidici.» Sed vide ad VIII, 197, *amethystina*, scilic. vestimenta, violacea, qui est color *amethysti*, lapidis pretiosi. Conf. Martial. I, 97; II, 57, 2; X, 49, 1; XIV, 154; Plin. XXI, 8; XXXVII, 6 et 9, ubi præter alia dicit, amethysto Indicæ esse colorem simillimum purpuræ felici, hoc est, ardenti, quæ plebeiæ et fuscæ opponitur. — *Convenit*, conducit, expedit; vel etiam propriam et consentaneum est *illis* rabulis, qui sine tali impudentia et ostentatione in egestate versarentur.

Not. 137. *Strepitus majoris census*, rei familiaris vel opulentiæ, est ejus ostentatio, jactantia, gloriatio; *facies*, ejus species externa, ut apud Tacit. Dial. de Orat. cap. 6, *quæ in publico species!* hoc est, qui splendor externus!

Var. 138. *Finem non servat impensæ*, 2. Versum parenthesi includendum putabat Schrader.

[1] Sic et nos dicimus: *Kleider machen Leute*, vel, *der Rock verkauft den Mann*; et Belgæ, *hed Kleed maakt de Man*. Confer. ad vs. 73; Hennin. ad h. l. et Ernesti clav. Cic. v. *vendere* et *venditare*.

Not. 138. Tanta autem est morum corruptela luxuriaque Romanorum, ut omnem impensarum modum transeant; unde pauperes caussidici, ut divites videantur, ingentes coguntur sumptus facere, et sic ære alieno obruuntur. Sen. in Epist. 50 : « Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter potest vivere: non ego sumptuosus sum, sed Urbs ipsa magnas impensas exigit. » Conf. supra III, 180 seq. » Sic nostras *Voltaire*, *le Mondain* :

« Ce superflu, chose très-nécessaire,
« A réuni l'un et l'autre hémisphère. » ED.

VAR. 139. *Ut redeant veteres* (hoc est, quamvis in vitam redeant veteres illi, iique summi oratores Romanorum, Crassus, Hortensius, Antonius, Cicero et alii) pro *Fidimus eloquio*, 10, 11, 13—21, a m. pr. 22—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et dimidia pars Codd. Paris. Quæ lectio, si non vera, certe profecta est ab ingenio non indocti hominis, explentis lacunam codicis sui. Nostra tamen lectio etiam bene se habet (conf. ad vs. 150), et firmatur auctoritate Prisciani. Heinrich. et h. loc. et VIII, 7 (quem verum non obelo confodiendum putat, sed diversa examinandum trutina), nec non VIII, 147, 151 et 167 (quibus locis diversæ in libris scripturæ reperiuntur, *Lateranus* et *Damasippus*), ipsius poetæ, scripta sua in autographo retractantis, eorumque novam quandam διασκευήν instituentis post primam recitationem, operam haud obscure sibi videtur animadvertere.

Not. 139 seq. Falluntur, qui, quum eloquentia plurimum valeant, ampla se sperant ingenii præmia consequuturos esse his temporibus, quibus soli divites habentur diserti, et homines ex opibus, non ex virtutibus æstimantur. — *Fidimus eloquio?* In plerisque libris legitur *Ut redeant veteres*, quibus favet, in quem nunc incidi, locus Martial. XI, 6, 5; nisi ex eo verba illa margini adscripta sunt, et deinde recepta. — *Ciceroni nunc*, si nostra ætate viveret, *nemo*, nullus cliens, *dederit*, daret, dabit, *ducentos numos*, tam exile præmium, pro oratione: vel *Cicero* h. loc. pro summo oratore et patrono caussarum. Poeta supra de rabulis et caussidicis vulgaribus egerat: nunc docet, non meliorem esse conditionem summorum oratorum ac patronorum. — *Nisi fulserit* in ejus digito *annulus*, insigne equitum, hoc est, nisi censum equestrem habuerit, vel admodum dives fuerit. — *Annulus ingens*; vide ad I, 29.

VAR. 141. *Hoc*, 10, 11, 22, 25, 27, 45—50, 56—65, 68, 71—74, 77.

Not. 141. Clientes hodie non tam dicendi copiam eloquentiamque oratoris aut patroni caussarum, quam censum ejus et luxus ostentationem respiciunt. — *Servi octo*, qui præcedant, vel lecticam octophoron portent. Vide ad I, 64.

VAR. 142. *An post te sella*, 2, 3, 4, 11, 18, 21, 25—27, 57, 58, 70, 75, 76; *post te an sit sella*, 5, 27, 46, 47, 48, 50, 55, 56, 59—69, 71—74; *post te sit sella*, 49, 54; *sit post te sella*, 10; *an posita sella*, 12, 14, 15, 17, 19;

posita an sit sella, 22, 45, et Cod. vet. Rittershus. prob. Sciopp. Verisim. IV, 10; *posita est an sella*, 13, 20, 24.

Not. 142. *Decem comites*, clientes, deducentes te ad forum (vide ad I, 46), vel potius alia comitum (τῷ φορτίῳ παρεπομένων, Lucian. laud. a Casaub. ad Suet. Tiber. 30) turbam ad pompam spectans: nam caussarum patroni ab ingenti comitum turba in forum deduci amabant, et caussis actis reduci; unde in (Tac.) Dial. de Orat. c. 6, «qui togatorum comitatus et egressus!» Rabulas quoque «bene comitatos per forum reduci» dicit Quint. XII. — *An post te* sit, gestetur *sella*, qua, si libuerit, vehi possis. — De *sella* vide ad I, 64. — *Togati ante pedes*, scil. euntes; vide ad I, 96, et III, 127. «Circumpedes sunt obsequia servorum, antepedes amicorum,» Agroet. de Orthogr. pag. 2274, ed. Putsch. et Cassiod. Varr. VII, 5, unde quidam h. loc. *antepedes* (qui *anteambulones* dicuntur Martial. II, 18, 5; III, 7, 2; X, 74, 3) una voce scribendum censebant: id tamen non necesse est, et *ante pedes* hoc loco opponitur verbis *post te*.

Var. 143. *Antepedes* fuere qui mallent. Vide Comm.

Not. 143. *Ideo*, ut dives videretur; quia talis divitiarum ostentatio utilis est caussidicis patronisque caussarum, et clientes allicit. — *Agebat*, ut supra vs. 122 et 125. — *Paulus*, patronus caussarum aut caussidicus (ut apud Martial. V, 23), æque ac *Cossus* et *Basilus;* sed hi pauperiores, vel qui divites non habebantur, et hinc minus celebres. Delicati illius, ut nostræ, ætatis homines ornare manus annulis, vel etiam onerare solebant, iisque pretiosissimæ gemmæ inclusæ, inpr. *sardonyches*.[1] — *Conducta*, ut, quum pauper esset, dives haberetur (vide ad III, 180 seq. et VI, 352 seq.), et *pluris* pretii *ageret*, pretio diceret majori, vel plus mercedis acciperet.

Var. 144. *Cossus*, 10, 11, 14, 15, 17—25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et omnes fere Codd. Paris. quos sequutus sum. *Gallus*, 70, 75, 76, 82. — *Habebat* pro *agebat*, 21.

Not. 145. Ex opinione plebis *rara* est *facundia in tenui panno*, in vili et sordido amictu, hoc est, in homine, qui tali vestitu utitur. Contrarium docet poeta, VIII, 47 seq. — Vestis apud multitudinem plurimum valet: at Cicero, qui non unus e multis erat, longe aliter sentiebat, Tusc. III, 23: «Sæpe est etiam sub palliolo sordido sapientia.» *Bonus* ille Nostras *La Fontaine*, lib. V, fab. 14, *l'Ane portant des reliques;*

«D'un magistrat ignorant
«C'est la robe qu'on salue.»

Vide quoque elegans et facetum carmen, *Sédaine*, *Epître à mon habit*. Ed.

[1] Vide ad VI, 382; Martial. II, 29, 2; Pers. I, 16, ibique Casaub.

Var. 146. *Flentem Basillo*, 10, 25, 29, 45—50, 54—69, 71, 72, 73, 77. — *Deducere*, 10—25, 27, 45—50, 54—58, 60, 64, 65.

Not. 146, 147. Quis pauper caussidico committet difficilem gravemque caussam, v. c. eam, in qua mens judicum miseratione permovenda sit, et hinc *flentes producantur* in judicium ac supplicantes *matres*, aut uxores, sorores, liberi (exemplum vide apud Cic. pro Fonteio, c. 17)? Quis judicum et litigatorum *feret* æquo animo, nedum libenter ac studiose audiet, *Basilum*, etsi *bene dicentem*, disertissimum? De *Basilo* vide ad X, 222.

Var. 147. *Feret*, 16, 21.

Var. 149. *Imponere*, 10, 11, 17—25, 27, 45—50, 54—69, 71—74. Sed *ponere præmia* docte dicitur, ut Gr. τιθέναι ἆθλα, pro proponere, statuere, constituere.

Not. 147—149. *Gallia, vel potius Africa accipiat*, recipiat, *te*, hoc est, eam pete, eo te recipe, si vis *linguæ*, facultati tuæ oratoriæ, *mercedem ponere*, pretium statuere (ut Gr. τιθέναι ἆθλα, proponere, constituere præmia), hoc est, digna et ampla eloquentiæ præmia quærere ac consequi. In Gallia et Africa viguere eloquentia atque oratores.[1] Sed malim h. l. ita interpretari: Gallia vel Africa *accipiat*, conducat te *patronum*, ad te caussas deferat (ut Afri ad Plinium minorem, quum Marium Priscum Proc. de pecuniis repetundis postularent, de quo vide Plin. Ep. II, 11), si ampla eloquentiæ præmia postulare cupis et accipere; quæ tibi provinciales, non Romani, dabunt. — *Nutricula* et *nutrix* omnis res dicitur, quæ nos nutrit et alit, ut Gr. τροφός et τιθήνη.[2]

Var. 150. *Vecti*, 14—25, 27, 45—50, 55—58, 60, 61, 63, 64, 65, 67—69, 71—74, ut in optimis libris Plin. XXIX, 1. Hinc *VectI* scripsimus, ut secundus sit casus, non quintus. *Vectii*, 62, 66; *Victi*, 59; *Vetti*, vel *VettI* in reliquis, etiam Hennin. et Ach. — In omnibus, quotquot vidi, libris ita distinguitur: *Declamare doces, o ferrea pectora Vecti, Quum*, etc., vel *Declamare doces, o ferrea pectora VettI; Quum*, etc. Sed poeta, ni fallor, eodem orationis colore usus est, quo supra: vide 139. *Fidimus eloquio? Ciceroni nemo*, etc. Ita et exquisitior vividiorque est dictio, et melius cohærent, quæ sequuntur. Rei gravitatem et permotionem animi declarant interrogatio et responsio addita, eaque exclamatione expressa. *Declamare doces?* Rhetor es? vel rhetorem te esse profiteris aut gloriaris? *O ferrea* sint necesse est *pectora Vectii, quum*, etc.

Not. 150—214. Jam de *rhetoribus*, et v. 215—243 de *grammaticis* agit poeta, docetque eorum laborem omnium esse molestissimum, et vilissimam

[1] Vide ad I, 44; XV, 111; Quintil. X, 1; Voss. de Rhetor. in Præf. et Pithœi Præf. in Quintil. Declam.

[2] Confer. Wesseling. Observationum variarum lib. II, 17, et Barth. ad Rutil. p. 89.

mercedem. Præclara et consummatissima pictura, cui exquisitissimi colores inducti sunt, quos fere singulos ad iniquam miseramque conditionem eorum, qui nostra ætate puerilem ætatem atque juventutem scholasticam ad humanitatem informant, adumbrandam transferri posse, quis non videt?

Not. 150. Vide Var. Lect. — *Declamare*, hoc est, exercitationis caussa dicere, et argumenta, vel ficta, vel vera, themata, sive theses, tractare, *docent* rhetores. — *Pectora ferrea*, omnis laboris patientissima, et omnis fere sensus affectusque expertia, qualia debent esse rhetoribus, nostrisque ætatis puerilis magistris. Vide ad I, 31. — *Vectius*, clarissimus rhetor, forte idem, de quo Plin. XXIX, 1: « Vectius Valens adulterio Messalinæ Claudii Cæsaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ adsectator fuit: » hoc loco pro quovis rhetore. Conf. Var. Lect.

Not. 151. *Classis numerosa perimit sævos tyrannos* dicta fere sunt, ut I, 16, *consilium dedimus Sullæ, ut*, etc. pro: ingens discipulorum numerus declamat, vel recitat orationes de perimendis tyrannis; quod thema rhetor illis tractandum dederat. Tot declamationes et quidem ejusdem argumenti, forsan et dictatas a magistris, memoriæque traditas, quis patienter audiat, nisi χαλκοκάρδιος et ~~σιδηρόφρων~~, cui robur et æs triplex circum pectus sit? Argumenta quoque earum spectabant fere ad vitam, mores et facta heroum, ad quæstiones et res, ad vitam parum fructuosas. — *Classes* proprie sunt ordines puerorum ejusdem scholæ. Vide Quinctil. I, 2, 3. Vulgaria autem themata, seu argumenta fictarum caussarum, quæ in scholis rhetorum tractabantur, tyrannicidium et tyrannicidarum præmia fuere. [1]

Var. 153. *Proferet* revocavi ex 23, a m. sec. 24, 25, 27, 47, 50, 54—58, 60—68, 71—74, 77, et omnibus Codd. Paris. *Proferat*, 16; *perferet* alii, etiam Hennin. quod ad h. loc. alienum, certe minus aptum videtur, neque explicatum ab iis, quibus probatur. — *Vocibus*, 16.

Not. 152, 153. *Nam quæcumque sedens modo legerat* classis numerosa discipulorum, ut memoriæ infigeret, *hæc eadem stans* (nam stantes dicebant) *proferet* in medium, dicet, declamabit, *atque eadem cantabit*, recitabit, *iisdem versibus*, incisis, periodis, vel membris orationis (nam *versus* etiam κῶλον, membrum, dicitur), quibus sedens legerat, vel alii recitaverant; ut mox *crambe repetita*, vel apud Terent. Phorm. III, 2, 10, *can-*

[1] Hæc et alia memorantur infra v. 160—170, supr. I, 16 seq. et ab auctore Dial. de Orat. c. 35; Senec. Controv. VII, et Quinctil. in Declamatt. et Inst. II, 10, 4, et Petron. 1. Minus probanda aliorum interpretatio: o Vecti, sane tu ferreus, quem non frangit docendi labor, quum ille tam durus sit, ut etiam sævos tyrannos excarnificet, iisque gravissimæ vindictæ ac pœnæ loco a diis imponatur, ut Dionysio Siciliæ tyranno.

tilenam eamdem canere, ut nos dicimus *bei einer Leier bleiben*, *dasselbe herleiern*, et similia alii (vide Ernesti clav. Cicer. voc. *cantilena*). *Cantare* quoque spectat ad vitiosam declamandi rationem, cantui similem, quo vitio sæpe notantur discipuli; Ach. [1]

Var. 154. *Cambre*, vel *cambre*, 1, 2, 3, 5, 10, 14—20, 23, 24, 27, 45—49, 55, 69, 70, omnes MSS. Paris. et codex Pincier. cujus vide Parerg. IV, 5. Hanc lectionem defenderunt Calder. et Scoppa Collect. II, 2, pag. 66, ut h. l. designetur inscriptio declamationis de *Cambro*, Scytharum rege, cujus meminit Diodorus, vel de *Cambria*, seu Cambro-Britannia (hod. *Wales*), vel de oppido in Troade, aut vico ad radices Gauri montis. Hæc etiam Pithœo arrisisse mireris. Exagitat ea Politian. Miscell. c. 33.

Not. 154. Crebræ declamationes discipulorum, in primis eorum, qui eadem, vel caussas ejusdem argumenti recitant, *miseros magistros occidunt*, fastidio conficiunt, quemadmodum brassica sæpius apposita, vel recalefacta nauseam creat stomacho. [2] Vetus Schol. «*Crambe repetita:* proverbium Δὶς κράμβη θάνατος (nam ita leg.) omnibus tritum, quum nihil sibi tum fuisse cognitum significare voluerunt; tractum a nimis frequenti relatione historiæ sive fabulæ ab aliquo tum scriptæ.» Sic et nobis in proverbio est: *aufgewärmter Kohl*. Conf. Var. Lect.

Var. 155. *Qui*, 73. — *Aut quid*, 45. — *Aut ubi*, 26, 45.

Not. 155—157. Omnes discere cupiunt artem oratoriam, sed nemo magistris vel rhetoribus debitam dignamque laboris molestissimi mercedem vult solvere. — *Color;* vide ad VI, 280. *Colores* tamen dicuntur etiam ornamenta orationis, quæ e triplici ejus genere, sublimi, medio et tenui, oriuntur: vide Cic. Orat. III, 25 et 52. — *Caussæ genus* triplex, deliberativum, judiciale et demonstrativum, quod alii laudativum dicunt. [3] — *Quæstio summa* in caussa est status controversiæ, in quo res maxime vertitur, vel generalis quæstio, sive constitutio. [4]

Var. 156. *Diversæ parte*, 49. *Adversa parte*, 16. *Diversa parte*, 10, 11, 15.

[1] Durior est explicatio eorum, qui singula ad præceptores referunt (eo sensu, quo non nemo, a Grang. laudatus, lepide de iis dixit: Οἱ αὐτοὶ περὶ τῶν αὐτῶν τοῖς αὐτοῖς τὰ αὐτά), et Pratei: *quæcumque sedens* præceptor *modo legerat*, *hæc eadem* vel *eadem hæc* classis, discipulus, *stans* recitabit.

[2] Lubinus: «Miselli magistri dum toties eumdem cibum discipulis suis præmandere et præmasticare quasi coguntur, vel dum eadem discipulis suis toties repetita inculcant, tædio et molestia pæne occiduntur.» Non male; verba tamen *crambe repetita* et præc. non ad magistros, sed ad discipulorum declamationes spectare videntur.

[3] Vide Quintil. III, 4, et Cic. Inv. I, 5. Alia et quidem quinque caussarum genera recenset Cic. Inv. I, 15.

[4] Conf. Quintil. III, 5 et 6; Cic. Inv. I, 6, et 8 seq.

18—22, 25, 27, 29, 45—48, 50, 54—74, 77. *Diversa e parte,* 7, 14, 17. *Diversa a parte,* 24. Recte, opinor, et sic quoque emend. Lindenbr. Sed *diversæ sagittæ* exquisitius forsan dictæ pro : quæ a diversa, vel adversa parte veniunt.

Not. 156. *Sagittæ* sunt argumenta vel firmamenta, quæ adversarius opponit : nam eloquentia et caussæ forenses pugnæ, Marti et armis comparantur ; unde *Martem forensem* dixit Ovid. ex Ponto, IV, 6, 29, et Suet. Cal. c. 53, «Peroraturus, stricturum se lucubrationis suæ telum, minabatur.» Confer. supra ad vs. 8. — *Sagittæ diversæ quæ veniant;* vide Var. Lect.

Var. 157. *Scire,* 50, 61, 62, 63, 65—68, 71—74, 77. — *Volunt,* 10—28, 45—50, 54—69, 71—74, 77. Utrumque probavit Lindenbrog. at *velint* exquisitius est. — *Reddere nemo,* 23.

Not. 158. Verba discipuli : *Mercedem appellas*, memoras, dicis? *Quid enim scio*, quid a te didici? His respondet magister : *Culpa docentis arguitur,* in eum transfertur, etc. Ex quibus verbis intelligitur, etiam illa ætate, ut nostra, non defuisse, qui, si juvenes haud multum proficerent in literis, omnem hujus rei culpam in præceptores conferrent, parum reputantes, non, ut e lapide aut trunco signum aliquod, vel imago a statuario exsculpitur, ita ex omnibus, etiam nullius ingenii, pueris, et quidém paucorum annorum spatio, viros doctos effingi atque formari, neque ex quovis stipite pulchrum simulacrum edolari posse. Conf. vs. 237 seq.

Var. 159. *Papillæ* suspicari possis coll. loco Plinii, in Comm. laudato, et quia Fulgentius Mythol. II, 9, legit *si læva parte papillæ*, nisi hic memoriter locum laudavit, quod Hein. suspicatur. Sed nil interest.

Not. 159. *Scilicet;* vide ad II, 104. *In læva parte,* infra lævam partem, *mamillæ*, hoc est, in corde (conf. Pers. II, 53) : nam «cor animalibus ceteris in medio pectore est, homini tantum infra lævam papillam,» Plin. XI, 37 s. 69. «Cor autem aliis animus videtur : ex quo excordes, vecordes concordesque dicuntur, et Nasica ille prudens Corculum, et egregie cordatus homo catus Ælius Sextus : Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem : alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum,» Cic. Tusc. Quæst. I, 9.

Var. 160. *Sapit* conj. quidam male. Cf. Barth. ad Stat. Silv. I, 2, 210.

Not. 160. *Nil salit*, nihil ingenii, nullus boni et pulchri sensus, nulli igniculi ingenii emicant *juveni* in corde, hoc est, hebes et obtusus est, ingenium tardum et torpidum, cui nec vigor nec acies est. Contra *cor tibi rite salit*, apud Pers. III, 111, et Senec. Thyest. 756. Verbum *salit* ad id respicit, quod cordi præcipuus est calor et palpitatio ; Brit. — *Arcadi-*

cus h. l. dicitur stultus et stupidus, non tam quod optimi erant et maximi in Arcadia asini,[1] quam quod stupidi habebantur Arcades, unde βακτσέληνοι poetis græcis dicuntur, et Ἀρκάδιον βλάστημα in proverbium cessit. Arcadas rudes esse, suibusque simillimos, tum propter alia multa, tum quod arborum fructibus ut plurimum turgeant, monet Philostr. lib. III.

Var. 161. *Quoque*, 20. — *Durus* (h. e. cujus nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat, ut utar verbis Livii XXI, 4), suspicari possis coll. Horat. Od. II, 12, 2, ubi vid. interpp. Sed epitheto *dirus* major h. l. vis inest, ut ap. Horat. Od. III, 6, 36, et IV, 4, 42, ad quæ loca vid. Mitscherl. — Post *implet* et *cohortes*, vs. 164, vulgo puncta ponuntur. Ego post *implet* distinctionem reposui minorem. Neque tamen magnopere repugnarem, si major ei substitueretur, sublato puncto post *cohortes*, ut apodosis esset: *quantum vis stipulare*, etc.

Not. 161. *Cujus Hannibal*, declamatio de Hannibale, *deliberante*, *an petat Urbem*, etc. *mihi miserum caput implet*, obtundit, hoc est, non sine summo tædio audienda est. Conf. X, 167. — *Sexta quaque die*: nam rhetores declamationibus certum diem definire solebant (vide Casaub. ad Suet. Tib. c. 32). *Dirus Hannibal*, cujus nomen jam horrorem incutit, ut apud Horat. Od. III, 6, 36, et IV, 4, 42.

Not. 162 seq. Hæc notissima ex Liv. XXII, 51; XXVI, 7—11; Polyb. IX, 3, seq. et Sil. XII, 489—XIII, 93. — *An*, utrum, *petat Urbem* Romam *a Cannis*, post victoriam Cannensem, quod Maharbal sapienter suaserat.

Not. 163. *Post nimbos et fulmina cautus*, territus fulminibus et tempestate, qua bis acies dirimebatur. — *Curcumagat*, reducat a mœnibus Romæ; ut apud Sil. XII, 663.

Not. 165. *Quantum vis stipulare — audiat*, verba *sophistarum*, *qui hæc uno conclamant ore*, etc. Quantum vis posce, et confestim tibi dabo, si effeceris, ut pater filium suum toties eadem recitantem audiat, quoties mihi audiendus est. Hoc venuste ac lepide dictum pro: pater ipse nunquam sibi hunc laborem imponi patietur, vel, si eum subierit, sentiet, quam ingratus sit et molestus. — *Stipulatur*, qui interrogat et poscit; *spondet*, qui respondet et pollicetur (Vide Ern. clav. Cic.).

Var. 166. *Ast alii sex Et plures*, 10, 11, 14—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et omnes Codd. Paris. unde hæc recepit Ach. et forte ita legendum est.

Not. 166. *Ut illum pater audiat toties*, quoties ego, rhetor: nam pater nonnunquam filios in scholis declamantes audiebat, et amicos quoque adducebat, vel cognatos (vide Quintil. II, 7; X, 5; Pers. III, 47).

[1] Vide Varr. Re Rustic. II, 1, 14; Plin. VIII, 43, seu 68; Plaut. Asin. II, 2, 67, et Pers. III, 9.

Var. 167. *Quum clamant*, 27, 46, 47, 50, 58. *Declamant*, 45.

Not. 167. *Sophistæ*, rhetores. Qui proprie sint, notum ex Cic. Acad. IV, 23, et Fin. II, 1.

Not. 168. *Veras agitant lites*, caussas perorant in foro, *relicto raptore*, etc., hoc est, dimissis fictis illis caussis et declamationibus scholasticis de *raptoribus* (v. c. Paride, qui Helenam; vel Jasone, qui Medeam rapuit, et aliis), de *venenis fusis*, ac pellici, v. c. Creusæ a Medea, vel conjugi et aliis datis, de *malo ingratoque marito*, v. c. Jasone, Theseo, etc. quæ sunt vulgaria themata seu declamationum argumenta, in scholis tractari solita, de quibus vide Quintil. de Declamatt. et Senec. Controv. Sensus est : pertæsi miserrimæ et umbratilis rhetorum vitæ a schola transeunt ad forum, et ex rhetoribus fiunt patroni caussarum, quorum vita et ars minus molesta et quæstuosior est.

Not. 169. *Silent*, non amplius ab ipsis tractantur, vel discipulis tractanda proponuntur themata et fictæ caussæ.

Not. 170. *Mortaria*, fictum thema de medicamentis in mortario tritis a Medea et filiabus Peliæ, *cæci veteris*, senis, traditis, ut eorum vi pueritiam redderent patri.[1] Alii existimant, declamationem designari de filio pharmaca ad sanandos cæci patris oculos miscente, et hinc a noverca veneficii insimulato, ut exheredaretur.[2]

Not. 171 seq. *Ergo*, has ob caussas (nisi potius dictum pro enimvero aut profecto) idem ille, *qui ad pugnam*, veras caussas in foro perorandas, *ab umbra rhetorica*, a scholastica exercitatione et vita umbratili rhetorum, *descendit*, transit, hoc est, rhetor, qui patronus caussarum factus est, *si nostra* eum *movebunt consilia*, *sibi dabit ipse rudem*, hoc est, etiam forensi exercitationi omnique arti oratoriæ (quam parum quæstuosam esse, sup. vs. 106—149, poeta ostenderat) renunciabit, et longe aliud *vitæ iter ingredietur*. — *Sibi dabit ipse rudem*, tropice, ut apud Horat. Epist. I, 1, 2, et Martial. III, 36, 10. De proprio verborum sensu vide supra ad VI, 113.

Not. 173. Vide supra ad vs. 8, et 156; et conf. Senec. Præf. lib. III, Controv. Alius quoque subesse potest sensus; nam fictæ declamationes rhetoricæ sunt verarum controversiarum forensium umbræ tantum et imagines. Ed.

Not. 174. Ne ad incitas redigantur, et exigua quoque pecuniæ summa illis desit, qua tessera frumentaria *venit*, venum it, venditur, et a pauperibus emitur, hoc est, qua summula panis ematur. — *Frumentum* Romæ distribuebant curatores annonæ, datis *tesseris frumentariis*, sive symbolis

[1] De qua fraude Medeæ vide Hygin. f. 24; Ovid. Met. VII, 276 seq. et Diodor. IV, 51, 52.

[2] Confer Ovidii Metamorphoseon lib. VII, vs. 276, ibique Heinsium et Burmannum.

quibusdam et frustillis quadratis, signo quodam et certa notatis forma, e ligno aut plumbo : eædem tesseræ (ut et numariæ) populo et plerumque definito civium numero (vid. Casaub. ad Suet. Aug. 42, et Cæs. 41; Dio XLIII, 21; LX, 10) dabantur ab Imperatoribus, ut animum plebis, quæ duas tantum res anxia optaret, panem et circenses (infra X, 80), a novarum rerum studio avocarent, sibique devincirent, et quidem non in ludis tantum muneribusque a se datis, sed quotannis etiam et sæpe ac potissimum, ex consuetudine, a Gracchorum temporibus servata, Nonis cujusque mensis; vide Suet. Aug. 40, 41; Ner. 11, al. Quantum frumenti cuivis esset dandum, scribebatur in tessera; in tabulis autem ceratis æneisve nomen cujuslibet civis, cui tessera erat data; quique eam acceperat, ad horrea publica ire poterat petitum frumentum, aut si hujus non egeret, vel alia de caussa, illam vendere : vide Lips. Elect. I, 8; Casaub. et Koenig. ad Pers. V, 73, 74 : qui etiam nostrum locum recte ita interpretati sunt, si tesseræ illæ gratis datæ sunt populo ab Imperatoribus : et sane P. Clodius rogationem tulerat, ut gratis daretur frumentum, quod e lege Sempronia C. Gracchi antea semisse ac triente dabatur. Sed Imperatorum temporum non plane gratuitum fuisse frumentum, probabile fit ex Tac. Ann. XV, 39, ubi vide Lips. Tum potius designatur h. loc. *summula* (terni nummi, parvum modii pretium, apud Tacit. loc. laud.), *qua tessera venit*, venalis est, venditur inopi plebi. Verba *vilis frumenti* junxerim, quod *scabiosum far* vocatur Pers. loc. laud. ubi Koenig. indicari dicit munusculi vilitatem et frumentum, ut in granariis publicis sæpe accidit, a gurgulionibus exesum, seu omnino situ corruptum.

Var. 175. *Latissima*, 11. *Lætissima* emend. Schurzfl. ut εἰρωνικῶς dictum sit pro : hæc merces tanta est, ut et de ea accepta lætandum sit. Immo, uberrima, largissima, ut *læta flumina*, *segetes*, etc. apud Virg. et al. Non male, quoniam mox *lautorum* sequitur.

Not. 175. *Hæc merces* præceptorum virorumque doctorum *lautissima*, amplissima est, quum habeant accipiantque tantum pecuniæ, quo frumentum emere possint.

Not. 176, 177. Longe amplius est citharœdorum præmium lucrumque, quam rhetorum et caussidicorum; hinc auctor tibi sum, ut citharœdi artem discas et profitearis. — *Tenta*, explora, exquire, quære, *quanti doceat*, quanta mercede *lautorum*, nobilium ditiorumque, *pueros* instituat *Pollio*, *scindens*, proscindens, deridens, *artem Theodori* rhetoricam, quum ipse plus lucretur arte sua. Theodorus Gadareus, celeberrimus rhetor.[1] — De *Chrysogono* et *Pollione* vid. sup. ad VI, 74 et 387. Qui-

[1] Vid. Quintil. I, 12; III, 1 et 11; IV, 2; Strab. XIII, pag. 635; XVI, pag. 759; Suet. Tib. c. 57; Lucian. in Macrob. et Langbænius ad Longin. 3, 14. Fuit et sophista Theodorus Byzantius, qui Socratis temporibus vixit:

dam putant, h. loc. ea quoque rhetorum esse nomina et sensum hunc: *quanti*, quam exigua mercede, *doceat Pollio*, *artem Theodori* rhetoricam *scindens*, in minima massa, seu minutatim quasi dividens et ingerens. Sed verum forte h. loc. sensum cepit Ach. cujus nota est: Non possum, quin mirer facilitatem, qua interpretes contraria contrariis jungunt, atque Chrysogonum et Pollionem, quos poeta supra VI, 74, et 387, ut citharœdos adulteros, et quasi lasciviæ magistros citavit, vertunt nunc in rhetores. Ego etiam *Theodorum* esse suspicor citharœdum, qui artis suæ regulas scripserit, quas *Chrysogonus* et *Pollio scindunt*, id est, docent pueros, vel alium forte deformiorem, ad cujus cinædicam artem infandam isti nebulones sub specie artis musicæ docendæ informabant pueros. Nam in Hesych. Lex. ad verb. Θεόδωρος sic: Θεοδώρους ἔλεγον οἱ κωμικοὶ τοὺς εὐρυπρώκτους, ἀπὸ Θεοδώρου τινὸς, οὐκ εὖ τῆς ἑαυτοῦ ὥρας προστησαμένου.»

Not. 178—187. Divites Romani nullis sumptibus parcunt in balneorum, villarum vel domus et epularum magnificentia; sed (vs. 186) *inter hos sumptus*, quum tot sumptus in tales res impendant, *duo sestertia* (cave cum Ach. suppleas *millia*), *ut multum* scilic. dicam, hoc est, summum (Gall. *au plus*), Germ. *höchstens* (ita Gron. ad Martial. X, 11, 6; Scheller. in Lex. et Hein.), *sufficere* putant vel clarissimo optimoque rhetori, qualis *Quintilianus* fuit (vide ad VI, 75), loco salarii pro liberorum institutione. — *Balnea sexcentis* sestertiis, hoc est, sestertiorum millibus, scil. constant vel exstruuntur. [1]

Anal. 178 seq. Vide ad IV, 5. Irrisio luxuriæ faceta inest in vs. 179—181. — *Anne serenum exspectet dominus*, dives nobilisque Romanus, censesne ei ambulationis gestationisque tempus differendum esse, donec serenum sit tempus? an curru vehatur post pluviam vel per cœnosas plateas, ubi mulorum pedes *luto spargantur*? Quin *potius hic*, in porticu, *gestabitur*, vel vehetur, ubi *ungulæ* ac pedes *mulæ nitent*, luto non inquinantur.

Var. 179. *Vectetur*, 24.

Var. 180. *Exspectent spargantque*, 15. *Spargatve* præstiterit.

Not. 182. *Parte alia*, in superiori domus parte, *surgat* (vide ad VI, 529) *cœnatio*, triclinium, *fulta longis columnis Numidarum*, ex Numidico marmore, [2] *et rapiat*, excipiat, *solem algentem*, tepidum, et matutinum et hibernum: nam triclinia in villis septentrionem plerumque et orientem,

---

vide Quintil. III, 1; Laert. II, 104, et Ernesti clav. Cic.

[1] De balneorum magnificentia sunt loca class. Sen. Ep. 51, et 86; Plin. Ep. II, 17; V, 6; Vitruv. V, 10; Montfauc. Antiq. tom. III; Maffei Collect. Statuar. Thess. Gronov. t. IX; Græv. tom. XII, et Sallengr. tom. V; *The Baths of the Romans by Cameron*, Lond. 1772.

[2] Vid. Plinium, Natur. Histor. lib. V, cap. 3; XXXVI, 6; Barthium, ad Stat. Silv. I, 5, 36, et interpretes Horat. Od. II, 18, 4.

vel potius meridiem spectabant, ut hieme plurimum solis versus meridiem aperta, æstate minimum reciperent. [1]

Nor. 184 seq. *Quanticumque* pretii *domus* sit, vel constet, hoc est, etsi tantos sumptus in magnificentiam domus vel villarum impendant, non minores tamen faciunt in lautitiam epularum, minimos vero in honestarum artium præceptores et bonam liberorum institutionem. — *Fercula;* vide ad I, 94. — *Qui fercula docte componit*, peritus structor. Vide ad V, 120.

Var. 185. *Componet*, 15. *Componit*, 14, 18, 20, 21 a m. sec. 22, 25, 46, 48, 49, 53, 56, 57, 59—63, 65—69, 71—74, 77, et multi Codd. Paris. sed recentt. — *Veniat*, 58. — *Condet*, 18. *Docet*, 45. *Condat*, h. e. faciat (a *condere*, non *condire*), 15, 19, 24, 27, 47, 58, 64, et optimi Codd. Paris. unde illud nunc pro vulg. *condit* substitui cum Ach. Dura certe h. l. est modorum variatio.

Nor. 185. *Qui pulmentaria condit*, facit, coquus. *Pulmentaria* dicuntur quævis opsonia, vel quæ cum pane eduntur, a pulte, quæ priscis Romanis loco panis erat (vide ad XIV, 171, et Plin. XVIII, 8). *Voltaire, le Mondain :*

« Qu'un cuisinier est un mortel divin ! » Ed.

Nor. 186, 187. Vide ad vs. 178. Grangæus hunc locum sumptum putabat ex Cratetis Thebani ephemeride apud Laert. in ejus vita : Τίθει μαγείρῳ μνᾶς δέκα, ἰατρῷ δραχμὴν τάλαντα δέκα, συμβούλῳ καπνὸν, πόρνῃ τάλαντον, φιλοσόφῳ τριώβολον. Confer. Cratetis Frag. III, in Brunck. Anal. tom. I, pag. 186. — *Ut multum*, scil. dicam, ut apud Martial. X, 11, 6.

Nor. 188. *Filius*, bona ejus institutio, quæ tantopere negligitur, et sæpe committitur parum idoneis præceptoribus, modo sumptu minimo constent. Conf. Aristippi dictum apud Diog. Laert. in ejus vita : vide quoque Ciceronem, Tuscul. II, 13, al. Ed.

Nor. 188 seq. His, quæ inde a vs. 150 disputaverat poeta, facile prævidet opponi posse : *unde igitur Quintilianus tot saltus*, tot prædia, tantum agri ac divitiarum, *habet*, si tam misera est rhetorum conditio? Respondet, illum *novo*, insolito, singulari ac mirifico fortunæ beneficio, non hominum liberalitati opes suas debere, eique uni (quamvis non indigno) contigisse, quod nesciat an ulli. Putant etiam latenter innui, eum non tam eruditioni aut virtutibus, quam fortunæ tantam felicitatem acceptam referre. Conf. ad VI, 280. Salse saltem dicta videntur hæc : *et jaculator, et*

[1] Vide Columel. I, 5, 6; Plin. Epist. I, 17, 10 seq. et Casaub. ad Suet. Aug. 72, et Ner. 31. Plathnerus hæc verba ad heliocaminum refert. Erat, inquit, in cœnaculis heliocaminus ita fabrefactus, ut vaporario quodam solares ad se quasi raperet radios, ita ut postmodo calorem quemdam per parietes effunderet; de quo vide Senecam, de Provident. div. c. 4, et Plinium, Epistol. II, 17, 20, ubi conf. intpp.

si perfrixit, cantat bene. Versus quoque 190—194 ad Quintilianum referendos esse crediderim, etsi non certo constet, eum *nobilem* ac *senatorem*, nedum consulem fuisse (quod multi colligunt ex vs. 197, et ex Ausonii Gratiar. Act. ad Gratian. p. 712, vel ed. Bipont. p. 290 : « Quintilianus, consularia per Clementem Flavium ornamenta sortitus, honestamenta nominis potius videtur quam insignia potestatis habuisse, » neque etiam probaverim vulgarem explicationem : Quintilianus est *felix, et pulcher, et acer; est felix, et sapiens*, etc. vel *felix*, hoc est, fortunæ beneficio, est pulcher et acer, etc. Ex illa ratione vox *felix* ter posita admodum languet; ex hac duro et alieno ab usu loquendi sensu accipitur. Mentem potius poetæ ita capio : *felix*, hoc est, qui felix est, cui fata favent, *et pulcher, et acer, et sapiens, et nobilis* est, etc. hoc est, ei omnia bona, et corporis (*pulcher*), et animi (*acer*, et *sapiens*, et *orator maximus*, etc.), et fortunæ (*nobilis* et *generosus*), affluunt. Similis orationis color est apud Horat. Epist. I, 1, 106 seq. et Satir. I, 3, 124 seq. — Simili quoque satiricæ ironiæ impetu Nostras *Boileau*, Sat. VIII :

« Quiconque est riche, est tout : sans sagesse, il est sage;
« Il a, sans rien savoir, la science en partage;
« Il a l'esprit, le cœur, le mérite, le rang,
« La vertu, la valeur, la dignité, le sang;
« Il est aimé des grands, il est chéri des belles;
« Jamais surintendant ne trouva de cruelles :
« L'or même à la laideur donne un teint de beauté;
« Mais tout devient affreux avec la pauvreté. »

Confer. quoque ejusdem Epist. V, vs. 85 seq. Ed. — Sed quomodo Quintilianus tam dives dici potest, quem Plin. Epist. VI, 32, Trajani adhuc temporibus *animo* quidem *beatissimum*, sed *modicum facultatibus* fuisse tradit? *Dives* vocari possit respectu aliorum rhetorum, qui pauperrimi erant, et *modicus facultatibus* respectu Plinii, qui ditissimus fuit. Magna præterea cum gloria et in foro versatus est, et rhetoricam docuit per viginti annos; primus quoque scholam Romæ habuit, et salarium accepit e fisco, centena sestertia. Conf. Martial. II, 90. Quoniam vero *tot habuit saltus*, tantas potius opes post epistolam illam a Plinio scriptam, Hadriano forsan imperante, acquisivisse, aut Plinius ad alium Quintilianum scripsisse censendus est, aut alius ævi istius rhetor designatur nomine *Quintiliani*, ut nomine *Paridis* alius histrio, supra vs. 67 seq. Conf. Dodwell. Annal. Quintil. § 34—41, et Spalding. ad Quintil. Inst. Or. III, 1, 21, pag. 438, et in Præf. pag. XXXI seq.

Not. 189. *Exempla novorum Fatorum*, fortunæ insolitæ.— *Nova* dicuntur, quæ vel nunquam, vel raro antea visa et audita sunt. — *Acer*, acris ingenii judiciciique : nisi ad acrimoniam et vim dicendi spectat epitheton propter locum Epist. V, 10 : « Ne videar tibi sub hoc quasi hyperbolico rhetorum catalogo blanditus quidpiam gratificatusque, solam tibi acrimoniam Quintiliani, pompamque Palladii comparari non ambigo, sed potius acquiesco. »

Var. 191. *Est nobilis*, 11.

Not. 191. *Nobilis et generosus;* vide ad II, 145.

Not. 192. Insigne senatorum *aluta*, hoc est, calceus ex aluta, corio molli, quod a cerdonibus liquore corrodenti *aluminis* (Alaun) mollitur (nostr. *Semisch Leder* vel *Corduan*), cui *apposita*, hoc est, adsuta, vel *subtexta* erat *luna* seu lunula, quæ non videtur fuisse littera *C*, nota numeri, centum scil. Patrum a Romulo creatorum, sed fibula, sive eburnea, sive argentea, in malleolo pedis, lunæ speciem referens; τὸ σύμβολον τῆς εὐγενείας περιηρτημένος τῷ ὑποδήματι· τοῦτο δὲ ἔστιν ἐπισφύριον (fibula ocreæ) ἐλεφάντινον μηνοειδὲς, Philostr. Vit. Her. II, 8, pag. 555, ubi vide Olear. Conf. Plut. tom. II, pag. 282, et locus class. Marcelli in Brunck. Anal. tom. II, pag. 302, 303, vs. 23 seq. ubi origo hujus ornamenti derivatur a Tyrrhenis (conf. Serv. ad Virg. Æneid. VIII, 458), et a Mercurio, qui, quum Æneam Græcis eriperet, lunam in talaribus fixerit: ἀστερόεντα περὶ σφυρὰ πέδιλα, τὰ λέγουσι καὶ Ἑρμάωνα φορῆναι — ὁ δέ οἱ περὶ ποσσὶ σαώτηρ παμφανόων ἐνέκειτο σελήναιης κύκλος αἴγλης, etc. Vide Jacobs. ad Anthol. Gr. Vol. II, P. II, pag. 392 seq. et Visconti ad *Iscrizioni Greche Triopee ora Borghesiane*, Rom. 1794, pag. 83 seq. ubi præter alia monet, in Tabula Iliaca Mercurium esse comitem Æneæ, et in gemma apud Augustin. tom. II, n. 3, Æneæ fugientis viam illustrari luna (conf. Virg. Æneid. II, 693).[1] — De *calceis*, *soleis* (σανδάλοις, Schnürsohlen), *vinclis* (*eleganter geschnürten und pantoffelartigen Sohlen*), *soccis obauratis* vid. Bottiger. Sabina, p. 372 seq. ut de aliis vinculis seu fasciis, quæ illis vinclis soleisque in superiori pedis parte constringendis adhibebantur (*ansulæ*, γλῶτται), ibid. pag. 275. — *Alutæ nigræ*, ut apud Hor. Sat. I, 6, 27, *nigris medium impediit crus Pellibus;* sed *coccina aluta*, apud Martial. II, 29, 8, et contra *niveæ* apud Ovid. Art. Am. III, 271, ubi vide Heins.[2]

Var. 193. *Joculator*, 7, 47, 48, 84.

Not. 193. *Jaculator* facete dicitur dialecticus, seu sophista et rhetor, qui dicta et argumenta in adversarium quasi jaculatur: vide ad VI, 449, 450. Sic *jaculatio verborum* apud Quintil. VI, 3.

Var. 194. *Etsi* una voce scribendum crediderim, ut sensus sit: quamvis sit raucus, tamen bene declamat. — *Discat*, 16. *Dictat*, 84, non improb. Schrader.

[1] *Non hesterna sedet lunata lingula planta*, Martial. II, 29, 7. Hinc de novis nobilibus proverbii loco dicebatur: σὺ τὴν εὐγένειαν ἐν τοῖς ἀστραγάλοις ἔχεις. Vid. Junii Adag. Cent. III, et de calceo senatorio lunulæque sede in eo, Heins. ad Ovid. Ep. Her. IX, 60; Rhodius de Acia Cels. c. 5, p. 16—20; Ferrar. Anal. c. 31 et 34.

[2] Memorantur etiam calcei mullei, (vide Vopisc. in Aurel. 49, et Plin. IX, 17), cerei, ederacei, etc. Conf. Ferrar. loc. laud.

[3] Conf. Martial. III, 18, 1, et Frontin. Strat. I, 12, 11; Schol. vet. *infrigidatus fuit*.

Not. 194 seq. *Et si perfrixit*, frigore raucus est factus.[3] — *Cantat*, declamat, recitat, *bene;* forte ob vocem muliebrem, quæ, asperior facta, auribus gratior est. Conf. ad vs. 188, et hujus loci Var. Lect. — *Distat enim*, etc. Hæc εἰρωνικῶς dicta, et per ludibrium de superstitione, quam poeta passim exagitat. Vid. ad VI, 653 seq. — *Distat enim, quæ sidera*, etc. magni interest, num benigna tibi nascenti affulserint sidera, an maligna. — *Primos edere vagitus :* Plin. Hist. Natur. Procem. lib. VII: «Hominem nudum et in nuda humo natura natali die abjicit ad vagitus statim et ploratum; nullumque tot animalium aliud ad lacrimas, et has protinus vitæ principio.» Sic quoque unus e nostris vatibus lyricis :

«Que l'homme est bien, pendant sa vie,
«Un parfait miroir de douleur!
«Dès sa naissance, il pleure, il crie,
«Et semble prévoir son malheur.» Ed.

Var. 195. *Accipiant*, 27, 47, 48, 54, 58, 64, 66. — 196. *Ex matre*, 11.

Not. 196. *Adhuc a matre*, materno sanguine, *rubentem* et pollutum.[1]

Var. 197. *Fies de consule rhetor*, et v. 198, *fies de rhetore consul*, 10, 16, 21, 25, 46, 48, 49, 55, 56, 57, 59.

Not. 197, 198. Conf. ad vs. 188, ad III, 39, 40, et Vit. Juv. chronol. ad ann. Urb. cond. 797, de Frontone rhetore (forsan et de Cicerone. Ed.), qui ad consulatum pervenit; it. Suet. de Ill. Rhet. c. 1. «Quos tibi, Fortuna, ludos facis? Facis enim ex professoribus senatores, ex senatoribus professores,» Plin. Ep. V, 11, ubi de Valerio Liciniano prætorio agitur, qui exsul de senatore, rhetor de oratore factus est. «Plinius, si nostris temporibus vixisset, quanto justius exclamasset, *Quos tibi, Fortuna, ludos facis!*» Ach. Multa exempla mirabilis fortunæ, nec tamen rhetorum, Plinius, VII, 42 seq. memorat.

Var. 199. *An*, 19, 20, 22, 45. — *Aliquid*, 47, 48, 58.

Not. 199. P. *Ventidius* Bassus, homo humili loco in Piceno natus, et bello sociali inter captivos Picentes et Asculanos in sinu matris vectus ante currum triumphalem Pompeii Strabonis; deinde rhedarius ac mulio; tum amicus C. Cæsaris ac L. et M. Antonii, quorum ope tribunatum plebis, præturam, pontificatum consulatumque adeptus est; tandem a M. Antonio adversus Parthos missus, de quibus primus[2] triumphavit.

---

[1] Quales infantes *sanguinolenti* dicuntur JCtis. Confer. Barth. Advers. XXIII, 16.

[2] Vid. Plin. VII, 43; Gell. XV, 4; Plut. in Anton. Opp. tom. I, pag. 931; Dio Cass. XLVIII, XLIX; Appian. de Bello civili, I, 47 (ubi confer Schweigh.); III, 66, 80; IV, 2; V, 31—35, 50, 65, et de Bello Parthico, cap. 71—74; Pighius, Ann. Rom. ad annos 707, 710, 715; Ernesti clav. Cic.

— *Tullius*, non Cicero, sed Servius Tullius rex Romanorum, et servæ, vel captivæ filius: nam ad eum spectant verba, vs. 201, *servis regna dabunt fata*, ut reliqua *captivis fata triumphos dabunt* ad Ventidium.

Not. 200. *Quid aliud, quam sidus*, etc. hoc est, quam exempla vis sideris natalitii (vide ad vs. 194 seq.), et potentiæ mirandæ fati occulti?

Var. 201. *Triumphos* recepi ex 11, 12, 14—22, 24, 25, 27, 45—50, 55—69, 71—74, 77. *Triumphum*, 70, 75, 76, 82.

Var. 202. *Colvo*, 11. Mendum h. l. latere suspicabatur Schurzfl.

Not. 202. *Felix ille*, talis, qualis Quintilianus. — *Corvo rarior albo*, proverb. ut simile VI, 165. Hinc oraculum Phalanto redditum, ἔξειν τὴν χώραν, ἕως κόρακες λευκοὶ γένωνται, apud Athen. VIII, 16 (61), pag. 360. Corvos nonnunquam albos inveniri, docent Aristoteles et Cœlius Rhodig. XVII, 11.

Not. 203. *Cathedræ*, sellæ magistrorum, hoc est, rhetoricæ professionis, *sterilis*; vide supra ad vs. 49.

Not. 204. *Thrasymachi*, rhetoris apud Athenas, qui suspendio periit, vet. Schol. Hunc memorari a Platone in Dialog. de Republ. et passim a Dionysio Halic. in Frag. περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων, monet C. Valesius, eumque inopia laborantem rhetorica professione destitisse, tradit Philostr. Suidas: Θρασύμαχος Χαλκηδόνιος σοφιστὴς ἐν Βιθυνίᾳ, ὃς πρῶτος περίοδον καὶ κῶλον κατέδειξε, καὶ τὸν νῦν τῆς ῥητορικῆς τρόπον εἰσηγήσατο· μαθητὴς Πλάτωνος τοῦ φιλοσόφου καὶ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος· ἔγραψε συμβουλευτικοὺς, τέχνην ῥητορικὴν, παίγνια, ἀφορμὰς ῥητορικάς. [1] — *Secundus Carrinas* rhetor, quem ad incitas redactum Athenis Romam migrasse, et in exsilium a Caligula missum esse, quum contra tyrannos declamasset, refert Dio, LIX, 20. [2]

Var. 205. *Carinatis*, 45—47, 50, 56, 60, 65, 74.

Not. 205, 206. Hæc acerbe dicta in Athenienses: Vos, Athenienses, *hunc* Secundum Carrinatem (æque ac Romani alios viros literatos), ab inopia vexari passi estis, nec præmia *contulistis* in doctores juventutis vestræ, sed *cicutam*, venenum, quo hausto Socrates, tantus vir, interiit. *Hunc* Carrinatem esse crediderim, non Socratem, qua vulgari sententia ordo verborum turbatur. Nota Socratis et paupertas et mors vel ex Laertio, qui eum etiam aliquando rhetoricam docuisse tradit. Id si vel minus constaret, tamen ex nostra interpretatione apte laudaretur h. l. ubi non tam inter rhetoras et sophistas, quam inter præceptores inopes refertur.

[1] Conf. Cic. Or. III, 12, 16 et 32; Quintil. III, 1, 10; 3, 4.

[2] Conf. Taciti Annales, XV, 45, ibique Lips. Vetus Schol. « *Socrates* veneno periit, quum fugeret paupertatem. » Male; nisi pro *Socrates* auctore Schurzfl. legeris *Secundus Carinas*.

— *Cicuta* quævis canna, intus cava et inanis, it. lathyris, bilem et pituitam purgans, ideoque sanandæ insaniæ adhibita (vid. Kœnig. ad Pers. V, 145); h. loc. κώνειον, Germ. *Schierling*. — *Cicutas gelidas* vetus Schol. exponit: mortiferas; mors enim frigida est. Sed meliora docet Plin. XXV, 13, seu 95, 4: « Cicuta quoque venenum est, publica Atheniensium pœna invisa. Semen habet noxium.... Semini et foliis refrigeratoria vis: quos enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. Remedio est, priusquam perveniat ad vitalia, vini natura excalfactoria. Sed in vino pota irremediabilis existimatur, etc. » Eadem tradit Dioscor. IV, 79, et in Alex. c. 11. Scribon. Largus de Compos. medicam. 179: « Cicutam potam caligo, mentisque alienatio, et artuum gelatio insequitur, ultimoque præfocantur, qui eam sumpserunt, nihilque sentiunt. » Schol. Pers. V, 145: « Cicuta calorem in nobis frigoris sui vi extinguit; unde sacerdotes Cereris Eleusiniæ liquore ejus ungebantur, ut a concubitu abstinerent. »

VAR. 206. *Ausæ donare*, 22. — *Cui ferre*, conj. Schrader.

ANAL. 207—210. Præclare monet poeta, quanto æquius sapientiusque judicium de dignitate præceptorum prisci, quam recentiores, Romani tulerint, eosque propterea post mortem etiam colendos dicit, et amore votisque prosequendos. Utinam et nostra ætate tam parentes, quam liberi eorum ipsique præceptores probe memores hujus judicii essent! Alexander, Aristotelis discipulus, olim dixisse fertur: « Præceptoribus plura, quam ipsis parentibus, debemus, quum ab his vivendi, ab illis bene vivendi rationem adipiscamur. » Conf. inf. vs. 238, 239; Senec. de Ben. VI, 16, extr. Quintil. II, 2 et 9, pr.

NOT. 207. *Dii* scil. date, seu dent. *Majorum* nostrorum *umbris*, Manibus; non sepulcris, in quibus arbores umbriferæ, ut putabat Grangæus, qui tamen mox monet, veteres Græcos ac Romanos credidisse, in ipsis sepulcris mortuorum animas una cum corporibus, seu cinere aliquantulum residere, ipsaque mole ponderis affici, unde solemnis veterum mortuis bene precandi formula, in sepulcris etiam obvia S. T. T. L. hoc est, *sit tibi terra levis*, et Gr. κούφη γῆ τοῦτον καλύπτοι (ut h. loc. *tenuis et sine pondere terra*, et apud alios scriptores, *sit levis cespes* aut *cippus*, et *molliter ossa cubent* vel *quiescant*), ut contra inimicorum exsecrationes: *sit tibi terra gravis*, *urgeat ossa lapis*, *duriter ossa cubent*. [1]

NOT. 208. Priscis temporibus non modo tumuli mortuorum sparsis floribus corollisque ornabantur, sed hinc etiam homines credidisse videntur, in iisdem flores suave olentes sponte nasci, Manesque adhuc coronis annuisque libationibus delectari, et *vere perpetuo* frui. Vid. Suet. Aug. 18; Athen. XV, pag. 679; Anthol. Lat. Burm. II, 4; epigr. 99, 186, et 247;

[1] Conf. Jacobs ad Anthol. Græc. tom. I, pag. 133; Kirchman. de Fun. Rom. III, 9; Brisson. de Form. I, n. 146; Casaub. ad Pers. I, 37.

Anal. Brunck. tom. II, pag. 25, et tom. III, pag. 303, quæ loca laudavit Kœnig ad Pers. I, 40, ubi hæc ejus nota est : « Beatissima mortui conditio, cui vel natura ipsa inferias agat, floribus in tumulo sponte nascentibus, videtur indicari. Privata quoque nonnullorum opinio fuit, ex fabulis heroum in flores post mortem mutatorum fortasse nata, cinerem in flores mutari, idque contingere non nisi probis ac pulchris. »[1] — *Crocus* et unguenta, inpr. crocina, non modo in conviviis et theatris, sed etiam in funeribus adhiberi solebant, et vel rogo infundi vel ossibus, ut suavem spirarent odorem : vide Jacobs. ad Anthol. Gr. t. II, P. I, p. 78.

Var. 210. *Magnus Achilles*, 22.

Not. 210—224. Olim præceptores summo honore colebantur, at nunc vel ad discipulorum ludibrium recidunt. Id probatur exemplis *Achillis*, tanti viri, qui jam grandior natu Chironem reveritus est, et *Rufi*, summi rhetoris, aliorumque recentioris ævi præceptorum, quos discipuli non modo deridere, sed etiam verberare audent. Reverentia illa σωφρονικῶς designatur verbis *metuens virgæ*, et in ludibrium forte Orbilii plagosi; at simul ferox Achillis animus, qui non nisi metu virgæ frangi potuerit, innui videtur, et poeta, opinor, memor fuit loci Ovid. Art. Am. I, 11 seq. Versus autem 213 ad rem sane mirificam, quæ tum contigit, spectare videtur. — *Metuens virgæ ;* vide ad V, 154. — *Grandis* corpore, non annis, Grang. quod Achilles novem vix natus annos secesserit ad Lycomedem. Sed poeta forte alios scriptores sequutus est, quam quos nunc habemus, et profecto inepta est vulgaris narratio, ex qua Achilles ne decem quidem annos natus fuit, quum et pater fieret, et a Græcis heroibus expeteretur.[2]

Not. 211. *Cantabat*, non, canebat laudes magistri, sed canere discebat fidibus ac cithara; unde mox *citharœdi magistri*. Confer. Horat. Epod. XIII, 11, et Ovid. loc. laud. — *Patriis in montibus*, in Pelio monte Thessaliæ, quem Chiron aliique Centauri inhabitabant : vide Apollod. II, 5, 4. Chiron præceptor Achillis aliorumque heroum[3] : idem Centaurus fuit, et Centauris corpus caudaque equi tribuebatur, quod commentum poeta,

---

[1] Conf. etiam Casaub. ad Suet. Ner. 75; Vulp. ad Prop. I, 17, 22; Kirchman. de Funer. Rom. III, 5; IV, 3; Ouzel. ad Minuc. pag. 109, et Gruter. Inscr. pag. 752, qui omnes docent, flores bene olentes atque odores non modo in lectum feralem, in bustum, in ossa ab amicis collecta, sed etiam in urnam, et quotannis in sepulcra, vel tumulos sparsos esse, veteresque etiam in suis testamentis de annuis reditibus cavisse, ut corollis parentaretur Manibus suis.

[2] Confer. Barth. ad Stat. Achill. I, 503 seq.

[3] Vide Heyne ad Apollod. III, 13, 6, in Opuscul. Academic. tom. V, pag. 92 seq. et in *Antiq. Aufsätzen* P. I, pag. 22; *Creuzer's Symbolik*, tom. II, pag. 366.

vs. 212, ridet. Facies Chironis Centauri etiam *tunc* temporis cuilibet risum excutere debuit; eo mirabilior est reverentia, ab Achille, tam feroci juvene, ei præstita.

Var. 212. Quidam pro signo interrog. perperam ponunt punctum, ut *cui* ad Achillem referatur.

Var. 213. *Ruffum*, 25, 27, 47, 49, 57, 58, 61—68, 71, 73, 77. *Rutum*, 23. — *Quemque*, 11, 14—17, 20, 21, 22, 72.

Not. 213. *Rufus* rhetor, quod ex versu probabile fit, sed ignotus; forte Satrius Rufus, «cui fuit cum Cicerone æmulatio,» si probanda est lectio vulgata in Plin. Ep. I, 5, 11. Forsan Q. Curtius Rufus, cujus nomen in rhethorum epilogo tantum exstat; Grang. «Gallus fuit, et valde disertus;» vetus Schol.

Not. 214. *Rufum*, qui tamen clarissimus rhetor fuit, ipsiusque Ciceronis æmulus. Voces proprias sæpe repeti, sed cum additamento, quod vel venustatem vel acrimoniam (vel vim orationi) afferre possit, multis exemplis docet Schrader. in Obss. pag. 17. — *Allobroga*, allobrogice potius ac barbare, quam latine loquentem. Alii suspicantur, Rufum in declamatione quadam ostendisse, Ciceronem cum Allobrogum potius legatis, in conjurationem Catilinæ pellectis, sensisse, quam cum civibus suis, cujus et Sallustius eum arguat. *Allobroges*, populi Galliæ Narbonensis, quorum caput Geneva. De vitiis et obtrectatoribus Ciceronis vide (Tac.) Auctor. Dialog. de Orat. c. 18, et 22, ibique Lips. Quintil. XI, 1, 3; XII, 10, 1; Gell. XVII, 1.

Var. 215. *Enceladi* restitui ex 11, 17, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74. *Encheladi*, 10, 14, 15, 16, 18, 20—24, 45. *Hencheladi*, 19. *Celadi*, 70, 75, 76, 82. Quod tamen ex his nominibus Grammatico et quidem celebri fuerit, non constat.

Not. 215—243. Ultimo loco poeta de grammaticis agit, ostenditque, eorum conditionem non meliorem, quam rhetorum, et difficiliorem molestioremque esse laborem. *Grammatici* fuere olim, qui nunc *professores et magistri artium liberalium* dicuntur: vide intpp. Petron. 55. — *Gremio affert*, in gremium sinumve sedentis docentisque infundit διδακτρον. *Enceladus* (al. *Celadus*) et *Palæmon* Grammatici. De hoc vide ad VI, 452, de illo Var. Lect.

Not. 216 seq. Conf. Palladæ Epigr. XLVI, in Brunck. Anal. tom. II, pag. 417. — *Et tamen* ex hac tantula mercede aliquid *præmordet*, furtim deradit, abradit, hoc est, intercipit, subtrahit (ut mox *franget sibi*), *discipuli custos* ac ductor, pædagogus, servus, *et qui dispensat*, dispensator, de quo vide ad I, 91. Pædagogus puerum ad scholam ducit, et præter libros affert etiam διδακτρον, ab alio servo, dispensatore, ipsi traditum.

Var. 217. *Minor*, 24. — *Certe* pro *autem*, 22. *Multo* pro *autem*, 26.

Not. 217. *Æra*, merces, salarium : minus ipsis, quam rhetoribus, qui fere nihil accipiunt, datur. Ed.

Var. 218. *Acænonoëtus* nomen fictitium pædagogi, quod restitui e vet. Schol. qui exponit : « Eunuchus pædagogus, aut communi carens sensu (ἀκοινόητος), proprium papatis. » Conf. Gell. XII, 12, et infra ad VIII, 73, ut de *pappate* sup. ad VI, 633. *Acoenonœtus*, 70, 75, 76, 81, 82, quod putant esse Græc. ἀκοινώνητος, alienus a familiari consuetudine (ut apud Cic. ad Att. VI, 1 et 3), et hinc arrogans, vel rigidus, severus. Grangæi nota est hæc : « Ἀκοινώνητος Græcis est exacte verum rectumque persequens; vel qui nihil habet cum alio commune; aut cujus alter particeps non est : hic enim pædagogus partitur alterius mercedem; at nemo cum illo. » Sed Schurzfl. jam recte monuit, ita *Acænonetus* scribendum esse, quod tamen hoc loc. leges metri non permittunt. — Quod quomodo fiat, equidem non video : quidni versum hunc Noster duobus spondæis clauderet, quum in fine vs. 211 legatur, *et cui non tunc*. Et hic sensus mihi non displiceret. Ed. — *Acuneteus*, 20. *Achinetus ipse*, 15, 16. *Achenetus ipse*, 24. *Acœnetus ipse*, 10, 27, 46—49, 54, 56, 57, 64. *Acenetus ipse*, 18, 19, 23, 25, 45, 58, 60. *Acœnetos ipse*, 59. *Acœnetus ipse*, 11, 14, 17, 21, 22. *Acœnitus ipse*, 50, 55, 61—63, 65—69, 71—74, 77, quod credunt esse nomen vel proprium, vel fictum ab ἀ priv. et κοινὸς vel κοινότης, ut designetur homo, qui sui tantum, non communis commodi rationem habeat. Illud *ipse*, quod in plerisque libris legitur, ab ingenio hominis, lacunam versus explentis, profectum videtur.

Var. 219. *Frangat*, 11, 14, 17—20, 23, 25, 26, 27, 46, 47, 48, 57, 58, 59, et XV Codd. Paris. Restitui illud nunc cum Ach. pro vulg. *frangit*.

Not. 219—227. Hæc cum miseratione quadam dicta : *cede* aliquid de jure tuo, et *patere* æquo animo, te parte mercedis tibi constitutæ ac promissæ defraudari vel a servis, ne illa tibi tota pereat, et nullum tam molesti laboris præmium accipias.

Not. 220. *Decrescere*, diminui. — *Non aliter, quam institor* de majori, quod postulavit, mercium pretio nonnihil remittit, ut vendat eas, citiusque distrahat. Apta comparatio et, nisi fallor, non sine acerbo aculeo. Notatur enim non modo iniquitas et avaritia parentum, sed etiam illiberalitas Palæmonis, qui officinas quoque promercalium vestium exercuit (vide Suet. de Ill. Gramm. c. 23) : etsi hæc magis excusanda est, quam illa. Vellem tamen pro *Palæmone* alium substituisset poeta : is enim locum quidem inter grammaticos principem tenuit, sed vitiis quoque omnibus infamis fuit, et quadragena annua cepit ex schola, nec multo minus ex re familiari. Vide Suet. loc. laud. — *Institor*, ut verba Jani ad Horat. Od. III, 6, 30, mea faciam, dictus antiquis, qui esset præfectus (*instaret*) negotio gerendo, hoc est, negotiationem quamcumque et mercaturam vel domi vel peregre domini nomine exerceret (Gall. *facteur, commis*); quique nomine patroni (nam institores plerumque servi erant aut libertini, interdum et ingenui, de plebe) singulatim venderet in taberna mer-

ces, vel circumferret etiam.[1] — *Institor* vilis supellectilis, *tegetis hibernæ*, lacernæ vel tegumenti crassioris lecti, quo frigus arcetur (vet. Schol. male, ædificii frigidi), *niveique caduci*. Vide ad V, 8, et VI, 537.

Var. 222—224. Absunt a 19. *Ne pereat*, 10, 20, 21, 22, 60, 65. — *Umbra* pro *hora*, 7, quæ vera forte lectio est, certe elegantior.

Not. 222 seq. *Dum modo non pereat*, inutilis plane sit, omnisque præmii expers totus labor grammaticorum, qui tamen molestissimus est. Romæ ludi literarum jam prima luce aperiebantur, quoniam ea est optima diei pars; nec tamen *mediæ noctis ab hora*, quo res augetur.[2]

Var. 223. *Sedebat*, 10, 11, 12, 14—18, 20—25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77.

Not. 223. *Sedet* præceptor in schola (ut discipuli *stant* vs. 226), et prius labori incumbit, quam sellularii artifices, qui tamen jam summo mane operari solent.

Not. 224. *Obliquo ferro*, carmine (*pectine unco*, apud Claudian. XX, 382), vel hamis ferreis oblique in tabulam fixis, *lanam deducere* et attenuare, vel explicare tractam, et a sordibus purgare, hoc est, carminare. Conf. ad vs. 54, et Heyne ad Tibull. I, 6, 80.

Var. 225. *Ne pereat*, 10.

Not. 225. *Olfecisse lucernas*, gravem earum odorem ac fumum — *Quot stabant*. Quidam putant, quum ipsa nocte scholæ frequentari solerent, ab unoquoque discipulo lucernam allatam fuisse: quod nescio unde probari possit. Ex hoc loco tamen conjici potest suam studenti cuique adfuisse. Ed.

Not. 226. *Decolor* scil. *fuligine*, fumo tot lucernarum. — *Flaccus* et *Maro*, Horatii et Virgilii carmina. In scholis tam Romanis quam Græcis omnis institutionis studiorumque initium a poetarum, et quidem optimorum, in primis Homeri, sed seriori ævo Horatii etiam et Virgilii, lectione capiebatur: vide Petron. 5; Quintil. I, 1, 12, 8, 5; X, 1, 85. Præcipua quoque grammaticorum opera in poetis interpretandis versabatur. — *Hæreret*, adhæreret, inhæreret.

Not. 228. Non exigua tantum merces grammaticis solvitur, quæque diminuitur servorum fraude (supra vs. 216 seq.), sed eam quoque ne sine lite quidem et cognitione tribuni obtinent. — *Tribuni*, non *plebis*, qui jus haud dicebat, sed *ærarii*, qui de levioribus potissimum caussis rebusque pecuniariis (unde *ærarius* quoque dictus) cognoscebat. Notum enim est vel tironibus, judicia, quæ primis temporibus penes senatum fuerant,

[1] Cf. L. 3; L. 5; L. 15; D. de institor. act. et Brouk. ad Prop. IV, 2, 38.

[2] Conf. Martial. IX, 69; XII, 57; Pers. III, 1 seq.

lege Sempronia C. Gracchi ad equites translata, deinde lege Livia et Plautia senatoribus et equitibus data, tum a C. Sulla senatoribus restituta, et tandem lege Aurelia L. Aurelii Cottæ tribus ordinibus communia facta esse, ita ut exinde senatores, equites et e plebe tribuni ærarii judicarent, et in singulis judiciis e tribus istis decuriis aliquot legerentur. Tertiam quidem decuriam, tribunorum ærariorum, C. Cæsar dictator sustulit, sed mox restituit Augustus.

Var. 229. *Leges imponite sævas*, 16, 19. *Scævas*, 49.

Not. 229 seq. Nihilo secius parentes exigunt, ut grammaticus omnia, etiam levissima, sciat et (vs. 237 seq.) quoscumque filios ita, ut optant, et fingat, et amet. Ad grammaticorum artem Cicero refert poetarum pertractationem, historiarum cognitionem, interpretationem verborum, et pronuntiandi quemdam sonum, de Orat. I, 42. Plura Quintil. I, 4. — *Sed vos imponite*, etc. apostrophe ad parentes; Agite ergo, imponite, etc. — *Verborum regula*, quæ nunc proprie dicitur grammatica.

Not. 232. *Noverit, tanquam ungues digitosque suos*, vulgaris ac proverbialis locutio. Eodem fere sensu dicitur *digerere in digitos* (Quintil. XI, 3, § 114): sic Germ. *auf den Fingern herzählen*, et Gall. *savoir sur le bout du doigt*. Ed.

Var. 233. *Cum*, 20. — *Plebi balnea*, 60, 65.

Not. 233. In *thermis* sudare solebant veteres, in *balneis* lavare. — *Balnea Phœbi* putant esse balnea Phœbi, liberti Neronis (Tac. Ann. XVI, 5), vel balneatoris sic dicti, vel rivos aut stagna et flumina sole calefacta, vel Cumas, ubi Phœbus cultus sit, unde *Phœbi vada* apud Martial. VI, 42, 7. Vetus Schol. « Privatæ balneæ, quæ *Dæfnes* appellantur. »

Var. 234. *Patriam nomenque*, 45.

Not. 234 seq. Ejusmodi vanis quæstionibus nugisque olim et vexari solebant grammatici et delectari (ut postea scholastici, et majorum nostrorum temporibus, ut et hodie, nonnulli philologorum, inpr. quos *pedantas* vulgo dicunt), quasi his etiam levissimas res, et quæ ex historia non constent, nec memoriæ a quoquam sint proditæ, ignorare turpissimum sit.[1] — *Nutrici Anchisæ* Tisiphones nomen fuisse, docet nos vetus Schol. De *noverca* autem *Archemori* vel *Anchemoli* (vid. Var. Lect.) Servius ad Virg. Æneid. X, 389, quem locum Juvenalis respexit: « Hæc fabula nusquam invenitur in auctoribus. Avienus autem, qui totum Virg. et Livium iambicis scripsit, hanc commemorat, dicens Græcam esse. Rhœtus

[1] Confer. Suetonius, ad Tiberium, cap. 56 et 70; Gellius, XIV, 6; Quintilianus, I, 8; Senec. de Brev. vit. cap. 18, et Epist. 88, 98 et 108, et Jacobs. ad Anthologiam Græcam, Vol. II, P. II, pag. 178.

ergo Marrubiorum rex fuit in Italia, qui Anchemolo filio Casperiam superduxit novercam, quam privignus stupravit: quo cognito, quum eum pater persequeretur, et ad pœnam vocaret, fugiens ille se ad Turnum contulit. » *Archemorus* etiam cognomen Opheltæ. [1]

Var. 235. *Anchemoli* recepi ex 25, 27, 46, 47, 48, 50, 56—60, 64, 65, 77. Serv. et plerisque libris Virg. Æn. X, 389. Vid. sup. not. *Archemoli*, 45 a m. sec. *Anthenoris*, 16. *Archemori* in reliquis libris.

Not. 235. *Acestes*, qui *ævi maturus* dicitur Virg. Æneid. V, 73. — *Quot urnas*, cados, *vini Siculûs* rex Acestes *donaverit Phrygibus*, Æneæ et Trojanis, hospitio bis ab eo exceptis. [2]

Var. 236. *Siculis*, 75. *Siculi*, 76, prob. C. Vales.

Not. 237, 238. Vide ad vs. 158 seq. Ex hoc loco, et Suet. Ill. Gramm. c. 23, intelligitur, morum quoque puerilium formationem grammaticis fuisse permissam. — *Teneros mores* puerorum *ducat*, fingat et formet, animo eorum, quam velit et optet, formam imprimat, quemadmodum in plastica arte et figlina lutum vel argilla et *cera*, ad ignem vel solem emollita, aliave materia in varias facies ac figuras fingi solet *pollice*. Sic *udum et molle lutum es — fingendus rota acri* dixit Pers. III, 23, 24;

Artificemque tuo ducit sub pollice vultum

animus idem, V, 40 (qui locus Juvenalis forte animo obversabatur), et Martial. VIII, 6, 10: [3]

Pollice de Pylio trita columba nitet.

«Robora in rectum, quamvis flexa, revocabis; curvatas trabes calor explicat, et aliter natæ in id finguntur, quod usus noster exigit: quanto facilius animus accipit formam, flexibilis et omni humore obsequentior,» Sen. Epist. 50. Hinc *fingere* et *formare mentem*, ut Gr. πλάσσειν. [4] — *Cera* autem, ut ensis, *duci*, *cedere* et *sequi* dicitur. [5]

Var. 238. *In cera*, 15. *Cerœ*, Casaub. ad Pers. V, 40.

Not. 239. *Ut sit et pater ipsius cœtus* puerorum. Conf. ad vs. 207 seq.

Not. 239. *Ne turpia ludant*, ludendo exprimant; vel turpiter ludant, ut verbum *ludere* ad rem Veneream referatur. [6]

[1] Vid. Apollod. III, 6, 4, ibique Heyne, et Schweigh. ad Athen. IX, 54.

[2] Vid. Virg. Æn. I, 195 sq. 558, 570; V, 35 seq. et ad hæc loca Heyne.

[3] Confer. Kœnig. ad Pers. V, 40 (ubi Casaub. verba *pollice ducat* translata putabat a statuariis, qui tamen non *ceram*, sed marmora arte elaborata ungue explorant, de quo vide Kœnig. ad Pers. I, 64, et intpp. Hor. Sat. I, 5, 32); Ovid. Met. I, 402; X, 284 seq. Stat. Achill. I, 332 seq. et Silv. IV, 6, 27; Plin. Ep. VII, 9, 11.

[4] De quo multa dixi ad Sil. I, 441.

[5] Vide Burm. ad Valer. Fl. I, 122.

[6] Sic apud Mart. IX, 26, 8; Hor.

Var. 240, 241. Valla et alii monent, hos versus non legi in Codd. suis et spurios esse. Exstant tamen in 8, omnibusque libris ab Achaint. et me collatis. Laudantur etiam a Servio ad Virg. Ecl. III, 8, et propter obscenitatem haud dubie a monachis quibusdam deleti sunt.

Not. 240. *Ne vicibus faciant*, inter se coeant, se corrumpant, agant et patiantur: turpis res, verbis honestis expressa. Confer. VI, 311. — *Facere* de re venerea etiam adhibetur apud Petron. 87, et Pand. II, 14, 27.

Not. 240. Verba præceptorum: *Non est leve*, facile, vel parvi momenti, etc.

Var. 241. *Patrantes* pro *trementes* conjiciunt Durantius Casellius Var. Lect. I, 9, et alii coll. Pers. I, 18; ubi vid. vet. Schol. et Casaub. Sed vulgata lectio non est sollicitanda.

Not. 241. *Observare manus*, ne libidinem exerceant, vel præputia ducant. Confer. VI, 238, et Martial. IX, 42. — *Oculos in fine* libidinis, vel ea expleta reductos in angulos ac molliter *trementes*. Vide ad II, 94.

Var. 242. *Curas, et*, 10, 12, 14—22, 24, 26, 27, 46—49, 54, 55, 58, 64, 65, 66, 70. *Curas, sed*, 23. *Cura, sed*, 82. *Cures, et*, 11, 25, 50, 56, 57, 59—63, 65, 67, 68, 69, 71—77. Hos sequutus sum: semper tamen, fateor, mihi displicuit *inquit*, propter præc. plur. *vos imponite*, etc. vs. 229, et *exigite*, v. 237. Nunc video, Schurzfleisch. bene hæc adnotasse: «*At vos, Hæc cura: sed quum*, etc. in Cod. meo. Recte; vel saltem *Inquitis, hæc cura*. Sed prior lectio elegantior est, et plane satirica, utpote qua objectioni præceptorum, *Non est leve*, etc. nihil aliud respondere finguntur parentes, quam *Hoc cura*, de mercede videlicet non sollicitus: *sed quum* annus præterlapsus est, et magistri salaria repetunt, indignabundos ait eosdem dicere, *Accipe aurum*, etc.» Recte, opinor; et facile ex illa lectione, *At vos, Hæc cura: sed quum*, etc. reliquæ nasci poterant. *Inquitis* enim, vel *inquit* glossa fuit, verbis *At vos* adscripta, quæ deinde in textum irrepsit, extrusis illis verbis. Illa vero, *victori populus quod postulat*, videntur poetæ ipsius verba esse, et parenthesi includenda. H. Valesius legendum putabat *Hæc, inquam, cures*, ut poeta alloquatur grammatices professorem, vel potius *Hæc, inquis, curas*, i. e. hæc omnia curas, inquis, aut respondes mihi, grammatice.

Not. 242. *Inquit* pater, ut vulgo putant: sed præc. *exigite*. Confer. ad III, 153. — *Sed quum se verterit annus*, finito anno et redeunte Martio mense, quo διδακτρον magistris solvitur (vide Macrob. I, 12), parentes dicunt, *Accipe aurum, quod victoribus* aurigis in circo,[1] vel gladiatoribus

---

Epist. II, 2, 114; Ovid. Art. Am. II, 389, et Her. XVII, 17 al.

[1] Conf. Martial. X, 74, 5; Buleng. de Circo, 34, et Xiphilin. in Helio-

in amphitheatro,[1] vel histrionibus in theatro,[2] *populus postulat*, dari jubet. Hi itaque una hora tantum præmii consequuntur, quantum grammaticus per totum annum. Conf. Palladæ Epigr. XLVI, in Brunck. Anal. tom. II, pag. 417, ibique Jacobs. ad Antholog. Græc. vol. II, P. III, pag. 226.

gab. quem ἐθεῶντο ἁρματηλατοῦντα καὶ χρυσοῦς, ὥσπέρ τινα τῶν τυχόντων, αἰτοῦντα.

[1] Vide Suetonium ad Claudium, cap. 21, et Lipsium, Saturnal. Sermon. II, 23.

[2] Vide Lips. Excurs. ad Tac. Ann. I, 83, et Salmas. ad Solin. pag. 911.

SATIRÆ OCTAVÆ

ARGUMENTUM.

Nobilitas propria est virtus, non acta parentum.

ADVERSUS JACTATORES. — AD RUBELLIUM BLANDUM. — CONTRA ILLOS, QUI SE DE GENEROSITATE SUORUM JACTANT. — DE CLARITATE NATALIUM. DE CLARITATE NOBILIUM TRACTATIO AD PONTICUM.

Quid refert, nobilem esse et originem a summis ducere viris, si male vivitur, noctisque tempus extrahitur alea et epulis? v. 1—12. Quo jure majorum gloria insolentius se jactat, qui avaritia et mollitie labem ei adspergit? v. 13—18. Sola nobilitas est virtus; et qui animi bonis morumque probitate excellit, vir patriæ utilis, is profecto, quodcumque illi sit nomen ac genus, dignus est, qui in nobilium referatur numerum, et de quo, tanquam raro cive, rei publicæ gratulemur, v. 19—30. Qui vero præter titulos nihil habet, quo gloriari possit, non re vera generosus est, quamvis speciosum ferat nomen, quod turpibus quoque rebus eoque indignis per ludum nonnunquam et jocum damus, v. 30—38. Nemo potius stolidior eo, qui, quum nihil ipse præclari fecerit, cur vere nobilis sit censendus, natalium splendore inflatur, hominesque obscuro loco ortos campano supercilio despicit, v. 39—46. Horum enim multi sunt utilissimi rei publicæ cives, qui vel de jure respondent, ipsasque indocti nobilis causas agunt, vel operam in re militari præstant: at ille, qua est ignavia et stupiditate, a trunco seu statua non differt, nisi quod vivit et spirat, v. 46—55. In brutis quoque animalibus non genus spectatur, sed virtus; et generosus appellatur equus, qui alios cursu superat; qui vero degener est et ignavus, vili pretio redariis venditur aut molitoribus, v. 56—67. Quod si igitur admiratione et laude nostra dignus videri cupis, operam da, ut ipse egregiis eam facinoribus merearis, neque omnia debeas majoribus, vel totus ex eorum gloria pendeas, similis tecto, quod subductis columnis corruit, vel viti, quæ, nisi ulmo alligatur, humi jacet et marcescit, v. 68—78. Esto bonus miles, tutor, judex; et, si vel tyrannus tormentorum metu falsum tibi testimonium extorquere conabitur, cave ne vitam præferas virtuti bonæque conscientiæ, quibus amissis ne dignus quidem es, qui

vivas, v. 79—86. Provinciam si aliquando obtinueris, cogita, quæso, quæ præmia te maneant, si bene; quæ pœnæ, si male eam administraveris; neque avaros imitare præsides, qui provincialibus olim omne, quo abundabant, aurum, argentum, ebur et marmor per vim eripuere, et nunc ne viliores quidem res atque ad vitam sustentandam necessarias iis relinquunt, v. 87—112. Impune quidem diripies imbelles et luxu effeminatas gentes; sed cave saltem, ne magnam bellicosis injuriam facias, quibus auro argentoque spoliatis armâ certe supersunt, v. 112—126. Si neque tu ipse, neque uxor et comites tui quidquam rapiunt, vel pecunia corrumpuntur, facile patiar, te originem tuam, a quocumque velis, repetere : si vero libidinose socios et crudeliter tractas, eo notiora omnibus et manifestiora sunt flagitia tua, quo illustriore loco natus es, v. 127—141. Quare vero nobilitatem tuam prædicas, si sceleribus eam polluis? v. 142—145. Lateranus, quum consul esset, noctu quidem, at summo magistratu deposito media die aurigabat, frequentabatque popinas, ubi ab unguentariis, cauponibus et scortis blande excipiebatur, versabaturque cum sicariis, nautis, latronibus, carnificibus et fabris : quæ flagitia pueris et adolescentibus condonanda sunt, non viris, nedum summo loco natis; qui tamen id sibi licere putant, vel adeo laudi ducunt, quod in vilissimæ conditionis hominibus damnant, pœnaque dignum censent, v. 145—182. Turpiora etiam his committunt nobiles, et, consumtis per luxum opibus, alii operam scenæ addicunt, mimorumque agunt partes; alii ad ipsas gladiatorum artes descendunt, et nunc quidem sponte, non, ut olim, coacti a Nerone, citharœdo, v. 183—199. Quin eo impudentiæ progrediuntur, ut in arena ab omnibus cognosci cupiant, et hinc retiarii esse velint, qui soli ex gladiatoribus nudo vultu pugnant, v. 200—210. Vera nobilitas a virtute, non a titulis et generosa stirpe pendet, nec quisquam dubitabit, Senecam, virum ignobilem, sed bonum, præferre Neroni Imperatori, qui matrem, uxores, sororem, fratrem aliosque propinquos occidit, in theatris cantavit, et Troica scripsit, v. 211—230. Catilina et Cethegus nobilissimi fuere viri, sed patriæ perdendæ consilium inierunt, quam interitu vindicavit Cicero consul, novus homo, qui pacis artibus plus gloriæ, quam Octavius victoria Actiaca et Philippica, adeptus est, primusque decreto senatus *Patris patriæ* cognomen accepit, v. 231—244. Marius, alius Arpinas, qui mercenarius olim arator alieni agri, et miles gregarius fuit, vicit Cimbros, præsensque a re publica periculum propulsavit, adjuvante quidem Catulo, viro nobilissimo, qui tamen non trium-

phasset, nisi ignobilis collega, duobus sibi oblatis triumphis, uno contentus fuisset, v. 245—253. Decii, plebeii et humili familia geniti homines, pro patria se devoverunt, et hæc piacula, propter personarum dignitatem, averruncandæ deorum iræ suffecere, v. 254—258. Servius, captiva natus, regnum adeptus est, et bonorum regum ultimus fuit, v. 259—260. Filii contra Bruti, primi consulis, cum aliis adolescentibus nobilibus de patria ejectis regibus prodenda conjuraverunt, et servus rem ad Patres detulit, v. 261—268. Præstat itaque humili loco natum esse, et virtutibus excellere, quam majorum gloriam vitiis flagitiisque contaminare, v. 269—271. Quicumque vero vel antiquissima stirpe orti sunt, ab ignobilibus certe aut sceleratis adeo hominibus genus ducunt, v. 272—275.

SATIRÆ OCTAVÆ

ANALYSIS.

Satira nobilissima et perfectissimis poetæ nostri carminibus adnumeranda. Ea præclare docuit, veram nobilitatem non veteri prosapia et multis imaginibus, sed virtutibus magnisque in rem publicam meritis contineri; idque exemplis exquisitissimis illustravit. Simile argumentum tractavit Horatius Sat. I, 6, sed ratione longe diversa. Quid intersit inter Horatium et Juvenalem, jam bene ostendit Kœnig de Sat. Rom. p. 71, his verbis : « Apud illum omnia sermonis naturalis filo procedunt; unumquodque sponte nasci ex antecedentibus, aut sine studio oblatum videtur, nihilque fere nisi turbato omnium ordine potest omitti : hic primum minus circumspecte vitium a fronte aggreditur, deinde in vitiis et opprobriis nobilitatis undique colligendis desudat, eaque, ut hiatum quidem non animadvertas ullum, aliqua ratione inter se consociat et copulat; apparent tamen, ut in opere composito et nondum dolato, partes earumque commissuræ, nullaque adeo cum toto cohæret, ut non aut alium locum obtinere, aut omnino abesse possit. Hoc materiæ parandæ et coacervandæ nimio, quod declamandi consuetudini tribui potest, studio omisso, in partibus exprimendis mira est Juvenalis sollertia, ut in hac re vel cum Horatio certamen ei non fuisset perhorrescendum. » — Scripta est hæc Satira post mortem

Neronis, in quem, v. 193 et 211—230, acerbius invehitur poeta, quod eo vivo non ausus esset facere. Conf. sup. I, 169, 170. Praestantissima ejus versio est germanica Denisii (*Juvenal an Ponticus vom wahren Adel, übersetzt und erläutert von Denis.* Wien u. Leipzig, 1796), quam cum illa conferri cupio. *Boileau Despréaux* hanc satiram fere ad verbum expressit Sat. V, sed longe Juvenali est inferior; Ach.

SATIRA OCTAVA.

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, et stantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios, humerosque minorem
Corvinum, et Galbam auriculis nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula jactare capaci
* Corvinum, posthac multa contingere virga
Fumosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur? Effigies quo
Tot bellatorum, si luditur alea pernox
Ante Numantinos? si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces et castra movebant?

SATIRÆ OCTAVÆ INTERPRETATIO.

1. Quid emolumenti, aut veræ solidæque laudis habet, Pontice, præclarus ordo nobilium avorum in antiqui generis serie descriptus? Quid juvat longam vetustæ familiæ propaginem, in censorum libros referre? ostentare majorum depictas imagines; invectos quadrigis Æmilianos; Curios dimidia jam parte propter vetustatem exesos; Corvinum humeris deminutum; Galbam non tantum naso, sed auribus etiam truncatum? Quænam e nobili genere utilitas et gloria capi potest, si quis in ingenti et ampla tabula commonstret venditetque Corvinum majorem suum, ac deinde multiplici ramo, tanquam stirpis suæ truncum, contingat dictatores, et adjunctos illis magistros equitum, fumo et vetustate obsoletos, idemque ante Lepidorum imagines vitam infamem et flagitiosam vivat? Quid afferunt tibi decoris et ornamenti tot heroum bellica virtute pulchrisque laboribus insignium descripti vultus, si Numantinis veluti spectantibus et exprobrantibus, totam noctem in alea traducis? si lectum petis et somnum, oriente Lucifero, quo tempore duces sublatis

Cur Allobrogicis, et magna gaudeat ara,
Natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus, si
Vanus, et Euganea quantumvis mollior agna;
Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
Squalentes traducit avos; emptorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.

Paulus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies majorum pone tuorum:
Præcedant ipsas illi te consule virgas.
Prima mihi debes animi bona: sanctus haberi
Justitiæque tenax factis dictisque mereris?
Agnosco procerem. Salve, Gætulice, seu tu
Silanus, quocumque alio de sanguine! rarus

signis movebant castra, et hostem invadebant? Cur majores suos, quibus cognomen Allobrogicum merito datum est, jactet Fabius, in ea domo natus, quæ originem ducit ab Hercule? Cur celebrem aram eidem deo consecratam, ejusque sacra suæ familiæ hereditaria esse glorietur, si turpissimis cupiditatibus deditus, si ambitiosus, si ove Patavina mollior et delicatior, si fractos nimia voluptate lumbos Catinensi pumice attritus priscas avorum suorum effigies dedecorat, si veneficus empto toxico infamis inserit illis funestam imaginem suam, dignam profecto quæ, ad obliterandam scelerati hominis memoriam, tollatur ex illo numero, et non sine dedecore infelicis familiæ, confringatur? Quamvis atria vetustis e cera imaginibus tota undique refulgeant, in sola tamen virtute posita nobilitas est.

21. Paulus sane, Cossus vel Drusus esto, sed moribus; neque vacuum duntaxat illorum nomen, sed virtutes repræsenta: has avorum tuorum imaginibus præpone: ac si consulatum geris, fac ut eædem illæ sint illustriora tuæ dignitatis ornamenta, quam fasces duodecim qui ante consules gestari solent; si dici nobilis et haberi a me cupis, animi decora præclarasque dotes in te primum exhibe. Si ea quæ dicis, quæ facis, hanc tibi jure laudem arrogant, ut vir optimus, et æqui servantissimus merito dicaris, nobilem te agnosco; saluto libentissime appelloque Getulicum, aut Silanum, aut quo-

Civis, et egregius patriæ contingis ovanti.
Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
Invento: quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, et præclaro nomine tantum
Insignis? Nanum cujusdam Atlanta vocamus,
Æthiopem cycnum, pravam extortamque puellam
Europen; canibus pigris, scabieque vetusta
Levibus, et siccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est,
Quod fremat in terris violentius. Ergo cavebis
Et metues, ne tu sis Creticus, aut Camerinus.
His ego quem monui? tecum est mihi sermo, Rubelli
Blande: tumes alto Drusorum stemmate, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
Ut te conciperet, quæ sanguine fulget Iuli,
Non quæ ventoso conducta sub aggere texit.

cumque demum honorifico nomine appellari malueris. Quaecumque tandem e stirpe sis procreatus, habet patria tua, quod te ad felicitatem publicam editum præstanti virtute civem et rarum hisce temporibus, gratuletur; neque temperare mihi possum, quin erumpam in voces lætitiæ plenas, ut Ægyptii solent, quum Osiridem suum invenerunt. Et vero quis hunc nobilem appellaverit, qui quum se indignum genere suo præbeat, nihil quo glorietur præter illustre nomen habet? Accidit aliquando, quum jocari volumus, ut pygmæum Atlantem appellemus: nigrum instar Æthiopis vocemus cycnum; ut puella exiguo et distorto corpore deformis, Europe dicatur. Vetuli canes, depiles, scabiosi, siccas lambere lucernas soliti, vocantur pardi, leones, tigres, et si quod in terris ferocius animal est. Cave igitur ne tu ad hunc modum Creticus, aut Camerinus appelleris.

39. Quem vero hæc petit oratio? quem insector? te, Rubelli Blande, cui magnos nimirum spiritus facit illa nobilitas, quam e Drusorum stirpe ducis; perinde quasi hanc tuis egregiis facinoribus consequutus fores, meruissesque habere matrem e Julia gente, ab Iulo, Ascanii filio, propagata, potius quam vilem e plebe mulierculam, quæ operam suam alienis telis in aggere ventoso Tarquinii texendis locare solet. Vos, ita de nobis enim loqueris, viles animæ,

40.

Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis;
Ast ego Cecropides: vivas et originis hujus
Gaudia longa feras; tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies: solet hic defendere caussas
Nobilis indocti: veniet de plebe togata,
Qui juris nodos et legum ænigmata solvat.
Hic petit Euphraten juvenis, domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius; at tu
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma

ignobile vulgus estis; quorum parentes ita sunt obscuri, ut quo editi sint loco dicere vix quisquam possit: ego non minus antiqua et clara nobilitate sum, quam veteres illi Athenienses, qui se a Cecrope oriundos prædicabant. At tu macte, ista nobilitate, hac prosapia beatus et pulcher diutius esto: nihilominus in infima illa, quam despicis, plebe reperias cives non vulgari præditos eloquentia; qui nobilium indoctorum jura tueantur: ex illa vulgi fæce prodeunt jurisperiti, qui leges ad solvendum difficillimas explicent, qui jus ambiguum et obscurum illustrent. Inde strenui juvenes leguntur, qui armis victricibus in ultimi Orientis oras, ad Euphraten penetrent; qui domitos nuper in Occidente Batavos aquilarum signis præsentibus contineant, ne rebellent. Tu nihil interim aliud egregium, præter nobilis viri et Cecropidæ nomen habes, illis Mercurii statuis merito comparandus, in quibus exstat solum caput, reliquum vero corpus rude, ac trunco stipitique simillimum est: hoc unum discrimen inter te atque illas statuas intercedit, quod tu statua viva, spiransque truncus es, illæ exsangues et marmoreæ sunt.

56. Age, o Trojugena, ex animalibus mutis quænam arbitramur esse nobilia, nisi quæ præstant robore? Scilicet hunc in pretio habemus equum, qui plurimas in Circo facilesque victorias tulit, cui currenti vincentique faustis clamoribus applausit læta spectantium

Fervet, et exsultat rauco victoria circo.
Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, et primus in æquore pulvis:
Sed venale pecus Corythæ posteritas et
Hirpini, si rara jugo Victoria sedit.
Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
Umbrarum: dominos pretiis mutare jubentur
Exiguis, tritoque trahunt epiredia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.
Ergo ut miremur te, non tua, primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere præter honores,
Quos illis damus et dedimus, quibus omnia debes.
Hæc satis ad juvenem, quem nobis fama superbum
Tradit, et inflatum plenumque Nerone propinquo.
Rarus enim ferme sensus communis in illa
Fortuna: sed te censeri laude tuorum,

multitudo. Nobilem hunc itaque censemus, quocumque natus et pastus in agro sit, qui, celeritate pedum alios antevertens, primus omnium pulverulentum ungula sonante campum quatit. Contra vero posteri et nepotes equæ illius nobilissimæ Corythæ, item Hirpini equi laudatissimi, cum gregariis equis venduntnr, si raro victoriam retulerint. Nemo respicit illorum majores; nemo illis ob nobiles parentum umbras et manes favet: vili pretio venditi ad novos heros transire coguntur, ignavæ segnesque pecudes, et attrita cervice operam trahendis plaustris, aut versandæ Nepotis molæ, navant. Si vis igitur ut te laudemus, ρ Rubelli, non majorum tuorum nobilitatem et egregia facinora, quæ extra te sunt, jam primum aliquid nobis præbe quod vere tuum possim dicere, et insculpere saxis ac monumentis titulos suos et honorificas appellationes præferentibus; cedo, inquam, aliquid aliud præter illos honores, quos concessimus, atque adeo libenter etiamnum concedimus tuis majoribus, quibus acceptum refers quidquid gloriæ et nobilitatis obtines.

71. Sed hæc modo sufficiant ad juvenem monendum, quem narrant efferre se insolentius, et gloriari Neronis propinquitate. Nec mirum: quippe illi, quos in isto gradu felix fortuna collocavit,

Pontice, noluerim, sic ut nihil ipse futuræ
Laudis agas. Miserum est aliorum incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer: ambiguæ si quando citabere testis
Incertæque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere caussas.
Dignus morte perit, cœnet licet ostrea centum
Gaurana, et Cosmi toto mergatur aheno.
Exspectata diu tandem provincia quum te
Rectorem accipiet, pone iræ frena modumque,
Pone et avaritiæ; miserere inopum sociorum.

communi fere sensu carent. Te vero, Pontice, majorum tuorum laudibus duntaxat magnum esse nolim, adeo ut nihil per te ipse geras, quod laudent posteri. Miser est qui aliena nititur et viget fama, haud secus ac ædificia suppositis columnis innixa, quas ubi subduxeris, ruere molem totam necesse est; aut instar palmitum, qui, ab ulmis dejecti viduatis, humi jacent præsidium desiderantes.

79. Strenuum te militem præbe; tutorem æquum; arbitrum in componendis litibus incorruptum: si forte contingat, ut in dubia incertaque causa, testimonium dicere cogaris, tametsi Phalaris ad falsum testimonium ferendum te impellat, ardentisque tauri supplicium præsens interminetur, ni falsum jures, piaculum immane esse puta, ut fugias necem, admittere quippiam pudendum, et viro probo indignum, utque vitam retineas, facere jacturam virtutis et honestatis, propter quam colendam concessa nobis est vita. Qui ob sua flagitia mortem est commeritus, jam periisse censendus est; immo perinde se habet, ac si jam esset mortuus, quamvis ostreis in Lucrino lacu ad montem Gaurum captis vescatur, et unguentis Cosmi totus perfundatur ac diffluat.

87. Quum in provinciam tot votis expetitam perveneris, eamque susceperis administrandam, iræ frenos et avaritiæ sedulo injice; sociorum inopiam et calamitates misericors respice: cernis reges ab

Ossa vides regum vacuis exsucta medullis.
Respice, quid moneant leges, quid curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant, quam fulmine justo
Et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu,
Piratæ Cilicum: sed quid damnatio confert,
Quum Pansa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?
Præconem, Chærippe, tuis circumspice pannis,
Jamque tace. Furor est, post omnia perdere naulum.
Non idem gemitus olim, neque vulnus erat par
Damnorum, sociis florentibus et modo victis.
Plena domus tunc omnis, et ingens stabat acervus
Numorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cum Parrhasii tabulis signisque Myronis
Phidiacum vivebat ebur, nec non Polycleti
Multus ubique labor: raræ sine Mentore mensæ.

avaris provinciarum præfectis spoliatos, ac tanquam ossa exsuctis ipsis medullis sicca, opibus exutos.

91. Considera quid præcipiant leges, quid senatus jubeat, quibus præmiis afficiantur probi, quam atroci justaque sententia, ceu fulmine, perculsi Capito Numitorque fuerint, et a senatu condemnati; piratarum Cilicum piratæ, ac latronum latrones. Quanquam quid miseros provinciales juvat, quod aliquis provinciæ præfectus fuerit condemnatus, si quod ipsis reliquum Natta fecit, Pansa furetur et adimat? Si me audis, Chærippe, quæres tibi præconem, qui auctione constituta vestes tuas et supellectilem vendat: mox ubi pecuniam ex iis redactam in tuto collocaveris, silebis, neque præfectum accusaturus Romam te conferes, nullo tanti laboris et itineris operæ pretio: insignis dementiæ esset, quum reliqua perdideris, etiam longæ navigationis impensas velle amittere. Olim quum socii nostri florentes ac lauti erant, quum recens a nobis imperio adjuncti, minori damno ac dolore spoliabantur, tunc etiam abundabant eorum domus plenæ coacervatis nummis, vestibus Laconicis, Coa purpura, spirantibus tabulis pictis, et statuis ex ebore a summis artificibus Parrhasio, Myrone, Phidia, Polycleto elaboratis. Renidebant omnia præclaris illis operibus: vix ullam vidisses mensam sine poculis a Mentore cælatis. Illæ videlicet sociorum

Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres: referebant navibus altis
Occulta spolia, et plures de pace triumphos.
Nunc sociis juga pauca boum, grex parvus equarum
Et pater armenti capto eripiatur agello;
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,
Si quis in ædicula Deus unicus: hæc etenim sunt
Pro summis; nam sunt hæc maxima: despicias tu
Forsitan imbelles Rhodios, unctamque Corinthon;
Despicias merito. Quid resinata juventus
Cruraque totius facient tibi levia gentis?
Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis
Illyricumque latus: parce et messoribus illis,
Qui saturant urbem circo scenæque vacantem.
Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Quum tenues nuper Marius discinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna injuria fiat

opes occasionem dederunt furtis et sacrilegiis quæ Dolabella, Verres, Antonius admisere: deportabant Romam e provinciis naves onustas congestis clam miserorum exuviis; deque spoliatis in pace sociis plures ac utiliores triumphos, quam de iisdem bello victis domitisque referebant. At illis nunc aliud nihil auferri potest, nisi agellus, pauca boum paria, armentum equarum, et equus taurusve ad sobolem gregis sufficiendam delectus; dii domestici, aliqua statua paulo elegantior, et si quod est unicum in sacello numen. Quamvis enim hæc omnia spoliatoribus vilia sint, nihilominus apud illos maximo in pretio et honore habentur, quibus præter illa nihil relictum est. Contemnis tu forsan, et impune deprædaris Rhodios viribus destitutos, aut deditos voluptatibus Corinthios; contemnis merito; et vero quid est ab illis populis mollibus, et in poliendis cruribus curandaque cuticula unice occupatis metuendum? sed cave lacessas Hispanos, Gallos, aut Illyrios, animis audacissimos; neque aggrediaris messores illos, qui Romam ludis scenicis intentam frumento pascunt: nam præter quam quod nihil iis spoliandis faceres lucri, quum a Mario nuperrime spoliati et exhausti sint, plurimum etiam adires periculi. Non sunt facile injuria graviore afficiendi viri for-

Fortibus et miseris: tollas licet omne, quod usquam est
Auri atque argenti; scutum gladiumque relinques
Et jacula et galeam: spoliatis arma supersunt.
Quod modo proposui, non est sententia: verum
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit Acersecomes, si nullum in conjuge crimen,
Nec per conventus et cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat numos raptura Celæno;
Tunc licet a Pico numeres genus, altaque si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter majores, ipsumque Promethea ponas:
De quocumque voles proavum tibi sumito libro.
Quod si præcipitem rapit ambitio atque libido,
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures,

tes, iidemque calamitosi: etsi enim quodcumque superest auri et argenti illis abstuleris, scutum nihilominus, ensem, sagittas, et cassidem non auferes. Exuti omnibus fortunis, reperient arma tamen quibus pœnas a suis prædonibus repetant.

125. Quæ loquor, nolite sic accipere, ut si essent sententiæ ad dicendi pompam compositæ; tam certa sunt, quam ipsa Sibyllæ Cumanæ inscripta foliis arboreis oracula. Si, quum provinciam gubernas, omnes tui administri et domestici probi ac sceleris expertes sunt; si nullus adolescens intonsis capillis tibi carus edictorum tuorum flagitiosam exercet domi tuæ nundinationem, et iniquas a te sententias ipse pecunia corruptus non extorquet; si pura criminis, nec avara tibi est conjux, quæ per conventus ac civitates discurrat, pecuniam aduncis manibus instar harpyiæ corrasura; tunc per me licebit originem tui generis ab ipso Pico repetere; ac si arrident tibi præclaræ quædam, et a primis repetitæ seculis appellationes, concedam ut omnes Titanas qui contra Jovem pugnaverunt, ipsumque Prometheum in majorum tuorum reponas numero, et ex quacumque fabula vel historia litteris mandata proavum tibi deligas. Si vero libidine atque ambitu vecors in omne scelus proruis; si fasces in sociorum vulneribus et cruore frangi jubes; si tacita lætitia per-

Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.
Quo mihi te solitum falsas signaré tabellas
In templis, quæ fecit avus, statuamque parentis
Ante triumphalem? quo, si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Præter majorum cineres atque ossa, volucri
Carpento rapitur pinguis Damasippus, et ipse,
Ipse rotam adstringit multo sufflamine consul;
Nocte quidem; sed luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos. Finitum tempus honoris
Quum fuerit, clara Damasippus luce flagellum
Sumet, et occursum nunquam trepidabit amici
Jam senis, ac virga prior adnuet, atque maniplos
Solvet, et infundet jumentis hordea lassis.

funderis, quum defatigati sunt cædendo lictores, quum secures crebris ictibus hebetatæ, tunc incipit probro tibi esse ac dedecori avita nobilitas, et quasi admota propius face, tua flagitia clara luce illustrare : eo quippe clarius apparet quodlibet animi nocentis scelus atque exstat, quo clarior is a quo admittitur, et illustrior est. Qui te mihi nobilibus ortum avis prædicas, te, inquam, qui testamenta falsa obsignare solitus es, in iis ipsis templis quæ avi tui condiderunt, et ante statuam tui patris triumphalem? te, qui, ut fœdissimis voluptatibus indulgeas, intempesta nocte prodis, et vili cucullo caput, ne quis te agnoscat, obvolvis?

146. En obesus ille Damasippus celerem currum agitat in via quam majorum suorum tumuli, cineres, et monumenta prætexunt; nec dubitat, licet sit consul, non erubescit, inquam, rotas ipse forti retinaculo cohibere, ne velocius volvantur. Noctu quidem hæc fiunt, fateor; sed luna cernit, sed testes totidem oculati, quot astra sunt. Abierit consulatu Damasippus, meridiana luce sumet in manus flagellum, nec amico jam seni occurrere fugiet; immo flagello comiter inclinato obviam salutabit; ipse feni fasciculos solvens equis defatigatis atque hordeum apponet: dumque, pietatem Numæ si-

Interea, dum lanatas torvumque juvencum
More Numæ cædit Jovis ante altaria, jurat
Solam Eponam, et facies olida ad præsepia pictas.
Sed quum pervigiles placet instaurare popinas;
Obvius assiduo Syrophœnix udus amomo
Currit, Idumææ Syrophœnix incola portæ,
Hospitis affectu dominum regemque salutat,
Et cum venali Cyane succincta lagena.
Defensor culpæ dicet mihi, fecimus et nos
Hæc juvenes: esto; desisti nempe, nec ultra
Fovisti errorem: breve sit, quod turpiter audes.
Quædam cum prima resecentur crimina barba.
Imdulge veniam pueris. Damasippus ad illos
Thermarum calices inscriptaque lintea vadit,
Maturus bello, Armeniæ Syriæque tuendis
Amnibus, et Rheno atque Istro: præstare Neronem

mulans, oves, aut vitulum fronte torcrum Jovi ante aras immolabit, Eponam solam, agasonum deam præsidem, et alia quæ jumentis favent, ideoque in stabulis olidis picta cernuntur, numina jurabit. Jam, quum idem Damasippus, omisso currum agitandi studio, repetit popinam, ubi totas perpotando noctes ducit, en tibi advolat occurritque unguentarius quispiam Syrophœnix, cujus officina Idumeæ portæ vicina est: ille Damasippum regem dominumque compellans, honorificam illi salutem dicit, quo more solent hospites, dum urbane prætereuntes invitant; adest etiam Cyane, ad ministrandum expedita, amphoram generosi vini gestans.

163. Audio quid ab aliquo dici ad excusandum Damasippum possit; nempe idem a se alias juvene factitatum esse: sit ita sane; at istas nugas valere jussisti denique, nec ultra juveniles annos ineptire perrexisti. Detur brevi stultitiæ venia: sint flagitia quædam adolescentiæ, quæ cum prima pariter barba deponantur. Pueris aliquid peccare fas sit: verum Damasippus ea jam ætate provectus, qua bellum gerere posset in Armenia, et contra hostium incursiones Syriam, Germaniam, immo ipsum Neronem defendere, non erubescit perpotare in thermis, et villissimas popinas consectari, quarum foribus appensa lintea indicant, quid in eis væneat. Quæris

Securum valet hæc ætas. Mitte Ostia, Cæsar,
Mitte; sed in magna legatum quære popina.
Invenies aliquo cum percussore jacentem,
Permixtum nautis, et furibus, ac fugitivis,
Inter carnifices et fabros sandapilarum,
Et resupinati cessantia tympana Galli.
Æqua ibi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.
Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
Nempe in Lucanos, aut Tusca ergastula mittas.
At vos, Trojugenæ, vobis ignoscitis; et, quæ
Turpia cerdoni, Volesos Brutumque decebunt.
Quid, si nunquam adeo fœdis adeoque pudendis
Utimur exemplis, ut non pejora supersint?
Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti

legatum, Cæsar, qui bellum tuo nomine auspiciisque gerat: omitte urbem Ostiensem, noli eum ibi quærere; sed in aliqua Romæ caupona insigni, ubi hominem cum reperies mensæ accumbentem cum aliquo sicario in promiscua nautarum, servorum nequam et latronum turba, cum carnificibus ac sandapilarum fabris, cum Cybeles sacerdotibus in dorsum abjecto tympano temere jacentibus ac stertentibus. Ibi omnes pari quidlibet faciendi libertate gaudent; iisdem utuntur scyphis; eodem in lecto accumbunt; neque est ulla mensa seorsum alicui honoris ergo posita. Quid servo faceres, Pontice, si talem nactus esses? Opinor eum amandares in Lucaniæ agros, vel Tusciæ, ut ibi vinctus compedibus terram exerceret. At vos, o Romani nobiles, qui originem vestram a priscis illis Trojanis ductam ambitiose venditatis, ea in vobis toleranda, immo laude censetis digna, quæ in mancipio jure plectenda duceretis, perinde quasi honeste fieri a Brutis Volesisque possent, quæ non sine probro a sutoribus veteramentariis admittuntur.

183. Quid autem dicas, aut quibus verbis deplorandos miserrimorum temporum mores inquinatissimos arbitreris, si præter illa, quæ hactenus commemoravi, tam tetra, tam indigna, restant alia nihilominus longe turpiora? Damasippus, re familiari per luxum et comessationes dilapidata, operam histrionibus et actoribus fabularum

Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me dignus vera cruce: nec tamen ipsi
Ignoscas populo; populi frons durior hujus,
Qui sedet, et spectat triscurria patriciorum,
Planipedes audit Fabios, ridere potest qui
Mamercorum alapas. Quanti sua funera vendant,
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,
* Nec dubitant celsi prætoris vendere ludis.
Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone:
Quid satius? mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen, citharœdo principe, mimus
Nobilis: hæc ultra, quid erit nisi ludus? et illud

navat, certa mercede constituta, ut in Catulli comœdia, cui *Phasma* nomen est, partes agat. Video quid objici mihi possit, nempe ipsum Lentulum egisse quoque personam Laureoli cum dignitate: ille vero mea sententia dignus fuit qui veram in crucem ageretur. Neque tamen ipse quoque populus accusandus non est, qui adeo pudorem omnem exuit, ut ejusmodi spectaculis adesse, ac viros nobilissimos scurrarum vilissimorum inepta dicta factaque imitantes non dubitet intueri; Fabios indutos socco, et in theatro recitantes audire, Mamercos colaphis mulctatos cum risu et plausu cernere sustineat: huc adde quod nobiles iidem descendunt in arenam, et vitam suam pretio addicunt; magno, fateor; at quantumcumque illud pretium sit, nihilominus ad excusandum dedecus parum refert, siquidem sponte sua, non, ut olim, coacti a Nerone gladiatoria ista certamina venales suscipiunt, idque palam, et in iis ludis quos Jubentius Celsus prætor edit.

195. Fac tamen ex una parte proponi tibi gladiatorum enses, ex altera histrionum theatra: utram artem potiorem, utram alteri præferendam putas? Quis tanto mortis et arenæ metu afficitur, ut ad eam evitandam agere malit in comœdia personam actoris qui ridicula zelotypia Thymeles laborare se fingat, et socium ac rivalem habere vecordem illum Corynthum? Quanquam quid mirum nobiles histrioniam exercuisse, quum ipse imperator citharœdus foret? Quænam deinceps Romæ florebunt artes, nisi ludicræ et infames?

Dedecus Urbis habes: nec mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supina;
Damnat enim tales habitus; sed damnat et odit,
Nec galea frontem abscondit: movet ecce tridentem,
Postquam librata pendentia retia dextra
Nequidquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit, et tota fugit agnoscendus arena.
Credamus tunicæ, de faucibus aurea quum se
Porrigat, et longo jactetur spira galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere cum Graccho jussus pugnare secutor.
Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni,
Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus?
Par Agammenonidæ crimen; sed caussa facit rem

Quid quod ars ipsa gladiatoria non sine insigni nominis Romani dedecore tractatur ab iisdem nobilibus Romanis? Prodit in arenam Gracchus non iis tectus armis, quibus mirmillones utuntur, videlicet parma, recurvo ense, galea; displicet enim ipsi apparatus iste et armatura; hanc odit, et minime bellator caput non casside tegit, sed solo instructus est tridente ac reticulo; quod ubi frustra protendit explicuitque, ut adversarium comprehenderet, detecto vultu fugam arripit, et ore subrecto, ut facile agnosci a spectatoribus possit, caveam omnem perambulat. Demus locum fugienti nobili, clamant omnes, quum agnoverunt ipsius tunicam, ac funiculum aureum, de faucibus porrectum, et longo volumine pendentem e galero: evadat sane incolumis, non sine dolore atque ignominia mirmillonis, qui, coactus cum Graccho pugnare, videt illum sibi eripi, malletque gravissimam quamlibet plagam, quam hoc dedecus, accepisse.

211. Si detur hæc populo facultas, ut possit quid sentiat, quos probet libere aperire, an erit quisquam adeo scelestus, ut Senecam sine ulla dubitatione non anteponat Neroni, qui se tot parricidiis inquinavit, ut ad eum meritis mactandum pœnis unica simia, anguis unicus et culeus unus non sufficerent! Sane Orestes, itidem, ut Nero, matrem interemit; sed simile facinus tamen est dispar ob

Dissimilem: quippe ille deis auctoribus ultor
Patris erat cæsi media inter pocula; sed nec
Electræ jugulo se polluit, aut Spartani
Sanguine conjugii, nullis aconita propinquis
Miscuit, in scena nunquam cantavit Orestes,
Troica non scripsit. Quid enim Verginius armis
Debuit ulcisci magis, aut cum Vindice Galba?
Quid Nero tam sæva crudaque tyrannide fecit?
Hæc opera atque hæ sunt generosi principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita saltu
Prostitui, Graiæque apium meruisse coronæ.
Majorum effigies habeant insignia vocis:
Ante pedes Domitî longum tu pone Thyestæ
Syrma, vel Antigones, seu personam Menalippes,
Et de marmoreo citharam suspende colosso.
Quid, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi

disparem causam. Orestes quippe patrem in convivio a Clytemnestra interfectum ulciscebatur, Superis impellentibus et approbantibus: at nec sororis suæ Electræ, aut uxoris Spartanæ cæde manum commaculavit; non affines veneno sustulit; nunquam in theatro cecinit; carmina de Trojæ excidio non composuit. Quid enim justius Virginium, Vindicem et Galbam excitare debuit ad pœnas de Nerone sumendas, quam illa hominis vecordia, qui histrio, poeta, citharœdus esse non erubesceret? Quæris quodnam præclarum facinus ediderit Nero, toto illo tempore, quo imperium obtinuit, vel potius quo diram tyrannidem exercuit? Cantavit in scena, saltavit, versus fecit: hæc sunt illustria maximi principis facinora; hæ sunt illius artes, cui nihil optatius erat, quam in theatris exterarum gentium saltare indignum in morem, coronam ex apio in Græcorum certaminibus promereri, et imperatoris Romani majestatem ludibrio turpiter exponere. Age, Nero, avorum tuorum imagines exorna illis præmiis, quæ ob canoram vocem es consequutus: ante Domitii simulacrum depone vestem theatralem, aut larvam, qua indutus partes Thyestæ, Antigones vel Menalippes egisti: ex illa Augusti statua ingenti, marmorea, suspendi citharam jube.

231. Quis illustriori loco natus fuit quam tu, Catilina, quam

Inveniet quisquam sublimius? arma tamen vos
Nocturna, et flammas domibus templisque parastis,
Ut Braccatorum pueri Senonumque minores,
Ausi, quod liceat tunica punire molesta:
Sed vigilat consul, vexillaque vestra coercet.
Hic novus Arpinas, ignobilis, et modo Romæ
Municipalis eques, galeatum ponit ubique
Præsidium attonitis, et in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis et tituli, quantum non Leucade, quantum
Thessaliæ campis Octavius abstulit udo
Cædibus assiduis gladio: sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro;
Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,

ille sceleris tui conscius, Cethegus? Vos tamen sumptis in patriam armis, civium ædes ac deorum templa nocturnis facibus incendere, Gallorum braccatorum et Senonum exemplo, tentavistis! Dignum certe facinus quod tunica molesta gravissimisque suppliciis merito plecteretur. At vigilantissimus consul nefarias coitiones vestras et arma impia reprimit. Hic ille homo novus, et nulla majorum nobilitate spectatus, oriundus Arpino, et in equestrem ordinem ex illo ignobili municipio, non ita pridem evectus, præsidia militum collocat in omni urbis parte contra vestros impetus; timorem incutit sceleratis; confirmat probos; auxiliumque ad tuendam patriam ex omnibus populis accersit. Quamobrem tantam in urbe ac pace gloriam est consequutus, quantam adeptus Augustus non est in pugnis ad Actium aut Philippos commissis, et Romano sanguine tam liberaliter effuso. Roma in libertatem vindicata per Tullium Ciceronem, ipsi præclarum patris patriæ nomen grata detulit.

245. Alter civis egregius, ex eodem ortus Arpino, alienum agrum arare mercede conductus in Volscorum montibus consueverat, ac duro in labore primam ætatem transigere : mox amplexus militiam, exstruendo castrorum vallo cum gregariis militibus et fabris operam navans, vapulabat a centurione, impacta capiti e sar-

Si lentus pigra muniret castra dolabra.
Hic tamen et Cimbros, et summa pericula rerum
Excipit, et solus trepidantem protegit Urbem.
Atque ideo, postquam ad Cimbros stragemque volabant,
Qui nunquam attigerant majora cadavera, corvi,
Nobilis ornatur lauro collega secunda.
Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt
Nomina: pro totis legionibus hi tamen, et pro
Omnibus auxiliis, atque omni pube Latina,
Sufficiunt dîs infernis, Terræque parenti:
Pluris enim Decii, quam qui servantur ab illis.
Ancilla natus trabeam, et diadema Quirini,
Et fasces meruit regum ultimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum claustra tyrannis
Exsulibus juvenes ipsius consulis, et quos

mento virga, si operi segnius cum lenta dolabra incumberet. Idem ille tamen unus ingruentibus Cimbris objecit sese, ac Romanam rem in summum timorem periculumque adductam sustentavit. Eam ob rem postquam Cimbrorum cæde et sanguine satiati sunt corvi, nunquam alias tantis tamque proceris cadaveribus pasti, Q. Catulus, Marii collega, licet nobilis, secundas in triumpho ac victoriæ gloria partes tulit.

254. Plebeii fuere Decii pater et filius; plebeiæ illorum animæ et nomina: nihilominus illi duo suffecerunt ad placandam Tellurem et Deos inferorum iratos Romano exercitui, auxiliaribus ejus copiis, et omni Latino populo: isti quippe duo pluris erant æstimandi, quam Romani cæteri, qui ab imminenti exitio illorum pietate ac fortitudine sunt liberati.

259. Qui nostros inter reges probos justosque extremo loco regnum obtinuit, ille, quamvis ancilla genitus foret, ad hanc tamen summam potestatem est evectus, et regiæ dignitatis insignibus, quæ Romulus suis successoribus habenda transmiserat, trabea, fascibus, corona, meruit ornari. Tarquiniis patri ac filio Roma pulsis, et in exsilium ejectis, ejusdem Romæ portas aperire ac patriam prodere statuerant ipsius Bruti, primi omnium consulis, adolescentes filii, quos profecto decuisset egregium aliquid potius moliri pro asse-

Magnum aliquid dubia pro libertate deceret,
Quod miraretur cum Coclite Mucius, et quæ
Imperii fines Tiberinum virgo natavit.
Occulta ad patres produxit crimina servus
Matronis lugendus: at illos verbera justis
Afficiunt pœnis, et legum prima securis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.
Et tamen, ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo:
Majorum primus, quisquis fuit ille, tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

renda libertate publica nondum satis bene constituta, et egregii facinoris quidpiam edere, quod mirari atque adeo imitari possent Mucius Scævola, Horatius Cocles, et virgo Cloelia, quæ in Tiberim fluvium, tunc imperii Romani limitem, se immittere non dubitavit. Conjurationem sceleratam et arcana filiorum Bruti consilia senatoribus aperuit servus, cujus obitum matronæ Romanæ publico luctu prosequi ob servatam patriam merito debuerunt: interim nobiles illi patriæ proditores merita mactati pœna, cæduntur virgis et securi feriuntur; quod supplicium, vel est prima, potentissima omnium lex, vel cæterarum legum deinde conditarum initium et occasio exstitit, vel quod tunc primum legum nomine habitum memoratur.

269. Satius esset genitum esse te Thersita, modo esses Achilli par, et arma induere ac tractare posses ab ipso Vulcano fabricata, quam te Achille natum, et Thersitæ similem esse: quamvis tamen, o nobilis Romane, quisquis es, generis tui originem longissime repetas, et ad ipsa Romæ incunabula recurras, oriundum te esse constabit ab illa perditorum hominum fæce, qui Romam, tanquam ad asylum perfugiumque facinorosis a Romulo apertum, se receperunt. Quicumque principem obtinet locum in longa illa tuorum majorum serie, aut pastor exstitit, aut aliquid pejus, quod præ pudore ac verecundia reticeo.

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM OCTAVAM.

Variæ lectiones. 1. *Schemata*, perperam emend. Alciat. de verb. signific lib. IV, et Parerg. II, 30, probb. Voss. Inst. Or. V, 1, et Grang.

Notæ. 1 seq. Similiter auctor Paneg. ad Pisonem, quem Juvenali præivisse putabat Grangæus, vs. 8 sqq.

> Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
> Atria, quid pleni numeroso consule fasti
> Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo
> Nobilitas, cujus laus est in origine sola.

— *Ponticus* vir ignotus, nec tamen illis temporibus ignobilis : nam ad spem provinciæ alicujus obtinendæ eum adspirasse, ex vs. 87 seq. intelligitur. Oriundus forte a celeberrimo illo poeta, qui Thebaida scripsit. [1] — *Stemmata*, στέμματα, a στέφειν, *circumdare*, *coronare*, proprie dicebantur *serta*, seu vittæ, ex herbis et floribus textæ, quibus circumdatæ *lineæ* vel funiculi linei ad *imagines* (vide ad III, 219), tanquam rami (virgæ, vs. 7) ex stirpe discurrebant, earumque inter se relationes, adeoque familiæ successionem seu genealogiam indicabant, ut in oculos incurreret, quis esset pater, filius, etc. Vide ad IX, 128. Hinc *stemmata* quoque vocabantur ipsæ majorum imagines, quæ erant signa nobilitatis, quarumque jus dabant magistratus curules, quos aliquis vel majores ejus gesserant; unde homines *nobiles*, *novi*, *ignobiles* dicebantur (vide infra ad vs. 237). Istæ imagines ordine disponi solebant in *porticibus* (confer VI, 163), et inpr. in *atriis* (vide ad vs. 19, 20), et quidem in ligneis thecis seu armariis, quæ natalitiis aliisque diebus festis aperiebantur. [2] — *Quid faciunt*,

[1] De quo vide VV. DD. ad Propert. Eleg. lib. I, 7, et 9, atque Ovid. Trist. lib. IV, 10, 47; volum. VII, pag. 194 nostræ Editionis. Ed.

[2] Conf. Lips. Elect. I, 29; Budæus ad Pand. p. m. 52 seq. Sigon. Ant. I. C. II, 20; loca class. Plin. XXXV, 1—5 (ubi vide Harduin.), et Senec. de Ben. III, 28 (ubi vid. Lips. et Ruhkopf), inpr. Ill. Eichstaedt comm. de Imaginibus Rom. et *le Jupiter Olympien, ou l'art de la sculpture antique et polychrome considéré par M. Quatremère de Quincy*, Paris, 1815, pag. 14, et 36 seq. ubi monet, diversas fuisse imagines, in armariis servatas (imagines, *ou portraits de famille*, *Ahnenbilder*, *ganze Büsten mit dem*

efficiunt; juvant, prosunt?[1] Verba *facere* et *prodesse* ita etiam apud Mart. III, 75, 3, 4, conjunguntur; Grang. — *Longo sanguine*, ut *alto sanguine* apud Virg. Æneid. IV, 230, longo generis ordine, longa majorum serie, generosa stirpe.

Var. 2. *Pictos*, 11, 13, 17—22, 24, 45.

Not. 2. *Censeri*. A censoribus inter nobiles adnumerari, recenseri. Ed. — *Pictos vultus*, tabulas vel imagines *majorum* nobilissimorum, quales fuere *Æmiliani*, *Curii*, etc.

Not. 3. *Æmilianus*, ut vs. 11, *Numantinus*, P. Cornelius Scipio Æmilianus, L. Æmilii Pauli filius, a P. Scipione, Africani majoris filio, adoptatus, qui Carthagine diruta, Numantiaque expugnata sibi cognomina *Africani minoris* et *Numantini* peperit. — *Stantes in curribus Æmilianos*, statuas eorum vel curules, vel triumphales. Conf. VII, 125.[2]

Var. 4. *Dividuos*, hoc est, fissos, malebat Nicol. Heins. ad Sil. III, 42. — *Humerosque minorem Corvinum*, 8, 9, 14, 70, 75, 76, 82, et IX Codd. Paris. *Nasuque minorem Corvinum*, 26. *Nasumque minorem Corvinum*, 7, 29. *Nasumque minorem Corvini*, 10, 11, 12, 15—25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et XXVI MSS. Paris. Male! nam *naso carentem* mox sequitur. *Humeroque minorem Corvinum* reposuit Prat. offensus forte plurali *humeros*. Sed is pro sing. positus, ambiguitatis quoque vitandæ causa, et doctior est, ut et quartus casus. Vide Comment.

Var. 5. *Gallum*, 29.

Not. 4, 5. Lepide pro: statuas nobilium majorum, diuturnitate temporis jam imminutas, et humeris, auribus, nasisque mutilatas. Eo generis antiquitas designatur. Ex gente *Curia* in primis inclaruit M'. Curius Dentatus, qui Sabinos, Samnites et Pyrrhum vicit. — *Corvinus*, vel *Corvus*, cognomen Valeriæ gentis, quod M. Valerius M. F. Maximus primus tulit: unde? vel tironibus notum e Liv. VII, 26. — *Galba* cognomen Sulpiciorum, de quo vid. Suet. Galb. 3, ibique intpp.[3] — *Curios jam dimidios*, hoc est, dimidiatos, mutilatos, ut *dimidios vultus*, XV, 57, et *dimidios Crispi equos*, Mart. X, 2, 10. Cf. ad III, 219, et XV, 5. — *Humerosque minorem*

Anfang der Bekleidung aus colorirtem Wachs), a simulacris cereis, quæ in exsequiis, anteriore capitis parte ab imaginibus detracta, larvarum loco adhibita sint (*simulacres en cire et en draperies postiches, Wachsbilder*).

[1] Vide Burm. ad Ovid. Trist. III, 8, 23.

[2] Imagines majorum habitu triumphantium pictas intelligebat Wernsdorf. Poet. Lat. minor. tom. IV, pag. 238.

[3] Stemmata harum aliarumque gentium, quæ in hac Satir. memorantur, concinnavi in libro, quem inscripsi: *Tabulæ genealogicæ seu stemmata nobilissimarum gentium Romanarum*: Goetting. 1794.

Corvinum græce dicitur, ut apud Sil. III, 42 : *frontem minor.* Conf. Valer. Fl. I, 582, et Lucan. II, 717. *Humeros* docte pro *humerum* et ambiguitatis vitandæ caussa.

VAR. 6. *Qui*, 50.

NOT. 6 seq. Similiter vs. 135 seq. et Pers. IV, 46 seq. — *Capaci*, magna, *tabula* generis, genealogica. — *Jactare*, majori cum vi dictum, quam vs. 2 *ostendere*.

VAR. 7. Hic versus legitur in 1, 8, 9, 14, 37, 43, 70, 75—77, et XXVIII MSS. Paris. sed abest ab 10—13, 15—27, 31 b. 45—50, 54—69, 71—74, et VII Codd. Paris. Primus eum revocavit Lipsius, qui in Epist. Quæst. IV, 15, monet, illum non de trivio esse, et ad rem aptissimum. Conf. ad VII, 139. Mea qualicumque sententia nullum fere verbum non in eo suspectum est : unde asterico a me notatus et ejectus ab Ach. *Corvinum* modo memoraverat poeta; vocab. autem *posthac* alienum est ab hoc loco, ne dicam ineptum; præterea pro *contingere*, quod non nisi in 1 exstat, et glossam redolet, in reliquis libris legitur *deducere*, ex quo commodam haud facile elicies sententiam; denique hoc versu deleto nihil est, quod desideretur, vel nos offendat.

NOT. 7. Vide Var. Lect. — *Multa contingere virga equitum cum dictatore magistros*, hoc est, summos magistratus cognatione attingere.[1] *Virga*, ut ὁ κλάδος, idem quod stemma, seu linea. Vid. ad vs. 1. Persius simili loco Sat. III, 28, dixit :

Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis.

— Vetus Schol. verba *multa virga*, interpretatur : « multis fascibus, dignitate; » quod quidem non spernendum arbitror. Itaque sensus erit : cui bono est *contingere* (ut supra vs. 2, *ostendere*, vel etiam cognatione attingere), majores *multa virga*, multis lictoribus circumdatos : præferebantur enim fasces quatuor et viginti dictatori, duodecim consuli, sex magistro equitum. ED.

VAR. 8. *Famosus*, 24. *Famosos*, 10—13, 15—23, 25, 27, 28, 45—49, 54—60, 65, et plerique Codd. Paris. Mancin. exponit illustres, Ascens. gloriosos et optimæ famæ, pessime Calderinus infames. Sed vulgata lectio longe melior.

NOT. 8. *Fumosos equitum — magistros*, imagines eorum fumosas, ob vetustatem et culinam fumo situque obsitas;[2] nam in atrio præter armaria etiam culina erat.[3]

NOT. 9. *Lepidi* clarissima Æmiliæ gentis familia. — *Coram Lepidis*, ut

[1] Minus placet ea interpretatio, quam proponit Kœnig. de Sat. Rom. 67, frequenter imagines vetustas ostendere, et in explicandis illarum titulis sibi placere, ut fere *jactare*, vs. 6.

[2] Ut apud Martial. Epigramm. lib. VIII, 6, 3 (*fumosa stemmata*); Cic. Pis. I; Senec. Epist. 44, et Hor. Od. lib. III, 6, 4.

[3] Conf. Sigon. Ant. I. C. II, 20.

mox *ante Numantinos*, hoc est, coram imaginibus nobilium majorum, quarum adspectu alii ad gloriam virtutesque eorum æmulandas incitantur. Et hoc dictum pro vulg. etsi a talibus viris originem dueas, vel nobilis sis. — *Effigies quo* scil. spectant, quid prosunt, quem usum habent, ut vs. 142; XIV, 135, et XV, 61. [1]

Not. 10. *Luditur alea* (prim. cas. pro sexto) *pernox*, per totam noctem; quo lucri ludendique cupiditas designatur. Præterea Romæ turpis fuit alea, et legibus vetita. Vid. ad I, 88 seq.

Var. 11. *Ante matutinos—ortus*, 21, a m. pr. 26, et multi Codd. Paris. adversante metro. *Ante Numantinos — ortus*, 12, 15—25, 27, 45—49, 55—59, 61, 62, 63, 65, 66, 67, 71, 73, et plerique Codd. Paris. probb. Valla et Mancin. *Ortu*, 68, 69, sed puncto post *pernox* posito, non post *Numantinos*.

Not. 11. *Ante Numantinos;* vide ad vs. 3, 9, et 144. — *Dormire incipis ortu Luciferi*, summo mane, post et propter ludum et comessationem, vel convivia, in primam lucem protracta. *Lucifer* h. loc. non Vesper, ut quidam male putant, quod vesperi etiam castra moverint duces. Idem tamen astrum *Lucifer* vocatur, quum occidit, et *Hesperus* vel *Vesper*, quum oritur; vide Plin. II, 8. — *Duces* illi, Numantini et Lepidi.

Not. 13 seq. Q. Fabius Maximus Æmilianus *Allobrogicus*, qui consul cum L. Opimio anno Urbis DCXXXII, censorque anno Urbis DCXLIX fuit, et Allobrogibus Bituitoque, Arvernorum rege, devictis, illud cognomen accepit, [2] filium habuit Q. Fabium Maximum Persicum, cui ob perditam luxuria vitam et summa flagitia Q. Pompeius, prætor urbanus, paternis bonis interdixit. [3] — *Ara magna*, hoc est, Maxima, prope circum Flaminium, ab Evandro Herculi dicata. [4] — *Natus in Herculeo Fabius Lare:* nam Fabius, auctor gentis Fabiæ, ex Herculis cum Vinduna, Evandri filia, congressu procreatus dicitur. [5] Plathneri nota est: «Lares quidam perpetui erant, et totius gentis, qui cum familia transibant; lex siquidem XII tabb. erat: *privata sacra perpetua sunto.* Hi *paterni* infr. XII, 89; *patrii* apud Tibull. I, 10, 15, et Synes. Epist. V, 72, et *Di Penates parentum, familiæque Lar pater*, apud Plaut. Merc. I, 5.

Var. 14. *Cupidus sit*, 16, 27, 47.

[1] Confer Heins. ad Ovid. Her. II, 53, et IV, 157.

[2] Vid. Plin. Histor. Nat. VII, 50; XXXIII, 11; Liv. Epit. LXI; Flor. III, 2, et inprimis Ernesti Clav. Ciceron. pag. 165.

[3] Valer. Max. III, 5, 2, et Sen. de Ben. II, 21; IV, 30.

[4] Vide Liv. I, 7; IX, 29; Virg. Æneid. VIII, 271 (ubi vid. Heyne), et Ovid. Fast. I, 581, ubi conf. Heins. et Burm.

[5] Vide Plut. Vit. Fabii; Sil. II, 3; VI, 627 seq. VII, 35, 44, 48; VIII, 217; Ovid. ex Ponto, III, 3, 100, et Fast. II, 237, 275 seq. Macrob. III, 6, et *Creuzer's Symbolik*, tom. II, pag. 257.

Not. 15. *Vanus*, vanarum rerum studiosus. — *Euganea mollior agna*, cinædus et pathicus, ut *agna Galæsi mollior Phalantini* (hoc est, Tarentini fluvii) Martiali, V, 38, 2, et *agni lana* homo mollis et effeminatus proverbio dicitur. *Euganei* initio inter Alpes et mare Hadriaticum incolebant, deinde a Venetis pulsi in Alpinas partes, inter Athesin fl. et Larium lacum, secesserunt (Liv. I, 1); unde et Veneti sæpius poetis *Euganei* dicuntur. Venetiæ autem opp. Altinum, ad ostium Silis fl. situm, alba mollique lana olim inclaruit :

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis, Altinum tertia laudat ovis,

Martial. XIV, 155. Altinates etiam oves prædicat Colum. VII, 2, 3, et *Circumpadanas* Plin. VIII, 48, seu 73, et Pollentinas Martial. XIV, 157. Epitheta vero a præstantiore aliquo genere duci, satis notum.

Not. 16. *Pumice*, pice et resina, cutem terere vel levigare mollium virorum est. ' — *Catina*, seu *Catana*, Κατάνη, Siciliæ opp. prope Ætnam, ex quo monte pumices ejiciuntur, quibus ipsa demum urbs obruta et deleta (vide Oros. V, 13, et Dorvill. Sic. c. 13). Epitheton cum delectu positum esse, intelligitur ex verbis vet. Schol. « *Catina* opp. Siciliæ, usque ad probra dissolutum notatur, ut Bibaculus :

Osce senex, Catinæque puer, Cumana meretrix ;

quem versum in Servii reliquiis legere meminerat Pithœus. Grangæus notat, cinædos *Catinenses* fuisse dictos, et Lentulum inde Mimum inscripsisse *Catinenses*, de quo vide Tertull. in Apolog.

Var. 17. *Traducit*, 1, 14, 17, 47, 50, 61—76, et Cod. Put. *producit*, 2, 5, 7, 10, 11, 16—19, 23—26, 29, 45, 46, 48, 49, 55—60, 65, 77, et Codd. Paris. fere omnes. *Perducit*, 12 ; *producat*, 15, 20, 21, 22.

Not. 17. *Squalentes avi*, quorum statuæ et imagines ob vetustatem colore sordido obductæ, et situ obsitæ sunt; ut *squalens* vel *horrens* campus et στυφελὴ χθὼν dicitur campus, qui nimio solis ardore exustus, sordido colore ac nitore pulverulento obductus, tristis adspectu et incultus est.[2] Nonnulli exponunt rigidos, severos, munditiem corporis negligentes, vel pilis horridos, intonsos incomptis capillis, adeoque pumicibus non levigatos, μὴ ῥωπαχιζομένους ; alii lugentes, quibus squalor et sordes tribuuntur. — *Traducit*, risui exponit, contumelia afficit, παραδειγματίζει, metaphora ab iis petita, qui ante oculos hominum traducuntur, ut spectaculo sint.[3] Gesnerus in Thes. philol. suspicabatur, poetam respexisse ad pompam solemnem funerum, in qua imagines majorum traduce-

[1] Vide ad II, 19; Ovid. Art. Am. I, 506.

[2] Vide ad Sil. Punic. lib. I, 211; III, 656; IV, 375; Virg. Georg. III, 161; Apollon. II; 1007; III, 411.

[3] Confer. XI, 31; Liv. II, 38; XXXIII, 23; Suet. Tit. 8; Mart. I, 54, 3; III, 74, 5; VI, 77, 5 al.

bantur; quo et seq. versum vulgo referunt. — *Emptor veneni*, veneficus.

Var. 18. *Ostendit* pro *funestat*, 21.

Not. 18. Qui rei capitalis, ut veneficii, majestatis, perduelliouis, etc. olim damnabantur, eorum et nomina deleri, fastisque eradi, et statuæ atque imagines a furiosa plebe tolli, vel scalis admotis, laqueisque injectis in terram detrahi, solo affligi, conflari et *frangi* solebant.[1] — *Funestat*, polluit, contaminat, dedecorat.

Not. 19 seq. Comparant verba præclara Sen. Epist. 44 : « Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, neque quod ante fuit, nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere..... Quis est generosus? Ad virtutem bene compositus. » Conf. etiam auctor Paneg. ad Pison. vs. 5 seq. Sallust. B. J. 85, et Kœnig. ad Pers. III, 29. — *Veteres ceræ*, imagines cereæ majorum, ut apud Ovid. Am. I, 8, 65, ubi vide N. Heins. qui Juvenalem ad eum locum respexisse putabat. — *Atria;* vide ad vs. 1. — Similis est hæc sententia *Boileau*, Sat. V, vs. 41 :

« On ne m'éblouit point d'une apparence vaine ;
« La vertu d'un cœur noble est la marque certaine. »

Omnibus quoque noti sunt hi versus, *Voltaire*, *Mahomet*, act. I, sc. 4 :

« Les mortels sont égaux: ce n'est point la naissance,
« C'est la seule vertu qui fait leur différence. » Ed.

Var. 20. *Est sola*, 27, 46, 47, 48, 54, 60, 65, prob. Maittario, ut nihil duabus vocibus *sola* et *unica* intersit præter copulam.

Var. 21. *Paulus et Cossus et Drusus*, 11. *aut Cossus, aut Drusus*, 17, utrumque contra metrum. *Vel Drusus, vel Cossus*, 16. — *Moribus es tu* (hoc est, si tu es moribus Paulus, etc.) legendum putabat H. Vales.

Not. 21. *Paulus* Æmiliæ, *Cossus* Corneliæ, *Drusus* Claudiæ gentis cognomen : quæ familiæ summis, et tam rerum gestarum, quam virtutum gloria conspicuis viris inclaruere.

Var. 23. *Procedant*, 27, 46, 47, 48, quod ab hoc loco alienum est, etsi de solemni consulum pompa adhibetur, qua primo initi magistratus die ex ædibus suis in Capitolium deducebantur; unde et dictæ processiones Catholicorum Romanensium. Conf. supra ad I, 39, in Comm.

Not. 22, 23. *Hos* mores bonos antepone nobilitati summisque magistratibus, vel illi prius his adsint : proprie, eos *pone* quasi et constitue *ante* imagines in atrio, et fama virtutum tuarum *præcedat* quasi *virgas*, lictores, si consul fueris.

Var. 24. *Prima tibi debes animi bona* conj. H. Vales. ut poeta sine inter-

[1] Conf. X, 58 seq. Plin. Paneg. 52, et Lips. Exc. ad Tac. Ann. VI, 2.

ruptione loquatur, non vero vs. 21—28. Virtus loquens inducatur, et vs. 29 seq. poeta suo nomine.

Not. 24—30. Verba præclara, profecta ex mente, plena honestatis sensu et miseratione temporum, quibus rara erant virtutis et rarissima nobilitatis cum virtute conjunctæ exempla: Ante omnia a te postulo, ut animi virtutibus excellas. Nota Ach. est: «Tria sunt bonorum genera; alia *corporis*, valetudo, velocitas, vires, dignitas oris; alia *fortunæ*, ut genus, educatio, opes, clientelæ, amicitiæ. Hæc sunt *externa*, quæ, etsi hominem decorant, non tamen virum efficiunt, nilque aut parum ad communem utilitatem proficiunt. Alia denique sunt *interna* et vere *animi bona*, quæ consilio et cogitatione nostra constant, et a quibus pendet publica felicitas, scil. justitia, fortitudo, prudentia et modestia.» Si *sanctus*, probus, *justusque* fueris, *agnosco procerem*, te nobilem, seu numero nobilium habeo; talis eris mihique videberis, qualis haberi ac videri cupis, qualem te esse profiteris. Tum dico, *salve Gætulice*, seu tu *Silanus* audias, seu *quocumque alio de sanguine* vel genere, etiam infimo, sis; *rarus et egregius civis* es; hoc est, tum te, tanquam vere nobilem ac generosum, venerabor, nulla nominis aut gentis originisque ratione habita; tum gratulabor *patriæ ovanti*, lætanti de tali cive, qualis nunc raro reperitur. *Justitiæ tenax* dicitur, qui summa constantia animoque invicto justitiam servat. *Salve*, ut Gr. χαῖρε, est vocab. pietatis atque honoris, seu reverentiæ, quo, quicumque ea dignissimus est, et cujus favorem expetimus, sive sit deus, sive homo, sive adeo res, numinis loco culta, compellatur.[1] — *Gætulicus* cognomen C. Cornelii Lentuli Cossi, quod ei devictis Gætulis datum est. Vid. Flor. IV, 12, 40. — *Silanus*, cognomen Juniæ gentis.

Var. 26. *Getulice* vulgo male scribitur. Nam Γαιτοῦλοι dicuntur, a quibus devictis cognomen accepit Lentulus.

Var. 27. *Quorumve* non male conj. Schrader. Sed vide ad IV, 63.

Not. 29. Hæc spectant ad notum morem Ægyptiorum, a quibus forma bovis colebatur *Osiris*, qui agriculturam, et vitium arborumque conserendarum artem invenisse, cujusque anima in bovem migrasse putabatur. Sacerdotes eorum hunc bovem, quem Apim vocabant, si certos vitæ annos confecisset, mersum in fonte necabant, et cum luctu planctuque quærebant alium, quem in ejus locum substituerent; quo invento, ipsi cum populo læti exclamabant: εὑρήκαμεν, συγχαίρωμεν.[2]

Var. 31. *Est* pro *et* 60, 65.

---

[1] Vide intpp. Hor. Od. I, 32, 15.

[2] Conf. VI, 534; Herod. III, 27 seq. Plin. VIII, 46; Lactant. Inst. I, 21; Jablonski, Panth. Æg. lib. II, 1, tom. I, pag. 122—156, et c. 6, pag. 258, 259; Heyne ad Tib. I, 7, 27 sq. De *Osiride* vide inpr. *Creuzer's Symbolik*, tom. I, pag. 154, 280 seq. 297, 338, 346; tom. II, pag. 90, 143 t. III, p. 142 sq. 307; t. IV, p. 260 sq.

Not. 30, 31. Egregia sententia, quæ vs. 32—38, aptissimis exemplis illustratur. — *Generosum;* vid. ad II, 145. — Eadem expressit recentium philosophorum eloquentissimus, *J.-J. Rousseau, Nouvelle Héloise*, part. I, Epist. 62 : « Quoi que vous pensiez de moi, je serais bien fâché de n'avoir « d'autre preuve de mon mérite que celui d'un homme mort depuis cinq « cents ans. » Ed.

Var. 33. *Cygnum*, 17, 18, 19, 60. Vide ad VI, 165. — *Pravam*, 16, 17, 20, 23, 33. — Var. 34. *Europam*, 10, 15, 16. *Europem*, 18, 19, 20.

Not. 32—38. Cave, ne per ludibrium tibi magni cujusdam nobilisque viri nomen inditum videri possit, quemadmodum *nanus* (νάνος, pumilio, homo *suos breviter concretus in artus*, Prop. IV, 8, 41; *ramassé dans sa courte grosseur; Boileau, Lutrin, ch. I*, Ed.), [1] κατ' ἀντίφρασιν καὶ εἰρωνείαν, ab irridentibus vel adblandientibus *Atlas*, seu gigas, *Æthiops*, niger homo, *cycnus*, quæ candida avis est, vel *parva distortaque Europa* vocari solet : hic enim mos est adulatorum; sed παῤῥησίας καὶ ἀληθείας φίλος, ὡς ὁ Κωμικός φησι, τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην δὶ σκάφην ὀνομάζει, Lucian. πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν, cap. 41. Quod sic expressit *Boileau*, Sat. I, vs. 52 :

« J'appelle un chat un chat, et Rolet un fripon. » Ed.

Confer de illo parasitorum more Athen. VI, 9 (41), pag. 242, et Horat. Satir. I, 3, 44 seq. *Europa* puella formosa, eamque ob causam a Jove amata.

Var. 35. *Levibus*, non *Lævibus*, 60, 64. Recte; vide ad II, 12.

Not. 35. *Levibus*, depilatis, *scabie*, pilis decidentibus præ scabie. — *Canes siccæ lambentes ora lucernæ*, hoc est, fame confecti, et torridi macie.

Var. 36. *Tigris, pardus, leo*, 25, 56, 57, 59, 60, 64, 65. Suspicari possis, *et* post *leo* inserendum esse ex 22 et 45, vel *seu* pro *si* leg. cum Schradero. Conf. tamen ad IV, 63.

Var. 37. *Fremit*, 11, 17, 20, 21, 25, 27, 46—48, 50, 54—69, 71—74, 77, et multi Codd. Paris. — *In terra*, 17.

Var. 38. *Metuas*, 16, 27, 47, 48, 58. — *Ne sis tu*, 11. *Ne tu sic* (eadem irrisione, similiter per risum), vel *ne sic tu* sc. sis aut dicaris, non male emend. Janius. Illud etiam conj. Schrader. et recepit Prat. — *Ac Camerinus* malebat Schrader.

Not. 38. *Ne sis*, ne per ludibrium voceris *Creticus;* vel potius, ne nomine tantum et genere sis nobilis. Cf. vs. 53, et Var. Lect. — *Creticus* cognomen Q. Cæcilii Metelli, qui ann. Urb. cond. DCLXXXIV consul fuit, et anno seq. Cretam in provinciæ formam redegit. [2] — *Camerinus* cognomen Sulpiciæ gentis.

[1] Vide Gell. Noct. Attic. XIX, 13, et Plin. XI, 49.

[2] Vide Dio. Cass. XXXVI, et Sallust. B. C. 29.

Anal. 39—75. Subita ad Rubellium apostrophe affectui poetæ admodum consentanea est, et valde ferit lectorem. — *C. Rubellius Blandus*, filius Rubellii Blandi et Juliæ, quæ fuit filia Drusi, neptis Tiberii, et proneptis Liviæ; quæ Livia Claudio Neroni abducta, et gravida Augusto nupsit, nepoti Juliæ minoris, sororis Julii Cæsaris, a quo Imperator ille adoptatus, et in gentem Juliam receptus est, quæ ab Iulo, Æneæ filio, originem ducebat. Idem itaque Rubellius per maternam originem pari ac Nero gradu ab Augusto (vid. Tac. Ann. XIII, 19, et infra vs. 72): nam Nero Imp. fuit filius Agrippinæ, et hæc filia Cæsaris Germanici, neptis Drusi, et proneptis Liviæ Aug. De patre ejus vid. Tac. Annal. III, 23, 51; VI, 27, 45; de ipso idem Tacit. Annal. XIII, 19; XIV, 22 (ubi laudatur), 57, 58, 59; XVI, 10, 30.

Var. 39. *Hic*, 71. — *Est* non exstat in 48.

Var. 40. *Blande* restitui ex 1, 10, 11, 12, 15—24, 26, 27, 28, 45—49, 54, 55, 70, 75—77, et plurimis MSS. Paris. *Blance*, 58. *Plance*, 25, 50, 56, 57, 59—69, 71—74. *Plaute* reposuere Grang. et Hennin. ex emend. Lips. ad Tacit. Ann. XIII, 19, ubi conf. Ryckius, qui eam in dubium vocavit. In locis tamen Taciti, quos in Comment. laudavi, libri tantum non omnes patri dant *Blandi*, et filio *Plauti* cognomen. — *Tumens*, 57, 59. — *Drusorum sanguine*, 10, 11, 17, 19, 20, 23, 25, 26, 27, 45—50, 54—67, 71, 72, 73, et XXV Codd. Paris.

Not. 40 seq. Singula δεινῶς et præclare expressa: Superbis, quasi non fortunæ beneficio contigisset, sed ipse meruisses virtutibus tuis, ut summo loco nascereris, utque mater tua esset ex antiquissima ac nobilissima gente Julia, non meretrix aliqua, aut infimæ conditionis mulier, quæ *conducta* mercede *texit* telam. — *Tumere*, superbire, ut *inflari* (inf. vs. 72), φυσᾶν, φύσημα, ὀγκοῦσθαι, ὄγκος. — *Stemmate alto*, genere antiquo; vide ad vs. 1, et ad VI, 385.

Var. 43. *Sub aere*, 11, 16, 19, 24, 27, 45—50, 55, 58, 61—64, 66, 67, 69, 71—74, quod Britann. et Farnab. interpretantur, sub dio; Flavius autem Conject. c. 13, in atrio, ubi mulieres olim textrinam exercebant.

Not. 43. *Sub aggere*, vet. Schol. in castris; Ferrar. Elect. II, 6, in castris prætoriis, vento perviis, a Sejano exstructis, murisque urbis conjunctis, ut mulier paupercula, militis forte alicujus contubernalis, designetur; Grang. et alii, sub aggere urbano, seu Tarquinii, ubi plebeiæ mulieres texere solebant: de quo Lipsius Mil. Rom. V, 14, extr. ita disputat: «Plinius ait (H. N. III. 5, seu 9, ubi confer. Hard.), *a Tarquinio rege structum aggerem opere in primis mirabili*, et Dionys. lib. IX: *Urbs ab Esquilina porta Collinam usque opere munita est; nam fossa cingitur lata centum pedes, et supra fossam muro sive aggere alto et lato.* Strab. lib. V, huno aggerem in sex stadia producit. Vetus Schol. Juven. ad Satir. X, 95, *Juxta aggerem primus castra posuit Sejanus, id est, super Diocletianas;*

quæ dicta sunt castra prætoria.»[1] Ipse Juvenalis Sat. V, 153; VI, 588, et VIII, 43, ostendit, viliores et paupertinos illic egisse. Victor ponit campum Viminalem sub aggere. Conf. Horat. Sat. I, 8, 15; Suet. in Calig. et al. Plathneri nota est hæc: Non quælibet paupercula, sed meretrix notatur. Primo enim meretrices in loco ignobiliori, in *aggeribus* pomœriorum habitabant; unde et *submœnianæ* vocantur, de quo vid. intpp. Mart. I, 35, 6; Lips. in Elect. et Godofr. in L. IV, c. Just. de Spectac. Deinde lanificinam quoque exercebant, præsertim quibus ætas continentiam induxerat, de quo Tibull. I, 6, 77 seq.» *Conducta*, quæ operam texendæ telæ locavit.[2]

Not. 44 seq. Oratio superbi hominis ingenio aptissima. — *Pars ultima*, infima, *vulgi*, fæx populi et urbis, Germ. *das bürgerliche Pack*; Gall. *la canaille*.

Not. 45. Synes. adv. Andron. 1: Ἄνθρωπος οὐκ ἔχων εἰπεῖν ὄνομα πάππου, ἀλλ' οὐδὲ πατρός.[3]

Not. 46. *Cecropides*, regia, certe amplissima, stirpe ortus. — *Cecrops* Athenarum conditor, primusque rex, a quo posteriores reges, quamquam non ab eo oriundi, omnes *Cecropidæ* dicti. — Athenienses nobiles a Cecrope, antiquissimo et primo suo rege, originem ducere se jactabant: unde proverbium *Cecrope generosior*, de homine vetustissimæ nobilitatis. Ed.

Not. 46, 47. Sarcasmi passim obvii vim facile sentiet lector. Similis oratio et sententia est apud Pers. IV, 20. — *Gaudia*, commoda, vel gaudium *hujus originis* caussa, ἕνεκα.

Var. 47. *Gente* pro *plebe*, 29.

Not. 47—55. Tu quidem nos despicis, et hominem præ te putas neminem; sed scias, multos infimæ plebis homines patriæ vel eloquentia, vel virtutibus utiles esse, quum tu contra rudi inutilique trunco ac stipiti simillimus sis. Ἀσινῶς et vere, etiam de Rubelliis nostræ ætatis. Conf. Cic. Tusc. III, 23; Horat. Satir. I, 6, 6—16, et supra ad VII, 145. — *Ima* de *plebe Quiritem*, Romanum; quod nomen semper ad jus civitatis spectat, et in sing. num. non nisi a poetis usurpatur.

Var. 48. *Invenias*, 16.

Var. 49. *Venit et de* 12, 23, 45. — *Gente* pro *plebe*, 4, 7, 16, 17, 19—22, 26. Utrumque forsan rectius, judice etiam Schradero. Vulgo distinguitur: *indocti, veniet*, etc. prob. Hein. Vide ad IV, 63. — *Togatus* emend. Scriver.

[1] De quo conf. Lips. ad Tac. Ann. IV, 2.

[2] Confer Tibull. lib. I, 6, 79, ibique notam pag. 77 nostræ Edit. Ed.

[3] Vide ad IV, 98, et Cerda ad Virg. Æneid. IX, 343.

Not. 49. *Plebe togata*, Romana, quoniam toga propria civibus Rom. et quidem hoc loco infima plebe. Confer. Var. Lect. et ad I, 96, et VII, 136.

Not. 50. *Nodos*, difficultates. — *Legum ænigmata*, verba obscura et ambigua, ut apud Justin. in L. fin. Codd. de Legg. [1]

Var. 51. *Britanni* pro *Batavi* in quibusdam libris, nescio quibus, teste ac prob. Bahrdt. Id omnino arridere potest propter rationem, in Comm. memoratam, et propter victorias, ab Agricola, summo illius ævi duce, ex Britannis relatas. Sed vulgata quoque lectio non plane spernenda est, et omnium, quod sciam, librorum auctoritate firmatur.

Anal. 51—52. Homines obscuro loco natos stipendia, in extremis quoque imperii finibus, merere, ut ferociam barbarorum coerceant, et ita patriæ saluti prospicere, apte notat poeta: nam Equites aliique, quum divites, tum nobiles, cives jam inde a Marii et Syllæ temporibus militiæ nomen dare recusabant, et sensim se huic oneri bellique laboribus subtrahebant. Acerrimi vero et valentissimi Romanorum hostes tum temporis, præter Britannos, Dacos, Suevos aliosque Germanos, erant Orientis populi, in primis Parthi ac Syri (unde hoc loco *Euphrates*, qui terminus imperii Rom. in Oriente fuit), et *Batavi*, a Civile in arma rapti; nec tamen *domiti*, sed pacem pacti. [2]

Not. 52. *Aquilas*, legiones. — *Custodes*, milites limitaneos vel præsidia.

Not. 53. *Cecropides*, nomine tantum ac genere nobilis, re vera ignobilis et degener; vide ad vs. 38 et 46. — *Trunco simillimus Hermæ*, ut *truncus atque stipes*, apud Cicer. Pis. 9. Sic et στύλιχος dixit Lysippus apud Dicæarch. *Herma stolidissimus*, Sidon. Ep. IV, 16. « Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles, in quibus, sicut in statua, præter nomen nihil est ad-

[1] Turnebus, Adv. VIII, 19, et Pulmannus putabant, h. l. designari τοὺς λύτους, solutores, qui jam tantos progressus habuerint in jure, ut de eo respondere prope potuerint, et quæstiones solvere. Plathnerus hæc notavit: «Absurda est Pulmanni sententia: non enim λύτοι illi studiosi dicuntur, quod ipsi jam juris nodos solverent, quod olim principali tantum JCtis licebat diplomate (vid. Pompon. in L. 2, ff. de Orig. Jur.), sed quod jam responsa et solutiones Pauli JCti audirent, ante quem eorum nomen inauditum. Sed quid, si dicamus, poetam ad sigla JCtorum, quibus actionum formulas notare solebant, respexisse (vide Ernesti clav. Cicer. voc. *Nota*). Sub Imperatoribus non tantum solennes juris formulæ et actionum tituli notari ejusmodi siglis cœpti, sed integræ etiam leges, constitutiones, quin et testamenta, quæ omnia reliquis veluti ænigmata incognita solis Notariis et Consultis patebant. Hæc ipsæ notæ *ænigmata* vocantur Justin. L. I, § 3, C. de Vet. Jur. En.

[2] Vide Tac. Ann. IV, 12—27, 54—86; V, 14—26. Conf. ad Sil. Punic. lib. III, 608.

ditamenti,» Sallust. de Republica ordinanda, Orat. II. Sic Euripides:

Οὐ μὴ φρονήσεθ', οἷ πενῶν δοξασμάτων
Πλήρεις πλανᾶσθε; τῇ δ' ὁμιλίᾳ βροτοὺς
Κρινεῖτε, καὶ τοῖς ἤθεσιν τοὺς εὐγενεῖς;
Οἱ γὰρ τοιοῦτοι τὰς πόλεις οἰκοῦσιν εὖ
Καὶ δώμαθ'· αἱ δὲ σάρκες αἱ πεναὶ φρενῶν
Ἀγάλματ' ἀγορᾶς εἰσίν,

in Electra, vs. 383 seq. — *Hermæ*, οἱ Ἑρμαῖ, signa sive imagines, vel deorum, vel hominum, inprimis Mercurii, quibus caput vel solum, vel una cum pectore, et ex varia materia efformari solebat, non manus et pedes; unde inertiæ notio hoc loco ita exprimitur. Conf. Lessingii Laocoon, c. VIII, p. 88, ed. sec. Eorum inferior pars, quæ simul basis loco erat, sive acutus, sive quadratus palus. Inde nomen habent (Ἑρμαῖος λίθος certe Suidas exponit τετράγωνος), vel quia Mercurius (Ἑρμῆς) ita plerumque effingebatur. In Græcia vero ante fores templorum ædiumque (quod vel tironibus e Corn. Nep. Alcib. 3, notum est), et, ut Romæ, in viis, compitis, agris (*termini*, *termites*) et hortis ponebantur. — *Caput marmoreum*, adeoque sine vita. Conf. XIII, 115, et Martial. XI, 61, 8.

Anal. 56—67. In brutis quoque animalibus non genus, sed utilitas, quam pariunt, bona indoles et virtutes quæruntur. Conf. Horat. Od. IV, 4, 29 seq. et Martial. VI, 38, 7, 8. Poeta egregie exornat sententiam suam comparatione generosorum animalium, quibus olim, ut et hodie in Oriente, sua quoque nomina erant et familiæ, vel genealogia. [1]

Not. 56. *Teucrorum proles*, jactator generis, ab Iulo et Trojanis ducti; vide ad vs. 40. — *Fortia*, nostrum *brav*. Gall. *brave*.

Var. 57. *Putat*, 10, 15—17, 27.

Var. 58. *Cui facili*, 12; *facili qui*, 46, 47, 48; *facilis cui* ed. Prat. ut sensus sit: qui velocitate sua multas facile victorias parat. Sed vulgata lectio exquisitior, nec *palma* hoc loco victoria est.

Not. 58 seq. Grandior est oratio ornatusque exquisitior, qualem ludorum Circensium mentio admittebat. Confer. Stat. Silv. V, 2, 21 seq. Colum. VI, 27, et Plin. VIII, 42. — *Facilis* poetis dicitur, qui facile se movet seu movetur, εὐκίνητος (ut *facilis cardo*, IV, 63, ubi vide notam); hinc agilis, velox. [2] — *Palma*, παλάμη, *plurima fervet*, eleganter pro, multis spectantium manibus plauditur, tanto ardore, ut manus ferveant. Nam equi etiam, «in Circo ad currus juncti, non dubie intellectum ad-

[1] Conf. Stat. Silv. V, 2, 22 seq. Wernsdorf. Excurs. X, ad Nemesian. vs. 241, in Poet. lat. min. t. I, p. 260 seq. et Drakenb. vel nos ad Sil. XVI, vs. 4 sqq. pag. 285 nostræ Edit. Fr.

[2] Confer. Virg. Æneid. VIII, 310; Barm. ad Ovid. Art. Am. I, 160, et Valer. Fl. I, 109.

hortationis et gloriæ fatentur, » ut utar verbis Plin. VII, 42, ubi conf. Harduin.

Not. 59. *Exsultat victoria* in *Circo* pro vulgari, Circus, hoc est, populus, qui in circo est (ut apud Sil. XVI, 534), exsultat victoria. — *Rauco*, qui multo clamore plausuque resonat (ut *clamosus circus*, IX, 144, et apud Martial. X, 53, 1), vel *Circo rauco*, populo, qui usque ad ravim, seu raucitatem clamat, ut *rauca cohors*, VI, 515, et *rauca vicinia*, apud Horat. Epist. I, 17, 62.

Not. 60. *Gramine*, pascuo, agro, loco.

Not. 61. *Fuga*, velocitas, cursus. — *Cujus primus in æquore pulvis*, qui primus, ante alios equos, in stadio pulverem excitat seu movet, κονίζει seu κονίει ποδίοιο.

Var. 62. *Corithæ*, 17, 18, 19, 25, 27, 48, 56, 57, 59—70, 74, 77. *Choritæ*, 20. *Corinthe*, 11, 58. *Corythæ* plerique exhibent libri, et vulgo putant, id equæ generosissimæ nomen esse, inditum ei vel a *Corytho* monte (hodie *Monte Corvo*), ubi enutrita sit, vel a *Corytho*, Etruriæ oppido, quod et *Cortona* vocatur. Vid. Heyne, Exc. ad Virg. Æneid. III, 170. Sed ita potius leg. *Corythi*, vel, quia duæ priores syll. hoc loco producuntur, *Cortonæ*; de cujus tamen generosis equis haud quidquam legere memini. *Coryfe*, 1, vel ex emend. Schurzfl. *Coryfæi*. Vet. Schol. est: « *Coryfeorum* (vel *Coryphæorum*) equorum in Achaia prima nobilitas fuit. »

Not. 62 seq. Pulli equorum etiam generosissimorum, si degeneres sunt, venduntur, tanquam viles equi. — *Corythæ*; vide Var. Lect. — *Hirpinus* nomen equi generosioris, ab Hirpinis forte sic dicti (*un coursier de Naples*, Grang.), ut apud Martial. III, 63, 12 :

Hirpini veteres qui bene novit avos,

et *Hirpinus Nepos Aquilonis* in vet. lap. apud Lips. Epist. Cent. III, 26. Conf. supra ad vs. 56 seq. Vetus Schol. « In interioribus Sabinis Hirpinus mons est, ubi optimi equi nascuntur. » Conf. Barth. ad Grat. pag. 106. — *Si rara*, raro, *jugo*, in curru, *Victoria* (nam ita scribendum, ut persona sit) *sedit*, hoc est, si raro equus in certamine curuli, seu ludis circensibus vicit.

Var. 63. *Arpini*, 20. *Harpinnæ* conj. Farnab. quod est nomen equi curulis Œnomai apud Lycophr.

Var. 64. *Nil tibi*, 45, 60, 65. — *Gloria nulla est*, 13, 16.

Not. 64. *Ibi*, in his equis. — *Umbrarum*, Manium, hoc loco idem quod *majorum*. — *Dominos mutare jubentur*, venduntur. — *Epiredia*; vide infra Var. Lect. 66.

Not. 65. *Dominos mutare*, ut μεταβάλλειν τοὺς δεσπότας in Luciani Ἐπιεκοπ. cap. 20. Ed.

Var. 66. *Trito et ducunt*, 24; *et trito ducunt*, 13; *tritoque*, 10, 12, 14, 15,

19, 25, 26, 46. 47, 48, 50, 54—59, 71—74, 77. *Trahunt*, 15, 25, 46, 48, 50, 56, 59—69, 71—74, 77. Utrumque recepi, ut oratio lenius fluat. *Trito ducunt*, 16, 17, 18, 20—23, 45, 49, 70, 75, 76, 82, prob. Hein. Confer. ad IV, 63. *Ducuntur*, 47, 58; *vehunt*, 26. — *Epiredia* rectius, quam *epirrhedia* et *epirhedia*, scriptum in 17—20, 23—25, 27, 46—48, 57, 58, 61—63, 66, 67, 71, 72, 74, 76: nam Romani, ut verbis Quintil. Or. I, 5, 68, utar, *fecere hanc vocem ex utraque aliena*, ἐπὶ *Græca et* REDA (vide ad III, 10) *Gallica*.

NOT. 67. *Segnipedes*, βραδύποδες. — *Molis versandis* in pistrinis adhiberi solebant asini mulique senes, cantherii debiles, qui palea vesci, ictibusque exulcerari solebant. [1] — *Nepos* molitor, cujus et Martialis mentionem facit.— Hunc locum gallicis versibus ad verbum transtulit Nostras *Boileau*, Satir. V, 29 sqq. qui etsi pulcherrimam similitudinem poetico admodum colore adumbravit, Juvenalem tamen non vicisse mihi videtur. Ea sunt illius verba :

« Dites-moi, grand héros, esprit rare et sublime,
« Entre tant d'animaux, qui sont ceux qu'on estime ?
« On fait cas d'un coursier, qui, fier et plein de cœur,
« Fait paraître en courant sa bouillante vigueur,
« Qui jamais ne se lasse, et qui dans la carrière
« S'est couvert mille fois d'une noble poussière :
« Mais la postérité d'Alfane et de Bayard,
« Quand ce n'est qu'une rosse, est vendue au hasard,
« Sans respect des aïeux dont elle est descendue,
« Et va porter la malle, ou tirer la charrue. » ED.

VAR. 68. *Privum* conj. Salmas. ad Solin. pag. 61.

NOT. 68 seq. Præclara admonitio, omnibus inculcanda nobilibus. — *Ut miremur te* ipsum tuasque virtutes, *non tua*, majores tuos eorumque imagines, genus et gloriam. *Aliquid* præclari *da*, ede, fac, age. — *Incidere titulis*, basi statuæ tuæ. *Honores*, titulos majorum tuorum.

VAR. 69. *Possis*, 24. — *Inscribere*, 77.

VAR. 70. *Ac*, 10, 12, 14—17, 19—24, 45. *Aut*, 18. — *Dabimus* pro *dedimus* legendum putabant Markland. et *Dusaulx*.

NOT. 70. *Illis*, parentibus, *quibus debes omnia*, omnem honorem et fortunam.

VAR. 71. *Vobis*, 48; *stemma* pro *fama* conj. Jacobs.

NOT. 71. *Juvenem*, Rubellium — Absoluta quam fecit ad Rubellium digressione, redit ad Ponticum. Hæc dicta sufficiant ad istum, quem

[1] Confer Apuleium de Asin. aur. lib. VII et IX; Ovid. Fast. VI, 312, 318 seq.

fama superbire et intumescere, quod Neronem propinquum habeat. Immo illi potius pudori et dedecori esse deberet, ait Lubin. propinquum habere crudelem et tyrannum, et patriæ hostem. Ed. — De quo magis debuit erubescere; vet. Schol.

Not. 72. *Plenum Nerone propinquo*, qui semper in mente et ore habet propinquitatem Imperatoris, quæ ipsi magis tacenda est, quam jactanda. Conf. ad vs. 39 seq. et ad Sil. I, 345 (*haustus medullis Hannibal*).

Var. 73. *Sensus ferme*, 15, 23.

Not. 73. Acerbe, sed vere. *Sensum communem* Casaubonus ad Suet. Claud. 21, capiebat de comitate, vel civilitate, quæ conveniens sit civi, qua civis sit, et quæ Suet. Tit. 8, *popularitas;* Platoni πολιτική, et Senecæ *juris civilis æqualitas* dicatur. Confer. Faberi Progr. de sensu communi. Ansp. 1774, et Bentl. ad Horat. Sat. I, 3, 66. Ernesti in clav. Cic. *sensum communem* Ciceroni monet dici naturalem facultatem intelligendi, judicandi, et, quod bonum rectumque sit, cognoscendi. Quintil. Inst. Or. I, 2, 20: «Sensum ipsum, qui communis dicitur, ubi quis discet, quum se a congressu, qui non hominibus solum, sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregarit?» Ubi Spalding. docte ita disputat: «Ex hoc quod subjicitur post *sensus* vocabulum, apparet vulgo ita appellatam fuisse hanc animi facultatem; quod, ni fallor, ætate Augusti demum fieri cœpit, Ciceroni non adeo usitatum. Apud hunc enim licet satis frequenter *sensum communem* legas, adjungitur fere semper aliquid, unde pro vario nexu disputationis variam locutioni significationem tribuas. Id tamen per omnia ejus loca (verb. causs. Planc. 13, 14; de Or. I, 3; II, 16) observare licet, intelligi id, quod omnes homines sentiant, τὰς κοινὰς ἐννοίας, sive in veritate rerum judicanda, sive in honestate. Non igitur proprie dicitur a Cicer. *sensus communis*, ut per se possit et debeat intelligi, sed pro re nata; et interdum pro eo est *communis prudentia*, *opinio*, *mens* (de Fin. IV, 27; Off. II, 10; de Or. III, 29); etiam *communes sensus* plur. num. dicuntur (de Or. III, 50, et inpr. Cluent. 6) plane pro κοιναῖς ἐννοίαις. Scriptores tamen sub Augusto, eoque recentiores absolute usurpant, ut Hor. Sat. I, 3, 66; Phædr. I, 7; Sen. et Juven. VIII, 73; quem locum nuperus interpres Gall. *Dusaulx* bene reddidit: *Ils ont rarement le sens commun*; qui etiam in nota recte revincit Shaftesburiensem cogitantem cum multis de *popularitate*. *Sensus* ergo *communis* etiam hic est notitia eorum, quæ nosse et sentire homines solent; prudentia, qualis in quovis homine, modo inter homines versatus fuerit, eorumque mores et instituta cognoverit, exspectari debeat, sed potissimum qualis in usu hominum familiari est necessaria. Orta sane appellatio a *communione* talis sensus inter homines, sed quæ sensim in prudentiæ totius significationem abierit, ut posset hæc de ea *Voltarius* ludere: *Le sens commun n'est pas si commun*. Neque hoc solum est vocabulum, quod jam ab argentea, quam vocant, latini sermonis ætate cœperit in eam signifi-

cationem deflecti, quam nunc tuetur in lingua franco-gallica. Ejus generis sunt hæc: *renunciare*, *privilegium*, *publicare*; quæ plane recenti sensu leguntur jam apud Senecam.» — *In illa*, tam ampla.

Not. 74 seq. Poeta a Rubellio ad Ponticum redit. — *Censeri*, judicari, æstimari.

Var. 75. *Sic tu ut*, 19; *si tu nihil*, 13, 20, 22; *nil*, 45.

Not. 75. *Nihil laudis futuræ* (ut *laudis posteræ*, apud Horat. Od. III, 30, 7) *agere*, hoc est, nihil, quod laudem apud posteros mereat et consequatur. — Vide eadem elegantissime expressa a nostrate *Boileau*, Sat. V, vs. 5 sqq. Ed.

Not. 76—78. Præclara sententia, gratissimis imaginibus ac metaphoris expressa. Misera est conditio hominis, non propriis, sed majorum virtutibus laudibusque ita innitentis, ut, his subtractis, imaginarius honor totus corruat, instar tecti, quod, columnis subductis, collabitur, vel vitis, quæ humi jacet et marcescit, nisi ulmis sustentatur. Quemadmodum itaque tecto, ne collabatur, columnis, et viti, ut altius se a terra tollat, ulmi fulcro, ita nobilitati, a majoribus hereditate relictæ, ut splendeat, propriis meritis opus est.

Not. 78. Vites in Italia, ubi altiores sunt, *ulmis*, vel platanis et populis, adjungi, seu alligari solebant; unde *ulmos* pro *vitibus* dixit Juven. VI, 150, et *maritare populos vitibus* Horat. Epod. 2, 10, et *platanum cœlibem arboresque viduas* (hoc est, quibus nullæ vites junctæ, ut h. l. *viduæ ulmi*) idem, Od. II, 15, 4, et IV, 5, 30, ad quæ loca vide Mitscherl. Conf. Heins. ad Ovid. Met. XIV, 666.

Anal. 79—84. Poeta nunc egregie et magno verborum sententiarumque pondere docet, qua ratione veram quis nobilitatem ac gloriam consequi possit.—Vox *bonus* cum vi repetitur.—*Arbiter*, judex; proprie, qui non e certa formula, ut judex, sed ex arbitrio, ex æquo et bono, litem dirimit.—*Integer*, qui neque præjudicatis opinionibus, neque metu, neque gratia, et partium studio, multo minus pretio ducitur, aut pecunia corrumpitur; sanctus et religiosus.

Not. 80—84. Ne imminente quidem vitæ discrimine a virtute et honestate deflectas. Id quam magnifice, et quanta gravitate exprimitur? Confer divina illa loca Horat. Od. III, 3, 1—4, et Epist. I, 16, 73 seq. Notus est *Phalaris*, sævissimus Agrigentinorum in Sicilia tyrannus, ejusque *taurus* æneus, a Perillo fabricatus, in quo inclusi homines, subdito igni, lente torrebantur; quod a Timæo perperam in numerum fabularum referri monet Diodor. XIII, pag. 211. Conf. tamen Lucian. in Phalar. c. 11, tom. II, pag. 197 seq. ed. Reitz.

Not. 83. *Summum crede nefas*, *animam*, vitam, *præferre pudori*, honestati, bonæ famæ et conscientiæ, quæ mox *vivendi causæ* vocantur, quoniam faciunt, ut quis vita dignus sit: qui enim non secundum ra-

tionis virtutisque præcepta vivit, ne dignus quidem est, qui vivat. Bene Kœnig. de Sat. Rom. pag. 68. «Vivimus enim, ut virtuti serviamus; virtuti ergo vita cedat necesse est. Nostrates: *Das Leben ist nur Mittel; der praktischen Vernunft gemäss handeln, höchster Zweck, welcher einem Mittel nie aufgeopfert werden darf.* Gravius sapientia ipsa nihil potest dictare.» Est vero hæc sapientia potissimum Stoicorum. Confer ad XV, 106 seq. Plinius, Ep. V, 5, 4: «Qui voluptatibus, inquit, dediti quasi in diem vivunt, vivendi caussas quotidie finiunt: qui vero posteros cogitant, et memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est.» M. Antonin. lib. VI: Εἰς καρπὸς τὴς ἐπιγείου ζωῆς, διάθεσις ὁσία καὶ πράξεις κοινωγικαί. Cic. de Fin. II, 13: «Aristoteles ait, hominem ad duas res, ad intelligendum et ad agendum, esse natum, quasi mortalem deum.[1]»

Var. 84. *Caussam*, 26.

Var. 85. *Tantum*, vel *secum* pro *centum* conj. Schrader.

Not. 85. *Dignus morte*, qui propter flagitia vel vitam parum honestam, neque aliis fructuosam non dignus est, qui vivat, *perit*, periit, jam vivere desiit, et inter mortuos quasi referendus est, *cœnet licet ostrea centum*, etc., hoc est, quamvis voluptatibus et divitiis affluat.[2] Comparant verba Plin. modo adscripta, et Plinii majoris, Hist. Nat. XIII, 3, de luxuriosis: «Quis non merito judicet periisse tales?» Forte tamen poetæ animo obversabantur, et confessio illa Tiberii Imp. «perire me quotidie sentio,» et quæ ad eam commentatus est Tac. Ann. VI, 6, loco præclaro de internis tyrannorum tormentis, expresso ex verbis Socratis apud Plat. de Rep. IX, pag. 579.

Var. 86. *Toto Cosmi*, 24. — *Aheno*, 25, 27, 46, 47, 49, 57, 58, 60—69, 71—74. Vide ad III, 285.

Not. 86. *Ostrea Gaurana*, prope Campaniam capta, Baiana inprimis, et Lucrina, quæ ceteris præstabant. Vid. ad IV, 141. *Gaurus* certe (hod. *Gierro*), mons Campaniæ, vino nobilis, ad Baias Lucrinumque lacum pertinebat, et Plinius, Hist. Nat. III, 5 seu 9, Massicorum, Gauranorum Surrentinorumque montium mentione facta, hæc adjicit verba: «Hæc litora præter cætera in toto mari conchylio et pisce nobili adnotantur.» — *Centum*, multa. — *Aheno*, non solio, sed vase unguentario, *Cosmi*, viri divitis et luxuriosi, vel unguentarii.[3] «Jam non lini tantum, sed per-

[1] Cf. Casaub. ad Lamp. Hel. c. 5 extr. id. et Kœnig. ad Pers. III, 66, 67.

[2] Grangæus: Qui aliquod facinus atrox et capitale patravit, licet sit inter vivos, tamen millies in die vivens moritur. Britannicus: sceleratus, qui relicta honestate voluptatibus se immergit, omnino perit, nomen et fama ejus omnino exstinguitur, et in obscuro est, de quo nulla unquam fiat mentio.

[3] Vide Martial. I, 88; III, 55, 1; 82, 26; IX, 27, 2; XI, 9, 9; 16, 6; 51, 6; XII, 66, 4.

fundi unguentis gaudent» Romani; Plin. Natur. Hist. lib. XIII, cap. 3.

Not. 87. *Diu exspectata*, votis a te expetita.

Not. 89—93. Caussæ graves provinciæ bene administrandæ, misera conditio provinciarum provincialiumque (quæ vs. 94—112, exquisitis coloribus adumbratur), præmia, bonis præsidibus tributa, et pœnæ, malis inflictæ. — *Sociorum*, provinçialium, quo leniori nomine etiam Cicero, Verr. IV, 35, et al. utitur. —Sic *Crammer*, pag. 319. Ed.

Var. 90. *Videns* aut *vide* (considera eos esse) legendum putabat H. Vales. — *Rerum*, 75. — *Exsucta*, 1, 12, 17, 70, 75—77, 82, et pauci quidem, sed optimi Codd. Paris. *Exusta*, 3, 5, 18, 24, 27, 46, 47, 48, 58. *Exuta*, 2, 10, 13, 15, 16, 20, 21, 22, 29, 45. *Exausta*, 14, 19, 23. *Exhausta*, 25, 26, 49, 50, 54—57, 59—69, 71—74. Sed nostra lectio exquisitior est, hæc glossa videtur.

Not. 90. *Ossa regum vacuis exsucta medullis*, pro, vacua exsuctis medullis, hoc est, ipsos reges (quod Cicero in Verr. et Plut. in Anton. tradit) ac potentiores (vide ad I, 136), aut socios a regibus suis ac potentioribus, in primis a Romanis, provinciæ præfectis (conf. vs. 93—96), omnibus bonis spoliatos ac nudatos; ut nos : *einen bis aufs Mark aussaugen*, et Galli : *sucer quelqu'un jusqu'aux os.* Sic et *exedere*, *medullam perbibere*, *omnem succum ingenii bibere*, *et ossa detegere*, *hirudo ærarii*, aliaque his similia, et contra *plena medulla*, apud Calpurn. V, 115.[1]

Not. 91. *Curia*, senatus, qui provincias decernit, easque juste, et majestati dignitatique populi Rom. convenienter regi jubet.

Not. 92, 93. Qui bene provincias administraverant, iis a provincialibus præter pecuniam amplissimi ac divini honores, verb. causs. fana, dies festi (ut Marcellea a Syracusanis, et Lucullea a Cyzicenis), statuæ, τίθριππα, decernebantur: qui vero male, repetundarum, peculatus, etc. Romæ accusari poterant. — *Fulmine* δεινῶς pro gravi pœna et ira : nam ut fulmina vi sua homines, vel res, sic et judices, et leges, judiciaque capitalia reos prosternunt; nisi forte senatus Roman. hoc loco Jovi, qui iratus fulmina mittit, comparatur, ut Augustus ab Ovid. Trist. V, 2, 53, et al.[2]

Var. 93. *Numitor*, 1, 12, 21—24, 47, 58, 70, 75, 76, 77, 82. *Tutor*, 11, 14—20, 25, 26, 45, 46, 48—50, 54—57, 59—69, 71—74, et X Codd. Paris. quos secutus est Ach. Quænam lectio præferenda sit, non constat; et neutra forsan probanda est. Romanarum certe rerum scriptores, quod sciam, neque Nu-

[1] Conf. Bentl. ad Horat. Epod. V, 37; Casaub. ad Pers. VI, 52, et Heins. ad Ovid. Met. XIV, 208.

[2] Conf. Sil. I, 421; Stat. Silv. V, 2, 102, et Meurs. ad Lycophr. pag. 194, ubi præter alia laudavit verba Artemid. Oneirocr. II, 3 : καὶ γὰρ τοὺς καταδικασθέντας κιρσωνοῦσθαι φασίν.

nitoris, neque Tutoris mentionem faciunt, qui Ciliciæ præfuerit: Julius certe Tutor, Trevir, de quo nonnulli hoc loco cogitarunt, ripæ Rheni, non Ciliciæ, a Vitellio Imp. præfectus. Vid. Tac. Hist. IV, 55. *Sutor*, 10. *Tuto*, 65. *Tutor* conj. Plathner, ut designetur tutor provincialis, qui in municipiis fuerit, quod Romæ tribunus pl.

Not. 93. *Capito*, Cossutianus Capito, Tigellini gener et Ciliciæ præfectus, lege repetundarum damnatus. [1] — *Numitor* forte idem, cujus poeta VII, 74, meminit. Conf. Var. Lect. — *Piratæ*, direptores, spoliatores, *Cilicum;* salse, quasi prædones prædonum, summi prædones: nam *Cilices* infames fuere piratæ, quos domuit Pompeius.

Not. 94—112. Notatur iniqua et provinciarum, et judiciorum conditio, ut I, 47 seq. — Correctio est, ut ait Farnab. *Quid confert*, prodest provinciis quosdam condemnari spoliatores, si veteribus novi pejores succedant et sufficiantur? neque enim provincialibus illa pecunia restituebatur, licet spoliatores condemnarentur. Ed.

Var. 95. *Eripiet*, 19 a pr. m. — *Nacta*, 19, 23, 24, 49, 50, 58, 64. *Nata* 18, 21, 45, 46, 61. — *Relinquit*, 16, 61.

Not. 95. *Pansa* et *Natta* ignota præsidum nomina esse videntur, ut itaque sensus sit: quum malo præfecto non melior, sed vel pejor succedat. Nonnulli nomine *Nattæ* h. loc. Marium, et *Pansæ* ærarium, vel consulem, seu prætorem, vel totum potius senatum romanum significari, et ad damnationem Marii Prisci, proconsulis Africæ, respici putant, qui ob innocentes condemnandos septingenta millia acceperit, quæ senatus non provincialibus reddenda, sed ærario inferenda censuerit; de quo vide I, 47 seq. et Plin. Ep. II, 11 et 12. Huic rationi conveniunt, quæ mox sequuntur, et poeta consulto sermone verbis tecto uti potuit. At senatus vel ærarium non *eripuit* Afris, quæ Marius iis *reliquit*, sed quæ hic iis abstulerat, quæque illi frustra repetebant; nisi forte dicas, Afris reliqua fuisse erepta accusatione proconsulis, quæ et magnis impensis comparanda, et vana fuerit. *Natta* cognomen Pinariæ gentis, de quo vide Ernesti clav. Cic. Alius videtur Natta memorari et Tacit. Ann. IV, 34, et Horat. I, 6, 124, et Pers. III, 31. *Pansa* cognomen Vibiæ gentis, verb. causs. C. Vibii Pansæ Cos. collegæ Hirtii.

Var. 96. Hic versus ante vs. 95 legitur in 7, 10, 12, 14, 17—27, 45—49, 54—60, 65, et omnibus fere Codd. Paris. — *Prætorem Chærippe*, etc. male emend. Plathner hoc sensu: Prætorem, licet illum adspicias in pannis tibi ereptis præsidentem, accusare supersede.

Not. 96. *Chærippus*, nomen Cilicis, judice Grang. inde effictum,

[1] Confer. Tac. Ann. XI, 6; XIII, 33; XIV, 48; XVI, 17, 21, 28, 33; Quintil. Inst. VI, 1, et Dodwell. in Ann. Quintil. § 6.

quod Cilices ut plurimum *equis gauderent*. — *Circumspice præconem pannis tuis*, qui pannos, quos solos tibi præfectus reliquit, sub hasta vendat, ut scil. habeas, quibus vitam sustentare, vel unde grave, quo opprimeris, tributum novo prætori pendere queas.

VAR. 97. *Pendere*, 47, 48, 58.

NOT. 97. *Jamque tace*, patienter fer injuriam tibi factam. — *Furor*, insania, *est*, *post omnia*, post jacturam omnium fere bonorum, quæ avarus provinciæ præses tibi extorsit, etiam *naulum*, ναῦλον, mercedem, quæ pro vectura, seu navigatione solvitur, *perdere*, hoc est, Romam navigare, frustraque postulare præfectum de pecuniis repetundis. [1]

VAR. 98. *Nec*, 14—20, 23, 25, 27, 45—50, 54—69, 71—74.

NOT. 98, 99. Olim non iidem provincialium gemitus audiebantur, neque etiam sensus doloris ob detrimentum, ab hostibus victoribusque in bello acceptum, tam acerbus erat, quum opibus affluerent, et præterea vincerentur tantum, libertatemque amitterent, non vero ab avaris præfectis expilarentur, qui non ditioribus solum superflua, sed pauperibus quoque necessaria auferrent: olim etiam opulenti hostes diripiebantur, nunc pauperes amici ac socii. [2] — *Vulnus* h. loc. mentis, dolor, ægritudo, ut apud Virg. Æneid. XII, 160, et al. passim.

VAR. 101. *Et Spartana*, 23. — *Choa*, 17, 19—22, 24, 27, 45—48, 50, 58, 64.

NOT. 101. *Chlamys Spartana*, purpurea. De Spartanæ vel Laconicæ purpuræ præstantia, vide Plin. IX, 36 seu 60 (ubi conf. Harduin.); XXI, 8; XXXV, 6, et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 18, 7. De *chlamyde* Böttigeri Sabin. pag. 64 et 85. — *Conchylia Coa*, ut apud Horat. Od. IV, 13, 13, *Purpuræ Coæ*, vestes Coæ conchyliatæ, hoc est, purpura infectæ, bombycinæ. De vestibus *Cois* (non *Ceis*, de quo vide Heyne Obss. ad Tibull. II, 4, 29) tenuissimis et *bombycinis*, vide ad II, 65; VI, 260; Plin. XI, 22 et 23, seu 25—27 (ubi conf. Harduin.); Heyne ad Tibull. II, 3, 53, 4, 29, et Böttigeri Sabina, pag. 376, 377, ed. pr. Eædem tingebantur etiam purpura, et inter insulas Ægei maris, Con et Nisyron, seu Porphyrin, magna muricum copia capiebatur. [3]

---

[1] Quæ interpretandi ratio simplicior est, quam altera, a Lubino et Bahrdt. proposita: Vecordis est, accusatione præsidis ad eam inopiam redigi, ut ne triens quidem restet, qui Charonti, inferorum portitori, pro naulo porrigatur; de quo vide ad III, 267. Grangæus comparavit proverbium gall. *Il est si pauvre, qu'il n'a pas de quoi passer l'eau.*

[2] Mentem poetæ, quotquot consului, interpretes non recte ita ceperunt: Olim non sic direpta sunt bona sociorum; sed vix vel recens victi iterum floruerunt.

[3] Vid. Mitsch. ad Hor. Od. IV, 13, 13, et Hard. ad Plin. V, 31, seu 36.

Not. 102. *Parrhasius* Ephesius, nobilissimus pictor, cujus ars et certamen cum Zeuxide passim memoratur. [1] — *Myron*, seu *Myro*, statuarius clarissimus, Eleutheris natus, cujus bucula seu vacca potissimum laudatur. [2] — *Phidias* statuarius omnium celeberrimus, cujus Jove Olympio et Minerva in arce Atheniense nihil in eo genere perfectius fuisse dicitur. [3] — *Ebur vivebat*, hoc est, signa ibi erant ex ebore tanta arte sculpta, ut vivere quasi et spirare viderentur. Quæ signa poetis *viva*, *spirantia* et *animosa* dicuntur, ut γράμματα ἔμψυχα, Theocr. XV, 83. [4] — *Polycletus* Sicyonius, inclytus pictor et statuarius, cujus præcipuum opus Doryphorus. [5] — *Polycleti multus labor*, πόνος, multa opera sedulo labore perfecta. — Conf. intpp. Valer. Flacc. I, 143, et Martial. IX, 45; *Blomfield*, Gloss. ad Æschin. Pers. 757; Clarisse. *Boissonade*, ad Nicet. tom. II, pag. 40, et 368; et recentissimus *Crammer*, pag. 321. Ed.

Not. 104. *Mentor* eximius cælator et sculptor, qui scyphos præcipue, seu pocula exquisita arte cælabat. [6]

Var. 105. Vera fere lectio *Dolabellæ atque*, etc. quumque librarii ignorarent, tres Dolabellas fuisse præsides direptoresque provinciarum, ab aliis repositum *Dolabella e.* (est) *atque*, ab aliis *Dolabella atque*: nam *est* non exstat in 9, 10, 14—20, 23, 24, 26, 27, prob. Plathnero. De quo hiatu vide supra ad I, 151. *Inde Dolabellas atque hinc* emend. Scaliger. Interpunctio post *Verres* vel retineri potest (vide Comm.), vel tolli: *hinc Antonius, inde* (propterea, vel ex his et illis terris). *S. Verres referebant*, etc. Manso conj. *Inde Dolabellæ statuæ; hinc Antonius, inde Sacrilegus Verres referebant*, etc. Sed ὁμοιοτέλευτα in verbis

---

[1] Vide Pausan. I, 28; Athen. XII, 11 (62); XV, 10 (35); Quintil. XII, 10; Plin. XXXV, 6, 9, et inpr. 10; Prop. III, 9, 12, et Horat. Od. IV, 8, 6 seq. ubi conf. Mitscherl.

[2] Vide Anthol. Græc. Epig. IV, 7, pag. 302 seq. Anson. Epigr. 57—60; Plin. XXXIV, 8; Pausan. I, 23; II, 30; VI, 2, 8, et 13; IX, 30; Petron. 88; Prop. II, 31, 7; Cic. Verr. IV, 3, 43, 60; Ovid. P. IV, 1, 34; Mendelssohn Philos. Schriften, tom. II, pag. 179.

[3] Vide Plin. VII, 38; XXXIV, 3 et 8; XXXVI, 6; LVI, 5; Pausan. I, 2, 24, 28; VII, 27; Quintil. l. l. Ovid. ex P. IV, 1, 31 (ubi vide Heins. et Burm.); Cic. Or. 2; Valer. Max. III, 7, extr. 4, et Anthol. Gr. Epig. I, 54, pag. 71, ed. Steph. ubi illud simulacrum Jovis eburneum in septem ita dictis mundi miraculis numeratur.

[4] Vide intpp. Virg. Georg. III, 34, et Æneid. VI, 848; Prop. II, 31, 8; III, 9, 9; Burm. ad Val. Fl. II, 465, 466, et Barth. ad Claud. bellum Geticum, 612.

[5] Vide Ælian. V. H. XIV, 8; Pausan. II, 17, 20, 22, 24, 27; III, 18; VI, 6, et 13; VIII, 31; Cic. Brut. 86, et inpr. Plin. XXXIV, 8.

[6] Vide Cic. Verr. IV, 18 (ubi conf. Græv. et Ernesti); Plin. VII, 38; XXXIII, 11 et 12, seu 53 et 55; Prop. I, 14, 2; III, 9, 13; Martial. III, 41; IX, 60, 16; XI, 12, 5.

inde Dolabellæ statuæ aures offendunt, neque permutatio illa lectionum tam facilis est, quam illi videtur.

Not. 105. His opibus avari provinciarum præsides ad eas expilandas incitati sunt, vel, ut commentarii loco utar verbis Ciceronis, Off. III, 8, de utilitatis vi disputantis, «hinc furta, peculatus, expilationes direptionesque sociorum nascebantur:» nam furta occasione gigni, vel proverbia docent; *et Dolabellæ, Antonius et Verres*, infames provinciarum direptores, exquisite pro furtis et direptionibus sociorum dicti, ut similia centies obvia, verb. causs. *Celæno* inf. vs. 130; *mea Clotho et Lachesis*, IX, 135, et alia. Confer tamen Var. Lect. — *Dolabella* h. loc. vel Cn. Cornelius Cn. F. Dolabella, Cos. cum M. Tullio Decula ann. Urb. DCLXXII, proconsul Macedoniæ, a C. Cæsare adolescente repetundarum postulatus, sed defensus a Cotta et Hortensio; [1] vel Cn. Dolabella L. F. prætor Ciliciæ, accusatus a M. Scauro de repetundis et condemnatus; [2] vel, judice Manso, Ciceronis gener, notissimus ille in secundo triumviratu tribunus, legisque de novis tabulis ferendæ auctor (vid. Dio Cass. XLII, 29, ibique interpp.), P. Cornelius Dolabella, post mortem Cæsaris et C. Trebonii, perfide ab eo ann. Urb. 712 Smyrnæ interfecti (vid. Dio, XLVII, 29), hostis a senatu judicatus, de quo socer Philipp. XI, 2: «Cum hoc hoste bellandum est, a cujus teterrima crudelitate omnis barbaria superata est. Quid loquar de cæde civium Romanorum? *de direptione fanorum?* Quis est, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? Et nunc tota Asia vagatur, *volitat ut rex;* nos alio bello distineri putat.» Poeta tamen tres potius Dolabellas illos, quam unum respexisse videtur. *Antonius* est C. Antonius, M. Antonii oratoris filius, reus factus de repetundis et de majestate, a censoribus anno Urbis DCLXXXIII senatu motus, quod socios diripuisset, sed a sequentibus censoribus restitutus, et Ciceronis in consulatu collega factus. [3]

Not. 106. *Verres*, C. Verres C. F. prætor Siciliæ, quam provinciam triennium obtinuit, atque ita diripuit, ut nihil, quod ad oculos animumque accideret, neque privati, neque publici, neque profani, neque sacri (unde *Sacrilegus*), in tota insula reliquerit; quod Cicero docet, Act. II in Verrem, Or. IV, quæ *de Signis* inscribitur.

Var. 107. *Occulta et spolia*, 50, 64, 74. Sed syll. finalis, per se brevis, sequentibus duobus tribusve consonis, modo corripitur, modo producitur. Vide ad VI, 109. Hiatus quoque Juvenali frequentes. Vide ad I, 151.

Not. 107. *Referebant Occulta spolia*, non palam, ut spolia victorum

---

[1] Vide Suet. Cæs. 4; Cic. Pis. 19, et Brut. 92.

[2] Vide Cic. Verr. I, 4, 15—17, 37, 38, et Ernesti clav. Cic.

[3] Vide Cicer. Cœl. 31, et Vat. 11; Sallust. B. C. 21, et Ascon. ad Cicer. Orat. in toga cand. pag. 979, ed. Græv. et *Crammer*, pag. 321. Ed.

hostium, quæ in triumphis præferri atque ostentari solent, quæque proprie *spolia* vocantur. *Occulta spolia*, furta, rapinas, quas specioso *spoliorum* nomine adornant: nam *furta* occultantur, *spolia* ostenduntur; Ach. — *Plures triumphos de pace*, de pacatis populis ac pacis tempore, quam alii de hostibus et in bello. — Elegantissima est hæc, et maximam vim præferens antithesis: sacrilegi enim isti piratæ non modo spoliabant pacatos populos, sed quasi bellum ipsi paci inferebant, et de ea triumphabant, prædones audacissimi. Ed.

Var. 108. *Juga parva*, 16, 19, 26. — *Boum et grex*, 27, 46, 47, 48, 50, 59—69, 71, 72, 73. — *Equorum*, 18.

Nor. 108 seq. Nunc nihil fere superest provincialibus, quod iis eripi possit, nisi *juga pauca boum*, *grex equarum* (vid. ad Sil. III, 463, et Cerda ad Virg. Æneid. I, 185) etc.

Var. 109. *Eripietur*, 10, 11, 14, 16—20, 23, 25, 26, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, omnesque Codd. Paris. quod restituit Ach. Sed *eripiatur* est exquisitius. *Eripiuntur*, 22, 24.

Not. 109. *Pater armenti*, taurus vel equus admissarius, ἐπιβαίνων, quo erepto etiam spes prolis generandæ præciditur; *Crammer*. Ed.

Var. 110. *Signum est*, 16.

Not. 110, 111. Eripiatur etiam simulacrum Laris, vel dei, quod unum (*deum unicum*) ex pluribus reliquerant priores præfecti. — *Spectabile*, ex ære vel ebore, marmore, auro, argento. — *Ædicula*, sacellum, sive excavatus parietis angulus, in quo signa deorum recondebantur (germ. *Nische*, gall. *niche*), vel in ædibus privatis, vel in templis, et quidem in eorum cella seu penetrali, ταμίνει seu σηκῷ.

Var. 111, 112. Versus forte spurii. Vide Comm.

Not. 111. *Hæc etenim sunt pro summis : nam sunt hæc maxima;* hæc, etsi vilia, nunc avaris direptoribus (nisi malis, pauperibus sociis) *summa* videntur, et recte; nam re vera jam sunt *maxima*, summa, optima, quæ sociis restant, bona. Farnabius et Bahrdt hæc ironice dicta putabant hoc sensu: hæc enim melius conveniunt summis viris, Romanis rerum dominis, quum majus, hoc est, melius nihil supersit. Similiter Cl. Ahlwardt in vers. germ. *Steht in der Blend' ein Gott, auch der einzige! Sind ja dergleichen Nur für die Grossen, und giebts hier besseres?* Reliqui, quos consului, interpretes, præter Prateum, qui varia tentat, quæ tamen minus satisfaciunt, silentio prætermittunt hunc locum, in quo semper offendi. Verba saltem *nam sunt hæc maxima* irrepsisse ex glossa, illis *hæc etenim sunt pro summis* adscripta, et, quæ poeta eorum loco scripsit, excidisse crediderim. Malim tamen vel consilio Heineckii ejicere verba *hæc etenim... maxima*; et *unus* scribere pro *unicus*, vel suadente Manso (qui neminem interpretum in his fraudem aliquam suspicatum esse, non recte notavit), duos versus,

111 et 112, propter tot tamque inanes et ingratas ejusdem sententiæ et eorumdem verborum repetitiones rescindere:

> Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum.
> Forsitan imbelles Rhodios, unctamque Corinthum
> Despicias merito, etc.

— Equidem hunc locum libenter ita intelligerem, ut verba *hæc sunt pro summis*, et *maxima* tantummodo ad Lares referrentur. Miseris enim solum est in pietate solatium; et quamdiu ipsis relinquuntur deorum simulacra, quorum ad pedes queri possunt, in iis spem summam habent, et quodammodo miserias deponunt. Ed.

Var. 112. *Despicies*, 59.

Anal. 112—124. Mordaci joco poeta avaro provinciæ præfecto suadet, quod sponte facturum esse novit, ut scilicet imbelles tantum gentes despoliet, et parcat bellicosis.

Var. 113. *Imbellis*, 22. — *Corinthon* pro vulg. *Corinthum* recepi ex 14—17, 20, 21, 45, 49, 60, 65; quæ doctior scriptura ipsi poetæ, non librariis tribuenda videtur. *Corithon*, 19, 22; *Corynthon*, 24.

Not. 113. *Rhodus*, celeberrima ins. et urbs in mari Carpathio, in quam, ut in *Corinthum*, divitiæ, mercatura partæ, summam invexerant luxuriam et mollitiem.[1] — *Uncta Corinthus*, ut *uncta Tarentus*, apud Sidon. V, 430, quæ *mollis* dicitur Hor. Sat. II, 4, 34, et *madida* sup. VI, 296. Epitheton non tam ad divitias, quam ad voluptates et famosam mollitiem Corinthiorum spectat, quo etiam vis verbi κορινθιάζειν, et forte proverbium οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς, vel

> Non cuivis homini contingit adire Corinthum

(Hor. Ep. I, 17, 36) referendum.[2] Simili sensu dicitur *fluere mollitia, diffluere luxuria, vino et unguentis madere, madidum esse, irrigari, dilui, tingui, proluere se*, βρέχεσθαι, τέγγεσθαι (v. Drak. et quæ notavimus ad Sil. XII, 18).

Var. 114. *Despicies*, 19. — *Quid resinata*, 2, 10, 11, 12, 14—21, 23, 26, 27, 47, 48, 54, 58, 70, 74—77, 81, 82. Recte. *Quid enim resinata*, 22, 45, 46, 50, 61—69, 71, 72, 73. *Nam quid resinata*, 24, 25, 49, 55, 56, 57, 59, 60, 65. Non defuere, qui alterutrum probarent, decepti prava lectione Martial. III, 67, 2. Sed syll. priores voc. *resina* producuntur ubivis. Hinc Raderus ad Martial. loc. cit. emend. *nec resinata*.

---

[1] Conf. VI, 296; Strab. XIV; Plin. V, 31, seu 36; Pind. Olymp. VII; Gell. VII, 3; Plutarch. Opp. tom. II, pag. 525, B. ed. Frft. et inpr. Athen. XIII, 2, qui præter alia memorat, apud Rhodios lege quidem cautum esse, ne quis radatur, sed neminem propterea accusari ac puniri, quod omnes radantur.

[2] Confer. Gellii Noctes Atticæ, I, 8; Mart. Epigr. lib. X, 65; Erasmi Adag. IV, 4, 68, et *Crammer*. Ed.

Not. 114. *Resinata juventus*, levigata resina, quæ evellendis e corporibus pilis adhibebatur, ῥωπαχιζομένη, καταπιττουμένη, unde mox *crura levia*, et contra *Hispania horrida*, aspero duroque cultui adsueta, et bellicosa. Vide ad II, 12. — *Horridum militem esse debere* ait Livius, lib. IX, cap. 40; nost. edit. tom. III, pag. 98. Ed.

Not. 116. *Gallicus axis*, cæli tractus. Alii Galliam, respectu Romæ ad polum Arcticum, seu septemtriones vergentem, alii vero Gallos, e redis vel carris pugnantes (vide Cæs. B. G. I, 51), designari putant. — *Gallicus axis* docte dicitur Gallia, ut Illyricum mox *Illyricum latus*, quoniam in longum est porrectum, secundum litus maris Hadriatici dextrum. Conf. Heins. ad Ovid. Epist. Her. XII, 27. Cum delectu autem memorantur hoc loco bellicosissimi populi, Hispani, Galli et Illyrii. Horum (Illyriorum) ferocia vel tironibus nota ex Liv. X, 2; XL, 42; XLII, 26; XLIV, 27; Flor. II, 5, et 13. In Hispaniam Illyricumque luxuria nondum immigraverat, et Gallia semper inclinabat ad seditiones.

Var. 117. *Illyricique latus* legit N. Heins. ad Ovid. Her. XII, 27. — *Et* abest a 16. — *Istis*, 21. *Ipsis*, 20.

Not. 117. *Messores* hoc loco non sunt Ægyptii, sed, quod ex vs. 120 intelligitur, Afri, quibus Italia maximam frumenti copiam debebat. Sic et *messor Arabs*, Mart. III, 65, 5. De fertilitate Lybiæ, unde ingens sæpe vis frumenti Romam advecta, et de classibus Alexandrina atque Africana, quarum illa ab Augusto, hæc a Commodo instituta, vide Plin. V, 4, et al. [1] Locus noster, judice Grangæo, desumptus ex Varrone, de Re Rust. «Manus movere maluerunt in theatro et circo, quam in segetibus ac vinetis: frumentum locamus, qui nobis advehat, qui saturi fiamus, ex Africa et Sardinia.» — Vid. *Crammer*, pag. 322. Ed.

Var. 118. *Qui saturant turbam*, hoc est, plebem romanam, corrig. *Dorléans.* — *Circis*, 14, 17, 20, 21.

Not. 118. Poeta facete suadet, ut Africæ parcatur, ne Romani esuriant, et σαρκαστικῶς Romam appellat *urbem circo scenæque vacantem*, hoc est, ludis circensibus atque theatralibus impense indulgentem seu intentam; quo simul innuit, Romanos et ab agro colendo rusticoque opere alienos, et molles atque imbelles esse. Confer III, 223; X, 80, 81, et XI, 53. Hennin. existimat, acerbo etiam morsu vellicari socordiam populi romani, qui, ludis deditus, et arte dominantium ita occupatus, de nulla re minus, quam de amissa libertate recuperanda cogitarit. — *Vacantem circo*, ut *vacantem ludo*, apud Rutil. Itin. I, 377, ubi vid. Wernsdorf. Poet. Lat. min. tom. V, pag. 556. *Circo scenæque vacantem*, ut apud Tac. Hist. I, 4: «Plebs sordida et circo ac theatris sueta.» *Crammer.*

[1] Bochart. Phaleg, pag. 535 seq. Barth. ad Claudian. b. Gild. vs. 51 seq. et Lips. Elect. I, 8.

Not. 119. Quantula etiam spolia referres ab Afris, quam parum commodi perciperes ex iniqua illorum direptione (quæ *dira culpa* δεινὴ dicitur), quum nuper eos expilaverit *Marius* Priscus; de quo vide supra ad vs. 95.

Not. 120. *Tenues*, jam exhaustos, et ad inopiam redactos. — *Discinxerit*, facete pro spoliarit, proprie vestimentis. Grangæus putabat, id dictum esse pro : zonam abstulerit, id est, pecuniam, quæ in zona ferebatur (vide ad XIV, 297), poetamque consulto usum esse hoc verbo, quod Afri vocentur *discincti*, Virg. Æneid. VIII, 724. — Cf. ad Sil. II, 56; VII, 153; VIII, 34, et Ernesti clav. Cic. et *Crammer*, pag. 323. Ed.

Not. 121—124. Sapiens consilium dignumque, quod animo sibi infigant tyranni.

Not. 122. *Fortibus*, iisque *miseris*, inopibus, ad pauperiem redactis.

Var. 123. *Relinques* pro *relinquens* restitui ex 11, 14—21, 24, 27, 45—50, 54, 55, 56, 59—63, 65, 68, 71—74, 76.

Var. 124. *Jacula*, 12, 14—20, 25, 45—50, 57—63, 65—69, 71, 72, 73.

Var. 125. *Verum est. Credite*, etc. 75, 76, 82. Ego *verum Credite*, revocavi ex 10—27, 45—50, 54—74, 77.

Not. 125. *Quod modo proposui*, dixi de provincialibus bellicosis ac fortibus non injuria afficiendis, ne arma capessant, et desciscant ab imperio nostro, *non est sententia*, mens tantum mea et vana opinio, nisi malis, non est sententia arguta (*witziger Einfall* Bahrdt, Græc. γνώμη), *verum credite*, *me vobis folium recitare Sibyllæ*, illud non minus certum esse, quam quod oraculum aut Sibylla dicit (ut apud Ovid. Art. Am. II, 541:

Hæc tibi non hominem, sed quercus crede Pelasgas
Dicere.....

et sup. VI, 554, *credent a fonte relatum Hammonis*), vel, quod malim, credite, me non vana conjectura augurari, provincias male administratas olim a nobis defecturas esse. Sic magna vis inest his verbis, et civibus suis admodum salutaria suadet poeta. Neque inanis videri poterat tum temporis hæc prædictio, cui etiam eventus respondit. — *Crammer*, p. 323. Ed.

Var. 126. *Recitasse*, 22, 24, 28.

Not. 126. *Folium*, oraculum. Sibyllam enim Cumanam, priscorum hominum more (de quo vid. Hard. ad Plin. XIII, 11), in palmarum *folia* oracula scripsisse, vel ex Virg. Æneid. III, 445, et VI, 74 seq. notum est. — Farnab. notat Latinos de re certissima solitos dicere : *Folium Sibyllæ*. Racinius magnus sic in Iphigenia sua, act. III, scen. 7 :

« Cet oracle est plus sûr que celui de Calchas. » Ed.

Not. 127. *Cohors prætoria* dicuntur comites eorum, qui provinciis præficiuntur, medici, scribæ, præfecti, haruspices, præcones, accensi. — *Nemo*, nullus, *Acersecomes*, ἀκερσεκόμης seu ἀκειρεκόμης, intonsus (quæ

perpetua Bacchi et Apollinis epitheta sunt), formosus puer, et quidem hoc loco cinædus, catamitus, pathicus. — *Si nemo*, tibi gratiosissimus, et corruptus ab aliis, *vendit tribunal*, sententiam a te judice ferendam.

Not. 128. *Si nullum in conjuge crimen*, si conjux tua neque ipsa quid rapit, neque te cupiditate vel rapiendi, vel quod se corrumpi passa est, sententiam inique ferendi, incitat. — Cf. omnino Tacit. Annal. III, 33, ibique Lips. et *Crammer*, pag. 323. Ed.

Var. 129. *Nec cuncta*, 25, 27, 45, 46, 48—50, 54, 55, 57—69, 71, 72, 73. *Ne cuncta*, 47.

Not. 129. *Conventus*, urbes, in quibus forum seu conventus judiciales agebantur. Vide Ernesti clav. Cic.

Var. 130. *Parat*, 13—24, 27, 45—50, 59—65, 68, 71, 72, 73, 77.

Not. 130. *Celæno* cohors et conjux tua avara atque insatiabilis, vel potius avaritia tua, hoc est, tu ipse, qui avarus et rapax provinciæ præfectus es (conf. ad vs. 105). Proprie ita dicebatur una Harpyiarum, de qua, ut de reliquis Harpyiis, earumque forma, nominibus et rapacitate, vide Virg. Æneid. III, 211 sq. ibique Heyne in Exc. VII, et Herrmanni Mythol. tom. I, pag. 400. Similiter Rutilius, Juvenalem imitatus, avaros iniquosque judices vel præfectos dicit.

Harpyias, quarum decerpitur unguibus orbis,
Quæ pede glutineo, quod tetigere, trahunt, etc.

in Itinerar. 609 seq.

Var. 131. *Tum*, 11, 14, 17, 18, 21. 22, 45. *Tu*, 20.

Not. 131. *Picus*, fabulosus Aboriginum rex, Saturni filius, pater Fauni, avus Latini. [1] — *Alta*, prisca et magnifica. Vide ad VI, 385.

Var. 132. *Delectent*, 13. — *Titanida turbam* vel *pubem* conj. Schrader coll. Virg. Æneid. VI, 580.

Not. 132. *Titanida*, Titaniam, *pugnam*, hoc est, Titanas, qui cum diis pugnarunt. De *Titanibus* vid. Hermann. loc. laud. pag. 40 seq. et de *Prometheo*, pag. 48 seq.

Var. 133. *Pones*, 25, 46—49, 54—60, 65. *Pingas*, 10, 13, 14, 17, 20, 21 a m. pr. 22.

Not. 134. *Proavum*, generis auctorem, sive majores.

Var. 135. *Ambitus*, 7, 10—27, 29, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et plerique Codd. Paris. quod recepit Ach. ob gratiorem auribus sonum, et quia aptior h. loc. sit *ambitus*, Gall. *intrigue*, *cabale*.

[1] Vid. Heyne, Exc. V, et not. ad Virg. Æneid. VII, 48, et 187 seq. *Creuzer's Symbolik*, tom. II, pag. 482; tom. III, pag. 228; t. IV, pag. 461 sq.

Not. 136, 137. A lictoribus cives vel provinciales, capite damnati, primum *virgis* cædebantur, et deinde percutiebantur *securi*. Vid. ad vs. 268. — *Si te delectant hebetes lasso lictore secures*, δεινῶς ac venuste de summa sævitia, quæ sic et XIV, 18 sq. adumbratur. — *Crammer*, pag. 323. Ed.

Not. 138—141. Pulchra ac vera sententia, a nobilibus nunquam ex animo dimittenda. Conf. præclara loca Cic. ad Herenn. IV, 47; Sallust. Bell. Jug. 85, et Bell. Cat. c. 51, et *Crammer*, pag. 325. Ed.

Not. 139. *Facem præferre pudendis.* Nobilitas parentum tuorum pudendis et turpibus tuis factis facem præfert, ut turpitudo tua eo clarius pateat, et omnibus innotescat. Totum hunc locum solito ingenii acumine imitatus est *Boileau*, Sat. V, 80 sqq.

« Alors soyez issu des plus fameux monarques;
« Venez de mille aïeux; et, si ce n'est assez,
« Feuilletez à loisir tous les siècles passés;
« Voyez de quel guerrier il vous plaît de descendre.
. . . . . .
« Ce long amas d'aïeux que vous diffamez tous,
« Sont autant de témoins qui parlent contre vous.
« Et tout ce grand éclat de leur gloire ternie
« Ne sert plus que de jour à votre ignominie. » Ed.

Not. 140. *Crimen conspectius*, magis conspicuum (vide Ernesti ad Suet. Claud. c. 4).

Var. 141. *Quanto, qui peccat, major habetur*, 10.

Not. 142. *Quo*, quare (ut vs. 9, ubi vide not.), *mihi te* jactas, vel quid prodest, te nobile mihi prædicare genus, qui gloriæ majorum tuorum labem adspergis? Magna vis inest in his versibus, quibus filii scelera parentum virtutibus opponuntur. Sed minus illi placent, quoniam eadem sententia repetitur, quam poeta jam vs. 6—18 simili modo expresserat. — *Tabellas* testamenti *in templis* deponebant Romani, quæ tuta erant religione deorum militumque excubiis. Conf. XIV, 260, et ad Tac. Annal. I, 8. Ibidem quoque *signabant*, ut ostenderent, fidem religione maxime constringi; Britan. Præterea hoc loco memorantur *templa*, *quæ fecit avus*, condita a majoribus piis et religiosis. — *Statuam ante triumphalem parentis*, ut supra vs. 11, *ante Numantinos.*

Not. 145. *Velas adoperta*, ut apud Virg. Æneid. III, 405. — *Cuculio*; vide ad III, 170, et VI, 118. Quod ad sensum attinet, confer Horat. Sat. II, 7, 55 seq. Plin. Epist. III, 12, et Propert. II, 29, 12, ubi vide Vulp. — *Santonico*, Gallico, epith. orn. a Santonibus, populo Aquitanico inter Ligerim et Garumnam, ubi nunc *Saintonge*.[1]

[1] Confer ad XVI, 13; Martial. I, 54, 5, et iupr. XIV, 128, 1: *Gallia Santonico vestit te bardocucullo*; et *Crammer*, pag. 326. Ed.

Nor. 146 seq. Poeta perstringit mores sui et potissimum Neroniani ævi, quo primores civitatis, præter alias artes parum honestas et inprimis scenicas, etiam aurigationem exercebant, exemplo Imperatoris, eique placendi studio. — *Damasippus* ex 10—12, 14—27, 45—50, 54—66, 71—74, 77, omnibusque MSS. Paris. præter Putean. restitui h. loc. et vs. 151 et 167, ubi vet. Schol. monet, ita legi in aliis Codd. Hæc lectio firmatur omnium fere librorum auctoritate, et hoc loco aptissima est. Ficto nomine designatur vir nobilis et δαμάσιππος, domitor equorum, qui vulgo Græcis ἱππόδαμος dicitur. Vide Comment. ad I, 59. *Damasippus* etiam cognomen fuit Liciniæ gentis, et notissimi prætoris, qui Carbonem interfecit (vide Vellei. II, 26, et Cic. ad Div. IX, 21); nec non ejus, qui statuas amabat, de quo vide Horat. Sat. II, 3; Cic. ad Att. XII, 29, 33, et ad Div. VII, 23. — *Lateranus*, 70, 75, 76, 81, 82; Cod. Putean. et 1, infra vs. 167. Ita quoque significatur quilibet nobilis vel summus magistratus: nisi re vera talis olim Lateranus vixit. Ex hac familia clarissimus fuit Plautius Lateranus, Messalinæ adulter, et consul designatus ann. Urb. cond. DCCCXIX, quo in Neronem conjuravit, et occisus est. Vide Tac. Ann. XI, 30, 36; XIII, 11; XV, 49, 60: *Lateranorum egregiæ ædes*, quarum mentio fit infra X, 17, sitæ in Cœlio monte, quo loco deinde exstructa D. Johannis ædes sacra et basilica, quæ a Constantino Magno dono data est Sylvestro, summo pontifici, et vulgo nunc *Lateranum* dicitur. Conf. notata in Var. Lect. ad VII, 139. — *Præter majorum cineres atque ossa*, in via Appia, Latina, Flaminia et aliis. Vide ad I, 171. Vox *ipse* δεινῶς repetitur.

Var. 148. *Stringet*, 11. *Stringit*, 15, 16, 21, 22—25, 27, 45—50, 54—69, 71—74. — *Adstringit; Crammer*, pag. 327. Ed.

Nor. 148. *Sufflamen*, τροχοπέδη, lignum, vel ferrum, quod per radios rotarum trajectum, earum cursum sistit; unde *litis sufflamen*, mora ejus et dilatio, XVI, 50; et *Aterius noster* (orator) *sufflaminandus est*, apud Senec. Exc. Contr. IV, Præf. Nota *F. Didot* in edit. Ach. est: «Forte *sufflamen* vox efficta a Juven. ex *sub* et *flare*, unde Galli fecerunt *souffler*. Ita *multo sufflamine* est, multo et vehementi anhelitu; quo recte atque satirice admodum pingitur Damasippus pinguis et corpulentus, sudans, anhelans et *sufflans* in rota currus stringenda.» — Huic notæ suffragati quoque sunt viri cl. *Raoul* et *Méchin*, quibus ego non adstipulor. Ed.

Nor. 149, 150. Tam inhonestas artes, quæ ne clam quidem et nocte obscura exercendæ sunt, splendente luna factitare eum non pudet. — *Luna videt, sidera testes Intendunt oculos*, ut VI, 411, ubi vide notam, si placet. — *Tempus honoris*, consulatus; quæ summa dignitas pudorem ipsi incutiebat.

Var. 152. *Nusquam*, 10, 15, 15, 21, 22, 23, 26, 46—50, 54, 55, 56, 59, 60, 62, 65—69, 71—74.

Not. 152. *Trepidare* Græcorum more cum quarto casu etiam jungitur, X, 21, ut *tremere*, apud Sil. II, 53 (ubi vide not.), et Val. Flac. V, 520 (ubi vide Burm.), vel *horrere* passim. — *Amici jam senis*, ætate meritisque venerabilis.

Var. 153. *Hac virga*, 19. *Et virga*, 22. — *Annuit*, 16. *Innuet*, 18, 46, 48, 49, 56, 60—63, 65, 68, 71—74, 77. *Innuit*, 25, 57, 66, 67. *Juvet*, 59.

Not. 153. *Virga adnuere*, flagello signum dare (ut III, 318), et quidem hoc loco honoris ac reverentiæ, hoc est, salutare. — *Manipulos*, fasciculos fœni. Sic *Crammer*, pag. 328. Ed.

Not. 154. Omnia vilis agasonis munia implebit, Ach. *Infundere jumentis hordea*, ut τοῖς ὑποζυγίοις ἐμβαλεῖν τὸν χόρτον, apud Theophr. Char. IV. — *Hordeum*, non avena, Italis equis pabulum, unde *hordearium æs*, quod pro hordeo equiti romano dabatur; Grang.

Var. 155. *Furvumque* et *probumque* quidam. — *Jumentum*, 16.

Not. 155. *Lanatas* oves. — *Torvum* epith. orn. perpetuumque boum. Nam præcipua frontis asperitas in hoc pecore apparet; Ach. Juvenali hoc loco, et XII, 5, ante oculos fuisse Virg. Æneid. IX, 629, suspicabatur Pith. — *Crammer* vult *robum*, rufum, robustum; pag. 329. Ed.

Not. 156. *Cædit*, in abdicatione magistratus aliisve solemnibus. — *More Numæ*, non regio, sed palam et prisco ritu, præ se ferens speciem religiosi, qualis Numa fuit. Quibusdam hoc loco *Numa* satirice tangi videtur, qui, quamvis religiosus videretur, tamen nulla religione tenebatur, quique apud ethnicos auctores politicus magis, quam pius judicatur; qui demum, ut ait Lactant. I, 22, «quum alios falleret, se ipsum non fefellit;» Ach. — *Jurat* clam.

Var. 157. *Eponam*, 1, 70, 75, 76, 81, 82. Conf. Turneb. Advers. XXIV, 4, et Comm. *Hippo*, 2, 50, 64, 74. *Hipponem*, 61. *Hypponam*, 23, a m. sec. *Hipponam*, 12, 49, 62, 63, 65—69, 71, 72, 73. Non male; sed metri leges adversantur. Hinc vox *Solam* ejecta videtur ex 16, 61, 62, 63, 65—69, 71, 72, 73; ex aliis vero altera litera *P*. Inde *Hiponam*, 18, 25, 55, 56, 57, 59, 60, 65. *Hyponam*, 10, 15, 16, 27, 45—48, 54, 58. *Yponam*, 14, 17, 19—24. Quæ lectiones etiam in MSS. Paris. reperiuntur. *Hippo* vel *Hippona* memoratur in rarissimo numo apud Seguin. select. numism. pag. 12; et diversa forte numina fuere *Epona* atque *Hippona*, e quibus illa asinis præfuit (dicta ab ἐπὶ et ὄνος), hæc vero equis, τοῖς ἵπποις. — *Crammer* vult *Eponam*, pag. 332. Ed.

Not. 157. *Jurat* per *Eponam*, ut ὄμνυμι τοὺς θεούς.[1] — *Epona*, dea mu-

[1] Vide Herodian. II, 10, et Theocrit. XXX 22 seq. Conf. Broukh. et Heyne ad Tibull. IV, 13, 15.

liohum; Schol. [1] Jurat autem quisque per ea nomina, quæ maximi facit, et unde sibi bona sperat; ut puer ille apud Aristoph. in Nub. Νὴ τὸν Ποσειδῶ τουτονὶ τὸν ἵππιον, et indignans pater, μή μοί γε τοῦτον μηδαμῶς τὸν ἵππιον, quæ verba poetæ ante oculos fuisse putabat Lips. Epist. Quæst. lib. II, Epist. 9. Conf. Var. Lect. — *Facies* Eponæ et similium numinum.

Not. 158. *Quum*, aurigatione, vel in aliquod tempus vel imminente nocte intermissa, *placet* Laterano, *popinas instaurare*, repetere, denuo invisere: nam et hoc facit exemplo Neronis, de quo vide Suet. c. 26. — *Pervigiles*, quæ per totam noctem patent, vel in quibus per noctem vigilant, et genio indulgent, qui eas frequentant, ut *pervigili toro*, XV, 43, et *vigiles fenestræ*, II, 275.

Var. 159, 160. In 22 et 23, ita coaluere: *Obvius adsiduo Syrophœnix incola portæ*. Error inde natus, quod voc. *Syrophœnix* bis legitur. Vide supra ad II, 24. — *Unctus* pro *udus*, 16, 44. Vide Heins. ad Ovid. Art. Am. I, 76, et Fast. V, 340. — *Assyrio* pro *adsiduo* conj. *Dorléans*, quod etiam C. Valesio nobisque in mentem venit. Optimum amomum fuit Armenium, quod poetis *Assyrium* dicitur. Conf. auctores in Comment. laudatos, et quæ diximus ad Sil. Ital. XI, 402. Sed verba *Assyrio* et *Syrophœnix* male junguntur, nec est, quod displiceat *adsiduo*, hoc est, adsidue.

Not. 159. *Syrophœnix* tabernarius, seu unguentarius: nam ex Syria optima mittebantur unguenta, et qui ea componebant. Confer. Heins. ad Ovid. Art. Am. I, 76. Vetus Syria fuit triplex, Συρία Κοίλη, Φοινίκη, Παλαιστίνη. Sed passim etiam incolæ Cœlesyriæ vocantur *Syrophœnices* (vide Bocharti Chan. I, 1). — *Amomum* frutex, Armeniæ potissimum ac Mediæ, et deinde unguentum inde paratum. [2] — *Adsiduo* pro adsidue. *Obvius currit* Damasippo, lætus ejus adventu, blandiusque eum excepturus.

Var. 160. Abest ab 18. *Curret*, 12, 15, 17, 18, in marg. 19, 24.

Not. 160. *Porta Idumæa* portus vel opp. aliquod Idumææ, per quod, tanquam portam, transvehebantur merces ex India et Perside in romanum imperium; ut *porta Syenes*, XI, 124, ubi sermo est de dentibus elephanti, qui ex Æthiopia in Ægyptum, et inde Romam advehebantur per Syenen, penins. in finibus Æthiopiæ et Ægypti, per quam, tanquam portam, transitus est in illas terras. Similiter fere *janua Baiarum* dicuntur Cumæ, III, 4, nisi *porta* hoc loco pro urbe posita est, ut forte XI, 124,

[1] Conf. Apul. Metam. III, pag. 97 (pag. 141. ed. Elm.); Minuc. Octav. c. 26 (ubi vide Cell.); Tertull. Apolog. c. 16, p. 159 (ubi vid. Haverc.); Prudent. Apoth. 265; Plut. Parall. minor. c. 29, tom. II, pag. 312 (Ἐστὶ δὲ θεὸς Ἐπόνα πρόνοιαν ποιουμένη ἵππων), et Gruteri Inscriptt. IV, et V, p. 87.

[2] Vid. Dioscor. I, 14; Plin. XII, 13; XVI, 32; Martin. et Heyne ad Virg. Eclog. III, 89; IV, 25, et inpr. Heins. ad Ovid. Ep. Heroid. XV, 76.

et Valer. Flacc. I, 676, sæpiusque πύλη, שַׁעַר, etc, in sacris literis linguisque orientis, quoniam *porta* fuit præcipua oppidorum pars, ibique forum, comitia, etc. Calderinus et Ach. et *C. de Haugwitz, Idumæam portam* dici putant eam, per quam triumpharint Vespasianus et Titus de Judæis, et fortasse arcum triumphalem Titi, juxta quem frequentes fuerint popinæ. *Idumæa*, quæ proprie pars Judææ est, poetis tota dicitur Judæa.

Not. 161. *Hospitis affectu*, blando cauponis sermone. — *Dominum regemque salutat* Damasippum, ut apud Martial. I, 113, 1; IV, 84, 5; X, 10, 5; Grang. *den gnädgen Herrn und hohen Gönner;* Bahrdt.

Not. 162. *Cyane*, tabernaria, vel famula et prostibulum. — *Succincta* more eorum, qui togam succingunt, ut expeditius ministrare, vel opus quodcumque facere possint, adeoque sedula. Conf. ad IV, 24. — *Lagena*, vino. — *Crammer*, pag. 332, idem intelligit. Ed.

Var. 163. *Dicit*, 12, 14, 26, 45.

Not. 163. *Defensor culpæ*, qui vitio hominum excusare amat, vel qui Damasippum defendit, ejus amicus.

Not. 165. *Breve sit.* Pulchra sententia, ait Britann. Si vis veniam delictorum tuorum consequi, aliquando turpitudinem exosus, honestiorem vivendi rationem ingredere. Innuit ergo poeta cujusvis hominis esse ut erret; sed nullius nisi insipientis in errore perseverare. Ed.

Var. 166. *Resecantur*, 10, 11, 13, 14, 15, 20, 26, et XIV Codd. Paris.

Not. 166. *Cum prima barba resecentur*, jam a prima deponantur adolescentia. Conf. ad VI, 105.

Not. 167 seq. Sed venia indignus est Damasippus, qui etiam nunc, ætate jam provectus, eumdem vitæ cursum sequitur.

Var. 168. *Balnea* pro *lintea*, 26. — Vid. *Crammer*, pag. 333. Ed.

Not. 168. *Thermarum*, thermopoliorum, ut XI, 4. In his ut plurimum bibendi locus.[1] In iisdem homines otiosi et nequam, aut in furto exercitati. Conf. Plaut. Trin. IV, 3, 6 seq. Nota C. Valesii est: *Thermæ* hoc loco popinæ, quæ erant thermopolia, in quibus calida vendebantur edulia; unde XI, 81, *calida popina*, θερμοπωλεῖον, seu θερμοκαπηλεῖον. — *Inscripta lintea* exponit Calder. sudaria, varia textura inscripta, quibus in thermis detergebantur, ut *Sudarium Sætabum catagraphonque linum*, Catull. XXV, 7 (ubi lectio est dubia); Schol. vet. picta vela popinæ, aut lintea carbasinea; Farnab. inscriptionem rerum in popinis lupanaribusve venalium, seu meretricum, in cellis prostantium, ut *titulus Lyciscæ*, supra VI, 123 (ubi vide not. Sed cur hæc *lintea?*). Grang. popinam seu lupanar, ante

[1] De quo vid. Epigramm. XII, 71; Quintil. I, 6; Senec. Epist. 122, et al. Grang.

cujus ostium foresque erat velum, ὀθόνιον, oppansum, ne quis per forium rimas introspicere posset (vide ad IX, 105) *inscriptum*, acu pictum, et *linteum*, orbiculos quosdam habens, ut adduci et reduci facilius posset, ut docet ex Dione Casaub. ad Suet. Ner. et Ramir. ad Martial. I, 35, 5, 6. Conf. Martial. XI, 46, ex quo etiam suspicari possis, hoc loco legendum esse *inscriptaque limina*, hoc est, fores cellæ inscriptæ.

Not. 169. *Maturus bello*, hoc est, militiæ; jam ea ætate est, ut pro patriæ salute pugnare, eamque armis defendere queat. — *Armeniæ Syriæque amnibus*, Tigridi et Euphrati, terminis romani imperii in Oriente, ut *Rhenus et Ister*, seu Danubius, in Occidente et Europa. Conf. ad vs. 51, 52.

Var. 170. Post *Istro* nulla distinctio reperitur in edd. quibusdam, etiam Hennin. et Bipont.

Not. 170. *Neronem* proprie hoc loco dixit poeta, vel σαρκαστικῶς pro *Calvo Nerone*, hoc est, Domitiano; vel pro quovis Imperatore, et pro imperio romano. — Alio sensu locum capit clar. *Achaintre*, cujus nota est: « Hac ætate potest tueri, defendere Imperatorem, vel etiam munia ejus implere, personamque sustinere. Hoc σαρκαστικῶς dictum in Imperatores, qui per legatos bella gerebant. » Equidem ab ea sententia recedo, verbaque simpliciter adhibita arbitror. Ed.

Var. 171. *Hostia*, 17—24, 27, 45—50, 59, 61—64, 68, 71, 72, 73, 77.

Not. 171. *Mitte* scilic. exercitum, vel potius *mitte legatum*, *Cæsar*, ad *Ostia*, ad ostia Tiberis, ad portum Ostiensem, ut ibi naves conscendat; at invenies eum in *popina*. Propter verba tamen præc. præstiterit Rheni, Istri aliorumque fluviorum *ostia* vel ipsa flumina, præsidiis tuenda, intelligere. « Poetæ etiam, quum Ostiensem portum per plurale nomen *Ostia* designant, addunt epitheton *Tiberina*, vel simpliciter hunc portum *Ostiam* vocant; » Ach. — Attamen non video cur absolute dici *Ostia*, *Ostiorum* nequeat, quum legere sit apud Strabonem, lib. V, pag. 330, edit. Oxon. 1807: κτίσμα δ' ἐστὶ τὰ Ὄστια Ἄγκου Μαρκίου. Hunc locum quidam ita exponunt: « si quæris legatum, o Cæsar, mitte aliquem in urbem Ostiensem, qui eum ibi quidem reperiet, sed in caupona. » Porro in urbe Ostiensi vulgo morabantur legati et duces, quia inde naves cum exercitu conscendebant, bellum, quo jussisset Imperator, deportaturi. Equidem sensum sic potius expositum malo: Omitte, prætermitte Ostia, noli quærere legatos ibi (vel, si quis malit, in castris ad ostia fluviorum); non ibi inveniendi sunt nobiles isti, quos genus et natalium splendor ducendis exercitibus destinant; hos crapula graves, diffluentes luxuria in popinis deprehendes. Ed.

Var. 172. *Togatum*, 56, 59.

Not. 173 seq. Conf. Apul. Met. VIII, pag. 201, 13, ed. Elmenh. « Erat in proxima civitate juvenis natalibus prænobilis, sed luxuriæ

popinalis, scortis et diurnis potationibus exercitatus, atque ob id factionibus latronum male sociatus, nec non etiam manus infectus humano cruore. » — *Jacentem*, imbellem mollemque hominem, in lecto ad mensam accumbentem. — *Fugitivis* servis.

Var. 174. *Permixtum*, 17—24, 27, 48, 59—61, 64. *Permistum* in reliquis. Sed illa scriptura rectior. Vide Cellar. Orthogr. lat. pag. 290, ed. Harles. — *Aut furibus, aut fugitivis*, 10, 11, 14, 15, 17, 19—22, 25, 45—50, 54—60, 62, 64—69, 71—74. *Ac furibus et fugitivis*, 18. *Et furibus et fugitivis*, 23.

Var. 175. *Flabros sandapilarum* male emend. Vulcan. hoc est, nondum magistros artis, quoniam in Gloss. Isidori *flabri* dicantur *fabulosi*. Vetus schol. h. loc. est: «Si *sandaliorum*, sutores ac per hoc abjectæ sortis homines: si *sardanafallos*, infamis hominis nomen est: si *sandapilarum*, lectorum, in quibus gladiatores mortui de amphitheatro ejiciuntur.» — Vid. *Crammer*, p. 335. Ed.

Not. 175. *Carnifices;* vide ad VI, 480. — *Sandapila* feretrum, maxime ignobilium et pauperum; nam nobilium cadavera lecticis efferri solebant. Conf. Var. Lect.

Not. 176. *Inter cessantia tympana Galli*, hoc est, inter Gallos, sacerdotes Cybeles, noctu a discursibus per urbem, in quibus tympana cum cymbalis pulsant, cessantes. — *Resupinati*, otiosi, ignavi, mollis, vino somnoque gravis. Schol. ebrii, aut turpia patientis. Sic III, 112, et VI, 126; — quod admisit *Crammer*, pag. 335. Ed.

Var. 177. *Ubi*, 45, 46, 48, 50, 56, 57, 59—63, 65—69, 71—74, 77. *Tibi*, 18, 19.

Not. 177. *Æqua ibi libertas*. Hoc enim proprium et peculiare est vitio et crapulæ, ut omnes dignitatis et superbiæ titulos, omne personarum discrimen tollat et eradat. Verum enim laudanda et admodum prædicanda est talis æqualitas, quum a virtutis honestiore causa derivatur: cujus rei testes *Achaintre* huc appellat principes quosdam viros omnium gentium laudibus celebratos, *Aaroun-al-Raschild*, *Henri IV*, *Pierre le Grand*; adeo rem eamdem dispar causa dissimilem facit! Ed.

Var. 179. *Facies*, 14—17, 23.

Not. 179. *Talem servum*, qui tam turpiter viveret, ut Damasippus.

Var. 180. *Mittes*, 16.

Not. 180. *In Lucanos*, in Lucanum prædium, s. agrum, ut aratro solum perstringat; vel Lucana *ergastula*. Vide ad XIV, 24.

Not. 181. *Trojugenæ*, ut *Teucrorum proles*, vs. 56. Conf. ad I, 100. —*Vos vobis ignoscitis*, flagitiis vestris; turpia facere vobis putatis licere. Conf. XI, 174 seq. et Horat. Sat. I, 3, 23.

Var. 182. *Volusos*, 18, 24, 27, 45—49, 57, 58, 77. *Volsos*, 75, 76. *Vol-*

seos, 13. Sed vide Heins. ad Ovid. ex P. III, 2, 105; Spanhem. de Usu et Pr. Num. pag. 60, et nos ad Sil. II, 8. — *Brutosque*, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 77.

Not. 182. Conf. ad IV, 13, 14. — *Cerdones*, plebeii et infimo genere nati, qui sordido quæstu et illiberali arte victum quærunt, ut IV, 153, et apud Pers. IV, 51. Conf. ad III, 294. — *Volesos Brutumque*, viros nobiles. *Volesus* (al. *Volusus* et *Valesus*, unde *Valesius* et deinde *Valerius*) Sabinus, pater P. Valerii Poplicolæ (Liv. I, 58; II, 30) et auctor gentis Valeriæ, quem cum Tatio Romam venisse tradit Dionys. Halic. II, 46. Conf. Var. Lect. *Brutus*, ex gente Junia, quæ et patricia, et antiquissima fuit. — De *Cerdone* vid. *Crammer*, pag. 336. Ed.

Not. 183, 184. Nobilitas Romana adeo est flagitiis contaminata nostris temporibus, ut, etiamsi fœda sint, quæ commemoravi, spurciora tamen etiam supersint; quod nunc probat per exemplum ejusdem Damasippi; Brit. — *Crammer* locum ait corruptum, pag. 336. Ed.

Not. 185. *Damasippe*. Conf. ad vs. 147. — *Consumptis opibus* aurigatione (ut I, 59), vel per luxum. — *Vocem locasti siparĭo*, operam addixisti scenæ. Mercede pacta, ut cantares in choris, aut mimos ageres; Ach. *Siparium* proprie velum scenicum s. mimicum, quod forsan scenæ obtendebatur in comœdiis, ut *aulæum* in tragœdiis,[1] vel quod *pro aulæis posterior ætas accepit*, teste Donato in Terent. et Crammero, p. 337. Ed.

Not. 186. *Phasma*, φάσμα, spectrum, mimus Q. Lutatii *Catuli*, s. *Catulli* Urbicarii vel Mimographi,[2] non C. Valerii Catulli Veronensis (vide Petit. ad leg. Att. p. 245 seq.), compositus ad exemplum Menandri, de quo vide Terent. Eun. Prol. 9. Ejus argumentum: adolescens introductus, qui adspectu subito pulchræ virginis, veluti numinis visu perculsus, exhorruit; Grang. Forsan et exclamavit, unde *clamosum* h. loc. Vet Schol. « Quintum Lutatium Catullum dicit, qui Voranum (fors. Coranum) servum furacissimum habuisse fertur, de quo hic posterius (inf. XIII, 111) *scurra Catulli*. De quo etiam illud traditur, quum deprehensus a numulario esset, cujus de mensa numos subtractos in calceos sibi inferciverat, quidam jocans in eum, *Belle*, inquit, *si te numularius in jus vocet, tu ei æs ablatum ex calceo abjiceres.* » — In edit. Juvencii *Phasma Catulli* exponitur nomen comœdiæ, in qua nescio quis Catullus, homo improbissimus, forsan is de quo mentio fit Sat. IV, vs. 113, exhibebatur conscientia scelerum agitatus, et occursantibus spectris dire territus, opemque hominum magnis clamoribus implorans. Ita explicat hunc versum Cuspinianus in Fast. consul. *Cassiodori*. Ipse tamen Juvencius intelligit poetam ignobilem ea tempestate, hujus fabulæ scriptorem. Ed.

[1] Vid. Apul. Met. I, pag. 106; X, pag. 253, ed. Elm. et Senec. de Tranquillitate, cap. 11. Nomen proprium pantomimi, qui scenæ præerat; Calder.

[2] Vid. XIII, 111; Gell. XIX, 9; Mart. V, 31, 3, et *Crammer*, p. 338. Ed.

Var. 187. *Velox* majore litera initiali scripsere Farnab. et alii. Sed *Lentulo* cuidam hoc cognomen fuisse, legere haud memini, et sic locus languet. Poeta non facile nomen alicujus cum cognomine memorabit, sed potius epitheton, ejus naturæ moribusque aptum, cujus tamen vis ac potestas in Satiris sæpe dubia est et incerta, quoniam non satis cognitam habemus personam, quæ eo insignitur. — *Et jam*, 46, 47, 49.

Not. 187. *Laureolus* mimus, vel ejusdem Catulli, quem ejus auctorem edunt Petitus loc. cit. et Tertull. adv. Valentin. cap. XIV, vel potius Nævii aut Laberii. Vid. Macrob. II, 7; Gell. III, 3; VIII, 13, 14; XVII, 14. Pamelius ad Tertull. loc. laud. Qui Nævio eum tribuunt, provocant ad Gell. III, 3: « De Nævio accepimus, fabulas eum in carcere duas scripsisse, Laureolum et Leontem; » sed in optimis libris *Haridlum* legitur. Hujus mimi mentionem faciunt Tertull. loc. cit. Sueton. Calig. cap. 57; Joseph. Antiq. XIX, 1, et Martial. de Spect. ep. 7. In eo partes agebat Laureolus servus, in falso deprehensus, vel potius dux latronum cruci suffixus (σταυροῦται ληφθεὶς ἡγεμὼν Joseph.); unde mox *dignus vera cruce*, qua et Domitianus, hanc fabulam olim daturus, eum, qui Laureoli partes ageret, pendere jussit; unde Martial. loc. laud.

Non falsa pendens in cruce Laureolus.

— *Velox*, mira strenuitate; Britann. quia crucem supervolabat, ut e Tertull. discimus; Petit. loc. cit. Sed *velox Lentulus* eodem, opinor, sensu dicitur, quo infra XIII, 111, *fugitivus scurra Catulli*. Nam mimi actionis quidem unitatem, non vero nexum et solutionem curabant, et, quum clausula non inveniretur, de scena fugientes ludum finiebant: vid. Cic. pro Cœl. 27, et Rupert. vol. I, p. 106, not. 43. *Lentulus*, cognomen Corneliorum, hoc loc. ni fallor, non mimographus ille, qui ætate Domitiani floruit (de quo vide Hieron. ad Sabinian. et Tertull. Apolog. cap. XV, et de pall. cap. IV), sed pro quovis nobili, ut supra, VI, 80, nisi re vera Lentulus quidam Laureoli personam egit. — Vid. Crammeri notam, pag. 340. Ed.

Var. 188. *Ne tamen*, 25, 59. — 189. *Durior illo*, 25.

Not. 189. *Populo* spectanti nobiles fabulam agentes, et plaudenti. — *Durior frons*, sine pudore (vide ad II, 8), ut *os durum et ferreum*, *frons exsanguis et ferrea*, aliaque similia. — Vox *triscurria* in omnibus fere libris legitur, sed expeditu difficillima est. Fortasse ita dicuntur admodum vel extreme scurrilia scilicet facinora (ut *tripareus*, *trifur*, *trifurcifer*, *triportentum*, *trismegistus*, *triveneficus*, *triperditus*), non, quod Prat. et Ach. putant, triplices in circo discursus.—Scal. de Emend. Temp. lib. V, et ad Catullum corrigit *transcurria*, ut poeta innuat, patricios *transiisse ad scurras*, orchestram, vel potius ludos, hoc est, ex senatoribus factos esse scurras. — Libri non variant, nisi quod *triscuria* exhibent 11, 18, 21 a m. sec. 23, 46—48, 58, 64; de qua lect. Scaliger loc. laud. ita disputat: « Novi, qui malit scribere *triscuria*; nam *tris-*

curium ingens cura, ut est reipublicæ, quæ sane cura digna fuerat patriciis. Priscianus: Composita a verbo *Curo*, *Securus*, *Obscurus*, *Tricurium*. Festus ex Livio: *Solicuria in omni re curiosa.* » — *Tricharia patriciorum* conj. Petitus ad Leges Att. pag. 245 seq. (pag. 329, edit. Wessel.) quoniam spectaverint cruciarium Laureolum in *tricha* destitutum. — *Strictoria* omnino legendum putabat Is. Voss. ad Catull. p. 55, 56, ubi hæc notavit: Sic vocabantur tunicæ strictæ, quibus non histriones tantum et comœdi, sed et ipsi quoque patricii et senatores, deposita toga, et neglecta honoris et dignitatis suæ ratione, in conviviis, in ludis et spectaculis, passim et palam spectabantur. — Crammerus, p. 340, fusius explicat *triscurria patriciorum*, et ipsos *planipedes*. Ed.

Var. 191. *Planipedesque*, 60, 65.

Not. 191. *Planipedes*, mimos, qui primum nonnisi sanniones erant, et sensim in scenam prodiere, ut vel gesticulatione adjuvarent actionem fabularum, vel in earum intervallis jocos non præmeditatos funderent. « Planipedes dicti sunt, quod *planis pedibus*, id est, nudis, in proscenium introirent, non ut tragici actores cum cothurnis, neque ut comici cum soccis; sive quod olim non in suggestu scenæ, sed in *plano* orchestræ positis instrumentis mimicis actitarent. » Ita Diomed. de Poem. gen. lib. III, pag. 487, edit. Putsch. Similiter Donatus in Prol. ad Terent. Conf. Ziegler de mimis Rom. pag. 9 seq. ubi notat, planipedes, etsi *exealceati* Sen. Ep. VIII, dicantur, soleis tamen uti potuisse, et a *planis pedibus*, non nudis, sed haud artificiose exaltatis, vocatos esse, sicut reliqui histriones a diverso pedum vestimento nominati sint *cothurnati* et *soccati*; *Fabii* pro nobilibus, ut *Mamerci*, qui ex Æmiliis erant.

Var. 192. *Vulnera vendant*, 26.

Not. 192. *Mamercorum alapas*, quibus percutiuntur, servorum vel scurrarum personam sustinentes: vide ad I, 36; V, 171, et conf. Mart. II, 72; V, 62, 11. — *Sua funera vendant*, se et vitam suam lanistis vendant, ut,

Nunc caput in mortem vendunt et funus arenæ,

ap. Manil. lib. IV. Conf. Lips. Saturn. II, 3, et sup. ad VI, 380.

Not. 193. *Nullo cogente Nerone*, sponte sua, et bonis exuti vel furore instincti, non, ut olim, gratificantes principibus, vel coacti a tyranno, ut a Nerone.[1] — *Prætoris*, ignobilioris, quam ipsi sunt; Schol. Inter officia prætoris etiam hoc fuit, ut munera ac ludos ederet, præcipue Circenses, ut Florales, Megalenses et alios, quod ingenti sumtu et pompa fiebat, et quo sibi prætores viam ad consulatum, ut ædiles

[1] De quo vid. Suet. Ner. 12; Tac. Ann. XV, 32 seq. Conf. Tac. Hist. II, 71; Lips. Saturn. II, 3; sup. ad II, 143 seq. et infra XI, 5 seq.

curules ad summos honores, muniebant.[1] — *Celsi*, epith. ora. de magistratu majore et curuli; vel potius, qui in sella curuli ludis præest. Conf. X, 36, 37; XIV, 257, et Var. Lect.

Var. 194. *Celsi* recepi e 60, 65. Vid. not. sup. *Celsi* in libris tantum non omnibus legitur. De *Celso* prætore vide Comm. ad VI, 245. Totum tamen versum suspicor ejiciendum tanquam insititium. Primum enim admodum languet, quoniam eadem sententia in vs. præc. inest; deinde verbum *vendere* in vs. 192—194, ter reperitur; denique Claudius Imp. jam prætores vetuerat edere gladiatoria munera, eaque quæstoribus injunxerat pro stratura viarum, unde hoc loco saltem *Quæstoris* pro *Prætoris* refingendum videri possit: neque hujus instituti mutationem factam legimus, nisi tempore Commeni, quod colligas ex Lampridio Alex. 43, ubi «præsente (forsan præsidente) prætore Commodiano sæpissime gladiatorem pugnasse» memorat. Confer. Suet. Claud. cap. 24; Dio, LVIII, et Lips. Saturn. Serm. I, 9.

Nec dubitant celsi prætoris cernere ludis

emend. Jacobs, qui monet, ita tolli verbum *vendere*, ter repetitum, et periodum gravi sententia terminari; turpissimum enim esse, etiam prætores in illis ludis *cernere*, hoc est, decernere, de quo vide Hessel. ad Enn. pag. 100.

Var. 195. *Fige*, 24, 57, 59. — *Hinc atque inde*, 16, 24. *Hinc atque hinc* 10, 19, 21 a m. sec. *Atque hîc*, 22. — *Poni* pro *pone* legendum esse dudum putavi, et nunc video idem sentire cl. Sterke in Actis liter. Societ. Rheno-Traject. tom. I, pag. 174, Lugd. Bat. 1793, 8.

Not. 195—197. Fingamus a tyranno nobis ex altera parte *gladios*, hoc est, capitis supplicium proponi, ex altera vero *pulpita*, id est, scenicas artes; nonne mors potius eligenda erit, quam ad tam inhonestas artes descendendum, omnisque pudor dimittendus? Histriones enim Romæ infames erant, et, qui scenæ operam locabant, tribu movebantur, præter Atellanarum actores; vid. Liv. VII, 2. *Gladios* etiam de certamine gladiatorio accipere licet, ut duæ artes modo memoratæ nunc comparentur, et sensus sit, gladiatoriam artem histrioniæ præferendam esse, et mortem potius viriliter oppetendam, quam pudorem amittendum. *Finge* doctius dictum videtur pro: effinge animo tuo, *denke dir;* nisi potius leg. *finge poni*, fac, finge, tibi proponi. *Pulpita*, ludi scenici; vid. ad III, 174, et XIV, 257. — Prior interpretatio, quamvis explicando textui non subjecerim, melior tamen mihi videtur; modo enim præcessit *nullo cogente Nerone;* nunc addit auctor: at etiamsi cogat Nero, suppliciumque et gladios prætentet, potius moriendum est, quam infamiæ se præbere obnoxium. Quare non assentior Jac. *Loëns.* Epiph. II, cap. 11. Ed.

[1] Conf. VI, 380; X, 36 seq. XI, 193; XIV, 257; Suet. Ner. 21; Dio Cass. LIV, 2; Plutarch. in Bruto, pag. 988, D.

Var. 197. *Corithi*, 18; *Chorinthi*, 11. Alias lectiones notavit Pontanus Analect. II, 11. *Corinthi* nunc dedi pro *Corinthi* suadente Heinr. Vide Comm. ad I, 36.

Not. 197. Sensum hoc loco ita cepit H. Valesius: « Estne quisquam ex patriciis illis decoctoribus et famosis adeo vitæ suæ metuens, ut invidere Thymelæ velut nobiliori mimæ, aut stupidus Corinthi collega haberi malit, ut faber fabro invidet, quam gladiator? » Crediderim potius, *zelotypum* dici latinum mimum, qui personam sustinuerit virī zelotypi, uxoris dolis circumventi, et *Thymelen* esse mimam, quæ hujus uxoris partes egerit. Vide ad I, 36. — *Collega*, socius, collusor, *Corinthi*, mimi, *stupidi*; vide Var. Lect. et ad I, 36.

Var. 198. *Natus* pro *mimus*, 10, 11, 12, 14—27, 45—50, 54—69, 71—74, prob. Lubino, ut sensus sit, non mirum esse, si nobiles principibus citharœdis nati (qui veri parentes non sunt, sed currucarum more eorum nomen sustinent), parentum suorum mores imitentur. Male!

Not. 198 seq. Vide ad III, 61 seq. — *Citharœdo principe*, quum Nero ipse in theatris cithara canat.[1] Poeta hoc loco docet, quantum noceant pravi mores principum, quorum vita civibus ad imitandum debeat esse proposita. Conf. VI, 617.

Var. 199. *Hic ultra*, 59, 60, 65, 77. — *Ludio* pro *ludus* scribendum, vel *ludum* pro *ludio* positum (ut supra VI, 82), perperam existimabat Ascensius. — *Et illud* restitui ex 10, 16, 20, 21, a m. sec. 27, 47, 64, 74. *Et illuc*, 17, a m. pr. In reliquis libris *et illic*, hoc est, etiam in arena: quod durius est, et minus aptum. Vide Comment.

Not. 199. *Hæc ultra quid erit nisi ludus*, post hæc quid videbimus in Urbe præter ludos? Minus forte probanda Brit. ratio: Posthac quid videbimus in Urbe, nisi omnes nobiles scenicis artibus vacare? Pejor vero est illa Ach. et *Dusaulx*: Quid post hæc turpius videbis, nisi ludum gladiatorium? jam nobiles viri histriones facti sunt: quid vilius esse possunt, nisi gladiatores? Sic poeta saltem *munus* dixisset, non *ludus*: nam *ludus* semper ad scenam spectat, et *munus* ad gladiatores.

Var. 200. *Myrmillonis* et *mirmyllonis* alii scribunt. Mirmillo a μόρμυρος vel μορμυρίων, piscis genere, quod insigne in galea gerebat, dictus putatur Salmas. ad Solin. p. 213, et Gronov. in Epist. ad Ant. Clement. annexis libro de Sestert. pag. 698.

Not. 200 seq. *Et illud*, etiam hoc, *dedecus Urbis habes*, jam quoque videmus, quod summo Urbi est dedecori, *Gracchum*, nobilium aliquem,

[1] De quo vid. Suet. Ner. 20—25; Tacit. Ann. XIV, 14, 15, et XVI, 4, et Xiphil. in Vita Ner.

pugnantem, et quidem non facie armis tecta, ut *mirmillo*, qui galea, scuto et gladio, vel ut *secutor*, qui gladio et *clypeo*, vel ut Threx, qui parma, seu pelta, et *falce supina*, hoc est, sica, seu harpe, utitur, sed *nudo vultu*, ut, quæ impudentia hominis est, ab omnibus cognoscatur, habitu retiarii, qui solus ex gladiatoribus *frontem non abscondit galea*, sed aperta facie est, et sola *tunica* atque *galero* contentus, collectum suspensumque *dextra* manu *rete* in adversarii caput jacere, eumque ita impeditum *tridente*, sive *fuscina* (ut II, 143) interficere conatur, vel, si erravit, et *nequidquam retia effudit*, emisit effuse, *fugit*, et, postquam rete iterum collegit, redit in pugnam repetens assultus in adversarium acrius urgentem. Conf. II, 143 seq. et Lips. Saturn. cap. 7—10. Retiarius cum mirmillone, Threce et secutore componebatur, et locus noster de eo classicus est. — *Falce supina*, sica, gladio incurvo, nisi malis reducto: nam Threx, teste Artemidoro, ἐπιβαίνειν, insurgere altius, ut contra mirmillo *in armis subsidere* solebat, si Ausonio fides habenda. — Vid. Lips. loc. laud. cap. 9 et 10; et *Crammer*, pag. 342. Ed.

Var. 201. *Pugnare aut*, 16. *Aut pugnantem*, 10, 11, 14, 15, 17, 19—22, 26, 45. — *Et falce*, 77.

Var. 202. *Et damnat et odit*, 10, 11, 12, 14—27, 45—50, 56—63, 65—69, 71—74, et XIII Codd. Paris. quos secutus est Ach. Totus vero versus interpolationem redolet.

Var. 203. *Galea frontem*, 10, 11, 12, 17, 19, 20, 22, 25, 26, 27, 45—50, 54, 55, 57—63, 65—69, 71, 72, 73, 77, et plerique Codd. Paris. e quibus id revocavi cum Ach. *Frontem abscondit galea*, 21. Vulgo legitur *galea faciem*.

Var. 204. *Vibrata*, 11, 12, 14—27, 45—50, 56—63, 65—69, 71—74, et plerique Codd. Paris. quod restituit Ach.

Not. 204. *Dextra librata*, exacte quasi perpensa: solertia enim opus erat, ne nimium vires dexteræ aut intenderentur, aut remitterentur inter projiciendum; Lubin. Convenit etiam propria vis sursum deorsum movendi, quæ a fluctuante libræ motu desumta est, unde passim ad avium quoque volatum transfertur hoc verbum.

Var. 205. *Nequiquam* scribendum putabant præter Festum Broekhus. et alii ad Prop. II, 4, 5.

Not. 205. *Ad spectacula*, ad spectationem, ad spectandum; vel potius ad spectatores. Conf. ad Sil. II, 230.

Var. 207. *Cedamus*, 50, 64, prob. Brit. cujus interpretatio vix cuiquam arridebit. — *Credamus*, vult Crammerus, quem vid. pag. 342 sq. Ed.

Var. 208. *Longe*, 11, 14, 22. — *Longo*, dat Crammerus. Ed.

Not. 207, 208. Si quis etiam nunc dubitat, Gracchum esse, qui in arena pugnet, quum tamen nuda ejus facies sit, et ab omnibus cognosci queat, evidentius id ejus habitus docebit: nam non modo *tunicam* et

galerum, ut retiarius, gestat, sed etiam, ut Salius (Salium enim fuisse eum, ex Sat. II, 125, 126, intelligitur), *tunicam auream* seu pictam, hoc est, auro et purpura variegatam, cujus aureum patagium, seu limbus, et clavus a superiore ejus parte circa *fauces* ad imam oram *porrigitur*; et *galerum*, hoc est, apicem, seu pileum in coni formam fastigiatum, (κυρβασίαν), qui sub mento vincitur *spira*, fasciis, quæ *jactantur*, libere per humeros fluitant.[1] Gracchus itaque non modo non erubescit, sponte operam suam arenæ præstare, sed etiam eo pugnare habitu, quo ab omnibus dignosci poterat, nudo vultu, atque saliari tunica et apice.

Not. 209, 210. *Secutor*, a prætore vel munerario, vel lanista (quippe qui paria gladiatorum inter se componebat) *jussus pugnare cum Graccho, ignominiam graviorem pertulit omni vulnere*, hoc est, quam si cum peritiore gladiatore comparatus, victus multisque vulneribus confectus esset: nam manu viri et fortis et artis pugnandi gnari perire non tam turpe, immo gloriosius est, quam nobilem vincere, qui et imperitus est et ignavus, confestimque fugit. Gloriosa putabatur mors, manu viri fortis illata, et ita cecidisse maximum mortis solatium habebatur.[2] Nota Hein. est: « Hæc verba rite ita explicantur. Gladiatores enim turpe putabant, cum deteriore comparari, id quod liquide docet Sen. de Prov. 3. » — *Ignominiam* judicat gladiator, cum inferiore componi, et scit, eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur. »

Not. 211. *Libera suffragia*, judicia, sententiæ. Loquitur poeta, cujus temporibus non modo agendi, sed et judicandi dicendique libertas omnibus præcisa erat. Vera autem, opinor, est sententia Grang. et Ach. qui putant, ab eo designari *suffragia* eligendi Imperatoris, et respici ea, quæ trad. Tac. Annal. XV, 65: « Fama fuit, Subrium Flavium cum centurionibus occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinavisse, ut post occisum opera Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur, tradereturque imperium Senecæ, quasi insonti, claritudine virtutum ad summum fastigium delecto. » — *Senecam*, virum ignobilem, sed bonum, certe multo meliorem, imperioque digniorem Nerone.

[1] Conf. de Saliorum habitu, Liv. I, 20, et Dionys. Halyc. II, 70; de *fasciis* illis et *apice* Scalig. ad Festum, voc. *apiculum* atque *offendices*, et de toto hoc loco præter Ferrar. Elect. II, 16, et Analect. de Re Vest. V, 2, inpr. Cuper. Apotheos. Hom. p. m. 187 seq. ubi etiam ex Guther. de vet. jur. Pontif. I, 29, exhibetur numus gentis Pompiliæ, in quo fascias liberas, et per humeros sacerdotis fluitantes conspicimus.

[2] Conf. ad Sil. II, 705. Interpretes hoc loco vel silent, vel nugantur; plerique tamen verba sic exponunt: ambitiosus secutor majori cum dolore ferebat, quod cum adeo nobili pugnare jussus esset, vel potius quod Gracchus victus aufugisset, quam si ab eo victus esset et vulneratus.

Var. 214. *Non serpens*, 77. — *Non culeus* et *cullous* alii; Græce, κούλεος.

Not. 213, 214. Nero graviorem, quam vulgarem parricidii pœnam, nec semel, sed sæpius meruit, quoniam plura commisit parricidia (vid. Suet. Ner. 45). Occidit enim, vel occidi jussit Agrippinam matrem, Domitiam amitam, Octaviam Poppæamque uxores, Britannicum fratrem, Antoniam, Claudii filiam, Rufium Crispinum, primum Poppææ maritum, ejusque filium adhuc impuberem, Aulum Plautium et alios, aut affinitate aliqua sibi aut propinquitate conjunctos; quod notum vel ex Tacito, et Suet. Ner. 33—35. Pœna parricidarum erat, ut, virgis sanguineis cæsi, cum *simia*, *serpente*, gallo gallinaceo et cane, *culeo* insuti, in mare vel flumen proximum demergerentur, et sic repente cælo, sole, aqua terraque privarentur (vid. Cic. pro Rosc. Am. 70). Hæc culei pœna jam Tarquinii temporibus in criminibus quibusdam cognita, post ejectos deinde reges consuetudine servata, et a decemviris in XII tabulis propria parricidio facta; *culeus* autem saccus fuit e corio taurino, et quidem recenti, ne aqua facile penetraret. Animalia Imperatorum demum ætate culeo addita videntur, exasperata forte pœna, quum frequentius committeretur facinus.[1] Secundum D. Hadriani constitutionem, si mare nimis remotum esset, ad bestias condemnabantur parricidæ, aut vivi comburebantur. Lege Pompeii de parricidiis hoc crimen ad omnem propinquorum cædem translatum videtur, ita tamen, ut illa pœna non nisi confessi afficerentur. Sensu quoque latissimo parricida dicebatur, quicumque hominem ingenuum consulto et de industria interfecerat.[2] — Vid. Crammerum, pag. 345. Ed.

Not. 215 seqq. Legebatur tempore Neronis passim: Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων μητροκτόνοι; Grang. Orestes quidem, Agamemnonis filius, matrem quoque interemit, nec tamen, ut Nero, sua sponte et singulari mentis pravitate ingenita ac stimulante, sed *Deis auctoribus*, jussu Apollinis Delphici[3], et ut *cædem ulcisceretur patris*, quem Clytemnæstra et Ægisthus *media inter pocula*, hoc est, in convivio necaverant, de quo vide Hom. Odyss. δ, 529 seq. λ, 408 seq. Apud Græcos autem filius majorem patri reverentiam atque amorem deberi putabat, quam matri, cui præterea justius irascebatur Orestes, quod illa regno ipsum

[1] Quod factum fortasse, ut in rixa infensorum animalium, fœda laceratione corporis, pro admissi sceleris immanitate, diro cruciatu exanimarentur; Ach.

[2] Conf. XIII, 155, 6; L. I. ff. ad L. Pompei. de Parricid. Pauli Sententt. V, 24; Casaub. ad Suet. Aug. 33; Lips. ad Senec. Ep. 40; Cannegieter. Obss. Jur. III, 12, et inpr. Arntzen. in Actis Litterar. societatis Rhenо-Trajectinæ, Lugd. Bat. 1790, 8, t. I, p. 106 seq.

[3] Vid. Eurip. Orest. vs. 28, 416. 543 seq. Sophocl. Elect. 32 seq. (ubi conf. Schæfer) Æschyl. Choeph. 266 seq. et Dictys Cret. VI, 3, ubi confer. Anna Fabra.

privaverat paterno, necique destinaverat. Cæterum Agamemnonem primo statim sedium ingressu occisum tradit Virgilius Æn. XI, 267, ad aram, ubi sacrificabat. Hygin. Fab. 117, sub finem convivii, in balneo, quum induere vellet indusium, ab uxore ita consutum, ut nec capiti, nec manibus exitum præberet: Æschylus et alii.[1]

Not. 217, 218. Neque etiam Orestes Electram, sororem suam, trucidavit, ut Nero Octaviam et Antoniam, sorores adoptivas (nam Claudii fuerunt filiæ, et Octavia simul Neronis conjux): aut Hermionem *conjugium*, hoc est, conjugem, Helenæ et Menelai, *Spartani* regis, filiam, ut Nero Octaviam et Poppæam, uxores suas. Conf. Horat. Sat. II, 3, 137 seq.

Not. 219. Orestes quoque *aconito*, hoc est, veneno (vide ad I, 158) non sustulit propinquos, ut Nero Domitiam, Britannicum et Antoniam, *nec unquam in scena cantavit Orestes*, ut Nero, de quo vide supra ad versum 198.

Var. 220. *Certavit horestes*, 45.

Var. 221. *Verginius* scripsi pro *Virginius*, quoniam ita non modo in 14, 16, 17, 21, 22, 50, 62, et quibusdam Codd. Paris. sed etiam in Inscriptt. optimisque exemplaribus auctorum, quos in Comm. laudavi, legitur.

Anal. 221. *Troica* carmina *non scripsit*, ut Nero, qui non modo poetica facultate destitutus ποτὲ καί ἐπὶ τὴν τοῦ θεάτρου ὀρχήστραν ἐν πανδήμῳ τινὶ θέᾳ κατέβη καὶ ἀνέγνω Τρωϊκὰ τινὰ ἑαυτοῦ ποιήματα (Xiphil. in Ner.), sed etiam incendium Romæ e turri Mæcenatiana prospectans, lætusque flammæ, ut aiebat, pulchritudine ἅλωσιν Ilii, in illo suo scenico habitu, decantavit, teste Suet. Ner. 38, et Tacit. Annal. XV, 39. Nihil salsius ac facetius dici poterat a Juvenale, ut ostenderet, Neronem et insaniorem et improbiorem fuisse Oreste.[2] Poeta vero, quod jam alii observarunt, non tam id damnare videtur, quod Nero, poetica facultate destitutus, Troica scripsit, et, qui poetarum illius ævi furor fuit, fabulas decantavit Homericas, quam quod magnam Romæ partem incendi jussit, ut excidii Trojani imaginem ipse cerneret, et (ut verbis Taciti loc. cit. utar) quod ipso tempore flagrantis Urbis in domestica scena illud excidium cecinit, præsentia mala vetustis cladibus adsimilans.

Not. 221. *Quid enim*,[3] quodnam vero horum, quæ modo memoravi,

---

[1] Sen. Agam. v. 865—895; Tricl. ad Elect. 195; Lycophr. v. 1099 et 1108, ubi v. Meurs. p. 282, et Tzetz.

[2] De carmine ejus inepto, cui *Trojæ halosis* vel alius titulus fuit, vide inpr. Wernsdorf. Poet. Lat. min. tom. IV, pag. 586.

[3] *Enim*, Gr. δή, γάρ τοι, vero, ut apud Virg. Æn. V, 850; VI, 52; VIII, 84; X, 874; ad quæ loca vid. Heyne.

facinorum Neronis magis Imperatore indignum fuit? quonam facinore magis meruit, ut ab imperio submoveretur? Vix enim dici potest, quid horum principi turpius et hac pœna dignius fuerit. Nota Ach. est: «Magis placet hæc explicatio: Quod fœdius crudeliusve monstrum Galba, Vindex et Verginius debuerunt ulcisci, e gradu dejicere, quam illum parricidam principem, mimum et incensorem patriæ? Quis turpior et sævior tyrannus unquam dignus fuit, qui sub armis defensorum libertatis oppressus caderet? Hæc magis concordant cum seq. versu, qui veluti præcedentis est complementum: *quid* enim *Nero* toto *tyrannidis crudæ*, immanis, tempore, quod fuit XIV annorum, melius, vel infandum minus *fecit? Hæc opera* illius fuere præcipua atque facta, scilicet *prostitui ad pulpita*, etc.» Enimvero *hæc opera* jam memoraverat poeta, vs. 220, 221, et neque vs. 221, *Quem* dixit, sed *Quid*, neque vs. 223, *quid melius, vel pejus fecit*, sed simpl. *quid fecit*. Conf. not. 73. *Verginius* Rufus, Germaniæ inferioris legatus,[1] Julius *Vindex*, qui Gallias provinciam pro prætore obtinebat,[2] et Ser. *Galba*, Hispaniæ Tarrac. præfectus,[3] a Nerone desciverunt.

Var. 223. *Tam in sæva*, 11.

Not. 223 seq. *Quid Nero*, tam *sævus crudusque* (hoc est, crudelis, ut ὠμός, de quo vid. ad Sil. I, 405) tyrannus vel toto tyrannidis suæ tempore, *fecit? Hæc*, quæ jam dixi, sc. *prostitui*, etc. fuere *opera* ejus *atque artes!*[4] — *Cruda tyrannis* potest quoque intelligi *præcox*, *præmatura* immanitas; qui sensus forte anteponendus est, ne duobus verbis idem dicatur. Ed.

Var. 224. *Hæc sunt*, 17, 18, 19, 50, 61, 62, 63, 71, 72, 73.

Not. 224. *Generosi* εἰρωνικῶς dictum. Alii ad generosam illud stirpem referunt.

Var. 225. *Saltu* pro *cantu* recepi ex 10, 11, 12, 14, 15, 17, 19, 20, 21 a m.

---

[1] Vid. Tac. Hist. I, 8, 9, 52, 77; II, 49, 51, 68; Plin. Ep. II, 1; VI, 10; IX, 19; Dio, LXIII, et LXVIII; Plutarchus in Galba, pag. 1055, et alibi.

[2] Vid. Plin. ll. cc. Sueton. Ner. 40, 41; Tac. Hist. I, 6, 51; IV, 57, Dio et Plut. ll. ll.

[3] Vid. Suet. Galb. 9 seq. Dio et Plut.

[4] Vulgo versus 221 seq. ita inte[illegible] pretantur: qui[illegible] vero præcipue dign[illegible] fuit, quod a Verginio, Vindice et Galba vindicaretur? quid maxime fuit inhonestum et indignum, quod in omni sua tyrannide admisit Nero? certe hoc, quod citharœdum egit, et palam se [illegible] prostituit. Sed dura [illegible] [illegible] *Quid fecit* dict[illegible] [illegible] maxime fuit i[illegible] [illegible]linus tamen [illegible] [illegible]icatio, si, c[illegible] [illegible] vs. 223, *Q*[illegible]

pr. 22—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et omnibus fere Codd. Paris. *Cantu*, 1, et edd. recentt. *Cantus* vero Neroniani modo jam mentio facta, vs. 220.

Nor. 225. *Fœdo*, qui Imperatore tam indignus est. — *Saltu* histrionali. *Ad pulpita peregrina*, in theatris ludisque scenicis (vide supra ad vs. 195), non tantum Romanis, sed etiam peregrinis, Neapoli, Olympiæ, et in aliis Græciæ sive Achaiæ urbibus, quas ἐπὶ ὀρχήσει καὶ ἐπὶ κιθαρῳδήσει, κηρύξει τε καὶ τραγῳδίας ὑποκρίσει petiit, οὐ γὰρ ἤρκει αὐτῷ ἡ Ῥώμη, ἀλλ' ἐδεήθη καὶ ἐκστρατείας, ἵνα καὶ περιοδονίκης, ὡς ἔλεγε, γένηται, hoc est, ut Græciam peragrans hic ille in certaminibus victor existeret, teste Zonara, Ann. II. Conf. Xiphilin. LXIII, 8—10, et Suet. Neron. 20—24 et 42.

Nor. 226. *Prostitui*, dignitatem suam et majestatem maculare: metaphora a *prostibulo* desumta. *Apio* coronabantur victores, et quidem virente vivoque in Nemeis, arente in Isthmiis; Grang.[1] Memorantur etiam coronæ ex oleastro, et malo (ἐκ κοτίνου καὶ μηλέας), et pinu, Plin. XV, 4 et 10, alibi. — His poetæ indignati verbis subjiciendus est locus, omnium memoriæ infixus, quo vehementissime citharœdi principis et comœdi infamia objurgatur. *Racine*, *Britannicus*, act. IV, scen. 4:

« Pour toute ambition, pour vertu singulière,
« Il excelle à conduire un char dans la carrière;
« A disputer des prix indignes de ses mains;
« A se donner lui-même en spectacle aux Romains;
« A venir prodiguer sa voix sur un théâtre;
« A réciter des vers qu'il veut qu'on idolâtre,
« Tandis que des soldats, de momens en momens,
« Vont arracher pour lui les applaudissemens. » ED.

Nor. 227 seq. Poeta jam ipsum Neronem alloquitur: Age nunc, *habeant*, etc. Mos autem erat Romanorum, spolia hostium, et insignia honorum triumphorumque cum ipsis rerum gestarum titulis ad *effigies*, hoc est, imagines et statuas *majorum* appendendi vel *ante pedes* seu basin earum collocandi: unde vis sarcasmi hoc loc. facile intelligitur. *Insignia vocis*, præmia, ἄθλα cantus et ornamenta citharœdi; hoc loco coronas illas ex apio. Vid. Crammerum, pag. 346. ED.

Nor. 228. *Domitii;* nam Nero fuit ex gente Domitia et familia Ænobarborum, quorum multi summos gesserunt honores; vide Suetonii Neronem, 1 seq.

VAR. 229. *Sirma aut* 12. — *Antigones*, 10, 11, 12, 14, 15, 17—27, 45, 46, 47, 49, 50, 54—58, 60—69, 71—74, unde hanc scripturam nunc pro vulg. [illegible]revocavi. *Antigonis*, 16; *Antigoni*, 77; *Antiopes* Gronov. ad

[illegible]

[illegible]ymp. XIII, 45; Plin. XIX, 8; Plut. Sympos. V; Scalig.

Gell. V, 11 extr. nescio utrum auctoritate librorum, an lapsu memoriæ. — *Tu* pro *seu*, 12, 14—18, 20, 21, 22, 45, 49. — *Menalippi*, 1, 11, 26. Vetus scholion est: *Menalippus* est, qui Tydeum occidit. Is *Menalippus* dicitur aliis, verb. causs. Apollodor. III, 6, 8, ubi vid. Heyne. Conf. Reines. Var. Lect. III, 2, pag. 374, et intpp. Gell. V, 11, ubi similiter *Menalippo* pro *Menalippa* in quibusdam libris legitur. *Menalippes* emend. h. l. Munker. ad Hygin. fab. 186, quem vide. Conf. et Thys. ad Gell. loc. laud. Ernesti ad Cic. Tusc. Quæst. III 9, et auctores in Comm. laudati.

Nox. 229. Tragœdi citharœdique erant induti palla (*schleppkleid*, *schleppmantel*), cui adnexum erat *longum syrma* (*schleppe*, σύρμα παρὰ τοῦ σύρειν, a *trahendo*, quia humum verrit, de quo vide Horat. Art. poet. 215, unde *syrma* pro ipsa tragœdia dicitur infra XV, 30); et utebantur *personis* seu larvis, facie ficta, quæ gr. πρόσωπον seu προσωπεῖον vocatur.[1] Conf. Horat. Art. Poet. 278, et de *syrmate* Broekh. ad Tibull. p. 319; Winkelmanni *Storia delle arti*, tom. I, pag. 419, edit. Fea, et Böttigeri Sabina, pag. 417, 418, ed. pr. — *Thyestæ*, quem personatus cantasti vel saltasti, ut *Antigonen*, et *Menalippen*, aliosque, quorum meminit Sueton. Ner. 21 et 54. « Varii poetæ Thyestes cuilibet Græcorum comparari potest, » Quintil. X, 1, 98. *Antigone*, Œdipi filia, notissima ex Sophoclis tragœdia (qualem et Euripides scripsit, quæ periit), ex Æschyl. S. ad Th. 1005 seq. Apollod. III, 3 et 7; Hygin. Fab. 72, 243 et 254.[2] Alia *Antigone*, Eurytionis fil. ap. Apollod. III, 13, 1 (ubi vid. Heyne); alia Pheretis fil. apud Hygin. Fab. 14; alia Laomedontis fil. nota ex Ovid. Met. VI, 93 seq. et Serv. ad Virgil. Georg. II, 320. — *Menalippe* (vel potius *Melanippe*, de quo vide Var. Lect.), Æoli vel Desmontis filia, quæ a Neptuno compressa filios geminos in stabulo patris exposuit; vide Dionys. loc. cit. Hygin. Fab. 186; Varr. de Re Rust. II, 5. Tragœdias olim de ea fecere Euripides (vide Dionys. loc. laud. et Euseb. de Præp. Evang.), Ennius (Gell. V, 11; Priscian. lib. X, Macrob. VI, 4) et Accius, de quo vide interpp. Cic. Quæst. Tusc. III, 9 et Off. I, 31.[3]

Nox. 230. Verbis *suspende colosso* magna sarcasmi vis inest. *Colossus* CX vel CXX pedum, a Zenodoto fabricatus, et in vestibulo domus aureæ

[1] Fuere (quod Farnab. notavit), qui *syrma* signantius et ἐμφατικωτέρως tribui putarent *Thyestæ* et *Antigones* personis scilic. regii spiritus et elati animi; *personam* item *Menalippes*, quia sub ejus persona Euripides Anaxagoræ, præceptoris sui, sedatum animum et philosophicam expresserit sententiam; de quo vide Dionys. Hal. Comm. περὶ τῶν ἰσχηματισμένων.

[2] Conf. Broukh. et Vulp. ad Prop. II, 8, 21.

[3] Alia *Menalippe*, Chironis filia (v. Eratosth. Cataster. 18, et Hygin. Astron. Poet. II, 18), alia Œnei filia (Nicand. apud Antonin. Liber. c. 2), alia Amazonum regina (apud Diodorum Siculum, lib. IV, 16), et alia denique nympha apud Pausaniam, Bœot. 1, pag. 543.

positus; unde nunc adhuc *il Coliseo*, vel rectius *il Colosseo*; vide Plin. XXXIV, 7, et Suet. Ner. 31. Rectius tamen quidam hoc loco non colossum Neronis, qui æreus, non *marmoreus* fuit, sed Augusti statuam innui putant, coll. Suet. Ner. 12, ubi hæc leguntur: « Citharam, a judicibus ad se delatam, adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit. » A poetis vero talia sæpe confundi monet Grangæus.

VAR. 231. *Quis — quidquam*, 45, 50, 61—69, 71—74, 77. *Qui*, 49.

NOT. 231—268. Quæ adhuc disputaverat poeta, nunc aliis, et quidem aptissimis, exemplis, tam nobilium quam ignobilium, illustrat. — *Catilinæ* pater et avus ignoti; sed notissimi proavus M. Sergius Silus, seu Silo, L. Æmilii Pauli legatus in bello Persico ann. Urb. cond. 586 (de quo est insignis locus Plin. VII, 28, ubi v. Hard.), et abavus M. Sergius Silo, prætor ann. Urb. cond. 555, de quo vide Liv. XXXII, 27, 28, 31; XXXIII, 21, 24. — C. Cornelius *Cethegus* (quod cognomen est familiæ cujusdam Lentulorum e gente Cornelia) socius Catilinæ [1], notissimus. — *Sublimius*, nobilius.

VAR. 232. *Inveniat*, 14.

VAR. 233. *Flammam templis domibusque*, 11. — *Paratis*, 22.

NOT. 233. *Nocturna*, noctu. — Huc citant verba Ciceronis in Catilin. I: « Occupaturum te *nocturno* impetu confideres. » ED.

NOT. 234. *Braccati*, seu *Bracati* (vide ad II, 169) Galli, et proprie quidem incolæ Galliæ Narbonensis, quæ a braccarum usu, Romanis insolito, etiam *Braccata* dicebatur. — *Senones*, Lugdunenses, quos duce Brenno Romam expugnasse et incendisse notum est. — *Pueri*, posteri. Sic et *minores* scilicet natu, de quo vide ad I, 148.

VAR. 235. *Deceat* pro *liceat*, 26.

NOT. 235. *Ausi, quod licèat tunica punire molesta*, vos, qui summum, gravissimoque supplicio dignum scelus ausi estis, commisistis. — *Tunica molesta*, ut apud Martial. X, 25, 5, tunica spartea, vel vestis chartea, stuppa, cannabe, pice, cera, bitumine, aliisque ignium alimentis illita et intexta, qua induti olim, qui incendia moliti erant, ut Christiani, quos Nero incendii Romæ insimulaverat, tædis incendebantur, et in usum nocturni luminis vivi cremabantur. [2]

VAR. 236. *Nostra*, 21.

[1] E Cic. Catil. III, 2—5, et Or. in Sen. p. Red. 4; Appian. Bell. Civ. II, 2—6; Vellei. Pat. II, 34; Dione, XXXVII; Plut. tom. I, pag. 710, 769, 868 seq. Sallust. et aliis. Conf. supra II, 27, et X, 287.

[2] Cf. ad I, 155 seq. Sen. Ep. XIV; Prudent. περὶ στεφ. Hymn. III; Tert. ad Martyr. c. 5; Sigon. de Judic. II, 18; Suet. in Cal. 27, et in Vitell. 17; Tac. Ann. XV, 44 (ubi vid. Lips.); Scalig. Emend. Temp. p. 471.

Not. 236. *Vigilat Consul* Cicero, qui in Catilinariis ita de se ipse: « Jam intelliges, multo me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem reipublicæ; » Grang. — *Vexilla*, copias vestras et conjuratos, qui vobiscum contra rempublicam conjurarunt.

Not. 237. *Hic* Cicero, *novus* homo, hoc est, qui primus e gente Tullia magistratus curules gessit.[1] — *Arpinas*, ab Arpino, Volscorum oppido, oriundus. — *Ignobilis* hoc loco est fere idem quod *homo novus*, qui est ex familia ignobili, hoc est, ex qua nemo Romæ magistratum curulem gessit; vel ante quem nemo majorum honoribus rebusque a se gestis inclaruit.[2]

Not. 238. *Municipalis Eques*, qui non Romæ, sed Arpini, in municipio, ex equestri familia ortus erat: nam in municipiis et coloniis, æque ac Romæ, tres erant civium ordines, senatorius, equester ac plebeius. Similiter fere *municipalis adulter*, hoc est, ignobilis, qui ne Romanus quidem fuit, per contemptum vocatur Sejanus; Tac. Ann. IV, 3, ubi conf. Lips. — *Galeatum*, armatum; vide ad I, 168.

Var. 239. *In omni monte*, 1, 75, prob. Rigalt. Vetus scholion est: « *monte*, quia in montibus condita est Roma. Legitur et *in omni ponte*, propter Molvium (Milvium), ubi Catilinæ conjurati et Allobroges deprehensi sunt. »

Not. 239. *In omni gente*, Romæ vicina. Nonnulli interpretantur, pro omni gente Romana, pro summis et infimis; alii de senatorio, equestri et plebeio ordine; sed rectius Grang. et Farnab. non tantum Romæ, sed et extra Romam, in municipiis et per Italiam omnem dispositis excubiis: quare, quum Præneste occupare nocturno impetu confideret Catilina, invenit munitum præsidiis Ciceronis, de quo vide Cic. Catil. I.

Var. 240. *Inter*, 26.

Not. 240 seq. Cicero *intra muros*, Romæ, *toga*, tempore et artibus pacis, quibus cives servavit, plus sibi *nominis et tituli*, hoc est, gloriæ peperit, quam Augustus bellis feliciter gestis, quibus plurimum sanguinis civilis effusum. « Catilinæ conjuratio fuit *tumultus*, non bellum, nec

---

[1] Vid. quæ Cicero de gente et honoribus suis ipse dixit de leg. agrar. contra Rull. II, 1 et 2. Quisnam vero Romanis dictus sit *homo novus*, et *ignobilis*, et *nobilis*, vel tironibus notum est. Conf. supra ad vs. 1.

[2] *Ignobilis*, quem vos ignobilem per contemptum appellatis; nam constat, eum ex regio Volscorum genere esse ortum, matre Helvia et patre equestris ordinis; Britann. Hanc regiam Ciceronis originem in dubium vocavit Corrad. in Quæstura, pag. 33. Sed vid. Plutarch. Vit. Cicer. Euseb. Chron. Aurel. Vict. de Vir. Ill. c. 81; Sil. VIII, 405; XII, 175, et ipse Cic. Tusc. Quæst. I, 16, ubi Tullum Attium, Volscorum regem (de quo vide Liv. II, 35—39), *suum gentilem* vocavit.

ipse quidem consul Cicero arma cepit, sed togatus sceleratissimos homines, qui Urbi incendium et cædem universam minabantur, coercuit et fregit feliciter; » Ach.—Nostras *Boileau* dixit Epist. I, 93 seq.

« Mais quelque vains lauriers que promette la guerre,
« On peut être héros sans ravager la terre;
« Il est plus d'une gloire.... » Ed.

Var. 241. *Ac* pro *et* 12, 14—24, 45. — *Nec L.* 24.

Not. 241. *Leucas*, oppidum Leucadiæ peninsulæ, quæ postea, perfosso isthmo, quo ab Acarnania dividitur, insula facta, et ipsa quoque Straboni, X, pag. 311; Floro, IV, 11, et Ovid. Metam. XV, 289, ut et extremum ejus promont. *Leucata*, seu *Leucate*, seu *Leucates*, Cic. ad Att. V, 9, *Leucas* dicitur. Urbs vero illa CCXL stad. distabat ab Actio, alio Acarnaniæ promontorio, juxta quod Octavius Antonium et Cleopatram devicit, quam pugnam victoriamque Actiacam respexit poeta hoc loc. ut Virg. Æn. III, 274, et VIII, 674 seq. Vide Heyn. ad hæc loca, item Freinsh. et Duker. ad Flor. IV, 11. — *Campi Thessaliæ* ad Philippos, Macedoniæ adjectæ, olim Thraciæ, urbem, ubi victi sunt Brutus et Cassius ab Octavio et Antonio. — *Thessaliæ* nomine latius poetæ utuntur; vid. Heyn. et Voss. ad Virg. Georg. I, 489, 490. Mira hoc loc. ἐνάργεια; nam opponuntur Cicero Octavio, ignobilis nobilissimo, urbs et murus campo et mari, toga et pax bello, adsiduis cædibus et udis gladiis, ita tamen, ut Augusto potior esse videatur *municipalis eques;* Lubin. — *Quantum non Leucade, quantum* scilicet *non*, quod deest, ut apud Martial. XI, 81; Hein.

Var. 242. *Attulit*, 15, 21, 22, 26.

Not. 244. *Patris patriæ* cognomen Cicero primus ob liberatam patriam decreto senatus (ut Camillus a militibus in triumpho), et merito, non per adulationem, ut Augustus et reliqui Imperatores, accepit, et quidem, ut videtur, a M. Catone, tribuno plebis, in concione populi et auctore Catulo in senatu.[1] Nota Ach. est: Eumdem postea titulum Augusto ceterisque Imperatoribus adulatio, non Roma *libera* dedit. Epitheton tamen *liberæ* hoc loc. dictum pro *liberata* a periculo atque interitu.

Var. 245. *In* abest a 20.

Not. 245. *Arpinas alius*, C. Marius, Arpini in *Volscis*, humili loco, natus, primum mercenarius fuit *arator alieni* agri.[1] Deinde castra Ro-

[1] Confer Cic. in Pis. 3; Plut. Vit. Cic. pag. 872, C; Appian. Bell. Civil. II, 7 (ubi vide Schweigh.), et Plin. VII, 30; qui insignis de laudibus Ciceronis locus est, et cum nostro comparandus.

mana sequutus Scipionis Africani minoris, miles gregarius ad Numantiam fuit, adeoque subjectus imperio centurionum, qui milites *vitibus* castigare solebant, de quo vide ad XIV, 193.

VAR. 247. *Posthac*, 15, 24.

NOT. 247. *Frangebat vertice vitem*, vapulando suo vertice vitem frangi patiebatur; Schol. Vide ad VI, 479. *Vertice*, capite, non dorso; nam qui puniunt, sæpissime eas corporis partes feriunt, quas ferire neque æquum, neque legibus concessum est; Hein. — *Nodosam*, quia talis eligebatur ad validiorem ictum (vide Lips. de Milit. Rom. V, 18).

NOT. 248. *Dolabris* tum fabri, qui in legionibus sine armis stipendia faciebant, tum ipsi quoque milites, et quidem altera earum parte, quæ in mucronem acuminata erat, ad muros potissimum diruendos, altera ad ligna cædenda ac *dolanda castraque* vallis *munienda* utebantur. [1]

NOT. 250. *Solus* quidem non vicit Cimbros Marius, sed adjuvante Catulo. At gloria confecti belli tota fere penes eum fuit, et solus quoque anno præcedente Teutonos atque Ambronas, eorum socios, duobus præliis deleverat ad Aquas Sextias.

NOT. 251, 252. *Corvorum* mentio ad magnitudinem duplicis cladis Cimbrorum pertinet. [3] *Postquam ad Cimbros stragemque volabant.... corvi*, hoc est, post cladem Cimbris illatam, post deletos Cimbros. — *Ad Cimbros stragemque*, ad stragem Cimbrorum, ad Cimbros cæsos. — *Majora cadavera*, propter magnitudinem corporum, de qua vide Flor. III, 3; Plut. in Mario, et qui de *Cimbris* (populo Germaniæ borealis in Chersoneso Cimbrica, ab ostio Albis longe in septemtrionem procurrente, hodie Jutlandia, Slesvicia et Holsatia), eorumque bello cum Romanis accurate egerunt. [4]

NOT. 253. *Nobilis collega*, Q. Lutatius Catulus, vir nobilissimus, consul cum Mario ann. Urb. cond. DCLI, quo Marius solus Teutonos et Ambronas duobus præliis ad Aquas Sextias delevit, et proconsul ann. Urb. cond. DCLII, quo Cimbri prope Vercellas in campis Raudiis, junctis Catuli et Marii (qui jam quintum consul erat creatus) exercitibus, ad internecionem cæsi sunt. Florus, XL, Livius CXL, et Eusebius CC millia cecidisse tradit. — *Ornatur lauro secunda*, secundo loco triumphavit, post Marium, qui, duobus triumphis propter duplicem victo-

[1] Vid. Plin. Hist. Nat. XXXIII, 11; Valer. Maxim. I, 2; III, 6; Plut. Vit. Mar.

[2] Conf. Lips. de Mil. Rom. V, 13, et Poliorc. I, 9; III, 6.

[3] De qua vid. Flor. III, 3; Vellei. II, 12; Oros. V, 15 et 16; Liv. Epit. 68; Plut. Vit. Marii et Syllæ.

[4] Cellar. Diss. de Cimbris et Teuton. (Dissert. Academ. pag. 488 seq.) et Mulleri Bellum Cimbricum, Tig. 1772.

riam sibi oblatis, uno contentus fuit, quum milites ægre ferrent, Catulum eo honore excludi.[1]

Not. 254—258. *P. Decii* Mures, pater et filius, diis Manibus Terræque Matri pro patria se devoverunt, ille Latino, hic Gallico bello. Idem fecisse nepotem in bello Pyrrhi, seu Tarentino, tradit Cic. Tuscul. I, 37, et Fin. II, 19, qui aliis locis de patre tantum et filio id memorat, ut Liv. VIII, 9, et X, 28. De ritu devotionis vide Liv. VIII, 9.

Var. 256. *Plebe* pro *pube*, 11, 17, 20, 21, 22, 24, 25, 27, 29, 46—48, 50, 54, 58, 61—69, 71, 74.

Not. 255, 256. *Legiones*, milites Romani; *auxilia*, milites ex gentibus exteris, et inprimis bellicosis conscripti, vel tributi loco iis imperati; *pubes Latina*, socii ex civitatibus Italicis. Hi nihil a Romanis præter frumentum, illi vero etiam stipendium accipiebant.[2] Plerumque tamen et socii Latini Italicique *auxilia* et *auxiliares milites*, vel simpl. *auxiliares* dicuntur.

Not. 257. *Sufficiunt* averruncandæ deorum iræ. Conf. Liv. VIII, 6. Poeta innuit, Decios non tam consules, quam virtutibus ornatissimos fuisse, et hæc piacula tantum pretii habuisse propter personarum præstantiam et dignitatem. — *Dis Terræque.* Juvencius observat eos ideo se devovisse, ut his veluti piacularibus hostiis placati dii inferi cæteris parcerent; nec alios raperet ad se Terra, quæ mortuos sinu veluti suo complectitur ac devorat. Ed.

Var. 258. *Erant* pro *enim*, 16. — *Qui*, 10, 16, 17, a m. sec. 18—24, 26, 45, 46, 47, 49, 50, 54, 55, 60, 62, 65, 68, 69, 71—73, 77. — *Istis*, 22.

Not. 259. *Ancilla natus*, Servius Tullius, Ocrisia, captiva Ocriculana, natus; quod notum ex Liv. I, 39; Dionys. Hal. IV, 1 seq. et aliis. — *Trabeam et diadema*, regnum, regiam dignitatem, *meruit* virtutibus, non sola fortuna adeptus est. — *Trabea*, toga alba, latis clavis ornata, et trabibus purpuræ intextis, habitus regum, et deinde consulum, augurum et equitum, sed horum non nisi in solemnibus pompis.[3] — *Diadema*, non corona aurea, qua hodie reges utuntur, sed tiara, alba fascia, qua prisci reges caput redimire solebant.[4] — *Quirini*, quo insigni regio Romulus primum Romæ usus est.

[1] Conf. Plut. Mario, Liv. Epist. 68, et Cic. Tusc. Quæst. V, 19. Alii putant, *nobilis* esse casum gignendi, ut *collega nobilis* viri, Catuli, sit Marii.

[2] Vid. Varro et Fest. v. *Auxiliares;* Lips. de Mil. Rom. I, 7, et Anal. ad Mil. Rom. I, 7.

[3] Conf. Plin. VIII, 48, seu 74; IX, 39, seu 63; Virg. Æn. VII, 188, et 612, ad quæ loca vide Serv. et Heyne; Dionys. Hal. II, 70; III, 61; V, 47; VI, 13.

[4] Vid. Casaub. ad Sueton. Cæs. 79; Caper. Obss. I, 6; Ciampin. Opp.

Not. 260. *Fasces*, duodecim lictores cum fascibus. — *Regum ultimus ille bonorum;* vide ad V, 36.

Anal. 261—268. Aliis exemplis poeta docet, patriam sæpe a nobilibus proditam, et contra servatam esse ab ignobilibus infimoque genere natis.

Not. 262. *Juvenes ipsius consulis*, filii Bruti, primi consulis, qui patriam ejectis regibus liberaverat, cum Vitelliis, Aquilliis aliisque nobilibus, quos potius *decuisset*, audaci aliquo facinore, et insigni virtute, quali non ita multo post *Cocles*, *Mucius* et *Clœlia* inclaruerunt, *libertatem* adhuc *dubiam* defendere, de patria *tyrannis*, Tarquiniis, *prodenda*, *portisque* Urbis regi aperiundis, hoc est, Tarquiniis in regnum reducendis conspirarunt: Vindicius autem, seu Vindex, Aquilliorum *servus*, *occulta crimina*, proditionem, seu conjurationem, *ad Patres produxit*, detulit (vide ad Liv. II, 5); quo facto proditores a lictoribus consulum jussu virgis cæsi, *securique* percussi sunt. Res notissima vel ex Liv. II, 3—5, et facinora Horatii *Coclitis*, *Mucii* Scævolæ, et Clœliæ ex eodem Livio, II, 10—13.

Var. 263. *Decebat*, 77.

Var. 264. *Mutius*, 17, 18, 19, 21, 23, 24, 45—50, 58, 60, 64—67. Sed Græci eum appellant Μούκιον Σκαιόλαν.

Var. 265. *Finem*, 25, 27, 46, 47, 49, 50, 54—60, 64, 65.

Not. 265. *Virgo*, Clœlia, *Tiberinum* amnem seu fluvium, qui tum temporis *imperii* Romani *finis* et terminus fuit, *natavit*. Alii eam equo insidentem fluvium trajecisse tradunt, unde et statua equestris ipsi posita videtur.[1] Hæc narratio facile cum illa conciliari potest. Vide ad Liv. loc. laud. et ad Sil. X, 498.

Var. 266. *Producit*, 61; *conduxit*, 11, 19; *eduxit*, 2, 3, 6, 7, 14—18, 20, 22, 23, 24, 29, et XI Codd. Paris. *Deduxit*, 21; *cum duxit*, 45. Schurzfleisch. suspicabatur in prisco aliquo Cod. primam syll. fuisse detritam, quam deinde librarii pro lubitu commenti sint.

Not. 267. *Servus Matronis lugendus*, quem Brutus, ut conservatorem

---

Musiv. cap. 14, pag. 110. Copiose et docte de diademate, vel tiara, egere Burm. ad Valer. Fl. VI, 700, et inpr. Spanhem. de Usu et Præstantia Num. Diss. V, pag. 456—472, 622, 679—685 (ed. Amst. 1671), ubi præter alia p. 470, 471, docet, hoc regiæ potestatis insigni, ex Oriente demum ab Alexandro, et ex Macedonia a Romanis petito, neminem regum Romanorum usum esse, et poetas (ut Juvenalis hoc loc.), monetarios, pictores et sculptores, qui illud his regibus, vel adeo diis et heroibus tribuant, ad sua tempora respexisse, et morem tum principibus familiarem.

[1] De qua vide Liv. II, 13, extr. et Beger. Spicileg. Antiq. pag. 73.

patriæ, manumisit, et, ut delatorem dominorum, cruci affixit; quod factum matronæ planxerunt, quia castitas earum Superbo sub tyranno vim patiebatur; vet. Schol. Eum mortuum, tamquam nobilem, annum matronæ lugebant; Grang. Denisius et alii hæc verba ad dolorem referunt, quem matribus commoverit indicio sceleris filiorum, qui securi propterea percussi sint. Enimvero mens poetæ hæc est, nisi me omnia fallunt, servum illum, patriæ servatorem, non minus fuisse dignum, qui a matronis lugeretur post mortem, quam Brutum, quem annum, ut parentem, luxerint, quod tam acer ultor violatæ pudicitiæ fuisset; de quo vide Liv. II, 7.

Var. 268. Hæc verba forsan a librariis transposita, et in hunc ordinem redigenda: *at illos verbera justis Afficiunt legum pœnis et prima securis*, hoc est, primum in libera republica adversus reos adhibita.

Not. 268. *Legum prima securis;* securis, qua leges ad pristinam vim reductæ, primum in libera republica adversus reos et maleficos usæ sunt. «Quia tunc primum, secundum leges, in libera republica supplicium de sontibus sumptum fuit, quum antea regum arbitrio jus omne contineri videretur; » Ach. Sed nec hæ, nec aliæ interpretandi rationes omnibus satisfacient. Conf. Var. Lect.[1] Unde vero factum sit, ut antiquo jure publico Romano ante quam quis securi feriretur, virgis cædi soleret, docet Heyne, Opusc. Acad. v. III, p. 189—193, ubi suspicatur, leniorem rationem, ut securi percuteretur reus condemnatus, antequam sub virgis exspiraret, successisse in locum pristinæ atrocitatis, qua ille virgis ad mortem cæsus sit. — Aliam quoque loci hujus explicandi rationem affert Juvencius, cui videtur securis, vel justa quæ per securim infligitur pœna, dici posse prima omnium lex, id est, potentissima et efficacissima, quia metus pœnæ plus valet ad homines in officio continendos, quam lex ulla: adde quod prima et maxime necessaria justitiæ pars est, sontes plectere; et leges ac regna maxime stant ac vigent supplicio improborum; denique id primo loco præscribunt leges, ut sumatur de scelestis supplicium. Equidem primam quam modo dedimus interpretationem omnibus antepono. Ed.

Not. 269. *Thersites*, Græcorum fœdissimus et animo et corpore, linguaque promptior quam manu; notus ex Hom. Iliad. β, 212 seq.[2] —

[1] Primum supplicium, quod in consulatu primo post exactos reges a patre de filiis sumptum; Calder. Consulatus primus, qui fuit inter leges expulsis regibus, a quibus sine legibus omnia arbitrio suo acta, hoc est, Brutus, qui primus regibus exactis creatus consul supplicium de filiis sumpsit; Britann. Quia primus consul Brutus secures accepit; Schol.

[2] Et ex litibus, quæ de eo nostra ætate primum inter Klotz. et Lessing. deinde inter Köppen. et Jacobs. ortæ sunt.

Æacides, Achilles, Æaci nepos, et filius Pelei, unde et *Pelides* sæpe dicitur. Is non modo fortissimus heroum fuit, sed et Græcorum formosissimus. Vide Hom. Iliad. β, 674 et 769. — *Vulcania arma*, a Vulcano fabricata Achillis arma (quod notissimum ex Hom. Iliad. σ, 369 seq.), *capessas*, Achilli, qui iis usus est, virtute similis sis, et rebus gestis. — *Producat*; vide ad VI, 241.

Nor. 272 seq. Comparant Senec. Controv. VI: « Quemcumque volueris, revolve nobilem, ad humilitatem pervenies. Quid recenseo singulos, quum hanc urbem tibi possum ostendere? » etc.

Nor. 273. *Asylum* Romuli vel tironibus notum ex Liv. I, 8, et Dionys. II, 15. — *Aut pastor*, ut Romulus et Remus, *aut illud, quod dicere nolo*, homo *nefandus*, ἀποφράς; maleficus, vel servus, vel obæratus, quæ tria hominum genera ad asyla confugisse, tradit Plutarchus, unde et *infami asylo*. Not. Ach. est: « Poeta forte hac reticentia satirice Romulum designat ipsum lupæ filium (*un fils de putain*) suosque (ejusque) consocios meretricum filios. » Vulgarem de Romæ, a *pastoribus* ac fugitivis conditæ, origine et de Romuli asylo opinionem, quæ apud Romanos prævaluerat, et quam Livius quoque adscivit, poeta ὡς ἐν παρόδῳ deridet (ut II, 127), vel potius hoc loco sequitur, superbiæ nobilium perstringendæ causa. Honestiorem veramque Romanorum originem memorat Dionys. Halic.[1]

Var. 274. *Majorum quisquis primus*, 10, 19, 20, 21. *Quisquis majorum primus*, 16.

Var. 275. *Aut aliud*, 25, 46, 48, 49, 57, 59, 60, 65.

[1] De *asylis* eorumque jure in Græcis civitatibus vide Spanhem. de Usu et Pr. Num. Diss. IX, et Lips. ad Tac. Ann. III, 60.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Præfatio editoris N. E. Lemaire. . . . . Pag. vij
Divisio et argumenta sexdecim satirarum Juvenalis. xj
Index Codicum MSS. et Editionum, quibus ad hanc novam Editionem usus est N. E. Lemaire. . . . xiv

LIBER PRIMUS.

Satiræ primæ argumentum. 3
——— Analysis. 4
Satira prima. 7
Satiræ primæ interpretatio. . . . . ibid.
Variæ lectiones et notæ in Satiram primam. . . 19

Satiræ secundæ argumentum. 75
——— Analysis. 76
Satira secunda. 83
Satiræ secundæ interpretatio. . . . . ibid.
Variæ lectiones et notæ in Satiram secundam. 65

Satiræ tertiæ argumentum. 140
——— Analysis. 142
Satira tertia. 143
Satiræ tertiæ interpretatio. . . . . ibid.
Variæ lectiones et notæ in Satiram tertiam. . . 165

Satiræ quartæ argumentum. 229
——— Analysis. 230

Satira quarta. . . . . Pag. 231
Satiræ quartæ interpretatio. . . . . ibid.
Variæ lectiones et notæ in Satiram quartam. . . 242

Satiræ quintæ argumentum. 281
———— Analysis. . . . . ibid.
Satira quinta. — *Parasiti ad Trebium.* 283
Satiræ quintæ interpretatio. . . . . ibid.
Variæ lectiones et notæ in Satiram quintam. . 295

LIBER SECUNDUS.

Satiræ sextæ argumentum. 337
———— Analysis. 339
Satira sexta. — *Romanæ mulieres.* 341
Satiræ sextæ interpretatio. . . . . ibid.
Variæ lectiones et notæ in Satiram sextam. . . 384

LIBER TERTIUS.

Satiræ septimæ argumentum. 537
———— Analysis. 538
Satira septima. 539
Satiræ septimæ interpretatio. . . . . ibid.
Variæ lectiones et notæ in Satiram septimam. . . 556

Satiræ octavæ argumentum. 621
———— Analysis. 623
Satira octava. 625
Satiræ octavæ interpretatio. . . . . ibid.
Variæ lectiones et notæ in Satiram octavam. . 642

FINIS PRIMI VOLUMINIS.

3 2044 018 770 578

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

3796135

AUG 25 1972

WIDENER

APR 10 1994

MAR 22 1995